MICHAEL A CERVANTES

DOMINUS QUIXOTUS A MANICA



VERSIO LATINA AB

ANTONIO PERAL TORRES

CENTRO DE ESTUDIOS CERVANTINOS

1998

MICHAEL A CERVANTES SAAVEDRA

Historia
Domini Quixoti a Manica

LIBER I

Versio Latina
ab Antonio Peral Torres



CENTRO DE ESTUDIOS CERVANTINOS

ALCALÁ DE HENARES (COMPLUTI), 1998

Ediciones del Centro de Estudios Cervantinos
Palacete de Laredo
Paseo de la Estación, s/n.
28807 Alcalá de Henares (Madrid)
Tel.: 883 13 50. Fax 883 12 16

Impresión: Nuevo Siglo, S.L.

I.S.B.N.:: 84-8833-24-2

Depóstio legal: M-15993-1998

Impreso en España / Printed in Spain

INTRODUCTIO

Benevolo lectori salutem!

En tibi liber quem fortasse abhinc multum tempus exspectabas et quidem non errasti, quia vere scriptus est latine. Eum potuisti legere fere in omnibus linguis huius mundi, sed nondum erat latino sermone. Tamen anno 1905 apparuit

HISTORIA DOMINI QUIJOTI MANCHEGUI,
traducta in latinem (sic) macarronicum per IGNATIUM CALVUM

ubi erant undeviginti capita primae partis. Ad hanc versionem ipse auctor anno 1922 addidit usque ad caput quadragesimum septimum, quare etiam ab eo nuncupata est *editio nova, castigata et alargata* eamque etiam Matriti edidit in lucem; postea vero iterum ediderunt has duas versiones unificatas, Matriti *1966*. Nihilominus haec non fuit versio totius libri nec versio latina stricto sensu, sed unica hucusque atque huiuscemodi et quidem plena sale et lepore et praesertim maxima libertate, quia ad hanc accesserunt multa verba hispanica, quae forte iuvabant ad melius intelligendum et absque dubio ad iucundum risum tenendum.

Tamen JAMES FITZMAURICE-KELLY, *A Note on 'El Licenciado Vidriera'* in REVUE HISPANIQUE anno 1897, vol. 4, p. 45, in adnotatione ad pedem, dicit: MARTINUS FERNANDEZ DE NAVARRETE, in suo libro *Vida de Miguel de Cervantes Saavedra*, Madrid 1819 pp. 529–530, dicit: *Nonnulli curiosi nobis dederunt nuntium cuiusdam versionis latinae libri Quixoti factae a litterato germanico, sed haec facta non constant nobis per nuntios fidedignos et sic debemus lectoribus aperte ostendere.* Ergo non fuit versio latina usque ad annum 1819.

TOMAS VIÑAS DE SAN LUIS, in *Versiones latinas de poesías hispanas* vertit in latinum *Aetatem Auream* (1–11) et etiam *Lamentationes Sanctii Panza* (2–55), secundum artem poeticam latinam ex *Historia domini Quixoti*, sed nihil amplius vertit ex hoc libro.

Haec versio, quam nunc in tuis manibus habes, vult esse omnino diversa ab illa prima Ignatii Calvo, de qua diximus, et quidem potes mirari, quia vere omnis scripta est hoc sermone latino. Ego etiam miror et fere nescio quomodo potui tam ingentem vastumque laborem perficere nec unde inveni vires ad hanc operam navandam. Sed quidem feci, quia hic est liber de quo tam multa loquuntur ubique terrarum et omni tempore et de quo tam multas versiones fecerunt. Et haec est versio *Historiae Domini Quixoti a Manica* quam hispanice scripsit Dominus MICHAEL DE CERVANTES ET SAAVEDRA et agitur de illo equite itinerante, qui fuit Dominus Quixotus a Manica et de omnibus rebus gestis, quae ei acciderunt et eodem modo agit de Sanctio Pansa armigero eius.

Motus dilectione ad hanc versionem faciendam me contuli, sed nec egomet potui credere me aliquando eam finiturum esse. Tamen, Deo volente, denique vidi finem huius operis et hunc librum tibi libenter offero ita ut etiam hoc sermone possis frui rebus gestis Domini Quixoti, qui aliquo modo amicus omnium dici potest.

QUOMODO ORTA EST VERSIO LATINA HUIUS LIBRI?

A) AMICUS GERMANICUS

Fortasse velis quaerere a me cur hanc versionem feci. Hoc dicam tibi et quidem aperto animo. Imprimis multae fuerunt causae ad hanc versionem faciendam, quas possum vocare alias remotas et alias proximas. Inter illas oportet me loqui de optimo amico doctore Domino Iosepho, germano natione, viro sapiente, qui multas linguas cognoscit eisque loquitur. Hic amicus habet filiam pulcherrimam, nomine Dorcam, quam ille nonnullas linguas docuit, inter quas etiam est lingua latina, quam ambo valde diligunt et etiam aliquando hoc sermone loquuntur. Amicus Iosephus quondam a me quaesivit ut pro sua filia quaererem libros latinos, quos fortasse melius in Hispania invenire possem. Tunc ego librarios sive bibliopolas petivi, sed non multos libros latinos inveni, praeter eos qui amicus iam domi habebat, inter quos, ut patet, numerabantur libri Ciceronis, Horatii, Vergilii, Iulii Caesaris et ceterorum. Tunc ego consilium habui mecum scribendi librum ita ut Dorcas posset librum latinum hodiernum legere.

Secundum amicum Iosephum oportebat facere versiones fabularum, quibus studiosi possent incumbere et hoc modo vivificare litteras latinas. Tamen non tantum agebatur de quadam versione in linguam latinam, sed haec versio debebat esse et iucunda et facilis. Secundum me oportebat sequi methodum idoneam et convenientem illius Universitatis Oxoniensis, nempe *Oxford University Press*, cum editionibus fabularum tum pueris tum adultis, qui incipiunt linguam anglicam discere, ubi textus datur tantummodo vocabulario restricto 500, 750 sive 1.000 verborum, ita ut lectores paulatim perveniant ad linguam ditiorem copiae verborum. Ad hoc scopum nanciscendum amicus Iosephus aliquando mecum locutus est, quia putabat me has versiones latinas facere posse et praesertim ex hodiernis fabulis criminalibus sive ex fabellis aliarum rerum, quae hodie ubique a multis leguntur. Tamen quamvis res esset tam magni ponderis tunc non habui vires ad has versiones faciendas, nihilominus de his rebus mecum cogitavi et postea haec fuit causa remota de versione huius libri ita ut Dorcas haberet librum latinum ad legendum.

B) CONVIVAE LOQUEBANTUR DE HISTORIA DOMINI QUIXOTI

Alia ex parte quondam boni et cari amici visitaverunt domum nostram, illi autem non omnes erant hispani, sed peregrini, quia veniebant ex regionibus omnino diversis huius mundi, quamvis non omnes uno tempore apud nos essent. Et, prandio elapso, aliquando fuit colloquium inter nos de multis rebus inter quas etiam de domino Quixoto. Tunc putavi me posse librum accipere eumque legere, sed cogitavi intra me, quonam sermone faciam hanc lectionem? Quia revera lingua hispanica non erat lingua communis omnibus convivis nec immo sermo anglicus et dixi loquendo mecum et cur non legere latine omnibus? Sed ecce carebamus versione latina ad hanc lectionem faciendam. Postea vero de hac re in mea solitudine cogitavi et quidem ac per iocum incepi vertere primas paginas huius libri. Et tunc meis propriis oculis vidi hoc fieri posse, sed denuo hanc operam ad meliorem opportunitatem reliqui.

C) COETUS LATINITATIS MATRITENTIS

Etiam tertia causa fuit et quidem proxima, quae impulit me ad hanc versionem faciendam et tibi narrabo res sicut revera evenerunt. In hac urbe matritensi erat Coetus clarissimorum hominum et inter eos inveniebantur legati diplomatici, medici, advocati, architecti necnon et eximii professores Universitatis. Hi autem semel in mense congregabantur, duce clarissimo domino Augustino, qui erat cor et anima huius institutionis quam ipse sua constantia, sapientia ac virtute fovit et latino sermone loquebantur. Et praesertim colloquium erat de rebus pertinentibus ad latinitatem necnon et de necessitate reinstaurandi usum huius linguae, saltem cum locutores non essent eiusdem nationis nec omnes loquerentur uno sermone. Etiam aliquando locuti sunt de illo cantu cycneo pro Camena amata, quo designatur tempus advenisse finis huius sermonis latini, quem tam multi diligunt, nisi aliter hic et nunc fieret. Et vere moesti erant, quia videbant litteras latinas non habere pristinam praestantiam nec adesse in vita hominum nec in re publica mundana, scilicet nec in Unione Europaea neque in Nationibus Unitis, ubi gens totius huius mundi congregantur ad loquendum de rebus publicis tam maximi momenti et non semper possunt se mutuo una lingua intelligere, nam deest eis lingua communis, quae sit apta atque idonea ad colloquium cunctorum.

SCOPUS COETUS LATINITATIS MATRITENSIS

In illo Coetu Matritensi conabantur ad introducendam linguam latinam ut esset lingua omnium populorum ut antea fuit in saeculis praecedentibus. Ad hoc obtinendum multa illi fecerunt, locuti sunt cum praefectis status et rei publicae, litteras scripserunt ad hoc bonum consilium adipiscendum et multa alia. Ego fortasse ultimus fui qui ad hunc Coetum Latinitatis Matritensem perveni in quo erant homines tam magni ponderis ac virtutis. Eos audivi, bona desideria eorum intellexi et putavi valde conveniens esse aliquo modo eos iuvare. Et sic revera orta est haec versio latina *Historiae Domini Quixoti a Manica*, quam iam haesitanter et fere sponte incepi, quamvis tam multae ac fere insuperabiles difficultates ad operam navandam essent, tamen in dies arctius fuit in me studium ad id perficiendum. Et hoc modo putavi me posse consilium amici Iosephi sequi, nempe vertendi fabellas quibus lectores possent eas latino sermone legere, et eodem modo quae non essent difficiles intelligendi, vi cuius multi possent in litteras latinas dextro pede introire et fortasse aliquando latine loqui.

SUNTNE ALTERI NOTI LIBRI IN LINGUA LATINA?

En libri quos inveni et iam verterunt in latinum sermonem:

Caelestina, a FERDINANDO DE ROJAS in versione Casparis Barthii, edita in lucem Francoforti (Frankfurt) anno 1624, sub nomine *Eratodidascalos, sive Nemoralium.*

Vitae humanae proscenium in quo sub persona Gusmani Alfaracii virtutes et vitia ... graphice et ad virum repraesentantur, sive *El Pícaro Guzmán de Alfarache,* MATTHAEI ALEMAN, et Caspar Ens edidit Coloniae Agrippinae (Colonia) 1623.

Homo Vitreus, sive *El Licenciado Vidriera* in REVUE HISPANIQUE n. IV anno 1897, pp. 61–70, in versione Casparis Ens.

Lazarillo de Tormes, etiam in REVUE HISPANIQUE n. XV anno 1906, pp. 770–795, in versione Casparis Ens.

De Familia Pascual Duarte CAMILLI IOSEPHI CELA in versione Barbarae Pastor, Ediciones Clásicas, Matriti 1990.

Regulum vel pueri soli sapiunt, francogallice *Le Petit Prince,* ab ANTONIO DE SAINT-EXUPERY in latinum conversus ab Augusto Haury. Edidit Fernandus Hazan, via Sequanica (Seine) XXXV ac XXXVII, Lutetiae (Parisiorum) 1961.

Robinson Crusoeus HENRICI CAMPE, in versione latina F.J. Goffaux, Parisiis a. 1825.

Pinoculus latinus C. COLLODI, italice *Pinocchio,* in versione Hugi Henrici Paoli, Casa Editrice Felice Le Monnier, Firenze (Florencia) 1962.

Tristitia Salve FRANCISCAE SAGAN, francogallice *Bonjour Tristesse,* in versione Alexandri Lenardo, Stuttgartiae (Stutgart) 1964.

Alicia in terra mirabili C-H. CARRUTHERS, Mac Millan, Londinii (Londres) 1964.

Trans speculum et quae Alicia ibi invenerit LUDOVICI CARROL, versio ab Eugenio de Velcia, in VITA LATINA a. 1965, 1966 et sqq.

Versiones latinas de poesías hispanas THOMAE VIÑAS DE SAN LUIS, ut supra, qui vertit in latinum Carmina hispanica quae scripserunt el Arcipreste de Hita, Jorge Manrique, Fray Luis de León, Lope de Vega, Góngora, S. Juan de la Cruz, Quevedo, Becquer, Campoamor, Rubén Darío inter alios; et Luis Camoens ex lusitano sermone; Juan Elizaburu ex vasconico, J. Blanco White ex anglicano; Verdaguer et Juan Maragall ex catalaunico; Rosalía de Castro ex gallaico et ubi est Prologus magni momenti, qui agit de versionibus in latinum usque ad annum 1927.

Lucere ubique lucernas caelestes, RENE (RENATUS) SAKSA, Rochus Habitzky convertit e germanico in latinum et Caelestis Eichenseer perpolivit textum et instruxit adnotationibus, titulus originalis: *Vino corriente –Sprung über die Pyrenäen–* Domus Editoria Rainardi Brune, Langenfeld 1982.

Sub Rota, HERMANNI HESSE, in latinum vertit Sigrides C. Albert, Verlag der Societas latina, Saraviponti (Saarbrücken) 1994.

Scripti sunt etiam latino sermone:

Cottidie latine loquamur, SIGRID ALBERT, Saraviponti (Saarbrücken) 1987.

Finnorum Nuntii latini Radiophoniae Finnicae Generalis (Suomalaisen Kirjallisuuden Seura) a THOMA (TUOMO) PEKKANEN et GREGORIO (REIJO) PITKÄRANTA, Helsinki ab anno 1992.

Le latin sans peine, Methodus 'Assimil' a C. DESESSARD, Chennevières S/ Marne 1966.

IUVENIS et *ADULESCENS* ephemerides nubeculatae Italiae, «ELI» European Language Institute, Recanati.

VOX LATINA Saraviponti (Saarbrücken) ab anno 1965.

MELISSA Bruxellis.

LATINITAS in Urbe Vaticana ab anno 1930.

HERMES AMERICANUS, in Academia latina Danburiensi, Box 322, Bethel, Conn. 06801, in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis.

ACTA DIURNA Bucks in Anglia.

Olim fuerunt aliae ephemerides diurnae, quae iam non amplius eduntur in lucem, sed in bibliothecis possumus eas invenire et legere et hae sunt:

VITA LATINA Avennione (Avignon) ab anno 1957.

PALAESTRA LATINA Caesaraugustae (Zaragoza) ab anno 1930.

DIFFICULTATES LINGUAE LATINAE: EX GRAMMATICA:

Undenam proveniunt difficultates linguae latinae? Lingua latina videtur esse difficilis et grammatica illius immo difficilior quam quaedam alia, sed hoc non tam facile probari potest. Nihilominus de hac quaestione possumus loqui cum discipulis, qui discunt hanc linguam. Bonum esset ab eis quaerere et absque dubio illi dicent nobis se habere difficultates cum casibus nominum, praesertim in tertia declinatione, cum verbis deponentibus, et magna difficultas est si advenit hyperbaton. Sed non necesse est ab aliis has difficultates quaerere, si nos quondam linguam latinam didicimus, nam tunc ipsi nos cognovimus ubi erat quod terrebat nos, utrum orationes infinitivi, sive ablativus absolutus, vox passiva verborum et cetera, ut patet. Et cum agatur de grammatica omnia oportet magna cura videre et perpendere et regulas bene discere et exceptiones harum regularum, quae saepe ad nos accedunt et perplures sunt.

HYPERBATON

Etiam debemus dicere non oportet multiplicare difficultates sine ulla ratione, sed si grammatica non semper nimis facilis est, adhuc venit hyperbaton suo aculeo venenato ad ordinem sententiae mutandum et uno ictu fit obscurus et nescimus quomodo textus interpretetur. Cur hyperbaton laborat hoc modo? Tamen multoties putavi hunc modum scribendi esse magnam elegantiam, sed auget difficultates, praesertim illis qui incipiunt discendo hanc linguam. Absque dubio hyperbaton non esset in loquela quotidiana civium romanorum, sed tantum in libris propter rhetoricum modum scribendi. Bonum esset audire romanos illius temporis loquentes, sed hoc non amplius fieri potest et tantum possumus legere libros scriptos dum aliquando narrant nobis colloquia eorum. Tamen influxus modi scribendi manet in calamo scriptoris et non auditur viva vox sive loquela eorum. Hyperbaton oritur ut peritia, dexteritas sive calliditas scriptoris, sed non esset modus loquendi in vita quotidiana romanorum illius temporis.

CURNAM HOC TEMPORE VERSIO LATINA HUIS LIBRI?

Fortasse etiam velis scire cur haec versio in lucem edatur et praecise hoc tempore cum fere nemo loquatur latine, saltem extra aulas academicas. Videas, optime lector

et amice, ut verum dicam non erat haec versio tam urgens, quia iam verterunt hunc librum in multas linguas, et qui eum voluerunt legere habebant librum ad commodum eorum et unusquisque potuit eum legere in sua propria lingua. Et hoc quia filii vel heredes illius magni Imperii Romani nunc loquebantur alio modo et non praecise latino sermone, quapropter nulla erat necessitas vertendi hunc librum in latinum, et sic fere per quatuor saecula nullam versionem fecerunt, sed tantum in illas linguas quibus omnes ad invicem loquebantur et hoc sic factum est.

HEREDES IMPERII ROMANI

Tamen, si loquimur de filiis Imperii Romani vel de heredibus illius latinitatis, multa dicenda sunt. Secundum me, haec non est propinquitas ex vinculis sanguinis, sed ex doctrina. Sic possumus vocare filios vel heredes Imperii Romani eos qui quondam loquebantur latino sermone et in decursu temporis loquuntur linguis romanicis et multi alii qui per vicissitudines historicas pervenerunt ad ambitum harum linguarum romanicarum et sic ut proprias habent has linguas. Et etiam sunt homines qui has linguas romanicas cognoscunt, quia eas didicerunt, sed non semper eis loquuntur. Ad hos aliquo modo accedunt illi qui non habent linguam patriam romanicam, sed habent multa verba harum linguarum romanicarum, quia per longos annos intraverunt in linguam eorum. Et immo alii sunt qui aliquando vacaverunt studio linguae latinae tum in scholis tum in universitatibus. Hi omnes plus minusve habent influxum illius culturae quam appellamus classicam latinam. Quapropter egomet credo hos omnes posse intelligere aliquo modo linguam latinam si aliquando audiunt colloquium latinum sive si legunt librum scriptum latino sermone dum facilis sit, et hoc quia haec lingua latina latet in linguis romanicis et in doctrina quam olim didicerunt.

QUID ERGO FACIENDUM SIT DE LINGUA LATINA?

Aliquid possumus facere quia hodie est Radiophonia in hac lingua et hos *Nuntios Latinos* edunt in lucem, quare eos et audire et legere possumus, etiam sunt ephemerides diurnae et nubeculatae (*comics*), commentaria periodica et fabellae hodiernae scriptae hoc sermone et haec omnia possunt iuvare nos ad iter incipiendum et faciendum. Lingua latina potest esse thesaurus et iuvare nos ad novos et optimos amicos lucrandos et aliquo modo possumus ditiores fieri.

DIFFICULTAS AD VERSIONEM FACIENDAM

AMBIGUITAS VERBORUM

Difficultates ad faciendam versionem latinam huius libri erant multae inter quas etiam erat ambiguitas linguae latinae quae attingit nos in multis, exempli gratia in

verbo «petere» quod tum significat «iter facere» tum «quaerere», ex quo oritur sensum verbi hispanici «pedir». «Offendere» quod significat «percutere, ictum dare», «casu invenire» et etiam «offensam inferre contra aliquem «, tunc fieri potest ut quidam dicat (cf. Desessard, *Le latin sans peine*, ut supra, p. 124): *Heri filiam tuam in via Regali offendi* ... « et nullo modo vellet iniuriam facere filiae nec patri eius ...

Tamen haec ambiguitas duplex esse potest tum ex latino sermone tum ex alia lingua, ut puta hispanica, quia tria verba sunt in hoc sermone hispanico, nempe *señora*, *dueña* et *doña* dum latine tantum invenio «dominam», nisi dicerem «nutricem» pro «dueña». Ceterum etiam alia verba sunt ut «casco» quod diversas significationes habet, nam «casco» non uno sensu usurpatur, verbi gratia: *romperse los cascos* = frustra defatigari; *ser alegre de cascos* = temerarius, incautus sive imprudens esse; *el casco del soldado* = galea militis; *el casco del asno* = ungula asini; *el casco viejo de la ciudad* = pars antiqua urbis; *el casco de la nave* = alveus sive carina navis; et alia (cf. Raymundus de MIGUEL, *Novum Dictionarium latinum-hispanicum Etymologicum*, Matriti, 1921, ibi in «Brevi Dictionario hispanico-latino», p. 43 sub verbo *casco*). Nihilominus haec omnia non semper nobis videntur ut tales difficultates, quia linguam nostram cognoscimus et sic credimus ambiguitatem tantum esse in latino sermone.

Et quid dicendum est si primo fit descriptio cuiusdam lacus (ut in 1–50) qui depingitur optimo modo, ex quo ignis exit et tunc advenit strenuus eques et urinatur in medio lacu ad incendium exstinguendum? Quomodo poterit hic eques principessam hoc modo protegere? Multi, saltem loquentes hispanico sermone, sic cogitabunt, sed debent in dictionario sensum illius verbi quaerere, nempe, *urinor* ... et videbunt hoc esse tantum *mergi* sive *submergi* et tunc pacabuntur, quia hoc verbum eis ut dubium atque incertum videbatur in extremis (cf. etiam Desessard, ibidem, p. 130).

Aliter et ut curiosa, si audimus: *TU COMES CARA COLES*, multi possunt credere hanc sententiam hispanicam esse, sed hic et nunc sensus alius est ut patet: *tu, o comes, o amice, coles vel obtines ea quae cara, nempe bona vel optima sunt*. Etiam et alio modo fecit ductor sive navicularius Nemo in navi Nautilo in quadam fabella Iulii Verne qui scripsit hanc sententiam mysteriosam: *ROSAM ANGELUM LAETORUM*, quae videbatur latina, sed si haec pronuntiatur secundum peculiarem modum francogallicum auditur: *Rose a mangé l'omelette au rhum*. Et praecise hic erat sensus absconditus.

NOMINA DRAMATIS PERSONARUM

Quod attinet ad nomina dramatis personarum huius versionis, aliquid dicendum est, nam imprimis volui propter simplicitatem uti nomine *Quixoto*, quia etiam in vocativo est *Quixote*, et non aliter, tamquam esset *Quixotes* vel *Quixotis* et melius mihi videbatur cum verbo *domino* convenire. Quod inveni cuiusdam momenti fuit nomina Domini Quixoti et Dulcineae, quia ille vocabatur Alonso, id est Alphonsus et Ildephonsus et Dulcinea erat Aldonza Lorenzo, nempe Alphonsa sive Ildephonsa. Quoad Sanctium Pansam sic eum nominavi, quia *Pansam* inveni apud Forcellini in *Lexicone totius latinitatis* et erat nomen cuiusdam familiae Romae et etiam Pansam vidi in *Satyricone* Petronii Arbitri (47,13) et mihi videbatur eum habere nomen

idoneum ad insulas gubernandas. Nomen Teresiae, Ioannae Pansae vel Mariae Gutiérrez hoc modo reliqui. Nomina aliorum equitum ad libitum sive tamquam melius putavi scripsi et abusus sum aliquando eadem libertate, qua ipse Cervantes usus est in opere suo.

VERBA DUBIA

Aliquando in libro Domini Quixoti dicitur *hideputa* = filius vel filia moechae. Ego potui vertere *moecham* ut lupam, meretricem, scortum vel scortillum. Hanc expressionem volui accuratius invenire apud ILONA OPELT, in libro *Expressiones latinae contumeliosae et cognatae locutiones*, titulus originalis: *Die lateinischen Schimpfwörter und verwandte sprachliche Erscheinungen*, Carl Winter-Universitätsverlag, Heidelberg 1965. Ibi quaesivi et non inveni quod volui, quare hoc modo et ut expressio vetusta scripsi. Melius mihi videbatur ut esset quaedam relatio propinquitatis inter «moecham», «moechum» et «moechari», quam non haberet si scriberem «lupa», «meretrix», «adulterare» et cetera.

Hipanicum verbum *rejo* (2–13) quod significat «robur» in *Diccionario de la Real Academia Española*, ego praecise volui vertere, omnibus interpretibus renuentibus et invitis, pro *surco* sive *sulco*, quia credidi magis convenisse huic sensui, secundum professorem HENRICUM MONTERO CARTELLE, *El Latín Erótico, aspectos léxicos y literarios (hasta el S.I d.C.)*, Publicaciones de la Universidad de Sevilla, p. 38. Sevilla 1991.

Quid ergo de *hidalgo* sive de *fidalgo*? Hoc verbum hybridum provenit ex duobus, nempe ex *filio* latino et fortasse ex hispanico *algo*, et manet in cognominibus tum *Hidalgo* tum *Fidalgo*, et in versione hebraica a Nathan Bistritzky vidi esse *hidalgo*, quapropter etiam ego ut neologismum accepi et quidem ut *fidalgum*.

Difficultates volui vitare, sed non semper potui. Etiam ipsi commentatores habuerunt eas et non semper explanaverunt ita ut omnes possent bene intelligere, nec immo hispani. Quid ergo dicam de quodam interprete anglico qui venit ad Hispaniam ad bene linguam hispanicam discendam et postea dum loquebatur de sua uxore dicebat ut Sanctius: *mi oislo*, tamquam si esset expressio quotidiana apud nos (1–7; 2–3; 2–70). Quoad *duelos y quebrantos* (1–1), et *tarde piache* (2–53), *oxte, puto* (2–10) et alia, multi sunt qui dicunt intelligere, sed differunt suis commentariis ab aliis, qui diversimodi interpretant, denique debui vertere secundum nutum meum, quamvis manerent ut dubia.

VERBA PEREGRINA

Influxum lusitanum credidi videre in verbis: *brincos* (inaures), amictus *de rua* (2–62), *acordar* (2–60) (*despertó en todo su acuerdo*) et *recordar* (2–41) (*recuerda de un pesado sueño*) quae hispanice ex verbo *meminisse* et etiam *expergefieri*, sed lusitane tantum ex *expergefieri*, quod mea opinione erat ad vertendum in his locis.

Ex influxu italico credo esse (2–41) *fracaso* (*y vio todo el 'fracaso' y asalto y muerte...*) quod italice scriberem *fracasso* et esset *agitatio* vel *strepitus*, sed nullo modo *deceptio* et magis convenit quam *fracaso* hispanice. Alia vero sunt *espirloquería* (*spirlocheria*) (2–24), *uomo galante* (2–25), *buon compaño* (*compagno*) et *che pesce pigliamo* (2–25), *bagatelle*, *pignata*, *piace*, *più*, *su*, *giù* ex (2–62).

Ex lingua germanica, sive theodisca, vidi tantum verbum *Guelte*, *guelte* (2–54) pro pecunia, *Geld*.

Ex francogallico non multa inveni, sed *Pierres* et *monsiur Lautrec* (1–35), et *jayán* sive *jayant* ex *géant* id est gigas, secundum Martinum de Riquer in *Aproximación al Quijote*, Barcelona 1967.

Ex arabico sermone multa sunt in narratione captivi et relinquo in illis locis ubi facio versionem (1–37; 40; 41).

Ex turcico sermone *passamaches*, *uchali*, *arnaute* et *fartax* ibidem.

Ex catalaunica lingua autem *lladre*, *pedreñales* (sic) et *frade* (2–60).

Credo me nullum verbum anglicum vidisse praeter illa quae dicuntur de rege Arcturo (1–13), de Britannia (1–49), de Lanceloto et ceteris. Num invenitur ibi influxus huiuscemodi? Secundum me fortasse sit aliquid illius notissimi dicti ex Hamlet «to be or not to be» Guillelmi Shakespeare, et hoc propter verba quae ait Sanctius Pansa *quia sive sumus vel non sumus* (2–49) et etiam *atque hodie sumus et cras non erimus* (2–7) et haec est etiam quaestio illius. Et utrum Sanctius noverit loquelam anglorum an tantum (2–2) suam linguam? Utique, sed incantatores absque dubio noverunt.

VERBA HISPANICA NON SATIS CLARA

Nec ego inveni sensum verbi *desuellacaras* nisi quia volui inspicere in *Novísimo Valbuena* (sic) D.A. AUGUSTINI ROCAGOMERA Y SALASAN, Barcinone 1866, qui vertit: *desuellacaras* ut impudens et petulans. Et tunc dixi mihi, tantum inveni sensum huius verbi, quia quaesivi in hoc dictionario, quam multa praeteribunt a me, quia credidi me ea bene intellexisse quod a veritate procul erit. Humiliter debeo dicere fortasse multa huiusmodi introibunt, me omnino nolente, in meam versionem et quidem furtim, sed de hoc equidem profunde doleo.

Idem cum *Tosilo contrahecho* (2–66), *esmeraldas contrahechas* (1–50) et *zagalas contrahechas* (2–58) quae non erant foedae, sed tantum *fictae pastrices*, ut patet ex ipsa narratione (*fingida o contrahecha*) ad finem capitis (2–58).

Quid ergo *a deshora*, nisi *intempestive*? Et *luego* passim ut *continuo* et *statim*. Et *puesto que* est *quamvis* et alia multa quae semantica mutavit? Ad bene vertendum oportet linguam hispanicam illius temporis optime cognoscere.

DE VESTIBUS

Maxima difficultas erat mihi in nominibus vestium, nam magna evolutio fuit in decursu temporis. Cives romani induebantur simplici modo in comparatione cum

vestibus temporis domini Quixoti, quamvis hic non esset praecise arbiter elegantiae, sed utique ii induebant vestes illius momenti et multae vestes inveniendae erant in versione, nisi eas denuo fingere animo vel imaginari deberemus. Quid dicendum esset de illo qui progrediebatur *en farseto* (Q–1–21) *ut lanugium, fartus thorax* et quid autem induere *pedorreras* (2–50) ut bracas sui generis et alias?

DE CIBIS

Idem accidit cum cibis, escis vel dapibus, nam aliquando commentator dicit ut peritissimus Didacus Clemencín et notus Ioannes Antonius Pellicer, sed alii aliter sentiunt. Ceterum accidere potest ut nomen cuiusdam cibi mutetur, quia sic fuit res in Mexico ubi *tortilla* ex zea sive ex tritico indico non est ut in Hispania ex ovo. Neque *gazpacho* ex oleribus in Baetica regione est tamquam in Manica, ubi confectus est ex carne cuniculi sive gallinae. Quapropter reddere verbum pro omni cibo non est res tam simplex neque aliter lectio huius fabellae debeat fieri investigatio de re culinaria tamquam labor doctorandi usque ad ultimum extremum, sed lectio iucunda quae non abeat a veritate narrationis et claro modo eam explicet.

QUID ERGO DE RE PECUNIARIA ET DE NONNULLIS MENSURIS?

Hic agitur de glossario nomismatico et praesertim de verbis quae apparent in hoc libro et, secundum computum meum, tot vices ut denarius (14x), aureus (64x), argenteus (57x), teruntius (14x) et etiam leuca (60x) et *arroba* (12x), quamvis Sanctius Pansa absque dubio adderet: *plus minusve*. Acervus verborum in loquela pecuniaria latina valde amplus est, et propter simplicitatem volui verbum *ducado* vertere tamquam denarium et quem putavi ex auro, denario romano ex argento omnino neglecto, sed duo nummi saepissimi erant ut *escudo* ex auro et *real* ex argento, quare primum vocavi *aureum* et alterum *argenteum*; et denique teruntius, qui etiam vocatur marabotinus, vulgo *maravedí*. Congruentia horum nummorum inter se sic erat:

denarius (*ducado*)	= 11 argentei (*reales*)
aureus (*escudo*)	= 350 teruntii (*maravedís*)
argenteus (*real*)	= 34 teruntii (*maravedís*)

Ipse Sanctius (2–28) dicit: *Cum servirem Tomé Carrasco ... duos denarios lucrabar ... si adderes duos argenteos ... et alios sex argenteos, qui essent cuncti triginta.* (2x + 2 + 6 = 30)

Hinc bene videtur denarium undecim argenteos habere ex ipsa narratione. Alia vero non semper tam clara inveniuntur, ut congruentia inter aureum et argenteum, quamvis veniant teruntii ad hanc questionem solvendam. Sed quid dicendum est si denarius (*ducado*) habeat 375 teruntios et aliquando etiam 354 et immo 374 (quia

si denarius habebat 11 argenteos et unusquisque argenteus habet 34 teruntios, ergo: 34 x 11 = 374) ...? Et aureus (*escudo*) qui habebat 350 teruntios, tempore regis Philippi II, anno 1566 et per quadraginta annos, pervenit usque ad 400 teruntios! Argenteus autem *ex octo*, (vulgo *real de a ocho*) octies augebat numerum teruntiorum, ergo habebat 34 x 8 = 272. Fortasse Sanctius diceret: *plura esse verba de re nomismatica quam in pecunia numerata et nimium ne credas colori.*

Alia verba de re pecuniaria quae semel vel raro inveniuntur verti ad libitum, sic *cornado*, *ardite*, *doblón* et cetera. Verba autem Teresiae Pansae aliquo modo possunt nos iuvare ad pretium rerum intelligendum, quia inter alia in epistula ad ducissam (2–52) ipsa dicebat: *panis constat argenteo et libra [460 gr.] carnis triginta teruntiis.* Sed nescio quid esset pondus illius panis neque utrum caro esset ex ovibus an ex vacca. Primo putavi carnem esse ex ovibus, tamen legebatur (1–1): *olla erat potius ex carne bovina quam ovina*; *ex illa vitula* (2–47) *si non esset assa ... posses gustare*; *eique dederunt carnem vitulinam* (2–49) *conditam cum caepa et pedes coctos vitulae provectae aetatis*; et ulterius in ipso capitulo, *quia stomachus meus solitus est comedere capram, vaccam ...*; et in caupona (2–59) caupo habebat *binas ungues vaccae ...*; et in nuptiis Camacho (2–20): *in amplo ventre illius iuvenci erant duodeni teneri ac parvi porcelli ...* (et tandem) *etiam integros arietes introducebant*; ergo fortasse caro erat ex vacca, quamvis, mea sententia, plures essent greges ovium in Manica regione quam armenta vaccarum.

Tamen pecuniam accuratius invenies apud PHILIPPUM MATEU I LLOPIS, *Glossarium hispanicum de Nomismatica*, Barcinone 1946, et etiam DIDACUS PERONA VILLARREAL, *Geographia Cervantina*, Matriti 1988, p. 79 et IOHANNES LYNCH, *España bajo los Austrias*, titulus originalis: *Spain under the Habsburgs*, Appendix I et II, Oxford 1965–1969.

Leuca, mensura longitudinis, est versio verbi hispanici *legua* et habebat 5.572 m. *Arroba* autem est verbum hispanicum ex origine arabico et est mensura ponderis, quae arabice vult dicere *quartum* (ex *quintal*) et habet 11,5 kg., sed in Aragonia 12,5 kg.

Leuca (*legua*)	= 5.572 m
Arroba (magnum pondus)	= 11,5 kg. (sive 12,5 kg.)

INTERPRES LABORAT DEMENTIA SUB INFLUXU DOMINI QUIXOTI

Tamen, his rebus relictis, quid dicam tibi, optime lector, de meis gaudiis ad hanc versionem faciendam? Multa fuerunt mihi gaudia progrediendo in labore meo incepto. Sed quidem accidit mihi quod accidit domino Quixoto, quia incepi gressibus incertis et dubiis, sed paulatim in dies fortior erat impetus ad laborandum et plures horas impendebam iuxta computatrum et prosecutus sum cogitando de his rebus et de modo vertendi et quomodo possem hoc traducere latine et ita porro. Et sic amisi somnum et tranquillitatem meam et denique dixi mihi, nonne habeo ipsum morbum, quo laborabat dominus Quixotus? Nonne affectus sum dementia simili morbo illius? Et

debui mihi affirmative respondere. Ille amens erat, quia cogitabat de rebus pertinentibus ad equitatum itinerantem et noctu legebat libros huius equitatus et ego mea ex parte vaco versioni huius libri et non compos mentis sum propterea quod quamvis sim in tramine subterraneo, vulgo «metro», vel inspiciam televisionem sive quamdam radiophoniam auscultem, tamen semper cogito de proverbiis Sanctii et habeo in mente quomodo dicere hoc latine et quomodo possim has omnes res induere veste latina et hoc modo nec dormio nec vere inspicio quod video, sed tantum de his rebus, de re grammaticali et de versione horum verborum cogito neque scio quid facio nec video veram vitam meam. Profecto non accepi gladium nec scutum nec indui galeam nec ascendi in ullum equum, sed in bibliothecas introivi, quaesivi vocabularia, legi libros et commentaria et res pertinentes ad vitam, indolem cogitationesque nostri equitis itinerantis. Et etiam latine mecum locutus sum semel, iterum et multoties et cogitavi ac fere credidi me vivere, nisi tempore Ciceronis vel Catulli, saltem in quadam aula cuiusdam cursus intensivi, ubi essent omnes dramatis personae huius historiae. Et aliquando accidit mihi ut darem responsum latinum ad quaestionem in lingua patria, sed hoc tantum fuit in ambitu familiari, praesertim loquendo domi cum liberis meis et propter risum eorum intellexi aliquid non bene accidisse in responso meo!

INCANTATORES TURMATIM IMPETUM IN INTERPRETEM FACIUNT

Sed quid dicendum est de incantatoribus? Possumus concedere me laboravisse illa amentia erga versionem huius libri, sed alia res omnino diversa est quaestio incantatorum, nam scilicet num fuerunt mecum etiam incantatores ut illi quos dominus Quixotus aliquando invenit et contra quos strenue pugnavit? Amice bone, videamus pedetentim quid hoc sit et quid significet. Imprimis oportet dicere incantatores non esse, tunc nulla est quaestio nec ulla difficultas. Tamen fortasse dominus Quixotus etiam in suo corde noverat incantatores stricto sensu non esse, sed nonnumquam etiam dubitavit et quidem modo rationabili, quia amici eius res ostendebant et tali modo fingebant ut possent eum decipere. Sic Sanctius fecit in incantamento Dulcineae et etiam baccalaureus Samson modo ut eques Albae Lunae modo ut eques Speculorum et dominus Antonius Barcinone cum capite incantato quod loquebatur, et aliquando ceteri ut parochus oppidanus et tonsor et formosa Dorothea ut principessa Micomicona, et dux et ducissa, quamvis voluntas eorum optima esset. Quare non semper dominus Quixotus potuit intelligere quod suis propriis oculis videbat et denique etiam ipse credidit incantatores ibi esse et quidem ad eum torquendum. Sed quid hoc ad me? Tamen haec est res nullius momenti mihi, quia debeo videre res gestas in hoc libro ut res alterius, quae nullo modo me attingunt. Nihilominus faciendo meam versionem fuit mihi timor, nam semper erant difficultates a quibus fugere volui et non semper potui et aliquando verbum hispanicum videbatur mihi esse latinum et hoc sic non erat, ut puta *discreta* quae est *prudens, sive circumspecta vel cauta*, sed minime *discreta* quomodo primo visu credere potui. Timebam quin latinus culinarius sive macarronicus furtim introiret in meam

versionem et hoc terrebat me, quia volui loqui magna simplicitate sed etiam maxima correctione ita ut omnes possent me intelligere et si non omnes saltem plerique. Undenam autem invenire semitam mediam vi cuius possem avertere me a labyrinthico sermone et iustum verbum reddere? Et quoties putavi verbum regere accusativum et debui, si fortuna iuvavit me, acceptare tandem hoc aliter esse? Et debui denuo inspicere vocabularium ad convenientia verba vertenda et quidem loco opportuno. Et mihi dicebam et haec omnia accidunt mihi quamvis egomet civis romanus sim, et tunc cogitavi, sed magis civis romanus est clarisisimus Rex noster nobilissimus dominus Iohannis Carolus Primus, felix regnans, qui natus est Romae et cives romani fuerunt Quintilianus, Lucanus necnon et Martialis, Seneca et Hadrianus, Traianus, Theodosius et Sanctus Isidorus Hispalensis et multitudo hominum illustrium in hac Hispania, tamen illi absque dubio non haberent difficultates meas!

Denique hoc non sufficiebat mihi et credidi incantatores fictos sive veros ibi esse, qui circumdabant me tamquam leones rugientes suis insidiis et maleficiis et oportebat pugnare contra hos cunctos. Illi autem diverso modo agebant quam in Medio Aevo cum insidias patrarent contra equites itinerantes illius temporis. Hoc verum est, sed nunc temporis, spretis gladiis, et, scutis relictis, incantatores utebantur mediis hodiernis omnino diversis. Nonne ipsi possunt facere ut virus sive microbium cuiusdam computatri machinetur adversus nos? Et quidem fecerunt contra me et sic aliquando debui relinquere laborem meum per duas hebdomadas, quia computatrum meum egebat quadam reparatione. Et quisnam fuit qui abstulit partem illius capitis quod vere verti et scripsi machina scriptoria dum faciebant reparationem illius computatri incantati et tunc amisi scripta mea et inaniter quaesivi illas paginas manuscriptas et denique debui per duos dies integros laborare et denuo easdem paginas vertere? Et postea, labore peracto, et, incantatoribus convenienter pacatis, quia maleficium eorum iam attigit me, tunc denique inveni illas paginas, quae praecise erant, et risum teneas, amice lector, in cubiculo meo et absconditae inter alios libros. Quisnam enim posuit eas ibi sive celavit eas ab oculis meis, nisi maleficus incantator? Hodierni incantatores volunt decipere me ope grammaticae et ope vocabularii, nota bene, benevole atque amice lector, et adversus hos omnes debui pugnare et dimicare et quidem armis adaequatis.

INCANTATORES ET DICTIONARIA

Sed quod numquam potui credere accidit mihi, quia inveni vocabularium *Novísimo Valbuena*, ut supra dixi, quod tam magnam copiam verborum habebat ut multoties displiceret mihi, quia ego quaerebam verbum simplex et inveniebam aliud difficile et si non invenissem tunc possem ad nutum meum vertere, sed si dabant mihi versionem illius verbi, cur non scribere quod reapse inveni? Sic in hoc vocabulario inveni quod hispanice manebat mihi ut fere insolitum, nempe quid esset *chapín de la reina*, et Valbuena dicebat: *nuptiale vectigal*; et etiam ille vertebat *alcabalas y socaliñas*, primum verbum, *alcabalas* intelligitur, sed secundum, id est, *socaliñas* non tantum, sed dominus Rocagomera sciebat Cervantes peritissimum esse

in vectigalibus (v. ad finem capituli 1–45) et potuit vertere bene et etiam fecit dominus AUGUSTINUS BLANQUEZ FRAILE in suo *Dictionario latino hispanico*, Barcinone 1985, quia cognovit hoc verbum ut *subdola exactio*; et egomet putabam, nonne omnes subditi credunt omne vectigal subdolum esse? Et etiam quaesivi *palafrén* quem vellem vertere pro *equo ornato* et ibi erat *phaleratus equus*. Et apparebat *agaso* ut *palafrenero*, quem libenter verterem ut *stabularium*. Et quid dicendum est de *garza* (ardea) (2–41) et *los vencejos* (2–53) quae sunt aves valde similes hirundinibus, sed habent totum ventrem nigrum? Valbuena vertebat eos tamquam *cypselos*, sed ego ... impetum feci in incantatores et volui lectores adiuvare et etiam scripsi *hirundines*. Et quid de *rucio* Sanctii Pansae? Nonne ipsa ducissa (2–33) quaerebat sensum huius vocis ab ipso Sanctio? Hoc vult dicere hoc verbum non esse tam simplex immo loquentibus hispanico sermone et dictionarium dicebat: *cinereus, leucophaeus, albicans*, sed ego adversus incantatores verti tantum *asinum* et credidi meam versionem saltem clariorem esse. Et quomodo vertere *algodón*? Lexicon dabat *gossypium, xylinum et bambacion*, sed ego verti simpliciter pro *lana*, quia credidi locutionem tantum esse de mollitie illius rei et non praecise de ipso *gossypio* ut tale, quod non multum diceret auribus lectoris, tamen non licet accipere vestes laneas pro subuculis ex gossypio. Et tunc credidi etiam ibi esse incantatorem ope cuius versio mea aliquando amitteret pristinam simplicitatem quam ego ei exoptabam et sermo fieret difficilior et hoc erat adversus scopum meum. Aliquando de verbo *arriero* cogitavi tamquam mercator vel ductor mulorum et in dictionario inveni *mulio*, et sic reliqui, quia hoc verbum erat prope mulum mulamque. Et de *area, consaepto* vel *cohorte*, ad vertendum *era, patio* et *corral*, haec verba pendent ex domo utrum urbana sit an rurali et de eius indole. Ceterum in Hispania domus ruralis diversimode est et sic nominatur: *pazo* (ex palatio, in Gallecia), *massía* (in Catalaunia et Valentia), *caserío* (in Vasconia), *torre* (in Aragonia), *cortijo* (in Baetica), *dehesa* (si etiam fortasse significet domum in Castella et Manica), *cigarral* (Toleti), *carmen* (significans *campum vineae*, Granatae) et aliae. *Area* mihi videbatur tamquam platea sive locus vel campus apertus, *cohors* esset intus in domo et etiam ad manipulum militum et *consaeptum* plus minusve tamquam locus iuxta stabulum et similia.

IMPOSSIBILITAS VERTENDI LIBRUM DOMINI QUIXOTI

Sed adhuc alia difficultas cernebatur et ad me venit cum fortuito casu inveni librum scriptum a Domino JOSEPHO MARIA SBARBI, *De intraductibilitate libri domini Quixoti*, Matriti 1876. Hic erat plus quam incantator, hic erat draco teterrimus. Tunc vero dubitavi utrum haec versio mea fieri posset necne et quomodo meis paucis viribus auderem facere quod secundum dominum Sbarbi nullo modo fieri posset. Sic, tremulis manibus, legi librum illius et vidi difficultates expositas, quae erant in genere ad vertendum accuratissime quod ipse probabat multis exemplis ex quadam versione anglica et alia francogallica huius libri. Praesertim ille loquebatur de proverbiis Sanctii, ubi oportebat et sensum bene traducere et salem et leporem illius armigeri convenienter servare. Et, secundum eum, hoc non fieri poterat. Tamen debui

cogitare de amico meo Iosepho et Dorca, de amicis convivis et de sodalibus illius Coetus Latinitatis, qui possent aliquando legere versionem bene adaptatam et quidem latino sermone. Et putavi hanc versionem placere eis, si vere sensum narrationis intelligere possent. Alia res omnino diversa est ut in proverbiis Sanctii claritas et facetiae una inveniantur, quia haec difficultas accidit in multis, dum omni die vertuntur iocosa ex quadam lingua in alteram et multi sunt qui vere de his gaudent.

DE MODO SCRIBENDI VERSIONEM

Et tibi, benevole lector, dicam me versionem fecisse et quidem litteraliter sive verbatim si vere potui, aliquando ad sensum et multoties ad libitum vel ad nutum meum. Et putavi bonum esse versionem facere ita ut omnes possent eam intelligere. Quoad risum tenendum vel provocandum haec est alia quaestio, quae pendet de statu rerum. Hic agitur de historia in qua proverbia et sententiae ad risum audientium veniunt. Ego volui tantum narrationem ostendere et lector sive auditor ridebit sive tantum manebit laetus vel dubitativus et omnia non potui semper praevidere nec obtinere, ut patet.

DE CARMINIBUS

Nonnulla debeo dicere de carminibus, quae passim in libro domini Quixoti inveniuntur. Imprimis feci versionem simplicem et non curavi de versibus metricis neque de ictu. Postea vero semel iterumque legi omnem textum ad corrigendum et denuo ad me venerunt cogitationes mutandi versionem carminum pro versibus rhythmicis, sed nullam mutationem feci, quia putavi non multum iuvare ad intelligendum. Nihilominus incantator pertinax sequebatur me et saltem dixi loquendo mecum, periculum faciam adaptandi versionem meam ad syllabas numerandas et ad versus rhythmicos inveniendos. Et ad me ipsum decipiendum elegi Sonetum Colloquii inter Babiecam et Rocinantem et in Prologo habes quod feci. Ignoscas mihi si aliquando a veritate originali me averti, quia denique volui fingere hispanicam artem poeticam cervantinam et non semper omnia una potui servare, quare aliquid debui sacrificare et, proh dolor! quandoque etiam claritatem (cf. Manuel A. MARCOS CASQUERO, José OROZ RETA, *Lírica Latina Medieval,* Matriti 1995, pp. 3-28; F. J. E. RABY, *A History of Secular Poetry in the Middle Ages,* Oxonii (Oxford) 1957).

Ceterum, de hac re etiam loquitur MARTINUS FERNANDEZ DE NAVARRETE in *Vita Michaelis de Cervantes Saavedra*, ut supra, p. 526, ubi loquendo de interprete italico, nomine Laurentio Franciosini Florentino, cum faceret versionem italicam, dixit: *Hic traductor praetermittit carmina ex Prologo 'Historiae Domini Quixoti', quia difficilia sunt cuicumque non sit poeta nec necessaria ad prosam intelligendam. Et eodem modo invenit non fieri posse versionem litteraliter in sermonem italicum propter idiotismos, sententias necnon et proverbia, ex quibus fecit versionem paraphrasticam sive cum circumlocutionibus ...*

Etiam inter versiones libri domini Quixoti, quas domi habeo, illa anglica non habet carmina Prologi nec versio francogallica id facit nec lusitana neque hebraica, sed tantummodo italica atque esperantica et de his versionibus infra loquar.

PROVERBIA SANCTII PANSAE

ULICK RALPH BURKE, *Spanish Salt, Collection of Proverbs from Don Quixote.* Londinii 1877.

JOSEPHUS MARIA SBARBI, *Refranero general español*, Atlas, Madrid 1980 et *Colección de refranes, adagios, proverbios y frases proverbiales que se hallan en el Quijote*, Matriti 1876.

JOHANNES ANTONIUS MONROY, *La Biblia en el Quijote*, Ed. Suárez, Madrid 1963.

Et quoad proverbia non obliviscar me per multum tempus cogitavisse de illo *al buen callar llaman Sancho* et nullo modo potui vertere, nam non bene intellexi. Et hoc quia vidi idipsum proverbium in libro *Tragicomoedia Lisandri et Roseliae* sive in *Tertia Caelestina* a SANCHO MUÑON, in secunda scaena illius primi actus, dum qui vocabatur Syrus dicebat: *al buen callar llaman Sancho*, quapropter putavi hoc proverbium etiam notum esse praeter librum domini Quixoti et tunc accuratius denuo legi quod Sanctius de se ipso ait, sed Dominus Quixotus respondit ei: *Sed tu non es hic Sanctius* (2–43). Postea vero vidi explicationem huius eventi apud Sbarbi, qui exposuit hoc modo: *Rex Castellae divisit regnum inter filios suos, sed servavit urbem Ocelum (Zamoram) filiae, scilicet dominae Urracae, et voluit maledicere cuilibet qui abstolleret ab ea illam urbem et tunc omnes assenserunt et dixerunt 'amen', nisi Sanctius, nempe filius regis huius nominis, qui tunc tacuit.* Propterea ego sic verti: *Silentium opportunum vocatur Sanctius.*

DISPUTATIO DE VERSIONIBUS INTER IUDAEUM ET ARABEM IN URBE GRANATA

Si locutio est de versionibus et de eius difficultatibus nolo oblivisci narrationem famosi poetae Iudaei nomine Moysis Ibn Ezra (natus Granatae circa annum 1055 et probabiliter mortuus Stellae in Navarra anno 1135). Hic autem composuit librum de *Arte Poetica* quem scripsit sermone arabico (sed alphabeto hebraico, secundum usum solitum hebraeorum illius temporis in Hispania) et agebat de versificatione arabica et hebraica. MONTSERRAT ABUMALHAM MAS hanc *Artem Poeticam* ex arabico in hispanicum vertit et titulus originalis arabice est: *Kitab al–Mudahara wal–Mudakara*, Matriti 1986, et sic dixit: *Auctor Ibn Ezra descripsit* (24a/5–16) *se quondam locutum fuisse cum arabe, qui erat sapiens iurisperitus et tunc ambo tractabant versificationem in genere. Tamen quaestio inter eos orta est, quia secundum quod in illo tempore dicebatur lingua arabica erat pulcherrima ac locupletissima propter abundantiam vocabulorum synonymorum, quare perfacile erat vertere ad linguam arabicam ex quacumque lingua, nam in illa omnia verba erant, sed e contrario difficile erat ex lingua arabica in alteram linguam vertere propter exiguitatem verborum alterius sermonis. Et sic iurisperitus arabicus, cuius nomen auctor non dixit, quaesivit a suo amico, Moyse Ibn Ezra, ut ei verteret Decalogum Biblicum ex hebraico in arabicum, quod ille fecit, quamvis non appareret in versione*

arabica cum pristina speciositate. Tunc Moyses sua vice ab arabe quaesivit ut verteret primam 'suram' Corani, quae vocatur 'al–Fatiha' et est introductio totius libri, et quidem ex lingua arabica in latinum [fortasse verbum *latinum* esset pro incipiente lingua hispanica, vulgo *romance*] *quem iurisperitus arabicus bene cognoscebat. Hic autem vertit et quidem bene, sed cum quadam incohaerentia verborum, et statim intellexit voluntatem Moysis ad hanc versionem faciendam, nempe ut videret in omni versione maximas difficultates esse et inter alias praesertim erat difficultas ostendendi linguam valde formosam sive elegantem, quod erat scopus illius disputationis, quia agebant de venustate linguae arabicae.*

NUM VERSIO LATINA HUIUS LIBRI NECESSARIA SIT?

Ad hanc quaestionem solvendam ipse Dominus Michael de Cervantes venit, quia in *Historia Domini Quixoti* baccalaureus Samson Carrasco cum loqueretur cum Domino Quixoto dixit ei: *et immo fertur hanc (historiam) impressam esse Antuerpiae (Amberes) et, mea opinione, NON ERIT NATIO NEC LINGUA IN QUAM NON VERTATUR* (2–3). Et quoad versionem latinam in genere, postea ipse Dominus Quixotus addit: *Nihilominus mihi videtur vertere ex lingua in aliam CUM HOC NON SIT AD LINGUAS REGINAS, graecam sive LATINAM, est tamquam conspicere splendida aulaea Flandriae retrorsum nam, quamvis figurae videantur, sunt multa fila quibus obscurantur et minime videntur cum debita claritate atque idoneo colore faciei* (2–62). Ergo sperabat fore ut versio huius libri ad linguam latinam optima esset. Hoc nihil dicit de mea versione, de qua debeo dicere me non curavisse de elegantia dictionis, quia imprimis satis erat mihi ut intelligerent et hoc modo relinquam rhetoricam magistris et professoribus linguae latinae in manibus eorum, illi autem praediti meliore calamo aliquando facient aliam meliorem ac ditiorem versionem et unusquisque in suo loco maneat et cui Deus dedit Sanctus Petrus ei benedicat et etiam dicam *forte alter cantabit meliore plectro.*

Mea ex parte nihil debeo addere ad necessitatem ostendendam huius versionis, praesertim quia lingua latina ubique nota est ut lingua scientiae, quare etiam haec versio locum invenire potest inter omnes alias.

VERSIONES QUAS HABEO ET QUAS VIDI HUIUS LIBRI

Etiam alias versiones huius libri volui legere, saltem ad consulendum in quibusdam locis, qui mihi dubii videbantur, et ad videndum quomodo alii interpretes illa loca solverent. Hae sunt versiones quas domi habeo et quibus aliquando usus sum:

Historia Domini Quijoti Manchegui, versio latina, ut supra dictum est, ab IGNATIO CALVO, Tip. Cosano, editio nova, Matriti 1966.

The Adventures of Don Quijote, versio anglica a J.M. COHEN, Penguin Books, Harmondsworth, Middlessex 1956 (USA).

Ha–Hidalgo he–harif Don Quijote min la–Mancha, versio hebraica a NATHAN BISTRITZKY, Sifriat Poalim, 2 vol. Tel Aviv 1958.

Dom Quixote de la Mancha, versio lusitana ab ADALINO DOS SANTOS RODRIGUES, Editorial Minerva, 4 vol. Lisboa s.a.

Don Quixote, versio abbreviata germanica sive theodisca a LUDWIG TIECK, Wilhelm Goldmann Verlag, München 1956.

L'ingénieux hidalgo Don Quichotte de la Manche, versio francogallica a LOUIS VIARDOT, GF Flammarion, 2 vol. Paris 1969.

Don Chisciotte della Mancia, versio italica a FERDINANDO CARLESI, 2 vol. Mondadori, Milano 1991.

La ingenia Hidalgo Don Quijote de la Mancha, versio esperantica a FERDINANDO DE DIEGO, Eldono *Fundación de Esperanto* (HEF), Zaragoza 1977.

Etiam habeo pulcherrimam versionem Hebraicam abbreviatam *Don Quishot ish la–Mancha* a HAYYIM NATHAN BIALIK, Dvir Co. Ltd. Tel Aviv 1952.

Et praeterea usus sum:

Versione Yidish, ab ALEXANDER HARKAVI, Hebrew Publishing Company, Neo Eboraci (New York) s.a.

Versione germanica a LUDOVICO (LUDWIG) TIECK, 4 vol. Lipsiae (Leipzig) s.a.

CUINAM HAEC VERSIO LATINA DICATA SIT?

Fortasse etiam velis scire, o benevole lector, cui hanc versionem feci. Etiam hoc dicam tibi, quia nolui versionem facere magistris professoribusque linguae latinae, et hoc non propter quamdam animadersionem, absit a me! Hoc est quia illi magnam copiam habent librorum latinorum et hi vere latine scripti sunt et exsudant scientiam latinam, et mea versio nullo modo audet in conspectu eorum stare. Hanc versionem igitur feci Dorcae, filiae optimi amici mei, qui impulit me ad vertendum hunc librum; etiam hanc versionem dicare volui medicis, advocatis, magistris, architectis et omnibus illis, qui olim vacaverunt studio linguae latinae tum in scholis baccalaureati tum in Universitate et credunt se hunc sermonem non amplius intelligere; etiam feci versionem illis studentibus et discipulis Universitatis sive Lycaei vel Gymnasii, qui debent vacare studio huius linguae et lamentantur se non invenisse libros scriptos hoc sermone et si inveniunt non eos semper convenienter intelligunt, saltem non magna commoditate et cito defatigantur hac lectione et redeunt ad legendas alias fabellas sive ephemerides diurnas et quidem magna delectatione, quia scriptae sunt lingua patria et bene eas intelligunt; et etiam feci versionem sodalibus et amicis illius Coetus Latinitatis, qui magna constantia ac virtute tam multum diligunt linguam latinam et sperant fore ut haec sit lux ad illustrandos populos et versionem feci illis convivis meis, qui domi nobiscum erant et qui aliquando de Domino Quixoto mecum locuti sunt, illi omnes dederunt mihi arduum strenuumque desiderium ad hunc librum vertendum. Et utinam cuncti possent gaudere de meo labore et ibi tranquillitatem et delectationem invenire legendo hanc versionem. His omnibus et amicis meis plus minusve propinquis hanc versionem feci eisque libenter ac toto corde dicare volo.

VISITATIO CUIUSDAM AMICI ET ARGUMENTA ADVERSUS VERSIONEM

Cum immersus eram his argumentis et quidem nescivi quomodo possem ultra pervenire sive quomodo hanc Introductionem finire, en ad me venit amicus, qui aliter de multis rebus valde scepticus erat, et cui primo ictu nolui de mea versione loqui. Tamen tam multae erant paginae sparsae super mensam et tot libri latini ut demum non potui hoc negotium omnino ab eo celare nec ex suis insidiis evadere et quod tunc temporis agebam paucis verbis ei dicere debui. Sed ille voluit legere omnia, quae exaravi in Introductione mea necnon et quae scripsi in ipsa versione ad videndum utrum verum esset quod ei dixerim de meo libro necne. Tunc cum vere noverat omnem statum rerum risit magno cachinno et intuens me dixit mihi:

–Quomodo potes credere lectores discere linguam latinam tantum per lectionem huius libri? An putas eos, qui linguis romanicis loquuntur, tam faciliter intellecturos esse quid sit ablativus absolutus sive propositio infinitivi? Et tam cito posse intelligere Vergilium, sive Titum Livium? Aliter quod proponis nulla substentatione nititur.

Tunc ei dixi:

–Concedo lectores non omnia posse intelligere et pendunt de textu et si hic difficilis est nullam video solutionem, sed si inveniunt textum simplicem, quamvis non omnes sint periti in quaestionibus grammaticalibus fortasse intelligent magnam partem illius, praesertim si per quoddam tempus vacaverunt studio linguae latinae.

–Num credis te lapidem philosophalem invenisse in area linguistica ad docendam linguam latinam ex quacumque lingua romanica et hoc tam miro modo, quamvis nil praeclarum quin sit arduum? Et etiam alia quaestio magni momenti, num credis homines tam anxios esse ad hanc versionem legendam? Satis est unicuique ut possit legere hunc librum sua lingua patria et si fere per quattuor saecula nulla fuit necessitas faciendi versionem latinam hoc tempus non est tam idoneum nec lingua latina docetur ut antea in scholis. Et hoc modo difficulter invenies lectorem, nisi operam des et promittas dare ei ope cuiusdam programmatis televisivi magnam copiam pecuniae sive autocinetum *FIAT*, *AUDI* vel *MERCEDES*, vel abundantiam pulveris *VIM* ad catinos abluendos, et bonum erit tibi, quia saltem nomina latina habent. Sed nimium ne credas colori, amice, et non dubito quin, tuo labore confecto, magnam deceptionem habeas et quidem plus aequo dolebit tibi nam, proh dolor! inaniter laborasti, et ad nullam utilitatem nanciscendam! Tamen hoc erit tibi ut domino Quixoto, qui ut eques itinerans pro nihilo laboravit. Satis erit tibi si propinqui tui tibi quamdam laudationem dabunt, nempe liberi tui et fortasse etiam bona uxor tua. Et gaudere potes, quia nullo alio morbo laboravisti quam illo de quo locutus es in hac Introductione, quia haec amentia inter aegritudines vere levissima est et, opere confecto, non amplius incantatores contra te quid mali audebunt facere, nec immo critici emunctae naris quos tam multum times, et qui absque dubio soli erunt qui tua scripta legent, quapropter eis gratias agere debes. Macte animo, amice, et proxima vice verte librum parvum ita ut saltem ne perdas tempus nec amittas patientiam tuam, et ne credas tam facile esse linguas peregrinas ope facetiarum et nugarum discere vel docere nec instaurare pristinam et amissam latinitatem per librum qui vetustatem redolet. Et si vere versio tua tam simplex ac tam translucida claraque erit, ut dicis, multi de te dicent te nec scire linguam latinam

nec immo coquere in culina et hoc erit ab iis qui penitus ac vere cognoscunt et callent linguam latinam nam alteri, qui eam nec cognoscunt nec diligunt nullam litteram de tuo libro legent et proinde nihil de te dicent.

Ille tacuit et intuitus est me, ego autem nihil ei ausus sum contra hanc procellam verborum dicere, sed, his verbis prolatis, cogitavi mecum. Et fortasse ex silentio meo ille invenit novas vires ad prosequendum:

–Quod nunc debes lectoribus dicere est ut discant linguam latinam si vere volunt librum latinum legere, quoniam nemo legit librum si antea non discit linguam, qua scriptus est. Et tunc non invenient nec ambiguitatem verborum nec hyperbaton terrebit eos, quia hoc pertinet ad elegantiam huius linguae et sic lingua latina scribitur. Num vis aliam linguam latinam invenire in qua hyperbaton non sit?

Nihil ei dixi, sed tantum cogitavi de sensu verborum eius, nempe quid dicendum esset de illa quaestione ad discendas litteras latinas ... utrum methodus nova, facilior et iucunda fieri posset necne!? Et hoc cum vix sit nobis tempus ad legendas fabulas quas vere diligimus et legere volumus.

Nescio quid amplius amicus ille dixit mihi, quia non potui eum ultra audire nec talia ac similia sustinere. Ille credidit se veritatem dixisse et sic, capite levato, et subridens valedixit mihi, dum ego, prono capite, ac meditabundus mansi et praesertim quia credidi eum suis argumentis recte iudicavisse.

GRATIAS AGERE ET VALEDICERE

Nihil mihi erat nisi gratias agere omnibus, qui me adiuvarunt quodammodo ad hanc versionem faciendam et corrigendam. Imprimis grates ago amicis sodalibusque Coetus Latinitatis Matritensis, praesertim Clmo. Legato Domino Augustino, qui tam multum litteras latinas diligit et colit, cui primas paginas meae versionis ostendi ad legendas et corrigendas, postea vero Clmo. Doctori Eustasio, qui statim et celeriter tam magnam copiam verborum latinorum semper paratam habet et quae mihi difficilia erant ille miro modo solvit; et multas gratias ago Clmo. Doctori Txemusque, Principi latinitatis, qui praeter suam omnimodam iuventutem et tot magnas vires quas habet in hoc agro fecundo litterarum, quas exercet calletque; ceterum, qui multas correctiones mihi fecit, quas libenter emendavi. Et permultas gratias agere debeo Praeclaro Directori 'Centri Studiorum Cervantinorum', «CENTRO DE ESTUDIOS CERVANTINOS», ex urbe Complutensi, propter hunc pulchrum librum quem in lucem ediderunt. Et ex toto corde gratias ago patienti dilectaeque uxori meae, quae ut alia Dulcinea mecum fuit ita ut possem operam navare et perficere laborem meum necnon et meis quattuor liberis, qui pluries audiverunt me loquentem de rebus pertinentibus huic versioni et laeti fuerunt.

Et tibi, benevole atque amice lector, gratias permultas ago, quia sine te fortasse numquam hunc librum finivissem et quia saltem habuisti patientiam legendi, quae legisti, si vere ausus es faciendi aliquid huiuscemodi.

Omnibus vobis ex toto corde meo iterum iterumque dico valete!

Matriti die octavo mensis Septembris, anno Domini 1997

Interpres

DUCI BECORIS (Béjar)

MARCHIONI GIBRALEONIS, COMITI BENALCÁZAR ET BAÑARES,
VICECOMITI DE PUEBLA DE ALCOCER,
DOMINO OPPIDORUM DE CAPILLA, CURIEL AC BURGILLOS.

Procul dubio credo te, excellentissime domine, omne genus librorum bene accipere, tamquam Princeps proclivis ad artes liberales fovendas, potissimum eas, quae propter nobilitatem earum nullo modo pervenire possunt ad beneficium utilitatemque vulgi, quare decrevi in lucem edere librum INGENIOSUM FIDALGUM DOMINUM QUIXOTUM A MANICA, sub umbra alarum clarissimi nominis tui, excellentissime domine, quapropter et, debita reverentia servata, quaeso, ut suscipias eum iucundo modo ope tuae protectionis, ita ut sub hoc magno tutamento, quamvis nudus sit illo pretioso ornatu elegantiae necnon eruditionis, quibus induuntur opera, quae componuntur apud domos virorum, qui vere sciunt; hic liber audeat sese ostendere iudicio quorumdam, qui, quamquam praediti sunt propria ignorantia, iudicant labores alienos maximo rigore ac minore iustitia. Nihilominus et, bono consilio meo noto, o excellentissime domine, spero fore ne despicias tam parvam oblationem meam tibi.

MICHAEL DE CERVANTES SAAVEDRA

PROLOGUS

Otioso lectori salutem:

Absque ullo iureiurando vellem hunc librum tamquam filium pulcherrimum intellectus atque elegantissimum diligentissimumque esse, qui animo fingi posset. Attamen ordini naturali adversari non potui; ubi docetur unamquamque rem suam similem gignere sibi. Tunc, quidnam poterit sterilis et haud bene cultus intellectus meus gignere nisi fabulam cuiusdam filii, qui esset siccus, avellanatus, effrenatus et plenus diversis cogitationibus, quibus nemo umquam imaginari posset, quia potissimum in carcere genitus fuit, ubi omnis incommoditas locum habet et ubi omnis strepitus inhabitat. Alia ex parte quies, tranquillitas loci, amoenitas camporum, serenitas coelorum, susurrus fontium et requies spiritus sunt magna ex parte ad alliciendas musas ad ostendendam fecunditatem ut offerant tales partus mundo et impleant eum admiratione laetitiaque.

Aliquando pater habet filium foedum ac deformem, sed amor quem erga eum habet facit se oculos suos claudere ita ut vitia eius non videat, quae fortasse credat esse secunda et prospera, eaque amicis enarret similia facetiis et iocis. Ego tamen, quamvis videar pater, vere vitricus sum illius domini Quixoti, et nolo ulterius proficere secundum morem gentium, nec a te quaerere, ut alii faciunt lacrimis oculorum, carissime lector, te ignoscere mihi ne animadvertas vitia quae in hoc filio meo videas, praesertim quia nec propinquus es ei nec amicus eius et animum habes in tuo corpore et tuam propriam libertatem tamquam quilibet alius et etiam tu es domi tuae, ubi tu es dominus illius tamquam rex vectigalium eius, et etiam dicitur, sub veste mea regem interficiam. Haec omnia liberabunt te ex omni respectu et obligatione, quare de hac historia poteris dicere quidquid velis et nullus timor erit tibi ut quisnam calumnietur te ex adversis nec tibi praemium praebeat propter optima quae de eo dixeris.

Tantummodo hanc historiam vellem tibi tradere et quidem integram, nudam et absque ornatu immo cuiuslibet prologi et absque solitis sonetis, epigrammatibus laudibusque et quodcumque in initio librorum scribitur. Et hoc plane quia quamvis exarare librum mihi alicuius laboris fuerit, multo magis haec praefatio, quam nunc legis, evenit mihi. Quoties, proh dolor, accepi calamum ad eam scribendam et toties eam reliqui? quoniam nescivi quid scriberem; et cum essem hoc modo suspensus coram charta, habens calamum super auriculam, cubitum meum supra mensam et manum ad genam meam, dum cogitabam quid dicendum esset, tunc ad me improviso intravit amicus facetus et valde intelligens, qui cum videret me immersum his cogitationibus a me quaesivit causam et eam ei non celavi, et quidem dixi me cogitavisse de prologo ad historiam scribendam illius domini Quixoti, sed nesciebam quid faciendum esset, quia hunc prologum scribere non volui et nihilominus nolui sine prologo res gestas huius nobilissimi equitis in lucem edere.

–Nam, quomodo vis –dixi ei– veterem legislatorem, quod vocant vulgus, non confundere me, cum videat post tot multos annos, quibus in silentio oblivionis

dormivi, me nunc exire onustum annis, cum aliquo scripto arido tamquam sparto, quia ego careo inventione, et indigens sum genere dicendi, ac depauperatus ope conceptuum et vacuus omni eruditione doctrinaque, et nullo modo addidi notas ad pedem paginae nec adnotationes ad finem libri, sicut video omnes libros habere, tum fabulosos tum profanos, qui pleni sunt sententiis Aristotelis, Platonis et magnae catervae philosophorum, qui lectores alliciunt et omnes qui habent auctores pro hominibus lectis, doctis et eloquentibus? Quid enim ergo cum Sacram Scripturam adducant? Nonne de eis dicent eos tamquam Sanctum Thomam aliosve doctores Ecclesiae esse; et sic quoddam decus servant cum sollertia, quia si in quadam linea depingunt ardentem amorosum in alia exponunt christianum sermonem magno gaudio et contentu vi cuius afficiunt auditores et lectores. Tamen liber meus caret his omnibus, quia nolo ad pedem paginae notas ponere nec adnotationes ad finem libri neque immo novi quos auctores secuturus sum ita ut eos in initio libri ponam sicut omnes faciunt, secundum ordinem alphabeticum, incipiendo ab Aristotele et finiendo cum Xenophonte et cum Zoilo sive Zeuxi, quamvis alter maledicens sit et alter pictor. Etiam initium libri carebit sonetis saltem ex his quorum auctores sint duces, marchiones, comites, episcopi, dominae sive vates celeberrimi; quamvis si ea quaererem a duobus vel tribus amicis meis qui funguntur hoc officio, procul dubio, libenter ea mihi darent, et talia ut imparia essent omnibus, quae nota sunt ac maioris momenti in nostra Hispania. Tandem, domine carissime –prosecutus sum–, ego hic statuo ut dominus Quixotus maneat sepultus in suis archivis regionis Manicae, donec coelum decernat quisnam eum exornet his omnibus rebus, quae ei omnino desunt, quia careo viribus ad ea comparanda propter insufficientiam et parvitatem litterarum mearum et potissimum quia piger ego sum et desidia laboro ad quaerendos hos auctores ut dicant quae egomet dicere possum absque auxilio eorum. Hinc, amice, oritur haec suspensio et irresolutio mea qua me immersum vidisti: et haec est causa sufficiens ad hunc statum rerum quem a me audivisti.

Amicus meus, his verbis auditis, frontem manu sua percussit et magnum risum tenere non potuit et ait mihi:

–Per Deum, frater, nunc autem cognovi me iam dudum magna deceptione laboravisse, quia en iam pridem te cognovi et quidem semper habui te tamquam virum cautum et prudentem in omnibus tuis rebus. Tamen nunc video te tam longe esse ab illa veritate sicut coelum a terra abest. Quomodo fieri potest ut res tam parvi momenti et quae tam facilis sit ad emendandam suspendat te et non adiuvet intellectum maturum ac tam idoneum ad percutiendas et frangendas maiores difficultates? Profecto hoc non oritur ex quodam defectu sollertiae nisi ex pigritia inopiaque dicendi. Visne videre utrum verum sit quod tibi dico necne? Tunc attende et videbis sicut statim omnes difficultates tuas uno ictu confundam et medelam ponam omnibus indigentiis, quas suspendunt et constringunt te ad edendam in lucem historiam tui clari domini Quixoti, qui lux et speculum totius equitatus itinerantis est.

Et, his verbis auditis, obieci ei:

–Dic ergo mihi, quaeso, quomodo adimplebis vacuum timoris mei et quomodo adduces me ad claritatem in chao confusionis meae?

Quibus ille dixit:

–Imprimis quia animadvertisti soneta, epigrammata et laudationes omnino deesse in initio libri et, secundum te, deberent esse ex auctoribus celeberrimis et insuper praeditis quodam titulo. Hoc perfacile solvitur si praecise tu eadem facis quodam labore et postea ea bene poteris baptizare et nomina imponere eis, tribuens sive Presbytero Iohanni Indiarum vel Imperatori Trebisondae (Trapisondae) de quibus fidedigne scio eos fuisse illustres poetas, sed si non fuerunt, nulli eruditi ac baccalaurei venient ad te mordendum et quidem a tergo et de hac veritate murmurabunt, quapropter hoc pro nihilo facias, quia quamvis hoc mendacium develetur nullam manum a te abscindent, cum qua haec scripsisti. Et quoad notas ad pedem paginae librorum et auctores ex quibus sententias ac dicta depromsisti, quae in tua historia scripseris bene potes ea adducere, quae tibi fere sponte cum materia conveniant, et sententias sive verba latina, quae memoriae tradidisti sive quae parvo labore ea invenias sive quaeras, et hoc modo cum de captiverio et de libertate agas:

Non bene pro toto libertas venditur auro.

Et postea ad pedem paginae potes adducere Horatium sive quicumque haec dixerit. Si vero de morte agas tunc veni his verbis:

Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres.

Si autem agitur de amore et amicitia quod Deus iubet nos habere erga inimicum, intra tunc in Sacram Scripturam quod perfacile erit cum parvo studio et adduc saltem verba ipsius Dei: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.* Si de adversis cogitationibus agis accede ad Evangelium: *De corde exeunt cogitationes malae.* Si de inestabilitate amicorum hic erit Cato [scilicet Ovidius] suo disticho:

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Et his verbis latinis et aliis credent te magnum grammaticum esse; et qui talis sit magna honorabilitas et profectus in hodierno die ei erit. Quoad adnotationes ad finem libri perfacile hoc modo facies: Si gigantem nominas in tuo libro, voca eum Goliath et non magnus labor erit tibi et magnam adnotationem facies, nam etiam de eo potes dicere: *Gigas Goliath (sive tantum Goliath) fuit philisthaeus quem pastor David ope magni ictus lapidis interfecit in valle Terebinthi, secundum narratur in libro Regum,* in capitulo ubi invenies quod describitur. Postea ad ostendendum te ipsum tamquam virum eruditum in litteris humanis et cosmographus, facias ut flumen Tagus (Tajo) nominetur et aliam adnotationem adimplebis scribendo hoc modo: *Fluvius Tagus, qui sic appellatus est a quodam rege Hispaniarum, nascitur in tali loco et occidit in mare Oceano, et muros illustris urbis Olyssiponis (Lisboa) osculatur, et secundum quod fertur habet arenas aureas, et cetera.* Si de latronibus agis tibi dicam historiam, quam habuit Caco et quam tradidi memoriae; si de mulieribus meretricibus agitur hic erit episcopus Mindonis (Mondoñedo), qui tibi commodabit Lamiam, Laidam et Floram, quarum adnotatio magnam fidelitatem dabit tibi; si agitur de crudelibus, Ovidius commodabit tibi Medeam; si de incantatoribus et maleficis, Homerus habebit Calypsum et Vergilius Circem; si quaestio est de strenuis ducibus Iulius Caesar praebebit semetipsum tibi et immo suos *Commentarios* et Plutarcus dabit mille Alexandros tibi. Si de amoribus agitur cum aliquid ex lingua toscana cognoscas, invenies Leonem Hebraeum et hic superat omnem mensuram. Sed si non

vis ad regiones peregrinas venire, domi tuae habes Fonsecam, *De amore Dei*, ubi invenies quidquid velles et peritissimus cupiat cognoscere de tali materia. Breviter, tantum debes haec nomina dare, et has historias in tua tangere, sicut dixi, et sine me adnotationes et loca ponere et praescribere: et, Hercle, credo me posse omnes margines libri adimplere et insuper quattuor folia chartacea ad finem libri addere.

Perveniamus nunc ad auctores adducendos, quos alii libri habent et desunt in tuo. Solutio perfacilis est quia oportet tantum quaerere librum, ubi omnes una inveniantur, ex A usque ad Z, sicut tu dicis. Tunc ordinem alphabeticum scribes in tuo libro et si mendacium facile detectatur non erit tibi magna necessitas exhauriendi utilitatem ex his et nullius momenti erit; et fortasse homo valde simplex credat te ex his omnibus magnam utilitatem obtinuisse in candida et simplice historia tua. Et si ad nihil aliud proficiat saltem longus catalogus illorum auctorum impromptu augeat auctoritatem huic libro. Et nemo quidem quaerat utrum tu eos secutus sis necne, quia in hoc nulla est excellentia et quid hoc ei? Praeterea etiam credo librum tuum nullo modo egere his rebus de quibus dicis eum carere, quia omnia sunt invectiva contra libros equitatus de quibus Aristoteles numquam locutus est nec Sanctus Basilius nec immo Cicero. Nec sub ordine veritatis fabulosae stultitiae cadunt nec observationes de astrologia; nec mensurae geometricae sunt alicuius momenti nec refutatio argumentorum, teste rhetorica; nec quidam debeat praedicare commiscendo humanas res cum divinis et haec permixtio est genus quo nullus intellectus christianus debeat induere. Oportet ut facias aemulationem in his quae scribas et dum haec perfectior sit melius erit liber. Sed ita ut haec scriptura tantum vult auctoritatem librorum illius equitatus destruere necnon et magnam diffusionem eorum detinere in hoc mundo et influxum in vulgus, non necesse est ut mendices sententias philosophorum, consilia Sacrae Scripturae, fabulas poetarum, conciones rhetorum, miracula sanctorum, sed tantum ut coneris simpliciter et gravibus verbis, honestis et claris, ut oratio tua sit sonora ac festiva, periodus oratoria tua depingat quantum nanciscatur ut possit tua bona voluntas adimplere et hoc modo describas conceptus tuos sine ulla implicatione vel obscuritate. Et conare ut melancholicus ad risum moveatur, ope lectionis huius historiae, qui autem pronus sit ad risum eum augeat, simplex nullo modo fiat molestus, circumspectus miretur de hac inventione, gravis ne spernat eam nec prudens laudes debitas vitet. Profecto, inspice quomodo deleatur haec machina infernalis librorum huius equitatus, qui vere despecti sunt a multis, quamvis laudati sint a pluribus; et si vero hoc nancisci potes, potissimum esset.

Magno ac producto silentio exaudivi quae amicus meus mihi dixit et taliter verba sua in cor meum penetraverunt ut, nulla disquisitione praedita, incorporarem ea et ope eorum hunc prologum perficere volui, quo videas, o mitis lector, intellectum mei amici, fortunamque prosperam meam, quia talem consiliarium meritus sum hoc indigente tempore, qua de causa fortuna etiam erit tua ad inveniendam hanc veram, ac sine ambagibus, historiam domini Quixoti a Manica, de quo etiam dicitur ab omnibus incolis regionis campi Mentissae (Montiel) eum castissimum captum amore ac strenuissimum equitem fuisse per longos annos ad hanc partem et in illis locis. Nolo extollere rem meis verbis, sed revera aliquid feci tibi ut possis hunc nobilem et honoratum equitem cognoscere; sed etiam debes mihi gratias agere propter hunc

Sanctium Pansam clarum armigerum eius in quo, mea opinione, inveniuntur omnes excellentiae armigerorum huius catervae inanium librorum, ubi de equitatu agitur. Et, his praelibatis, iubeat Deus te valere et ille mei ne obliviscatur.

«Vale»

URGANDA IGNOTA AD LIBRUM DOMINI QUIXOTI A MANICA

Si venis ad bonos li– (bros)
cum lectionibus eo– (rum)
non dicent tibi aucto– (res)
te digitos non posui– (sse).
Nec panis coquitur ti– (bi)
quia venit in manus stu– (lti),
nempe ex manu ad os incu– (ltum)
et nullo modo medi– (tas)
ex rebus tam peregri– (nis)
eas vere esse secu– (ras).

Cum experientia sit te– (stis)
qui petit arborem bo– (nam)
tegitur umbra frondo– (sa)
et Becori (Béjar) est bona ste– (lla),
ubi regia arbor oste– (ndit)
principes ibi esse fru– (ctus),
quia in illa florebant du– (ces)
etiam Alexander Ma– (gnus).
Veni ad umbram, nam auda– (ces)
semper iuvavit fortu– (na).

De viro a Manica ma– (gno)
haec facinora et lectio– (nes)
enarrabis tam otio– (sas),
turbaverunt mentem sa–(nam).
Dominae, arma, equita– (tus)
impulerunt tali mo– (do)
eum ut Orlandus furio– (sus)
fuit hic amans tempera– (tus)
obtinuit suam ama– (tam)
Dulcineam a Tobo– (so).

Non incautos characte– (res)
in tuo clipeo sic inci– (das)

non sunt imagines pi– (ae)
huius invidiae late– (ntis).
Si humiliter iace– (bis)
quis facetus dicet u– (trum)
«domnus Alvarus a Lu– (na)
vel Hannibal a Cartha– (gine)
Franciscusve rex Hispa– (niae)
lamentetur de fortu– (na)!»

Quia si coelo nondum pla– (cuit)
te sic fuisse tam obli– (tum)
ut niger Ioannes Lati– (nus)
et renuis sermocina– (re).
Non haec argumenta da– (re)
nec gloriaris ut philo– (sophus)
os tantum torquere po– (tes)
dicet qui hanc linguan sa– (pit)
sed non aures ultra pa– (lmum)
«Cur mecum habes sermo– (nem)?»

Non difficilia tu cu– (res)
nec scire vitas alio– (rum)
nam res inanes maio– (rum)
vitandae sunt, quia tam du– (rae).
Quandoque solent cucu– (llos)
dare facetis in io– (cis).
Combure cilia oculo– (rum)
ad bonam famam habe– (ndam),
nam qui imprimit ine– (ptias)
has habebit cum dolo– (re).

Animadverte stulti– (tiam)
quam qui tectum vitreum ha– (bet)
et manu accipit sa– (xa)
ad eiicienda in vici– (num).
Sine ut vir cum iudi– (cio)
omnes suos libros compo– (nat)
et magna cura expo– (nat),
nam hic qui edit in lu– (cem)
ut virgines rideant lu– (dis)
inepte scribit ad to– (tas)

* * *

AMADIS A GAULA DOMINO QUIXOTO A MANICA

SONETUM

Tu es secutus vitam lacrimosam
quam ego habui solus et despectus
ad magnam Rupem Pauperem abiectus
ex laeta vita in hanc poenam dolosam.

Tu, cuius oculi lympham formosam
valde copiosam, salobris adspectus
argenti, stamni aerisque defectus
et terra dedit tibi escam speciosam.

Utinam vivas aeterne ac securus
in quarta sphaera maneas, dum Apollo
rapidos equos calcaribus incitet.

Famam nomenque tu es accepturus
hanc patriam tuam prae omnibus volo
et tuum auctorem totum mundum excitet.

* * *

DOMINUS BELIANIS A GRAECIA DOMINO QUIXOTO A MANICA

SONETUM

Rupi, contudi, scidi, dixi et feci,
tamquam est quilibet eques itinerans
strenuus ac dexter, audax etiam impetrans,
tum vindicavi, tum noxias refeci.

Res gestas Famae dedi et patefeci
cautus necnon muneratus fui amans
quidam fuit gigas vel nanus dissimulans
atque ubique ad duellum satisfeci.

Habui fortunam ad pedes distentam,
quae per capillos posuit meam salutem
et hanc rationem ut sic fierem notus.

Ad cornua Lunae famam meam inventam

vidi, quae vere auxit meam virtutem,
sed nemo fuit magnus ut hic Quixotus.

* * *

DOMINA ORIANA DULCINEAE A TOBOSO

SONETUM

Et Miraflores mutem pro El Toboso
ad bonam quietem et commoditatem,
o Dulcinea, et ad voluntatem
immo Londinium pro pago glorioso!

Quis ornet hoc desiderio zeloso
corpus et animam ad venustatem
et clarum equitem ad strenuitatem
inspiceret in proelio venturoso!

Ubi est virgo quae caste videret
Amadis dominum sicut fecisti
cum hoc Quixoto fidalgo tam vero?

Tunc inviderent ei, non invideret
ipsa, quae tristis fuit, sicut dixisti
et caute gaudeat hoc tempore sero.

* * *

GANDALIN, ARMIGER AMADIS A GAULA SANCTIO PANSAE, ARMIGERO DOMINI QUIXOTI

SONETUM

Ave, vir bone, quem grata Fortuna
Nunc ad armigeri munus levavit
Tanta sapientia ac blande usurpavit
Opus est quin habeas inopportuna.

Non ligò neque falx repellunt una
In exercitio armorum, quod narravit,
Utpote armiger clare clàmavit
Superbe accusat ne calcet in luna.

Vere iumento et nomini invideo
Etiam sum invidus tuis rebus potius
Reapse adversa tu bene audivisti.

Tot salve, bone Sancti, ego te egeo
Ideo te solum hispanũs Ovidius
Te saepe laudat et quae tu fecisti.

* * *

EX FACETO POETA INTERSERTO SANCTIO PANSAE ET ROCINANTI

Sanctius Pansa sum face– (tus)
viri domini Quixo– (ti);
tunc pedes fugiendo po– (sui)
volui vivere et prude– (nter),
nam tacitus Villadie– (go)
omnem rationem sui sta– (tus)
et ad recessum opta– (vi)
facere ut Caelesti– (na)
liber pro me tam divi– (nus)
si celaret quod huma– (num)

Rocinans equus famo– (sus)
pronepos magni Babie– (cae)
qui peccatis et ine– (ptiis)
venit ad domnum Quixo– (tum).
Cucurri flaccido mo– (do)
perdidi opportunita– (tem)
edendi hordeum opta– (tum)
sed didici ex Lazari– (llo)
ex quo cum furavi vi– (num)
caeco ictum dedi calca– (re)

* * *

ORLANDUS FURIOSUS DOMINO QUIXOTO A MANICA

SONETUM

Licet vix non umquam fuisset par tibi,
Est quidam par inter istos innumeros?
Cur non est tibi inter omnes alteros?
Tu invicte fuisti secundus nullibi,

Orlandus sum, Quixote, amissus ibi
Relictus sum mari propter sinceros
Ipsius Angelicae amores veros.
Sic vires cui nil respectum fuit sibi.

An sit par tibi, vel similis auro?
Loquitur quidam et de tuis laudatur.
Utinam simus iam compotes mentis.

Tu vero superas superbo mauro
Et modo saevus scytha sic domatur
Multo nos magis in incantamentis.

* * *

EQUES PHOEBI DOMINO QUIXOTO A MANICA

SONETUM

Gladius meus tuo non quidem est aequalis,
hispane Phoebe et aulice clare,
gloriam immensam non possum clamare,
quae radiis solis non umquam fuit talis.

Sperni haec imperia; mihi regnum sub alis
Oriens donavit, sed non potuit stare,
et faciem regiam volui contemplare,
o Claridiana, aurora immortalis.

Hanc arsi ego ut mirum miraculum
absens in meo infortunio ad infernum
finivit bracchium meum, ira victa.

Et tu, Quixote, es gothicum speculum
pro Dulcinea toto mundo aeternum,
illa pro te honesta et benedicta.

* * *

EX SOLISDAN DOMINO QUIXOTO A MANICA

SONETUM

Domne Quixote, ineptiae infecerunt
tuam mentem sanam quam sic perdidisti

nullum opprobium hucusque audivisti
a rudis viris, qui noxias fecerunt.

Tua clara facta ut iudices erunt,
omnia perversa et mala refecisti
milies diversos ictus sustulisti,
qui ex plebe ingrata et versuta exierunt.

Si Dulcinea casu quid adversum,
bono consilio remoto, patraret
et tuas res caras, non esset iam vigilans.

Dicerem tunc Sanctium Pansam immersum
fuisse et malum lenocinium daret.
Stulte hic, dura illa, tu non amans.

* * *

COLLOQUIUM INTER BABIECAM ET ROCINANTEM

SONETUM

B.– Rocinans, cur tam macer es retrorsum?
R.– Quia sat non comedo, sed laboratur.
B.– Ubinam palea et hordeum servatur?
R.– Patronus dare non vult mihi nec morsum.

B.– Domine, caveas, te amississe cursum.
　　Dominus voce asini vexatur.
R.– Semper ex cunis ad mortem vagatur.
　　Nonne est captus amore desursum?

B.– Num deliratio amor? R.– Nulla est prudentia.
B.– Tu metaphysicus es.– R.– Quia non edo.
B.– A Sanctio hoc quaeras. R.– Non erit determinans.

　　Quomodo quaeram in mea innocentia,
　　quoniam patronus et armiger credo
　　illos iumenta esse tamquam Rocinans?

* * *

HISTORIA ILLUSTRIS DOMINI QUIXOTI A MANICA

LIBER I

Capitulum 1. Ubi agitur de condicione et indole illustris *fidalgi* domini Quixoti a Manica

In quodam loco Manicae regionis, cuius nominis nolo meminisse, nuper vivebat quidam fidalgus ex eis de quibus fertur eos habere lanceam in repositorio, scutum antiquum, equum macrum canemque venaticum cursorem. Etiam erat ei olla potius ex carne bovina quam ovina, pluries in coena condimentum coquebatur, sabbato autem angores et afflictiones ut dicitur, die Veneris pulmentum de lentibus, dominico die vero ad haec omnia addebatur quaedam columba quibus et hoc modo tres partes bonorum eius consumebantur. Quod ei supererat serviebat ad vestes emendas tamquam femoralia ex serico praetexto pro diebus festivis cum tibialibus eiusdem generis, tamen per hebdomadam induebat vestem praestantem. Domi autem erat ei hera domus plus quam quadraginta annos nata et neptis, quae viginti annos nondum adimpleverat, et etiam famulus agri, qui eodem modo cingebat sellam equo vel utebatur forfice ad arbores putandas. Aetas huius fidalgi erat circa quinquaginta annos. Complexio eius erat fortis, sed macillentus corpore et gracilis vultu, promptus ad surgendum mane ex lecto atque aliquando fruebatur venatione. Dicebatur nomen eius esse Quixada sive Quesada, in quo est aliqua diversitas apud auctores qui hoc tractant, quamvis per veras opiniones eorum reperiatur eum Quexanam fuisse. Tamen hoc non est prorsus tam magni momenti ad nostram fabulam: satis est nobis ut narratio omnem veritatem ostendat.

Oportet autem nonnulla de hoc fidalgo cognoscere, de quo diximus, eum otiosum fuisse –quod plerumque accidere solebat per annum– et tunc vacabat lectioni librorum de Equitatu Itineranti et quidem tam magno studio ac dedicatione ut fere omnino oblivisceretur venationis et immo villicationis suae domus et ad tale extremum pervenit studium huius rei atque aberratio in hac re ad venumdandas terras, quae erant ei ad seminandum, pro lectione eorum librorum de Equitatu Itineranti. Et hoc modo emit omnes libros quos domi potuit colligere; sed ex eis nullos invenit tam optimos quam quos eximius Felicianus de Silva scripsit, propter claritatem illius prosae et implicatas sententias, quae ei ut margaritae videbantur, praesertim dum legeret monitiones illas sive provocationes ad duellum, quae passim ibi inveniebantur:

fundamentum quod absque fundamento rationabiliter praebetur menti meae, iudicium meum debilitatur et plane atque omnimode lamentor de tua formositate. Etiam cum legebat: ... *alta aethera, quae tuam divinitatem diviniter muniunt cum stellis et faciunt tuam magnitudinem digno merito mereri dignas mercedes debitas.*

His argumentis miser vir suum bonum iudicium amittebat et ad inveniendum atque intelligendum verum sensum rerum strenue conabatur, sed nec ipse Aristoteles posset si ad hoc faciendum resurgeret. Hoc modo non placebant ei ictus, quos dominus Belianis percutiebat et etiam quos accipiebat nam, quamvis corpus et vultus curaretur a peritis chirurgis, eum plenum haberet ex innumeris signis cicatricibusque acceptis. Tamen auctorem magnopere laudabat, quia finiebat librum cum promissionibus prosequendi prosperas res gestas atque immo multoties ei accidit desiderium accipiendi calamum ad finiendum librum ut opportunum esset et id faceret nisi aliae cogitationes magni momenti eum impedirent. Quasdam disputationes habuit cum parocho illius pagi –vir doctus licentiatusque Seguntiae (Sigüenza)– de excellentia et praestantia cuiusdam equitis itinerantis: Palmerin a Britannia sive Amadis a Gaula, sed magister tonsor Nicolaus, etiam eiusdem pagi, dixit neminem superavisse illum Equitem de Phoebo et si quis saltem comparationem subiret hic esset dominus Galaor, frater illius Amadis a Gaula, qui meliorem indolem habuit, nam neque eques timoratus erat nec lacrimosus tamquam frater suus et in fortitudine nemini secundus.

Paucis verbis, tam multum ille vacavit lectioni horum librorum ut diu pernoctaret usque ad diluculum et per dies absque dubio, qua de causa propter penuriam quietis ad dormiendum et nimiam lectionem cerebrum suum exsiccatum est et bonum iudicium amisit. Ingenium suum implebatur omnibus, quae in libris legebat tum de incantationibus vel rixis, proeliis, provocationibus, vulneribus, quaestionibus amorosis, procellis tum de ineptiis ac deliramentis. Et haec omnia ad mentem eius pervenerunt et ut vera accepit atque illa somnia, quae legebat, machinabatur et nullatenus inveniebantur veraciora ita ut nulla historia melior in toto orbe terrarum esset. Sic enim dicebat Cid Ruy Diaz (Rodericus) equitem strenuum fuisse, sed impar fuit Equiti Ardentis Ensis, qui solo ictu duos gigantes feroces atque ingentes medio corpore sciderat. Melius erat quaestio cum Bernardo a Carpio, qui in proelio Roncesvalles incantatum Orlandum (Roldanum) occiderat, et hoc propter astutiam Herculis cum inter bracchia sua Anteum, filium terrae, suffocasset. Bene dixit de gigante Morgante, quia quamvis esset de stirpe gigantea, ex qua omnes superbi nimis sunt, tantum ille affabilis et morigerus ostendebatur. Sed prae omnibus bene dicebat de Reginaldo a Montalban (Reynaldo), et praesertim cum eum videret exeuntem ex castello eius et quidem rapiebat quos inveniret et cum ultra mare esset idolum rapuit illius Mahometi, quod erat omnino aureum, secundum fertur in historia eius. Etiam ipse heram domus et immo neptem suam libenter pro pignore daret ut posset traditorem Galalonem (Galalón) pedibus calcitrare.

Profecto, iudicio eius amisso, ad amentiam peregrinam pervenit, quae nondum inventa est a quolibet insano huius mundi, scilicet ille putavit necessarium ac decorum esse et quidem ad maiorem honorem suum et ministerium rei publicae se futurum esse equitem itinerantem ad vagandum per totum orbem terrarum ad res gestas quaerendas munitum suis armis atque equo ita ut peteret res gestas et ad exercitandum

sese in his quae de equitibus itinerantibus legerat ad delendum omne genus iniustitiae atque ad pericula facienda sua virtute, quibus famam et nomen aeternum adipisceretur. Sic enim putabat se magnam coronam famae accepturum esse propter virtutem sui bracchii vel saltem imperium Trebisondae (Trapisonda). Et praeditus his iucundis laetisque cogitationibus et suo insolito desiderio in his quae sentiebat quam primum voluit operam navare ad adimplendam sententiam suam. Incepit mundando arma, quae domi invenerat ex suis maioribus natu, quae rubiginosa valde ex aerugine saeculorum erant, quia relicta in angulo remoto iamdudum latebant. Accurate ea mundavit et quam melius potuit reparavit, sed nonnulla deerant ei et sic cassidem tessellatam non invenit, sed tantummodo simplicem galeam quam sua habilitate subito mendavit cum quadam charta petracea ex qua dimidiam cassidem fecit, quae una cum illa galea videbatur ut cassis integra. Vere ad probandam eius virtutem, et ad videndum utrum vere fortis esset necne, gladium suum accepit et duos ictus voluit galeae dare, sed primo eorum quae fecerat per hebdomadam statim ac breviter disperdidit atque ei videbatur nimis facile esse in extremis, et ad id vitandum iterum quibusdam fibris ferreis, quae ei fortiores videbantur, damnum reparavit, sed noluit denuo probare utrum sustinerent experientiam gladii necne et putavit satis bonam operam suam et cassidem tessellatam ac subtilissimam esse.

Postea vero ad equum videndum in stabulum ivit et quamvis ipse plures quadrantes quam argenteus haberet sive tot coartationes et vitia ex omni genere quam equus Gonelae, cui *tantum pellis et ossa fuit*, sed ei videbatur eum secundum non fuisse equo *Bucephalo* Alexandri nec *Babiecae* illius Cid. Per quattuor dies cogitavit de nomine quod daturus esset ei, nam secundum se res erat magni momenti propter equum bonum dignumque laude, qui nullo modo proprio nomine carere posset. Sic enim quaerebat adaptare novum nomen quod eodem tempore reminisceretur de pristino quod haberet ante quam pertineret ad equitem itinerantem et quod postea eveniet ei, quia si dominus eius nomen suum mutavit etiam equus suum nomen permutare debuisset et aliud haberet plenius sensu et strepitu quod licebat novo ordini officii equitatus quem ipse professus erat. Et hoc modo multa nomina collegit et scripsit et postea delevit et quidem addidit et memoriae tradidit et demum pervenit ope suae mentis atque ingenii ad eum vocandum *Rocinantem*, nam ei videbatur nomen altum, sonorum ac plenum sensus fuisse et sic meminerat quod antea fuit et quod nunc erat, nempe primus inter pares et immo supra omnes equos totius huius mundi.

Nomine habito equo, et quidem, sua approbatione, iam sibimet nomen dare voluit. De his cogitationibus per octo dies meditatus est et denique sese vocavit *Dominum Quixotum*, quibus verbis auctores fidedigni huius historiae ceperunt nomen eius absque dubio *Quijadam* et non *Quesadam* fuisse ut alii de eo dixerunt. Sed etiam meminerat strenuum Amadisem non tantum velle hoc modo appellari, sed nomen illius regni patriaeque addere et sic nuncupatus est Amadis a Gaula et ipse ut bonus eques voluit adiungere nomen regionis et pervenit ad *Dominum Quixotum a Manica* quo et genus suum et patria nominabatur eamque hoc cognomine honorabat.

Armis suis mundatis, cassideque refacta, nomine equo imposito, et etiam, novo nomine sibimet accepto, nihil amplius ei deerat quam dominam invenire ad amorem

ardentem ostendendum; nam eques itinerans sine amoribus similis erat arbori sine foliis et fructibus vel corpori absque animo. Sic secum loquebatur dicens:

–Si ego propter peccata mea vel propter meam prosperam fortunam invenio quemdam gigantem, quod plerumque accidere potest equitibus itinerantibus, eumque everto ad terram quadam collisione vel dimidiam partem corporis eius scindo et denique eum vinco, nonne bonum erit eum mittere ad flectenda genua ante conspectum dominae meae cuique voce humili ac moesta dicet: «Ego, domina, sum gigas Caraculiambrus, dominus insulae Malindraniae, quem dominus Quixotus a Manica, qui nondum satis laudatus, certamine singulari, vicit et sic iussit mihi ut venirem in conspectu tuo ita ut tu, praeclara domina, facias mecum ad tuum nutum?»

Eques noster, hac concione facta, quam multum vere gavisus est, praesertim cum noverit cui nomen suae dominae dare! Et secundum quod fertur prope pagum eius erat puella rustica praedita pulchro conspectu, quam ipse aliquando ardebat amore quamquam, ut videtur, illa rustica id numquam reapse animadvertit. Ildephonsa Laurentii (Aldonza Lorenzo) appellabatur et hanc voluit dominam suarum cogitationum facere et pariter elegit nomen quod ei conveniret eique hoc nomen bene accommodavit, sed tamquam si esset cuiusdam principessae vel magnae dominae et optime sonaret, quare eam vocavit *Dulcineam a Toboso*, quia in hoc pago nata erat: hoc nomen, sua sententia, musicum, peregrinum et plenum sensu erat, sicut omnia nomina quae sibi et suis rebus dederat.

Capitulum 2. Ubi agitur de primo exitu, quem ingeniosus dominus Quixotus ex pago suo fecit

Ille autem, his praelibatis, noluit plus aequo demorari ad operam navandam suis consiliis. Praesertim putabat mundum egere iuvamine eius, quia tam magnae erant iniuriae, quas ipse conabatur destruere, et res adversae, quas quaerebat mitigare atque abusus corrigere necnon et debita solvere, qua de causa et, nemine de hac re sciente, et dum nullus eum videret, mane ante diluculum, et quippe erat dies calidus mensis Iulii, paratus omnibus suis armis, in equum ascendit nempe in Rocinantem, induit cassidem suam reparatam, amplexus est suum scutum, accepit lanceam et per portam posteriorem areae domus suae exivit in agrum, praeditus magno gaudio atque exultatione videndo celeritatem qua haec omnia perfecit et suum propositum adimplevit. Sed ubi primum se viderit in agro, subitanea ac teterrima cogitatio ad eum venit et fere omnia consilia eius per terram ruerunt, quia ille nondum acceperat idoneam ordinationem ad equitatum itinerantem exercendum, quare non poterat irruere in quemcumque equitem omnibus suis armis nisi tantum ope armorum alborum, ut ita dicunt, tamquam si solus esset candidatus ad equitatum atque absque ullo emblemate in suo scuto donec id recte obtineret. His cogitationibus conturbatus est, sed dementia eius plus fecit quam sana rerum rationabilitas. Et conatus est illam ordinationem

nancisci ope primi equitis, quem casu in via inveniret. Et hoc modo nonnullos equites imitabatur, qui in hoc statu rerum fecerunt, secundum quae legerat in suis libris, qui in eum tam magnum influxum agitabant. Et quod ad arma attinet voluit ea tam munda habere et immo candidiora quam alba mustela, et cogitando de his argumentis omnino placavit sese et prosecutus est viam, in qua nullum alium scopum habuit quam quem equus eius elegerat sibi et hoc modo credebat sequi fatum rerum gestarum.

Dum iter faciebat noster eques radians erat et sic secum loquebatur dicens:

–Quis dubitabit in temporibus futuris cum vera historia in lucem prodat meas claras res gestas quin sapiens scriptor hoc modo describat meum primum exitum ante diluculum nempe: «Ut primum flavus Apollo tendenderat per amplam spatiosamque faciem terrae aureas fibras pulchrorum capillorum suorum, cum parvuli ac depincti passeres suis suavibus vocibus et mellifluis harmoniis salutaverant adventum rosaceae aurorae, quae, molli lecto invidi mariti relicto, per ianuas fenestrasque horizontis illius Manicae regionis ostendebatur, illustris eques dominus Quixotus a Manica, spreta commoditate, ascendit in clarum equum Rocinantem ad iter faciendum per notum et vetustum agrum Mentissae (Montiel).

Et hoc verum erat quia per hunc agrum iter faciebat et prosecutus est dicens secum:

–O felix aetas et fortunatum saeculum in quo clarae res gestae meae in lucem edentur, quae merebuntur aeneam inscriptionem ac marmoream sculpturam et tabulam pictam ad futuram memoriam. Et tu, o sapiens incantator, quicumque sis et qui futurus es historiographus huius peregrinae historiae, quaeso a te, ne praetermittas bonum Rocinantem, aeternum amicum meum, in omnibus viis et itineribus meis!

Postea vero iterum inquit, tamquam si vere captus esset amore:

–O, principessa Dulcinea, domina huius captivi cordis mei! Magnam iniuriam fecisti mihi cum dimitteres me et quidem vetares ne venirem ante conspectum tuae formositatis. Utinam memineris, domina mea, huius dolentis cordis mei, quod tam multa passum est propter amorem erga te.

His verbis dictis, tam multas stultitias proferebat, et haec omnia secundum libros quos legerat et immo rationem dicendi imitabatur et sic taliter lente iter faciebat et sol citius ostendebatur et tanto ardore ut cerebrum eius liquefieret si aliquando ei cerebrum esset.

Fere per totum diem iter fecit et nihil ei accidit dignum mentionis quibus desperabatur, nam voluit occasionem invenire probandi virtutem sui strenui bracchii. Auctores sunt qui dicunt primas res gestas in Portu Lapice ei advenisse; alii vero aiunt res gestas molarum venti primas fuisse; sed secundum quod reperi in hoc casu et quod legi in annalibus huius regionis Manicae id est, scilicet, eum iter fecisse per totum diem et vespere lassus erat de via ille pariter et equus eius atque esurientes valde et visu inspiciebat ubique an videretur castellum sive refugium pastorum ubi sese reciperet et ubi fami et necessitati subveniret et en non procul a via, qua iter faciebat, vidit cauponam et ei fuit tamquam si videret stellam, quae duceret eum non ad quoddam atrium, sed ad ipsa coelestia palatia redemptionis. Tunc festinavit deambulando et, vespere facto, illuc advenit.

Casu duae iuvenes puellae, quae dicuntur de vetere officio, ad ostium stabant et quae Hispalim (Sevilla) iter faciebant una cum quibusdam mulionibus, qui illo die in illa caupona pernoctaverunt. Et cum equiti nostro omnia quae cogitabat, inspiciebat sive imaginabatur realia ac vera videbantur, sicut omnia quae legerat, cum vidit cauponam putavit castellum fuisse et quidem praeditum quattuor turribus cum capitellis ex lucido argento et ponte versatili et alta fossa et omnibus rebus pertinentibus ad ea quae in similibus castellis describuntur. Cum autem ad cauponam appropinquaret, quae ei castellum videbatur, et ante quam perveniret, habenas Rocinantis reliquit. Tunc exspectavit homunculum sive pumilum surgere inter pinnas muri ad dandum signum tuba propter adventum cuiusdam equitis ad castellum. Tamen ei plus aequo videbatur eum moram facere et interea Rocinans festinabat ad stabulum introiendum et sic ad portam cauponae venit et invenit illas duas iuvenes puellas de nihilo curantes, quae ei videbantur duae placidae dominae, quae ad ostium ad invicem amabiliter oblectabantur. Eo tempore casu accidit ut subulcus sive pastor porcorum –quia sic illi, vestra venia, vocantur– cecinit cornu ad colligendum suum gregem suorum, qui inter virgulta erant pascentes. Statim domino Quixoto videbatur hoc secundum desiderium suum accidisse, nempe homunculum signum fecisse de adventu eius et insolito atque iucundo animo ad cauponam pervenit. Tunc mulieres illae cum viderunt virum taliter armatum lancea et scuto, correptae sunt magno timore et sic petiverunt introitum cauponae, sed dominus Quixotus animadvertens timorem earum propter hanc fugam, levavit bucculam chartaceam suae galeae et ostendit eis suam faciem flaccidam ac plenam pulvere de via et placido animo ac voce serena eis dixit:

–Nolite fugere vos, dominae, nec quid mali a me timeatis, nam secundum ordinationem equitatus, quo fungor, numquam quod adversum sit audeam facere et praesertim vobis, virginibus excelsis ut decet et patet.

Iuvenes mulieres magno stupore quaerebant eum inspicere propter difficultatem videndi eum, quia galea faciem eius celabat, sed cum audierunt eum eas virgines appellare, quod tam aperte procul a munere earum esset, risum non potuerunt tenere et hoc tali modo accidit ut dominus Quixotus animadvertit et magnopere ac profunde erubuit et sic dixit:

–Bene decet bona mensura formosis et risus ineptus erit si ex causa levi procedit, tamen nolo haec vobis dicere ut tristemini vel moereatis, nam nulla ratio est in me nisi ad vestro ministerio serviendum.

Hic sermo inintelligibilis necnon inusitata figura equitis induxerunt mulieres ad risum augendum atque eum impulerunt ad indignationem et forte ille ulterius perveniret nisi tunc temporis exiret cauponarius qui crassus nimis erat et pariter pacificus et cum vidit illam ridiculam figuram fictam munitam variis armis sicut habenis, lancea, scuto ac lorica paene eumdem risum mulierum voluit comitari delectamento earum. Sed timuit illam machinam armorum et decrevit suae loquelae morigerari et sic dixit:

–Si quaeris cauponam, domine eques, praeter lectum (quia in hac caupona nullus est), omnia alia invenies et quidem magna abundantia.

Cum dominus Quixotus vidit humilitatem praepositi huius castelli, quia talis ei illa caupona videbatur, atque immo cauponi respondit:

–Quolibet sufficiet mihi, domine castellane, nam

ornatum meum arma sunt
et quies mea pugnare, etc.

Hospes putavit illum equitem eum castellanum vocavisse, quia credebat eum validum virum regionis Castellae fuisse, quamvis reapse baeticus esset et praecise ex litore Eburae (Sanlúcar) et non minus fur quam Caco et etiam mendax tamquam scholasticus ephebus et hoc modo ei responsum dedit:

–Secundum quod capere possum, domine, lecti tui erunt durissima saxa et in loco dormiendi semper per noctes vigilandum erit, hoc modo bene potes descendere et invenies occasionem non tantum vigilandi in hoc tugurio per noctem, sed immo per totum annum et etiam per hanc ipsam noctem.

Et, his rebus dictis, pervenit ad pedem domini Quixoti tenendum, qui magno torpore ac labore de suo equo descendit, quia per totum diem nec ientaculum quidem accepit.

Tunc dominus Quixotus hospitem vero monuit ut magnam curam haberet de suo equo quia, nullus equus dignior erat in toto orbe terrarum ad edendum. Cauponarius eum intuitus est et non certe ei videbatur tam optimum esse quam dominus Quixotus dixerat de eo nec immo dimidiam partem, sed accommodavit eum convenienter in stabulo et reversus est ad videndum quid hospes suus vellet, quem iam denudaverunt ex suis armis virgines illae, quae cum eo iam sese reconciliaverunt atque abstulerunt munimen pectoris et dorsi, tamen munimen gutturis nullo modo potuerunt solvere nec fictam cassidem quam religatam habebat fimbriis viridibus, quia ad eam aperiendam oportebat scindere nodos eius; sed ille nullo modo hoc permisit et sic mansit cum casside in capite per totam noctem quod erat mirabile visu propter suam iucundam atque insolitam figuram. Et in illo expolio, cum eum denudarent, ille putavit eas excelsas dominas illius castelli esse, quibus magna cum sollertia dixit:

Non umquam fuit eques famae
cui servirent domnae clarae
tamquam Quixoto domino
cum venit ex suo oppido
Virgines curabant de eo
Principessae de suo equo

vel de Rocinante, quia hoc est, dominae meae, nomen equi mei et ego nuncupor dominus Quixotus a Manica, sed hoc non debeo vobis develare donec futurae res gestae meae hoc palam ostendant pro vestra servitudine, sed volui ad hanc occasionem adaptare vetus carmen de illo Lanceloto (Lanzarote) et haec fuit causa ut ante tempus revelarem vobis quaestionem pertinentem ad nomen meum, sed iam adveniet tempus opportunum, dominae meae, quo a me quaeratis et ego vestris mandatis oboediam et virtus bracchii mei ostendet vobis desiderium meum serviendi.

Iuvenes mulieres quae nullo modo consuetae erant talia audire nec verbum quidem responderunt, sed ab eo quaesiverunt utrum aliquid vellet edere necne.

–Quemlibet cibum manducarem ego –respondit dominus Quixotus–, nam hic et nunc magni momenti esset mihi.

At ille dies erat praecise dies Veneris et in caupona tantum erat nutrimentum piscium, qui in Castella regione vocatur asellus et in Baetica vulgo *bacalao*, alibi piscis curatus sale et aliubi etiam tructa parva. Ab eo quaesiverunt utrum vellet comedere illam tructam parvam necne, nam non erant ibi alii pisces ad edendum.

–Cum multae sint illae tructae parvae efficient magnam tructam –respondit dominus Quixotus–, nam idem erit si dant mihi octo parvos argenteos sive unum magnum ex octo eis aequivalentem. Et fortasse haec tructa parva melior sit quam tructa magna tamquam vitula melior est quam vacca et haedus melior quam capra. Sed quidquid sit veniat statim ad me, quia labor pondusque armorum non potest ventre vacuo sustineri.

Mensam ei paraverunt ad ostium cauponae propter calorem et serenitatem vesperae et hospes ei attulit portionem illius *bacalao*, qui male madefactus et pessime coctus erat. Etiam praebuit ei panem tam nigrum et mucidum quam arma eius. Sed praesertim quod ad risum pertinebat erat figura eius tam insolita, nam non potuerunt cassidem galeae auferre et ipse non potuit suis propriis manibus quid manducare nisi alter ei daret. Et hoc môdo altera domina perficit hoc ministerium. Sed nullatenus potuerunt potum dare nisi cauponarius cannam perforaret, quam posuerunt in ore eius et ex alia parte effuderunt vinum per eam et ille haec omnia magna patientia sustinuit ne fimbriae illius cassidis scinderentur. Dum haec ei faciebant advenit ad cauponam castrator porcorum et simul ac venit signum dedit cornu quater vel quinquies, quibus sonis dominus Quixotus credidit firmiter se ad castellum celebratum pervenire eumque instrumentis musicis accipere, et *abadejo* ut tructas putavit et panem ut candealem, et moechas ut dignas dominas, et cauponarium ut praepositum castelli et egressum suum videbat pro magno successu. Attamen quod magis ei urgebat erat quia idoneam ordinationem equitis itinerantis nondum acceperat, quamobrem nullo modo legitime operam rerum gestarum suarum navare posset absque illa ordinatione equitatus.

Capitulum 3. Ubi narratur iucundus modus quo dominus Quixotus eques itinerans factus est

Et sic ille, lassus his cogitationibus, coenam illius cauponae et quidem valde parvam finivit. Et, hoc prandio confecto, vocavit cauponem et cum eo in stabulum introivit et in conspectu eius flexit genua dicens ei:

–Numquam hinc surgam, strenue eques, donec reddas mihi gratiam quam a te quaero, quae in tuam laudem et ad genus humanum fovendum abundabit.

Caupo cum hospem ad pedes suos vidit et tales sententias audivit, turbatus est atque eum inspiciebat, quia nesciebat quid facere vel dicere oportebat, tamen cum

eo pugnabat ut e terra surgeret, ille autem id facere renuit donec ei pollicitus esset quod ab eo quaerebat.

–Non minus a te exspectabam, praeclarissime domine –respondit dominus Quixotus–; itaque dico tibi: donum quod a te posco et pro liberalitate tua dabis mihi, hoc est, nempe ut cum sol crastino die oriatur facias me equitem itinerantem, et hac nocte in sacello huius tui castelli arma mea vigilabo et cras, ut tibi dixi, magnum meum desiderium adimplebitur, ut possim per quattuor partes totius mundi percurrere ad res gestas inveniendas, ut licet, secundum quod ad equitatum equitesque itinerantes convenit sic ut egomet sum ita ut tales res gestas gloriosas perficiam.

Caupo autem, ut diximus, aliquantulum facetus erat et iam noverat hospitem eius iudicio carere, sed nunc id fortiter credidit propter verba, quae ab eo audiverat, et, ut aliquid haberet ad iocum faciendum, illa nocte statuit eum sequi suis salibus et facetiis. Et sic ei dixit eum bene fecisse in his, quae ab eo quaesiverat et haec propria esse equitum itinerantium ut ei videbatur. Et ipse similiter fecit per annos suae iuventutis, quoniam in hoc exercitio honorato operam navavit et sic percurrit varias partes huius mundi et non praeterivit suburbia talia, quae nuncupantur Percheles urbis Malacae (Percheles de Málaga), Insulae de Riarán, Compás hispalensis (Sevilla), Macellus parvus Segoviae (Azoguejo de Segovia), Olivetum Valentiae (Olivera de Valencia), Circulus Granatae (Rondilla de Granada), Litus Eburae (playa de Sanlúcar), Forum vel Fons Pulli Cordubae (Potro de Córdoba), et tabernae vinariae Toleti (Ventillas de Toledo) et alia ubi levitatem pedum suorum exercuit et eodem modo praestantiam manuum suarum, ibique multa adversa efficit, cum multis viduis accubuit, et virgines defloravit necnon et pupillos decepit et in finem cognovit audientias et tribunales iustitiae fere totius Hispaniae, et novissime ad illud castellum pervenit ubi habitabat cum sua pecunia et cum pecunia aliorum et hoc modo cunctos equites itinerantes accepit nihil curans de qualitate et meritis eorum, et tantum id fecit, quia praeditus erat benevolentia erga eos omnes eisque voluit desiderium suum ostendere ut illi etiam propter hoc ei pecuniam darent. Etiam dixit domino Quixoto in illo castello nullum sacellum fuisse, ubi ille posset arma sua vigilare, hoc autem demolitum erat ad novum sacellum aedificandum; sed propter hanc necessitatem ipse sciebat haec ubique vigilanda esse, et illa nocte potuit id facere in cohorte castelli; et in crastinum, Deo volente, debitas caeremonias facturus esset, ita ut eques itinerans fieret, et taliter ut nemo eum superaret in mundo.

Ab eo quaesivit utrum pecuniam haberet; dominus Quixotus ei respondit nec parvum nummum habere, nam numquam in fabellis equitum itinerantium legerat eos sic fecisse. His verbis caupo respondit hoc non verum esse: quoniam, cum hoc in fabellis minime scriberetur, auctores non putarunt rem tam claram necessariamque scribendam esse nempe ut pecuniam ac subuculas mundas secum ferrent, et non oportebat credere eos non talia secum ducere; itaque, pro certo et probato haberet omnes equites itinerantes, quibus libri pleni erant et de hoc testantur, bulgas repletas habere ne quid eis accideret; et hoc modo afferebant subuculas et parvam capsam plenam medicamentis ad vulnera accepta curanda, quia aliquando in campis desertisque, ubi tam strenue pugnabant et vulnerabantur, non erat qui de eis curaret, nisi haberent sapientem incantatorem amicum, qui adiuvaret eos, et adduceret per

aerem, in nube, quamdam virginem sive nanum aut pumilum cum quadam lagoena aquae talis virtutis ut, cum tantum guttam illius gustarent, continuo convalescerent a quocumque vulnere sive plaga tamquam si nihil eis accidisset. Et si nihil huiusmodi acciderit eis, pro certo erat equites itinerantes habere armigeros idoneos cum pecunia et omnibus necessariis tamquam fasciis et medicamentis ad vulnera medenda et si casu –quod raro vel numquam acciderat– equites carere armigero tunc ipsimet haec omnia media servabant in quadam parva pera quam ad lumbos equi adaptabant et fere non videbatur ut res nullius momenti, quia non semper admissum fuit eos tales peras secum ferre. Nihilominus ei voluit consilium paternale dare tamquam bono filio, nam ei adhuc potuit hoc ministerio uti nempe eum numquam deambulaturum esse ex hoc et in futurum sine pecunia et sine dispositionibus supra dictis et procul dubio hoc erit ei ut magnum iuvamen cum occasio necessaria esset.

Dominus Quixotus pollicitus est se facturum esse secundum consilium illius et quidem maxima diligentia. Postea vero iussit ei ut vigilaret arma in area magna iuxta illam cauponam et ea omnia recollegit dominus Quixotus et posuit super labrum iuxta puteum, accepit scutum et apprehendit lanceam et levi motu incohavit deambulatum ante labrum et cum incepit hanc deambulationem iam erat nox atra.

Cauponarius enarravit omnibus, qui tunc in caupona inveniebantur, dementiam hospitis sui et etiam dixit de vigilia armorum eius ad ordinationem equitatus obtinendam quam ille sibi exspectabat. Valde mirati sunt omnes de hoc genere amentiae tam insolitae eumque voluerunt aspicere quamvis esset a longe et quidem viderunt eum aliquando deambulare lento motu et tunc eum esse prope lanceam suam dum intuitus erat arma suis fixis oculis quos non avertebat nullo tempore ab armis. Iam nox facta est, tamen luna sua claritate illuminabat tamquam si vellet cum sole contendere, et hoc modo eques novicius ab omnibus bene videbatur. Quidam mulio autem qui in caupona pernoctabat voluit iumenta sua ad aquam ducere et ad id faciendum oportebat ut ex labro amoveret arma domini Quixoti, qui, his rebus conspectis, magna voce ei dixit:

–O tu, eques audax, quisquis sis! Nullo modo audeas tangere haec arma, quae sunt strenuissimi equitis itinerantis, qui umquam gladium cinxit! Animadverte quid facias et noli ea tangere ne morte cruciaris propter tuam inverecundiam.

Nihil de his verbis mulio ille curavit (et quidem melius esset in valetudine sese curare), nam accepit corrigias armorum et longe a se eiecit. Cum haec dominus Quixotus vidit oculos in coelum porrexit et, posita mente sua in dominam Dulcineam, –et secundum quod ei videbatur– sic ei dixit:

–Accurre ad me, domina mea, in hoc primo opprobio quod huic tuo captivo pectori praebetur, ne quidem deficiat mihi auxilium ac patrocinium tuum in his primis rebus gestis ut eques itinerans.

Ille autem, his sive aliis similibus verbis dictis, reliquit scutum et suis duabus manibus lanceam extulit in altum et tam magnum ictum dedit mulioni super caput ut eum per terram eiiceret et tam male vexatum ut si alium ictum ei daret non amplius egeret magistro chirurgo ad convalescendum. His rebus peractis, arma sua collegit et denuo ad deambulationem pervenit cum ipsa quieta serenitate quam antea fuit ei. Parum postea, et nulla cognitione adhibita de hoc facto –quia mulio ille adhuc turbatus

erat propter ictum–, alter mulio cum eadem voluntate ad aquatum voluit ducere mulos suos, sed cum incepit arma removere ad labrum parandum, dominus Quixotus, nullo verbo praetermisso, et, nullo auxilio requisito, clipeum reliquit et denuo extulit in altum lanceam, quam minime fregit, sed utique caput alterius mulionis quod per diversa loca vulneravit. Ad hunc strepitum confluit plebecula illius cauponae et inter eos etiam erat cauponarius. Cum dominus Quixotus haec vidit, accepit scutum, apprehendit gladium et dixit:

–O domina totius pulchritudinis, virtus ac robur languidi cordis mei! Nunc oportet te, excellentissima domina, inspicere tuis oculis hunc equitem tuum captivum amore, qui in his rebus gestis invenitur.

His verbis prolatis, tam magnam fiduciam in suo animo accepit ut si omnes muliones totius orbis terrarum adversum eum pugnarent non pedem retro verteret. Sodales autem eorum vulneratorum, qui eos ut tales putaverunt, a longe inceperunt proiicere saxa in dominum Quixotum ut pluviam. Hic autem quantum potuit ope scuti se cooperuit et nullo modo audebat a labro se removere quin desereret vigiliam armorum suorum. Caupo instabat suis vocibus ut eum relinquerent, quia vere amens erat quare iustitia eum semper absolveret, quamvis omnes occideret. Etiam dominus Quixotus magnis vocibus in eos clamabat eosque perfidos ac traditores vocabat et immo praepositum illius castelli fallacem ac dolosum appellabat et eodem modo pessimum equitem natu, quia permisit ut equites itinerantes tam male tractarentur et si ipse accepisset ordinationem requisitam equitatus certe insidiam factam probaturus esset.

–Sed quid dicam de vobis, minima atque inculta plebecula? Quid vos ad me? Nihil amplius de vobis faciam. Proiicite, tunc venite ad me ad iniuriam faciendam si hoc vere potestis facere! Et cito videbitis quemadmodum propter vestram stultitiam retribuam vobis!

Et quidem haec omnia tam magno robore ac virtute dixit ut infunderet teterrimum timorem in eos, qui etiam ope persuassionis cauponarii desierunt saxa in eum eiicere et ille sivit ut removerent illos vulneratos atque iterum iterumque ad vigilantiam armorum venit cum eadem quiete ac serenitate quam antea fuit ei.

Minime placuerunt cauponario nugae hospitis eius et statuit dare ei breviter nigram ordinationem illius equitatus quam primum, ne alia calamitas sibi accideret. Et hoc modo ad eum pervenit et veniam quaesivit propter insolentiam illius incultae plebeculae quam in eum habuerunt, se invito ac nesciente, sed iam bene puniti erant propter eorum insolentiam. Hic iam dixit domino Quixoto sacellum non fuisse in illo castello sed ad ea, quae eis reliquerunt, non necessarium esse, nam ad ordinationem perficiendam quod vere oportebat erat percussio cervicis et percussio dorsi secundum quod ipse noverat ex libris caeremoniarum et hoc in medio campo bene faciendum esset, praesertim quia iam adimplevit vigilantiam armorum duabus horis et quidem plus quam per quattuor horas vigilavit. Haec omnia credidit dominus Quixotus qui pronus erat ad oboediendum et maximam brevitatem etiam postulabat. Si denuo impetum in eum facerent et ipse iam esset eques ordinatus aliter faceret et neminem viventem relinqueret in illo castello praeter eos quos praepositus iuberet ei ut servaret et hoc praecise propter respectum debitum ei.

Cum castellanus haec animadvertit et plenus metu, accepit librum ubi adnotabat paleam et hordeum, quae dabat mulionibus et ope cuiusdam candelae, quam puer attulit ei et una cum duabus virginibus, iam dictis, ad dominum Quixotum pervenit cui iussit ut flecteret genua et legens ex suo manuali –tamquam si quamdam piam precationem faceret–, in media lectione manum porrexit et validum ictum ad collum percussit et postea ope gladii eius etiam ictum ad dorsum cum gladio –dum murmurabat sicut orans inter dentes–. His rebus peractis, iussit alteri mulieri ut gladium ei cingeret, quod illa fecit magna sollertia ac dexteritate, sed non pauca fuit necessaria ne exploderet risu in his omnibus caeremoniis, tamen quae etiam viderunt de equite detinuerunt risum. Et haec bona domina dixit ei dum cingeret ei gladium:

–Velit Deus facere te equitem fortunatissimum et eodem modo det tibi felicitatem in pugnis.

Dominus Quixotus quaesivit ab ea quomodo nuncuparetur ut posset ille in futurum scire cui gratus animus esset et obstrictus maneret propter beneficium acceptum, quoniam volebat eam participem facere in quadam parte honoris, quem suo strenuo bracchio obtenturus erat. Illa respondit ei magna humilitate nomen suum esse Tolosam, filiam sutoris toletani, qui in parvis tabernis plateae Sanctii Bienaya vivebat et ubicumque ipsa esset eum dominum Quixotum ut dominum suum haberet ad ei ministrandum. Dominus Quixotus respondit ei ut anteponeret nomen *dominae* nomini suo et hoc propter amorem eius et sic vocaretur domina Tolosa. Illa vero sic ei pollicita est. Altera autem calcar domino Quixoto calceavit et cum illa fere idem colloquium habuit quam cum altera, quae ei cinxit gladium. Nomen eius quaesivit ab ea et illa dixit ei Molinariam (Molinera) appellari, et ipsa erat filia cuiusdam molinarii honorati Anticariae (Antequera), a qua dominus Quixotus etiam rogavit ut anteponeret titulum *dominae* nomini suo et sic domina Molinaria esset, cui voluit suum novum famulatum et ministerium offerre.

Dominus Quixotus, his rapidis caeremoniis atque hucusque nondum bene perspectis, festinavit ad sese videndum supra equum suum ad res gestas quaerendas et sic sellam Rocinanti stravit, in eum ascendit et hospitem amplexus est eique dixit res omnino insolitas eique gratias egit propter magnum beneficium illius ordinationis ut eques itinerans, quae nec haec omnia enarrari possunt. Cauponarius autem etiam festinavit ad videndum eum longe a caupona eique respondit aliis verbis non minus rhetoricis quam verba eius, quamvis breviora essent et, nullo sumptu ab eo quaesito propter dispendia cauponae et, magna congratulatione ei facta, equitem dimisit.

Capitulum 4. De his quae acciderunt nostro equiti cum ex caupona exivit

Iam erat hora diluculi cum ex caupona egressus est dominus Quixotus, praeditus iucundo animo, praestans suo corpore atque exultans quia obtinuit ordinationem equitatus et gaudium effundebatur fere per habenas equi. Sed eodem tempore per

consilium hospitis meminerat de rebus necessariis, quae secum afferendae erant, praesertim pecunia et subuculae, quare decrevit domum redire et in omnibus sese accommodare et etiam armigerum sibi invenire. Sic cogitavit de quodam vicino suo agricola, qui erat pauper et liberos habebat, ut idoneus propter officium armigeri equitatus. Evolvens has cogitationes sua mente duxit Rocinantem ad pagum suum et quidem cum equus cognovisset optatam viam festinavit deambulando ita ut videretur se non tangere terram calcibus.

Nondum multum iter prosecutus est cum en ad dextram suam, per densam silvam, quae ibi erat, audivit voces debiles tamquam cuiusdam qui lamentaretur et simul atque eas auscultavit dixit:

–Gratias ago coelo propter beneficium acceptum quo tam cito obviam occasioni veni ubi, secundum professionem meam, fructus bonorum desideriorum colligere possim. Voces istae sine dubio sunt cuiusdam viri sive mulieris, qui meo iuvamine vel auxilio eget.

Tunc habenas vertit et Rocinantem ad illum locum conduxit unde voces exire videbantur. Post paucos gressus in silvam introivit et en equam religatam ad quamdam quercum vidit et ad alteram quercum puerum ligatum nudo pectore, qui vix pervenerat ad quindecim annos, et ipse erat qui clamabat et quidem cum causa, nam agricola magnae complexionis corporeae eum flagellabat cingulo coriaceo et unumquemque ictum comitabatur quadam reprehensione et consilio quoniam sic dicebat:

–Cave linguam et aperi oculos!

Puer autem respondebat:

–Non id denuo faciam, domine; propter Sanctam Passionem Dei non iterum faciam et ecce ex hoc et in futurum polliceor tibi me magis curaturum esse de grege ovium.

Cum dominus Quixotus vidit quod accidit voce irata dixit:

–Eques indocte, male mihi videtur capere vindictam ex eo, qui nullam defensionem facere valet, sed ascende in equum tuum et accipe lanceam tuam –erat enim ei lancea iuxta quercum ubi equa protegebatur–, et faciam ut cognoscas ignaviam tuam ex his quae fecisti.

Agricola qui talem figuram plenam armis vidit, et quidem cum lancea obviam vultui suo, credidit se mori quare vocibus serenis respondit:

–Domine eques, hic puer, quem verbero, famulus meus est et munus eius est custodire gregem ovium, quae in his locis pascuntur, sed tam negligens est ut fere quotidie ovis deperditur, propterea punio negligentiam sive versutiam eius at ille dicit me ei non solvere salarium ut debeo, sed, per Deum et per animum meum, ego dico eum mentiri.

–Quomodo dicis coram me «eum mentiri», tu vilis rusticus? –inquit dominus Quixotus–. Per solem qui illuminat nos hac lancea te perforabo. Solve ei quod debitum est et quam primum ac nemine discrepante. Aliter, per Deum qui regit omnes nos, statim ad nihilum te redigam. Et statim solve eum!

Agricola caput suum inclinavit et, nullo responso adhibito, famulum suum solvit, quem dominus Quixotus interrogavit quot dominus eius ei deberet. Ille respondit

novem menses pro septem argenteis unoquoque mense. Dominus Quixotus fecit rationem quae ascendebat ad sexaginta et tres (litt. septuaginta et tres) argenteos et tunc dixit agricolae ut ei quam primum pecuniam solveret, sin autem vellet statim mori. Rusticus timidus respondit ad illam occasionem in qua erat et propter iusiurandum quod fecerat –sed nihil vere pollicitus erat– non tam multas esse pecunias, ex quibus oportebat detrahere sumptum de tribus calceis, quos ei dederat, et bis incissiones venae, quas fecerant ei cum puer aegrotus esset.

–Hoc bene est –respondit dominus Quixotus–; sed incissiones venae et calceos pro hac verberatione, quam sine culpa adimplevisti, et si ille rupit corium calceorum tu exscidisti corium corporis eius et si tonsor sanguinem eius extraxit cum infirmus esset tu in valetudine eius etiam extraxisti, quare nihil tibi reddere debet.

–Difficultas est, domine eques, ut hic et nunc me non habere hanc pecuniam. Veniat mecum Andreas domum ibique ei solvam argenteum supra argenteum.

–Quomodo potero cum eo denuo ire –dixit puer? Nequaquam, domine, ac nullo modo! Nam dum solus erit denique detrahebit cutem meum tamquam fecerunt Sancto Bartholomeo.

–Id non faciet –respondit dominus Quixotus–; sufficit ut ego iubeam ei et pro reverentia erga me adimplebit iusiurandum quod pollicitus est propter ordinationem equitatus eius acceptum et tunc faciam ut liberus sit et salarium tuum profecto solvat.

–Videas, domine, quod ille dicat –dixit puer–; quia dominus meus non est eques neque ullam ordinationem equitatus aliquando accepit, ille est Ioannes Haldudo dives, incola pagi Quintanar.

–Parvi momenti est –respondit dominus Quixotus–; Haldudos possunt esse equites et etiam unusquisque filius est operae suae.

–Hoc verum est –inquit Andreas–; sed hic dominus meus, cuiusnam operis erit filius si ipse rapit salarium meum et sudorem meum et meum laborem?

–Hoc non nego, frater Andrea –respondit agricola–; sed veni mecum, quaeso, et per omnes ordinationes equitatus, quae in mundo sunt polliceor, ut dixi, pecuniam solvere tibi argenteum supra argenteum et immo cum suffimento.

–Illud suffimentum indulgeo tibi –ait dominus Quixotus–; satis est si argenteos solvis, sed oportet te vere iusiurandum tenere, aliter ad te revertar et iuro me te inventurum esse et quidem puniturum, quamvis te abscondas plus quam lacertus. Et si nunc vis scire quis fuit, qui haec tibi iussit scito me strenuum dominum Quixotum esse, ille qui iniurias et contumelias solvit et cum Deo maneas et noli oblivisci iurisiurandi, quod mihi pollicitus es sub poena talis punitionis.

Ille autem, his verbis dictis, Rocinantem ad iter prosequendum incitavit calcaribus et brevi tempore discessit ab eis. Agricola secutus est eum oculis et cum vidit eum ultra silvam transire et non plus videretur, ad famulum suum Andream revertit et dixit ei:

–Venias huc, fili mi, quia salarium quod debeo tibi solvam et quidem sicut hic vir, qui iniurias et contumelias solvit iussit mihi.

–Hoc polliceor et ego –inquit Andreas–; et bene facies ad adimplendum quod bonus ille eques dixit et qua de causa Deus ei per multos annos benedicat, quia et strenuus et iudex optimus est, macte animo! Et si non solves mihi ille revertetur et sicut dixit perficiet.

–Idem etiam polliceor egomet –ait agricola– sed propterea quod tam multum te diligo, debitum accrescere volo ita ut retributio augeatur.

Ille, his verbis prolatis, apprehendit bracchium pueri et denuo eum ad quercum ligavit, ubi tam fortiter eum verberavit ut fere mortuum reliquit.

–Voca nunc, domine Andrea –inquit agricola– virum qui iniurias solvit; et certo videbis hanc non valebit solvere. Quamvis adhuc mihi videatur nondum omnia perfecisse, quia etiam vellem detrahere tuam cutem sicut timebas.

Sed denique liberavit eum et permisit eum iudicem petiturum esse ad promissam sententiam exercendam. Moestus discessit ab eo Andreas et pollicitus est strenuum dominum Quixotum quaeriturum esse ad ei omnia narranda, quae sibi evenerant, ita ut septies solverentur ei. Sed in hoc statu rerum puer profectus est lacrimans dum dominus eius ridebat.

Hoc modo strenuus dominus Quixotus iniuriam solvit et valde laetus erat his rebus gestis, quae ei felicissimae videbantur et etiam initium excelsum sui equitatus. Hoc magno oblectamento iter faciebat ad pagum suum et demissa voce murmurabat:

–Profecto benedicta in mulieribus vocari poteris, o pulcherrima inter pulchras, Dulcinea a Toboso! et magna fortuna evenit tibi, quia habuisti tam strenuum atque illustrem equitem ad tuum nutum, qui est atque erit dominus Quixotus a Manica, et qui, ut omnes bene sciunt, heri ordinationem equitatus accepit et praecise hodie maximam iniuriam et noxam solvit quam pravitas et crudelitas perfecerunt. Hodie flagellum e manu ferocis inimici abstulit, qui sine causa delicatum parvulum verberabat.

Ille autem, his verbis prolatis, pervenit ad viam, quae quattuor bifurcationes habebat, et tunc incepit imaginari quaenam esset melior via earum ad illam sequendam et hoc ad equites itinerantes imitandos, quia aliquando cogitabant quam viam eligerent; et ille, parva mora elapsa, et in quiete bene de hac re cogitavit et postea liberas habenas dedit Rocinanti, ita ut ipse quaereret viam, qui imprimis et secundum desiderium suum viam stabuli elegit sibi.

Cum dominus Quixotus iter fecit, per duo millaria, magnam turbam hominum vidit et, ut postea cognovit, erant mercatores toletani, qui Murciam petebant ad sericum emendum. Sex erant illi qui cum suis umbellis veniebant, una cum quattuor famulis suis qui iter faciebant cum equis et tribus pedisequis mularum. Ubi primum eos viderit dominus Quixotus putavit has novas res gestas esse et ad accuratam imitationem faciendam rerum gestarum, ut in suis libris legerat, ei videbatur quod ipse volebat facere. Et sic ille innixus est firmiter sustentaculis equi sui et quidem animo sereno ac pleno audacia, lanceam apprehendit, scutum ad pectus posuit et sese collocavit in media via cum exspectaret illos equites itinerantes ad se venientes, quia sic credidit eos tales esse. Et cum pervenirent ad locum quo viderent atque audirent eum, dominus Quixotus vocem extulit et gestu audaci dixit eis:

–Sistite omnes! et vos cuncti confitemini non esse in toto orbe terrarum virginem formosam tamquam imperatricem Manicae, scilicet imparem Dulcineam a Toboso.

Cum mercatores haec audierunt gradum steterunt et intuiti sunt insolitam figuram, quae haec dixerat, intellexerunt eum amentem esse, sed etiam aliquantulum voluerunt videre, quae ab eis quaereret, et quidam eorum, qui erat parum facetus et valde ingeniosus ait ei:

–Domine eques, nondum notum est nobis quaenam sit ista bona domina de qua loqueris. Ostende eam nobis et si vere tam pulchra est, ut tu dicis, libentissime et sine ulla coactione, confitebimur hanc veritatem a te quaesitam.

–Si ego eam ostenderem vobis –respondit dominus Quixotus– quid meriti esset tam apertam veritatem affirmare? Maioris momenti est idem affirmare quamquam eam nondum vidistis et credere, confiteri, assentiri, iurare et immo defendere, sin autem mecum eritis in proelio, o gens immanis et superba. Et hoc iam veniatis ad me singillatim sive turmatim omnes ut soletis facere vos, quia estis gens pessimae speciei, sed hic manebo atque exspectabo vos confidens me recte iudicavisse.

–Ego obsecro te –obiecit mercator–, in nomine omnium principum, qui hic stamus, ne conscientias nostras gratis coagas confitendo rem, quam non vidimus nec audivimus, quod detrimentum erit imperatricibus et reginis Caracrae (Alcarria, Guadalajara) et Bethuriae (Extremadura), quapropter quaesumus ut digneris ostendere nobis tabulam pictam huius dominae, quamvis parva sit ut granum tritici et ex ungue cognoscemus leonem, et hoc modo gaudium nobis sit ac securi erimus et tu, domine, laetus atque hoc modo remuneratus eris et quidem nos tam pro ea iam sumus et quamvis haec tabula picta ostendat eam carere oculo et ex alio quid rubri et sulphur fluat, tamen pro te quidquid velles dicemus.

–Non fluit, o plebecula abiecta –respondit dominus Quixotus, qui correptus erat iracundia–, non fluit quod dixistis, sed ambarum et suffimentum neque deest ei oculus nec gibbosa est, sed erecta ut fusus Guadarramae, et vos propter hanc magnam blasphemiam culpam solvetis adversus pulchritudinem dominae meae.

Ille, his verbis dictis, inclinavit lanceam et impetum in eum fecit et tam magnus fuit ei furor et indignatio et si fortuna adversa non faceret Rocinantem cadere in medio cursu incepto nulla fortuna fuisset audaci mercatori. Tamen Rocinans cecidit et dominus eius rotavit per campum magnum spatium. Voluit autem surgere, sed nullo modo potuit id facere propter pondus lanceae, scuti, calcearum cassidisque. Et dum conabatur surgere et non poterat dicebat:

–Nolite fugere, ignavi ac plebecula prava, attendite ad me, quia non propter meam culpam, sed mei equi in terram eiectus sum.

Tunc quidam pedisequus mularum ex his qui veniebant, praeditus pravo consilio et audiens tales insolentias non potuit sustinere amplius et in costas eius impetum fecit. Ad eum venit et lanceam accepit quam fregit et quodam frusto eius eum percussit et praeter arma affecit ei multiplices contusiones. Domini eius vociferabant intercedentes ne plus aequo eum verberaret et eum relinqueret, sed pedisequus valde molestus erat, et inceptam operam usque ad finem voluit perducere propter iracundiam suam et frusta lanceae fractae collegit et frantumavit super miserum equitem prolapsum, quamvis praeter haec omnia quae ei evenerint, non umquam os suum claudebat et hoc modo comminabatur coelum terramque atque omnes illos maleficos, quia sic ei omnes videbantur.

Tandem pedisequus fessus fuit vapulationis et mercatores denuo iter eorum prosecuti sunt, habentes aliquid ad narrandum de illo misero demente in via. Hic autem cum se vidit solum conatus est surgere, sed si cum sanus esset non valuit facere, quomodo nunc post contusionem acceptam? Et fere putavit seipsum felicem

esse, quoniam illa erat calamitas idonea illis equitibus itinerantibus, sed omnem adversitatem suo equo tribuit, tamen omni modo non potuit e terra surgere propter verberationem totius sui corporis.

Capitulum 5. Ubi narratio calamitatis nostri equitis prosequitur

Profecto, videns se nullo modo posse moveri, ad aliud ordinarium remedium pervenit, nempe voluit cogitare quid in suis libris acciderit et dementia sua reminiscebatur illius marchionis Mantuae, nomine Valdovini, quem Carolus (Carloto) vulneratum reliquit in montibus, fabella valde nota est a parvulis, non ignota a pueris et celebrata atque immo ut vera apud seniores, tamen non plus vera quam prodigia Mahometi. Haec autem ei videbatur venire tamquam anulus ad digitum ad hanc occasionem in qua sese inveniebat; et per terram rotavit praeditus magno dolore, dum demissa voce dicebat quae loquebantur de illo vulnerato equite nemoris:

–Ubi es tu, domina mea,
dolet tibi mea poena?
Forte nescis, o domina,
esne fallax an perfida?

Et hoc modo prosequebatur carmen usque ad illos versus, quibus dicebatur:

–Nobilis marchio Mantuae,
domine mi et patrue!

Cum pervenit ad hunc versum prospera fortuna fecit ut quidam agricola eiusdem pagi eius iter faceret ibi, qui pondus tritici ad molam ferebat; qui cum vidit virum per terram eiectum ad eum venit et ab eo quaesivit quis esset et quid mali haberet, nam tam magna tristitia lamentabatur. Dominus Quixotus credidit, sine dubio, eum marchionem Mantuae fuisse, patruum eius, et sic non aliter responsum dedit quam prosecutionem illius carminis, ubi calamitas eius atque amores filii imperatoris cum uxore eius enarrabantur atque haec omnia secundum ipsum carmen declamavit.

Agricola, his stultitiis auditis, vere mirabatur et, remota bucculla galeae, quae omnino fracta erat ope verberationis, vultum ex pulvere mundavit et cum eum cognovit dixit ei:

–Domine Quixana –quia sic appellabatur ante quam dementiam acceperit et cum nondum transiret ex fidalgo in equitem itinerantem–, quis enim posuit te in hoc gravi statu?

Ille autem prosequebatur suos versus praeter hanc quaestionem. Et cum ille bonus vir haec vidit, removit ab eo munimen pectoris et dorsi ad vulnera videnda, sed nec

sanguinem nec aliud signum vulneris invenit. E terra conatus est eum levare et difficulter eum posuit super iumentum suum, quod quietius ei videbatur quam equus. Arma atque immo frusta lanceae collegit, quae ligavit et super Rocinantem posuit cuius habenas accepit et, cum asino suo ex capistro, ad pagum suum iter fecit. Interea cogitabat de his quae dicebat dominus Quixotus, qui tam male percussus erat et quidem fractus, quia fere nec super asinum sese tenebat et aliquando suspirabat in coelum et tali modo ut agricola denuo ab eo quaereret de dolore eius, sed forte diabolus, qui omnes has fabellas tradebat memoriae eius, accommodabat secundum res gestas et tunc oblitus est Valdovini, sed meminerat mauri Abindarraez, quem Rodericus de Narvaez, praefectus Anticariae (Antequera), apprehendit et duxit eum captivum ad praesidium suum. Tunc cum agricola denuo interrogavit eum, quomodo se haberet et quid mali ei esset, eadem verba et argumenta respondit, quae captivus maurus *abencerrage* respondit Roderico de Narvaez et eodem modo sicut legerat in historia nuncupata *Diana* Georgii de Montemayor, ubi haec describuntur; quapropter rusticus agricola maledicebat sibimet et diabolo, causa audiendi tot stultitias; ex his verbis agricola intellexit oppidanum suum amentem fuisse et voluit ad pagum pervenire quam primum, quia dolebat ei quaecumque dominus Quixotus sua longa concione dicebat. Cui demum dixit:

–Scito, domine Roderice de Narvaez, hanc pulchram Xarifam (Jarifa), de qua dixi, nunc esse speciosam Dulcineam a Toboso pro qua feci, facio et quidem faciam clarissimas res gestas equitatus, quae numquam visae sunt, videntur atque in toto orbe terrarum videbuntur.

Quibus agricola respondit:

–Videas, domine, me miserum! me non esse Rodericum de Narvaez neque marchionem Mantuae, sed Petrum Ildephonsi (Alonso), qui sum tuus vicinus; neque tu es Valdovinus nec immo Abindarraez, sed honoratus fidalgus dominus Quixana.

–Bene scio quis ego sim –respondit dominus Quixotus– et possum esse non tantum quos dixi, sed omnes Duodecim Pares Galliae et immo Novem Pares Famae, nam res gestae meae praestantiores erunt quam uniuscuiusque eorum et res gestas cunctorum superabunt.

Illi autem, his verbis atque aliis similibus dictis, ad pagum pervenerunt et quidem sub vesperum. Agricola putavit melius esse quamdam moram facere et sic exspectavit usque ad dimidiam noctem ne viderent equitem tam contusum ac moestum. Adveniente hora opportuna, in pagum intravit et domum domini Quixoti aliquantulum revolutam invenit, in qua erat parochus et tonsor illius loci, qui optimi amici ad invicem erant et quibus hera domus magnis vocibus dicebat:

–Quid tibi videtur, domine, licentiatus Petrus Pérez –quia sic appellabatur parochus ille–, calamitas domini mei? Abhinc tres dies nec ille nec equus neque scutum vel lancea nec arma hic sunt. Me misellam! Et hoc verum est, ut nata sum et quidem aliquando moritura, et pro certo habeo hos libros maledictos de equitatu, quos ille habet et continuo legit, causam esse amittendi iudicium et sanam mentem eius. Et nunc memini illius loquentis pluries et saepe, dum secum loquebatur se voluisse esse equitem itinerantem et res gestas quaerere per amplum mundum. Utinam tales libri dicati sint Satanae ac Barrabae, qui effecerunt eum amisisse meliorem intellectum totius huius Manicae.

Neptis eadem dicebat atque immo haec addebat:

–Scias, magister Nicoláe –quia sic nuncupabatur tonsor ille–, aliquando ei accidisse, nempe avunculo meo, per duos dies cum noctibus eorum hos maledictos et sceleratos libros legere et in finem eiiciebat librum a se et accipiebat gladium et impetum in parietes faciebat ictibus et, cum vere lassus erat, dicebat se occidisse quattuor gigantes maiores quam turres et transpirationem quam sudabat vocabat sanguinem ex vulneribus acceptis in proelio. Postea bibebat urceum plenum aquae frigidae et dicebat illam aquam esse optimum potum, quem sapientissimus Esquife, amicus eius et magnus incantator, ei attulit. Sed ego culpanda sum de his omnibus, quia nondum vobis nuntium dedi de his incongruentiis avunculi mei ad remedium faciendum, antequam acciderit quod vere accidit, et omnes hos libros excommunicatos oportet comburere, quia multos habet, qui exuriendi sunt ut haeretici.

–Idem egomet dico –ait parochus– et oportet ne diem procrastinemus et mane actus fidei faciendus est et libri igne damnandi sunt ne denuo praebeant occasionem cuidam lectori sicut amico meo fecerunt.

Haec omnia agricola et dominus Quixotus audierunt, quibus rusticus intellexit infirmitatem sui oppidani et sic vocibus illis dixit:

–Aperite vos portas domino Valdovino ac marchioni Mantuae, qui male vulneratus venit necnon mauro domino Abinarraez, quem strenuus praefectus Anticariae Rodericus de Narvaez captivum ducit.

Omnes, his vocibus auditis, foras exierunt et certe viri amicum suum cognoverunt et mulieres dominum atque avunculum, qui nondum descenderat de asino, quia vere non potuit, sed omnes accesserunt ad eum amplectendum. Ille autem eis dixit:

–Consistite omnes, quia vulneratus domum revertor propter culpam equi mei. Adducite me ad lectum et, si fieri potest, vocetur sapientissima Urganda ut videat et sanet vulnera mea.

–Nonne hoc dixi mihi –inquit tunc temporis hera domus– nonne cor meum dicebat mihi quo morbo laborabat dominus meus! Benedictus adventus tuus sit, domine, et ante quam haec maledicta veniat profecto curabimus te. Maledicti, dico, sint iterum et centies omnes libri huius equitatus, qui tam malum maleficium fecerunt tibi!

Eum ad lectum attulerunt et inspexerunt vulnera eius, sed nulla invenerunt. Ipse autem dixit tantummodo magnum ictum per totum corpus fuisse, quia cecidit una cum Rocinante cum proelium faceret contra decem teterrimos atque audacissimos gigantes, qui in toto orbe terrarum invenirentur.

–Ta, ta! –inquit parochus– gigantes sunt in hoc negotio! Profecto polliceor eos comburendos esse in crastinum et immo ante vesperum.

Mille quaestiones fecerunt domino Quixoto et nullum responsum opportunum dedit eis, nisi ut ei cibos darent et sinerent eum dormire, quod ei maioris momenti erat. Sic fecerunt et parochus ab agricola quaesivit quomodo dominum Quixotum invenit. Ipse ei omnia enarravit cum omnibus stultitiis, quae dixerat dum domum eum ferebat et haec valde iuvaverunt licentiatum ad adimplendum quod de libris cogitabat facere in crastinum diem et tunc vocavit tonsorem amicum, magistrum Nicolaum, atque ambo ad domum domini Quixoti venerunt.

Capitulum 6. De faceta magnaque scrutatione quam parochus et tonsor in bibliotheca nostri ingeniosi fidalgi fecerunt

Hic eques adhuc dormiebat, cum parochus a nepte claves habitaculi poposcit, ubi servabantur libri, qui fuerunt auctores illius adversitatis. Illa autem eas ei libentissime porrexit. Tunc intraverunt omnes et etiam hera domus una cum eis et plus quam centum libros ingentes invenerunt. Plerique erant libri magni et bene compaginati, nonnulli vero parvi. Cum hera domus illos vidit habitaculum reliquit statim et postea reversa est cum aqua benedicta et hyssopo in manu et dixit:

–Accipe, quaeso, domine licentiate, aquam benedictam; atque asperge hoc habitaculum, ne maneat hic quidam incantator ex multis, quos hi libri habent, et nobis incantationem faciant ad nos puniendos, quia eos ex hoc mundo erradicare volumus.

Simplicitas illius herae domus movit licentiato ad risum et hic iussit tonsori ut ei daret libros singillatim ad videndum de quo unusquisque agebat, et si vere illam poenam igneam mererentur.

–Minime vero –dixit neptis–; nec unus eorum parcendus sit, quia omnes damnaverunt eum. Melius est omnes per fenestras eiicere ad cohortem ibique acervum faciemus et postea cunctos comburemus. Aliter eos ad aream stabuli afferemus ibique rogum accendemus, quin ulli fumus det fastidium.

Eadem dixit hera domus: tale erat desiderium eius comburendi illos innocentes, sed parochus noluit assentiri nisi antea legeret saltem titulos eorum. Primum quem magister Nicolaus ei dedit fuit *Quattuor de Amadis a Gaula* et parochus dixit:

–Hic videtur magnum mysterium esse, quia, secundum quod novi, hic fuit primus liber equitatus, qui in Hispania impressus est ex quo reliqui initium et originem habuerunt; et sic hic videtur mihi tamquam disseminans dogmata vel auctor cuiusdam sectae haereticae ac tam adversae ut ad ignem damnandus sit.

–Minime –dixit tonsor–; quia etiam audivi dicere hunc meliorem esse quam omnes alios, qui de hoc genere compositi sunt; ideoque et propterea quod ille est unicus in sua arte ignoscendus est.

–Hoc verum est –ait parochus– qua de causa ei vita conceditur saltem nunc temporis. Videamus hunc alterum qui iuxta illum est.

–Ille nuncupatur –dixit tonsor– *Res gestae Esplandiani*, qui fuit filius legitimus huius Amadis a Gaula.

–Attamen bonitas patris –inquit parochus– nullius meriti erit filio. Accipe ergo, domina hera domus, et aperi hanc fenestram et ad aream eiice eum et sic fiat initium illius acervi foci.

Sic hera domus hoc libentissime fecit et bonus Esplandianus ad aream volitavit exspectans patienter rogum qui ei minabatur.

–Pergamus ulterius –dixit parochus.

–Hic qui nunc accedit –dixit tonsor– est *Amadis a Graecia* et etiam omnes qui ex hac parte inveniuntur eiusdem generis nempe Amadis sunt.

–Tunc perveniant omnes ad aream –inquit parochus–; qui, in loco comburendi reginam Pintichinestram et pastorem Darinelem et eclogas eorum et diabolicas

necnon et intrincatas argumentationes illius auctoris, cum eis libenter comburerem etiam patrem meum, qui me genuit, si eum viderem in figura equitis itinerantis.

–Haec est quoque opinio mea –dixit tonsor.

–Et etiam mea –addidit neptis.

–Cum hoc ita sit –dixit hera domus–, veniant omnes et ad aream cum illis.

Omnes libros ei dederunt et quidem multi erant et ipsa scalas vitavit et eos per fenestram deorsum proiecit.

–Quid est hoc crassissimum volumen? –dixit parochus.

–Hic est –respondit tonsor– *Dominus Olivans de Laura*.

–Auctor huius libri –dixit parochus– idem fuit qui composuit *Viridarium florum* (Jardín de flores); et profecto nescio qualis verior sit vel, ut ita dicam, quis minus mendax esset, sed tantum de eo dicendum est eum ad aream eiiciendum esse propter exaggerationes et superbiam eius.

–Hic qui sequitur est *Florismars ab Hyrcania* –dixit tonsor.

–Estne hic dominus Florismars? –obiecit parochus– Tunc polliceor eum quam primum proiicere ad aream, quamvis nihil dicendum sit de origine insolito eius et de exaggeratione rerum gestarum, quae praebet modus scribendi ex parvitate illius et ex duritie. Ad aream ibit et etiam alius cum eo, nonne domina hera?

–Libentissime, domine –respondit illa, quae praedita magna laetitia adimplebat quae ei iussit.

–Hic est *Eques Platir* –dixit tonsor.

–Liber antiquus est hic –ait parochus– et nihil in eo invenio quod veniam mereatur, quare atque absque dubio alios potest comitari.

Et ita factum est. Alium librum aperuerunt et en viderunt eum nuncupari *Eques Crucis*.

–Propter sanctitatem talis nominis parcenda esset ignorantia illius, sed nonne etiam dicitur «a tergo crucis esse diabolum»? quapropter in ignem!

Tonsor accepit alium librum et dixit:

–Hic est *Speculum Equitatus*.

–Bene istud cognosco –dixit parochus–. Ibi deambulat dominus Reginaldus de Montalbán (Reinaldos) cum suis amicis et sodalibus, qui maiores latrones quam Caco fuerunt, et una cum Duodecim Paribus et cum vero historiographo Turpino, quem vere vellem ad exilium perpetuum damnare et saltem, quia partem habuit in inventione illius Matthaei Boyardo ex quo christianus poeta Ludovicus Ariosto incepit suam telam texere, et si hic eum invenio et quidem loquentem alia lingua praeter suam, nullam reverentiam ei ostendam, sed si suo proprio sermone loqueretur super caput meum ponam eum et quidem ad eum honorandum.

–Apud me ille est et quidem italico sermone –dixit tonsor– sed non intelligo eum.

–Neque bonum esset eum intelligere –respondit parochus– et hic ignosceremus illi ductori, si in Hispaniam non adduceret et verteret in hispanicum sermonem, qua versione abstulit ab eo magnam partem pristinae virtutis eius ut solent facere qui vertunt libros cuiusdam carminis in aliam linguam; quamvis magna cura ac sollertia adhibeatur ad vertendum, quia nulla versio umquam perveniet ad genuinam originalem. Profecto dico ut hic liber, et omnes qui inventuri sunt in Gallia et haec

tractent, deiiciantur et seponantur in puteo sicco et absque aqua donec cum meliore iudicio dilucidetur quid faciendum sit de his, secluso autem *Bernardo a Carpio*, qui in quolibet loco sit et alter liber nuncupatus *Roncesvalles*, quoniam cum hi ad manus meas perveniant statim ad manus herae domus perventuri sunt et tunc, nulla dubitatione adhibita, in ignem ibunt.

Haec omnia tonsor corroboravit et quidem iucundo animo, quia intellexit parochum bonum christianum fuisse et amicum veritatis ita ut nullo modo aliter diceret quidquid sit. Et alium librum aperuit et vidit eum esse *Palmerinum de Oliva* et iuxta eum alius erat qui nuncupabatur *Palmerinus ab Anglia* et cum licentiatus hoc vidit dixit:

–Haec oliva scindatur et comburatur et nihil ex ea remaneat nec immo cinis eius, haec palma autem Angliae custodiatur et servetur tamquam res unica in suo genere et aliam capsam faciant propter eam quam Alexander [Magnus] ex expoliis Darii invenit eamque dicavit ad servanda scripta Homeri poetae. Hic liber, domine, habet duplicem auctoritatem, tum quia bonus est, tum quia, secundum quod fertur, prudentem regem Lusitaniae eum scripsisse. Optimae sunt omnes res gestae castelli Miraguardae et magno artificio confectae, argumentationes quae dantur sunt clarae et aulicae, et servant et ostendunt decorum loquentis magna proprietate atque intellectu. Dico igitur, servato tuo iudicio ac tua bona sententia, magister Nicoláe, ut hic liber et *Amadis a Gaula* ab igne liberentur, sed cuncti alii pereant et hoc absque ulla ulteriore scrutatione.

–Minime, sodalis –obiecit tonsor–; nam en hic habeo illustrem *Dominum Belianis.*

–Hic autem –obiecit parochus– una cum secunda, tertia et quarta parte eius eget quodam medicamento ad purgandum nimium furorem suum et etiam oportet quod de castello Famae dicitur aliaeque displicentiae maioris momenti, quare dabitur ei moram ulteriorem ad emendationem faciendam et tunc misericordia et iustitia uteretur, interea maneant apud te, carissime, quin nemini eos des ad legendum.

–Hoc placet mihi –respondit tonsor.

Tunc noluerunt omnes singillatim inspicere et iusserunt ut hera domus apprehenderet cuncta maxima volumina et in cohortem eiiceret. Nulla mora elapsa, hera domus vere haec omnia adimplere cupiebat quam telam magnam sive subtilem texere quare imprimis fere octo eorum accepit et omnes per fenestram eiecit. Tamen cum vellet tam multos eodem tempore eiicere quidam liber eorum cecidit ad pedes tonsoris, qui libenter eum accepit et voluit cognoscere quisnam esset et vidit eum esse *Historia illustris equitis Tirante Albi (el Blanco).*

–Domine Deus! –dixit parochus magna voce– en hic est «Tirante Albus»! Da, quaeso, hunc librum mihi, amice, nam nunc credere possum me thesaurum laetitiae invenisse et magnum fontem oblectamenti. Hic est ille *Quirieleison* («Domine–miserere–mei») de Montalbán, strenuus eques et frater eius Thomas de Montalbán et Eques Fonseca cum proelio quod strenuus Tirante cum cane alano fecit et cum argutiis dictionis illius virginis *Placer–de–mi–vida* («Gaudium–vitae–meae»), cum amoribus et deceptionibus viduae Tranquillae (*Reposada*) et dominae imperatricis, quae armigerum Hippolitum amore ardebat. Pro certo habeas, domine, eum optimum librum esse in toto orbe terrarum et quidem propter elegantiam dicendi: hic equites edunt, dormiunt et moriuntur in lectis suis et immo ante mortem testantur libenter, et hoc modo res offerunt quibus libri alii huiuscemodi sive huius generis omnino eis

carent. Tamen tibi dico auctorem eius non mereri ullam damnationem, quia non fecit imprudentias deliberato modo ita ut eiicerent eum ad remigandum in triremibus in perpetuum, scilicet cunctos dies vitae eius. Adducas ergo hunc librum tecum domum et lege eum et tunc videbis verum esse quod tibi dixi.

–Hoc ita faciam –respondit tonsor–; sed quid faciendum est de his parvulis libris, qui adhuc remanent?

–Hi –dixit parochus– non erunt de equitatu, sed de carminibus.

Et cum aperuit quemdam eorum et vidit eum esse *Diana* Georgii de Montemayor (Jorge) tunc putavit omnes ceteros eiusdem generis esse.

–Hi non merentur poenam combustionis tamquam alii, nam minimum damnum faciunt lectoribus nec umquam afficient sicut libri equitatus perfecerunt. Hi autem sunt libri intellectus sine ullo damno cuilibet.

–O, domine! –dixit neptis–, bene potes eos eodem modo comburere ne accidat ut dominus avunculus meus de morbo illius equitatus sanetur et cum legat hos libros credat se quemdam pastorem esse et deambulet per silvas et prata cantando et ludendo tibiam et fiat poeta et secundum quod fertur hic etiam est insanabilis morbus et immo qui affert contagium.

–Haec virgo verum dicit –inquit parochus– et bonum erit ab amico nostro etiam periculum huius temptationis auferre. Et hoc modo incipiemus cum *Diana* illius Montemayor et credo non oportet eam comburere, sed ab ea tantum auferre omnia quae de malefica sapiente Felicia dicit et de aqua incantata et fere omnia longiora carmina, sed maneat optima prosa illius et honor, quia hic primus fuit omnium librorum huius generis.

–Hic autem qui sequitur –dixit tonsor– est *Diana* quae vocatur *secunda a Salmanticense*; et alter qui idem nomen habet –Gilli Poli (Gasperis Gilli Poli, vulgo Gil Polo).

–Tunc liber Salmanticensis –respondit parochus– veniat ad comitandum numerum damnatorum ad cohortem et liber Aegidii Poli servetur tamquam si eiusdem Apollonis esset et procede, collega, nam oportet quidem festinare quia serius est nunc.

–Hic liber est –dixit tonsor aperiens alium– *Decem libri Fortunae amoris*, quem Antonius Lofraso, poeta sardus, composuit.

–Per sacras ordinationes quas accepi –dixit parochus– et a tempore quo Apollo fuit Apollo et musae vere musae et vates poetae, nondum compositus est liber similis huic propter facetias et exaggerationes illius, et in hoc genere nondum alterum ediderunt in lucem huius mundi et qui eum non cognoscit credat se non legisse quod est magni oblectamenti. Affer, quaeso, mihi hunc librum, amice, quia magis facio illum librum accipere quam vestem talarem urbis Florentiae pro beneficio.

Ille eum seorsum reliquit et quidem magno gaudio dum tonsor ulterius prosecutus est dicens:

–Hi qui sequuntur sunt: *Pastor Iberiae*, *Nymphae fluminis Henares* et *Deceptio zelotypiae* (Desengaño de celos).

–Cum hoc ita sit nil est amplius faciendi –dixit parochus– quam bracchio saeculari herae domus eos mittere; et nullo modo quaerant a me quare hoc fecerim, vel dixerim, quia numquam ad finem perveniemus.

–Iste qui nunc venit est *Pastor Phyllidae*.

–Hic non erat praecise pastor –dixit parochus– sed prudentissimus aulicus, quapropter tamquam gemma speciosa servetur.

–Hoc autem magnum volumen, quod nunc venit intitulatur –dixit tonsor– *Thesaurus variorum carminum.*

–Melius esset –dixit parochus– si carmina illa non tam innumera atque optima essent, sed mundarentur a nonnullis sorditibus, quae inter alia magnifica habent. Oportet hunc librum servare, praesertim quia auctor amicus meus est et etiam propter reverentiam eius et operas heroicas et sublimiores quas scripsit.

–Hic est –prosecutus est tonsor– *Liber canticorum* illius López Maldonado.

–Etiam auctor huius libri –obiecit parochus– est magnus amicus meus et omnes mirantur de carminibus, quae ex ore eius audiunt propter suavitatem vocis, quacum concinit et omnes commoventur. Forte nimius sit in longitudine eclogarum suarum, sed numquam multum in abundantia datur, et tantum electis servatur. Sed quis est liber iste iuxta illum?

– Haec est *Galatea* a Michaele de Cervantes –dixit tonsor.

–Abhinc multum tempus ille Cervantes est amicus meus et egomet scio eum potius vacare adversitatibus vitae quam suis carminibus. Liber eius magis habet bonae inventionis; tamen proponit quod nullo modo nanciscitur: oportet igitur ut exspectemus secundam partem suae promissionis; fortasse ope suae emendationis adimpleat commiserationem, quae nunc ei denegatur, sed interea habeas eum seclusum apud te, amice.

–Quod perplacet mihi –respondit tonsor–. Et en hic praecise tres qui una veniunt: *Auracana* domini Ildephonsi de Ercilla (Alonso); *Austriada* Ioannis Rufo, iudicis Cordubae et *Monserratus* («Monserrato») Christophori de Virués (Cristóbal) poetae valentini.

–Hi tres libri –inquit parochus– sunt optimi inter omnes qui in versibus heroicis scripti sunt lingua hispanica et contendere possunt cum clarissimis carminibus ex Italia: propterea serventur tamquam speciosum signum carminis quod habet Hispania.

His argumentis peractis, parochus lassus fuit videndi tam multos libros et hoc modo voluit finire et reliquos ad combustionem mittere, tamen tonsor aperuit alium qui vocabatur *Lacrimae Angelicae.*

–Quam multum flerem –dixit parochus cum audivit hunc titulum– si indiscriminatim auderem eum urere, quia auctor eius fuit inter poetas illustres huius mundi et non tantum Hispaniae, sed etiam felicissimus translator fabularum Ovidii.

Capitulum 7. De secundo exitu nostri probi equitis domini Quixoti a Manica

Interea dominus Quixotus incepit dicere magnis vocibus:

–Accedite huc strenui equites, hic autem oportet virtutem bracchiorum vestrorum ostendere, quoniam aulici obtinuerunt meliorem partem in hoc hastiludio.

Illi accurrerunt ad hunc strepitum dum reliquerunt scrutationem ceterorum librorum et forte sic creditur ad ignem pervenisse *Carolea* et *Leo Hispaniae* et etiam

Res factae Imperatoris, quas scripsit Ludovicus de Avila, quia nec hos libros viderunt nec de eis audiverunt. Et procul dubio essent inter reliquos et si vere parochus eos vidisset non tam gravem sententiam daret nec damnandi essent.

Cum ad cubiculum domini Quixoti pervenerunt, invenerunt eum e lecto surrexisse et quidem prosequebatur suis vocibus et suis incongruentiis dum percutiebat gladio suo ubique, scilicet dextrorsum et sinistrorsum et expergefactus erat tamquam si non umquam dormisset. Amplexi sunt eum et obnixe eum ad lectum redegerunt. Postea vero et cum paulatim ille sedaret, denuo locutus est cum parocho cui dixit:

–Profecto, domine archiepiscope Turpine, magna penuria est nobis qui nominamur Pares, quia sivimus hos equites aulicos accipere victoriam in hoc hastiludio cum nos fautores simus harum rerum gestarum et per tres dies praecedentes praemium lucrati essemus.

–Taceas, quaeso, amice –inquit parochus–; Deus providebit et fortuna mutabitur ita ut quod hodie deperditur in crastinum diem lucrabitur. Et cura de tua valetudine hic et nunc, quia mihi videtur te nimis lassum esse nisi fortasse male vulneratum.

–Nequaquam vulneratum –ait dominus Quixotus–; sed certe magnum ictum accepi quo perfractus sum, in hoc non est dubium, nam ille filius adulterinus, nempe Orlandus (Roldanus) percussit me frustis ope trunci illius quercus et haec omnia perficit motus invidia, quoniam vidit me solum inimicum eius esse suis omnibus arrogantiis. Sed egomet non essem nec nominarer Reginaldus a Montalban si simul ac surgerem de hoc lecto non solveret mihi praeter omnes suas incantationes. Tamen hoc tempore oportet ut afferant mihi cibos ad manducandum quod maioris momenti erit mihi et, quod ad meam vindictam attinet, haec iam veniet ad occasionem opportunam.

Sic fecerunt et attulerunt ei cibos ad edendum et denuo ille profunde dormivit ac mirati sunt de peregrina dementia eius.

Hera domus vero illa nocte in ignem immisit et combussit tot libros quot erant in cohorte et domi et tales arserunt qui identidem in archivis perpetuis servandi erant; fortuna autem non permisit aliter nec pigritia scrutatoris et hoc modo dictum factum est quod dicitur aliquando iustos debitum solvere pro peccatoribus.

Parochus et tonsor putaverunt bonum remedium esse parietem aedificare ad habitaculum librorum omnino occultandum ita ut cum surgeret e lecto ne quidem inveniret habitaculum eorum –fortasse si removerent causam effectus desineret esse–, et tunc quidem dicerent ei quemdam incantatorem secum tulisse et omnes libros et habitaculum eorum et sic factum est quam primum. Duobus diebus elapsis, dominus Quixotus surrexit e lecto et primum quod fecit fuit libros suos inspicere, sed cum non invenit habitaculum ubi antea erat, deambulabat hinc illic et manibus tangebat et oculos volvebat ubique, nullo verbo prolato, tandem quaesivit ab hera domus qua ex parte esset habitaculum librorum. Haec autem animadvertens quod respondendum esset dixit ei:

–Quodnam habitaculum quaeris, domine? Nec habitaculum nec libri sunt domi, quia haec omnia ipse diabolus secum duxit.

–Non erat diabolus –respondit neptis–, sed incantator qui supra nubem quadam nocte venit, crastino die postquam hinc egressus es. Ille vero de serpente descendit in quem ascenderat, in habitaculum intravit et nescio quid intus fecerit, et, parva mora elapsa, ex habitaculo egressus est et per tectum evolavit et domum plenam

fumo reliquit. Cum voluimus inspicere quod fecit en non amplius potuimus ullum habitaculum videre. Ego memini valde bene illius maledicti vetuli, qui magnis vocibus dixit se illud maleficium fecisse propter secretam inimicitiam adversus dominum habitaculi et librorum quod vere postea videndum erat. Etiam dixit nomen suum fuisse sapientem Munnatonem (Muñatón).

–Diceret Frestonem –dixit dominus Quixotus.

–Nescio –respondit hera domus– utrum vocaretur Frestón sive Fritón, tantum scio nomen eius finire per *ton*.

–Hoc ita erit –inquit dominus Quixotus–; nam iste est sapiens incantator magnus inimicus meus, qui magnam invidiam habet in me, quoniam per artes suas et litteras magicas cognoscit me, tempore adveniente, venturum esse ad pugnandum in proelio singulari cum quodam equite, quem ille vere fovet et eum victurus sum, nemine discrepante, et proinde procurat contra me omnia adversa facere, sed ille non potest ullo modo contradicere his, quae a coelo statuta sunt.

–Quisnam de hoc dubitat? –dixit neptis–. Sed quis introduxit te, domne avuncule, in has rixas? Nonne melius esset domi pacificus quietusque manere quam in amplum mundum quaerere meliorem panem triticeum, quia multi sunt qui optimam lanam quaerunt et ipsi tonsi domum revertuntur?

–Carissima neptis –respondit dominus Quixotus–, et quam male haec omnia intelligis. Ante quam veniant ad tondendum me egomet tondebo capita et radam barbas omnium, qui audeant tangere tantum extremum unius capilli mei.

Ambae noluerunt ei amplius respondere, quia viderunt eum quam primum indignatione ardere.

Hoc modo ille domi mansit per quindecim dies vere quietus ac tranquillus animo et nullo modo ostendit prosequi pristinas deambulationes. His diebus collocutus est cum suis amicis, nempe cum parocho et cum tonsore, et eis dixit cunctum orbem terrarum egere equitibus itinerantibus ita ut equitatus itinerans denuo resurgeret. Aliquando parochus contradicebat ei et aliquando concedebat ei, quia sine hoc artificio non poterant inquirere quid haberet in mente sua.

Tunc temporis dominus Quixotus sollicitavit vicinum suum agricolam, qui erat vir probus –si hoc dici potest de homine paupere– ut secum acquiesceret, et qui parum salis ac leporis habebat in mente. Breviter, tanta ei dixit, tantum ei persuasit et denique tam multa quidem ei pollicitus est ut denique misellus rusticus ille decrevit cum eo ire eique servire tamquam armiger. Dominus Quixotus enim inter alia haec ei dicebat ut ad proficiscendum cum eo libenter se pararet, nam fortasse ipse, tempore adveniente, lucraretur insulam et non tam magna difficultate et tunc ille profecturus esset gubernator illius insulae. His promissis et aliis rebus peractis, Sanctius Pansa, quia sic agricola vocabatur, uxorem suam et liberos reliquit et functus est munere armigeri apud oppidanum suum.

Tunc dominus Quixotus statuit pecuniam quaerere et sic vendidit nonnulla, pignoravit alia, fere omnià parvi fecit et ad copiam argenti cuiusdam ponderis pervenit. Etiam parvum scutum petivit mutuatum ab amico suo. Interea fractam cassidem reparavit ut melius ille potuit. Tunc ille nuntium dedit armigero suo Sanctio de die et hora, qua iter incipere volebat, ita ut sese pararet cum omnibus rebus opportunis ad viam. Praesertim iussit ei ut clitellas secum duceret. Ille autem

respondit se eas adducturum esse et eodem modo asinum ducturum, quia non valebat longa itinera pedibus facere. Parum cogitavit dominus Quixotus de asino, utrum meminerit cuiusdam equitis itinerantis, qui secum armigerum cum asino reapse duceret necne, sed nullius meminerat, quare accedit eum ducturum esse sub condicione permutandi asinum pro quodam equo cuiusdam imprudentis equitis quem inveniret. Etiam provisionem subucularum et aliarum rerum fecit secundum consilium illius cauponis. Sanctius autem, his rebus peractis, et nemini valedicendo domi, nempe nec liberis nec uxori, et ex sua parte dominus Quixotus nec herae domus nec nepti suae valedixit, et nocte et, nemine vidente, ex loco eorum profecti sunt. Quo tempore deambulaverunt et tam multum ut ad diluculum certiores essent neminem eos inventuros esse, quamvis eos quaererent.

Sanctius Pansa super asinum sedebat tamquam patriarcha cum suis clitellis atque utre vini et magno desiderio in corde perveniendi ad munus gubernatoris cuiusdam insulae quam dominus eius ei pollicitus erat. Dominus Quixotus eumdem cursum et viam accepit quam primo itinere, scilicet versus campum Mentissae (Montiel) et tunc temporis iter faciebat minori difficultate quam antea, quia erat hora diluculi et radii solis obliqui veniebant quare non molesti erant. Tunc Sanctius Pansa suo domino dixit:

–Videas, domine eques itinerans, ne obliviscaris huius insulae quam mihi pollicitus es; quia ego eam bene administrabo, quamvis magna sit.

Cui dominus Quixotus respondit:

–Debes scire, Sancti Pansa amice, consuetudinem valde usitatam fuisse apud veteres *equites itinerantes faciendi armigeros suos gubernatores insularum sive regnorum, quae* lucrabantur et ex hoc egomet statuo me hanc opportunam consuetudinem sequi velle; immo illos superare volo, quia plerumque illi exspectabant armigeros provectos in aetate esse et cum valde senes essent et non bene officio fungerentur, post dies difficiles et noctes non bonas, dabant eis titulum comitis sive marchionis cuiusdam vallis vel provinciae et non tam magni momenti; sed si tu vivis et etiam ego, fortasse intra sex dies lucrabor tale regnum quod alia adhaerentia habeat, quae tibi apta sint ad dandam tibi coronam regiam. Et hoc non mirum est, quia sunt res gestae, quae talibus equitibus accidunt per modos inenarrabiles, quoniam numquam eos viderunt nec de eis cogitaverunt et faciliter possem tibi dare plus quam tibi pollicitus sum.

–Tunc –respondit Sanctius Pansa–, si essem rex hoc miro modo secundum quod tu dicis, uxor mea (litt. *mi oislo*) Ioanna Gutiérrez saltem esset regina et liberi mei principes regni.

–Quis de hoc dubitat? –respondit dominus Quixotus.

–Ego quidem dubito –obiecit Sanctius Pansa–, quia secundum me, quamvis Deus regna super terram plueret nullum bene accommodaret super caput Mariae Gutiérrez. Scito, domine, eam non bene adaptari ad munus reginae; melius erit ut sit comitissa, Deo iuvante.

–Commenda haec omnia ad providentiam Dei, Sancti –respondit dominus Quixotus–, ille autem dabit cuicumque quod magis opportunum sit; et nullo modo minuas tuum animum ad accipiendum quod non perveniat saltem ad munus gubernatoris.

–Minime, domine –respondit Sanctius–, et praesertim cum sit mihi dominus vir tam magnus qualis tu es, qui mihi dabis quod bene possim perficere et adimplere.

Capitulum 8. De optimo successu quo strenuus dominus Quixotus teterrimas ac numquam excogitatas res gestas molarum venti perficit cum aliis factis, quae feliciter memoranda sunt

Tunc temporis, animadverterunt triginta sive quadraginta molas venti, quae in illo agro inveniebantur et, ubi primum eas viderit, dominus Quixotus dixit armigero suo:

–Fortuna ducit res nostras melius quam nostra propria desideria. Nonne vides ibi, amice Sancti Pansa, triginta vel immo plures immanes gigantes cum quibus proelium inibo eosque cunctos occidam, ex quibus praedis incipiemus lucrari, nam haec pugna magnum obsequium erit Deo, scilicet semen perversum eradicare e superficie totius terrae.

–Ubinam gentium sunt gigantes? –dixit Sanctius Pansa.

–Illi quos ibi vides –respondit dominus eius– cum longissimis bracchiis, quae solent fere ad duas leucas pervenire.

–Caveas, quaeso –respondit Sanctius–, nam illi qui ibi videntur non sunt gigantes, sed molae venti et, quae videntur bracchia, non sunt nisi radii velorum, ope quorum rotant et movent molam asinariam.

–Mihi videtur –respondit dominus Quixotus– te non intelligere de his rebus gestis; illi sunt vere gigantes et si times, recede seorsum atque incipias orare dum egomet proelium teterrimum atque inaequale cum eis inibo.

Ille autem, his verbis prolatis, Rocinantem incitavit calcaribus, vocibus armigeri spretis, quibus Sanctius eum rogabat ut animadverteret eos non esse gigantes, sed molas venti in quas ipse impetum facturus erat. Tamen ipse taliter putabat eos gigantes esse ut nullo modo voces armigeri Sanctii audiret nec immo videbat, quamvis vere appropinquaret ad eos, sed magnis vocibus clamabat dicens:

–Nolite aufugere, ignavae atque abiectae creaturae, quia solus eques sum ego, qui impetum in vos facit.

Hoc tempore ventus incipit perflare et magna vela molarum inceperunt moveri et, his rebus conspectis, dominus Quixotus dixit:

–Quamvis plura bracchia moveatis quam gigas Briareus retribuetis mihi.

Et cum haec dixit, commendavit se ipsum toto corde dominae suae Dulcineae, impetrans ab ea auxilium in illa occasione et coopertus scuto et habens lanceam inclinatam, impetum fecit cursu veloci Rocinantis et ictum efficit in primam molam venti, quae coram eo erat et lanceam in velum illius molae immisit, sed ventus eam evolvit et tanto robore ut lanceam frangeret et eodem tempore etiam equum et equitem male per agrum rotantes eiecit. Sanctius Pansa cum suo asino ad eum adiuvandum celeriter accurrit, sed cum ad eum venit, ille non potuit moveri propter magnum ictum, quem ei Rocinans dedit.

–Deus meus! –dixit Sanctius–. Nonne dixi tibi ut bene inspiceres quid faciendum esset et etiam eos non esse gigantes, sed molas venti, et haec non poterat ignorare nisi qui alia tam diversa in capite haberet?

–Tace, Sancti amice –respondit dominus Quixotus–; nam res belli plus quam aliae

subiectae sunt ad continuam mutationem; praesertim, et credo hoc ita esse, quia ille sapiens Freston, qui habitaculum et libros abstulit a me, nunc mutavit gigantes in molas venti ad gloriam victoriae meae auferendam: talem enim inimicitiam in me habet, sed ad finem artes maleficae illius parum poterunt contra virtutem gladii mei.

–Deus providebit –dixit Sanctius Pansa.

Et adiuvavit eum ad ascendendum denuo in Rocinantem, qui fere fractus ictu erat. Et colloquentes de his rebus gestis prosecuti sunt iter eorum ad Portum Lapice, quia ibi secundum dominum Quixotum fieri non poterat, nisi multas ac diversas res gestas invenire, propterea quod multi erant qui ibi iter faciebant. Tamen ille valde moestus erat, quia egebat lancea et sic suo armigero dixit:

–Memini me legisse de quodam equite hispano, qui vocabatur Didacus (Diego) Pérez de Vargas, cui in quodam proelio gladius eius fractus est, eum ex alta quercu magnum ramum scidisse, quo talia illo die fecit et tam multos mauros contudisse ut ei darent nomen Vargas et Machuca ex illo die in posterum. Et hoc tibi dixi quia ex prima quercu sive robore quod inveniam scindam ramum tam bonum ut illum et tales praeclaras res gestas faciam ut habeas gloriam videndi eas tamquam testis harum rerum, quae difficiles creditu erunt.

–Sic Deus adiuvet nos –dixit Sanctius–; ego credo omnia sic ut tu dicis, sed sedeas erectior, quaeso, quia mihi videtur te inclinari nimis ad latus et forte hoc erit propter magnum ictum acceptum.

–Hoc verum est –respondit dominus Quixotus–; et si non tantum lamentor adversam fortunam est, quia non oportet ut equites itinerantes lamententur ex vulneribus acceptis et hoc quamvis viscera eius exeant foras.

–Cum hoc ita sit, nihil est mihi ad obiiciendum –respondit Sanctius–; sed bene Deus scit me gaudere si lamenteris cum aliquid afficiat tibi dolore. Quoad me dicam egomet lamentabor ad minimum dolorem si vere licet armigeros equitum itinerantium lamentari.

Dominus Quixotus prosecutus est risu simplicitatem animi armigeri sui; et sic expressit eum posse lamentari cum vellet et ut vellet, invite vel libenter; nam hucusque nihil e contrario legerat in ordinatione equitatus. Sanctius dixit ei horam comedendi appropinquare. Dominus eius autem ei respondit se nondum velle edere, sed ille poterat manducare cum vellet. Sanctius, hac venia concessa, sedit supra iumentum suum quam melius potuit et ex sarcinis extraxit res, quas antea ibi introduxerat, et sic incepit edere dum iter faciebat a tergo domini sui et quidem lentiter; aliquando utrem extollebat in altum tam magno gaudio sui animi ut bene cauponarius cuiusdam tabernae vinariae urbis Malacae (Málaga) ei invidere posset. Et, cum vinum hoc modo biberet, oblitus est omnino ullius promissionis domini sui, nec ullus labor erat ei, sed magna quies quaerendo res gestas, quamvis hae nimis periculosae essent.

Tum demum pernoctaverunt inter arbores ex quadam earum dominus Quixotus ramum siccum scidit, qui potuit ei esse pro lancea, cui ferrum ex illa fracta lancea bene adaptavit. Dominus Quixotus per totam noctem non dormivit cogitando de domina sua Dulcinea, ad imitationem faciendam rerum, quae legerat in suis libris cum equites pernoctarent insomnes in silvis et desertis, cogitantes de dominabus eorum. Non hoc modo Sanctius Pansa pernoctavit, quia cum haberet stomachum plenum et non certe aqua insulsa, uno somno totam noctem transivit et difficulter expergefactus esset nisi

dominus eius eum suscitaret, cum radii solis in vultum eius dabant ac voces avium hilares laetaeque adventum novi diei salutabant. Surgens utrem vini accepit et eum flaccidiorem invenit quam nocte praecedenti, quare cor suum afflictum fuit, quia putavit non tam facile hoc soluturum. Dominus Quixotus noluit ientaculum edere nam ille, ut dictum est, sustentabatur cogitationibus succulentis. Denuo ambo prosecuti sunt iter ad Portum Lapice et circa horam tertiam illius diei iam eum viderunt.

–Hic –inquit cum eum vidit dominus Quixotus– possumus manus usque ad cubitum introducere in rebus quae res gestae nuncupantur. Sed animadverte, quamvis videas me in maximis periculis huius mundi, noli accipere gladium tuum ad me defendendum nisi videas offensores mei esse plebem minutam sive plebeculam, tunc bene potes me iuvare; sed si equites sunt nullo modo licet tibi nec permittitur propter leges equitatus ut adiuves me donec sis eques ordinatus.

–Profecto, domine –respondit Sanctius–, tibi oboediam in his omnibus rebus; praesertim quia egomet pacificus sum et inimicus rixarum ac stridoris dentium. Tamen quod attinet ad propriam defensionem meam non tantum curabo de his legibus, quia et divinae et humanae permittunt unicuique sese defendere contra omnem iniuriam.

–Nulla obiectio est ex parte mea –respondit dominus Quixotus–; sed quatenus ad me adiuvandum contra equites oportet te impetum tuum naturalem continere.

–Ego dico me sic facturum esse –respondit Sanctius– et hoc praeceptum servabo tam bene quam diem dominicum.

Cum colloquerentur de his argumentis, en apparuerunt in via duo monachi congregationis Sancti Benedicti, super dromedarios, scilicet super duas parvas mulas, ope quarum iter faciebant. Protectiones viae ante oculos ferebant et etiam umbellas. A tergo eorum veniebat carpentum et quattuor vel quinque equites, qui id comitabantur et duo pedisequi. In carpento domina vasconica erat quae Hispalim (Sevilla) petebat, ubi maritus eius ad Indias iter facturus erat cum munere valde honorabili. Monachi autem eam non comitabantur, quamvis idem iter facerent et simul atque eos vidit dominus Quixotus dixit suo armigero:

–Ni fallor hic erunt res gestae celeberrimae, quae numquam visae sunt; nam moles nigrae ille quae apparent incantatores sunt, qui quamdam principessam in illo carpento sequestraverunt et vere oportet hanc iniuriam totis meis viribus reparare.

–Peius erit hoc quam molae venti –inquit Sanctius–. Videas, quaeso, domine, eos monachos congregationis Sancti Benedicti esse et carpentum etiam erit cuiusdam viatoris. Videas bene quid facias ne diabolus te decipiat.

–Quoties dixi tibi, Sancti –respondit dominus Quixotus–, parum te cognoscere de hoc genere rerum gestarum? Quod tibi dico verum est et nunc tuis propriis oculis videbis.

Ille autem, his verbis prolatis, ultra progressus est et stetit in media via, qua monachi veniebant et cum propius pervenirent et ipse putavit eos vocem eius audire magna voce dixit eis:

–Gens diabolica atque immanis, relinquite statim altas principessas quas in carpento abreptas invite adducitis, aliter disponite ad rapidam mortem accipiendam pro punitione vestri pessimi facinoris.

Monachi illi laxaverunt habenas et valde mirati sunt de figura domini Quixoti et de argumentis eius, quibus responderunt:

–Domine eques, nos nullo modo sumus diabolici nec immanes, sed duo monachi religiosi Sancti Benedicti, qui iter nostrum facimus et hoc modo nescimus utrum in hoc carpento veniat quaedam principessa invita necne.

–Verba melliflua mihi omnino non prosunt, quia iam cognosco vos, plebecula infamis –dixit dominus Quixotus.

Et, nulla responsione exspectata, incitavit Rocinantem calcaribus et lancea inclinata impetum in primum monachum fecit et quidem tanto robore et tanta virtute ac si monachus non se proiecisset de mula deorsum, ipse eum invitum ad terram everteret et quidem vulneratum sive mortuum. Alter religiosus, qui vidit quomodo socium suum tractabant, mulam suam calcaribus incitavit et per campum velocior ipso vento cucurrit.

Sanctius Pansa, cum vidit monachum per terram, de asino suo festinanter descendit et ad eum venit et incepit vestem ab eo auferre. Tunc duo pedisequi monachorum venerunt et eum interrogaverunt quare monachum derubaret. Sanctius respondit eis dicens hoc ad eum pertinere, quia erat praeda legitima illius proelii, quod dominus Quixotus vicerat. Illi pedisequi nihil sciebant de facetiis eius nec quid de illis proeliis intellexerunt et cum viderunt dominum Quixotum removeri ab illo loco, loquentem cum iis qui in carpento erant, in Sanctium impetum fecerunt et eum per terram eiecerunt nec capillum barbae reliquerunt et calcitraverunt in eum, qui erat in terra absque halitu atque inanimis ac nullo sensu mansit. Monachus autem timidus, ignavus ac pallidus vultu, nulla mora elapsa, in mulam ascendit quam incitavit calcaribus post socium suum, qui eum exspectabat et mirabatur de illis rebus gestis, sed noluerunt finem earum inspicere atque iter fecerunt et signum crucis tamquam si diabolum a tergo secum ferrent.

Dominus Quixotus loquebatur, ut iam dictum est, cum domina carpenti dicens ei:

–O formosissima domina mea, nunc potes facere quidquid velis secundum tuam voluntatem, quia superbia tuorum raptorum iacet victa per terram propter virtutem bracchii mei. Et ne ignores nomen illius qui te liberavit, scito me esse dominum Quixotum a Manica, equitem itinerantem pericula facientem et etiam captivum amoribus pulcherrimae dominae Dulcineae a Toboso, quae nemini est secunda. Et propter beneficium a me accepto tantummodo oportet ut revertaris ad urbem Toboso in conspectu huius dominae, cui mea ex parte enarrabis quae feci propter tuam libertatem.

Armiger quidam exaudiebat haec omnia, quae dominus Quixotus dicebat, et ille comitabatur eos, qui in carpento erant, et ipse vasconicus erat; et cum vidit eum non permittere carpentum ulterius procedere, sed dicebat reversurum esse ad pagum Toboso dominum Quixotum petivit et lanceam suam apprehendit et loquendo male hispanice et peius sua lingua vasconica dixit:

–Vade, eques et male vadas, per Deum qui me creavit si carpentum non relinquis sic occides te tamquam hic est vasconicus.

Dominus Quixotus valde bene eum intellexit et magna cum serenitate dixit ei:

–Si eques esses, ut non es iam tuam ignorantiam atque insolentiam punissem, maligna creatura.

Cui vasconicus obiecit:

–Me non equitem esse? Deum iuro te tantum mentiri sicut christianum. Si lanceam eiicis et gladium accipis aquam statim videbis quam ad felem portas! Vasconicus per terram, fidalgus per mare, fidalgus per diabolum et vide te mentiri si alteram rem dicis.

–Nunc videbis, dixit Agraxes (Agrajes) –respondit dominus Quixotus.

Et lancea eiecta in terram, accepit gladium et amplexus est scutum et impetum in vasconicum fecit ad occidendum eum. Vasconicus qui vidit eum ad se venire voluit descendere de mula deorsum, cui minime confidebat, quia haec locata erat et non nimis bona, sed tantum gladium suum accipere potuit et, propterea quod prope carpentum erat, accepit pulvinar pro scuto. Tunc alter obviam alteri venit tamquam si inimici mortales essent. Reliqui voluerunt pacem eis imponere, sed nullo modo id facere potuerunt et immo vasconicus, sua lingua vasconica, dicebat tales argumentationes quales si non sinerent eum proelium finire dominam suam interficeret et omnes qui id ab eo vetarent. Domina carpenti expavefacta atque admirata erat de his quae videbat atque iussit aurigae carpenti ut parum removeret currum seorsum et quamvis a longe esset intuita est pugnam in cuius decursu vasconicus intulit magnum ictum gladii domino Quixoto in umero supra scutum et si haec protectio non esset ei scinderet eum usque ad medium corpus. Dominus Quixotus qui pondus illius ictus sensit magna voce dixit:

–O domina animae meae, Dulcinea, flos formositatis, accurre ad hunc equitem qui ad adimplendam magnanimitatem tuam in hac pessima condicione invenitur!

Et statim strinxit gladium et operuit sese scuto atque impetum in vasconicum fecit et haec omnia eodem tempore fecit cum voluntate finiendi has res gestas uno ac magno ictu gladii.

Vasconicus autem, qui sic vidit eum ad se venientem, intellexit virtutem eius et etiam statuit eadem facere quae dominus Quixotus faciebat; et sic eum exspectavit coopertus pulvinare quamvis non posset mulam movere ad ullam partem; quae aliter lassa erat et nequebat gressum ulterius progredi.

Dominus Quixotus contra cautum vasconicum venit, habens gladium suum in altum cum voluntate occidendi eum medio corpore. Vasconicus autem exspectabat eum eodem modo cum gladio in altum et protectus pulvinare dum omnes circumstantes timentes et pendentes erant de illis rebus gestis et de magnis ictibus, quos illi sibi mutuo minabantur. Domina autem carpenti et reliquae famulae faciebant suffragia in cordibus earum ad omnes imagines sacras et domus orationis Hispaniae ut Deus liberaret armigerum suum et ipsas ex hoc maximo periculo in quo erant.

Sed adversitas in hoc loco manet et auctor historiae huius pugnae non eam statim finivit et fuit ut casus pendens, quare quaesivit excusationem propterea quod non invenit alia scripta rerum gestarum domini Quixoti quam ea quae narravit, quapropter veniam petivit. Tamen alter auctor huius operis nullo modo speravit fore ut possent oblivioni mandare historiam elaboratam huiuscemodi et non essent studiosi in illa regione Manica, quibus deficerent documenta, quae hunc clarum equitem tractarent sive in archivis sive in tabulariis, et motus his cogitationibus non desperavit inveniendi finem huius placidae historiae et, coelo iuvante, hoc invenit et taliter sicut in secunda parte enarrabitur.

Capitulum 9. Ubi concluditur mirum proelium insigni vasconici et strenui viri Manicae

In prima parte huius historiae reliquimus strenuum vasconicum atque illustrem dominum Quixotum habentes gladios in altum ad percutiendos duos teterrimos ictus, quibus si vere scopum attingerent ambo dividerentur et scinderentur deorsum atque aperirentur tamquam scindunt malum punicum; tamen in illo dubio tempore haec iucunda historia se detinuit et auctor illius non dixit nobis ubi inveniendum esset quod ei reliquerat.

Magna tristitia affectus eram, quia gaudium legendi parumper mutabatur in displicentiam propter cogitationem non inveniendi, secundum me, quod deerat huic narrationi. Difficulter mihi videbatur, et praeter omnem bonam consuetudinem, talem equitem non habuisse sapientem, qui suas insolitas res gestas scriberet, quod numquam defuit equitibus itinerantibus de his qui dicunt homines eos ad res gestas quaerendas proficisci; nam unusquisque unum vel duos idoneos sapientes habebat, qui non tantum res gestas eorum scribebant, sed immo describebant minimas cogitationes eorum ac frustula quamvis remotissima essent; et non decebat huic misero equiti se non habere quod superfuit Platir et aliis similibus. Nec potui credere tam insignem historiam interrumpi et mutilari et hoc modo putavi culpam fuisse de malignitate temporis omnia vorantis et consumentis, quod haec omnia ocultavit et devoravit.

Alia ex parte putabam nonne inter libros eius inveniebantur illi qui tam hodierni erant ut *Deceptio zelotypiae* et *Nymphae et Pastores fluminis Henares* quapropter si historia domini Quixoti nondum scripta erat, quia adhuc nuperrima, saltem esset in memoria oppidanorum illius pagi et circumvicinorum. Hae cogitationes ducebant me ad quamdam confusionem et sic cognoscere volui omnem vitam necnon et miracula nostri illustris hispani domini Quixoti a Manica, quia erat lux et speculum equitatus totius Manicae, et quidem primus qui nostra aetate et his temporibus maximae calamitatis fungebatur labore armorum itinerantium ad iniurias sanandas, ad viduas adiuvandas, ad virgines protegendas, nempe illas quae inter flagella atque equos deambulabant cum pondere suae virginitatis, ex monte in montem, ex valle in vallem ne quis insolens vel rusticus armatus ascia et galea sive immanis gigas eas violaret. Tamen virgo fuit in temporibus praecedentibus, quae ad octoginta annos suae vitae pervenit, et nullo die sub eodem tecto dormivit, et ad sepulcrum venit et quidem virgo integra ac sine macula, sicut mater quae eam peperit. His verbis ostendere volo insignem dominum Quixotum dignum esse continuis laudibus, quae etiam mihi non denegandae sunt, propter laborem meum ac diligentiam susceptam quaerendo finem huius iucundae historiae. Tamen si coelum, Fatum et Fortuna non iuvabunt me mundus non obtinebit hoc iucundum oblectamentum animi, quo lector saltem per duas horas attente vacare posset huic lectioni. Et sic enim accidit inventio huius rei:

Quondam eram in vico urbis Toleti, vulgo *Alcana*, et en puer accedit ad nonnullas veteres chartas vendendas cuidam mercatori de serico et egomet, qui motus semper sum studio legendi, quamvis sint chartae nullius momenti, quae inveniantur in viis, propter hanc inclinationem meam accepi codicillum, quem puer vendebat et vidi eum

scriptum esse characteribus arabicis. Hos characteres recognovi, sed non potui legere, tunc quaesivi quemdam mauriscum, qui loqueretur hispanice sive, ut dicebatur, *aljamiado*, ut eos legeret mihi et magna cum facilitate similem interpretem inveni, et si alterum quaererem, qui aliam linguam cognosceret meliorem ac vetustiorem [ut puta hebraicam, secundum Angelum Basanta] etiam invenirem. Denique fortuna ostendit mihi quemdam, cui exposui desiderium meum et librum in manibus eius obtuli et en ipse, cum eum aperuit, legit parumper in medio libro et incepit ridere.

Ab eo quaesivi ut diceret mihi causam subitaneam huius risus et respondit mihi hoc esse de quadam re scripta in illo libro ad calcem paginae pro adnotatione. Flagitavi ab eo ut diceret mihi quid hoc esset et dum ridebat dixit mihi:

–Tamquam dixi scriptum est hoc ad calcem: «Haec Dulcinea a Toboso de qua toties in hac historia loquitur, fertur habuisse optimas manus ad salsuram pernarum perficiendam et quidem melius quam omnes aliae mulieres in tota Manica.»

Cum audivi nomen «Dulcineae a Toboso» continuo obstupui atque animum suspendi, quia cogitavi fortasse in his chartis paryraceis esset historia domini Quixoti. Affectus hac spe rogavi ut statim legeret mihi titulum inscriptionis et eodem tempore faceret versionem hispanicam ex arabico originale et dixit hoc ita dicere: *Historia domini Quixoti, scripta a Cide Hamete Benengeli historiographo arabico*. Tunc prudenter volui ab eo quam primum laetitiam meam dissimulare cum titulus huius libri ad aures meas pervenit. Et, mercatore de bombyce serico praetermisso, omnes chartas paryraceas a puero emi pro medio argenteo; sed si ille reapse cognovisset quam multi eas egomet facerem et quam multum eas concupiscerem, posset in ipsa venditione sex argenteos aut plures lucrari. Tunc una cum illo maurisco seiunxi me per claustrum illius ecclesiae cathedralis et ab eo quaesivi versionem hispanicam omnium chartarum, quae de domino Quixoto agebant et quidem accuratissime ac fideliter, nulla additione sive subtractione adhibita, pro qua versione obtuli ei quidquid a me ille posceret. Tunc ille a me duo magna pondera [vulgo *arrobas*] racemorum passarum poposcit necnon et duo medimna [vulgo *fanegas*] frumenti pro quibus pollicitus est versionem integram, bonam ac fidedignam atque immo magna brevitate. Ego autem ad operam navandam huius negotii et ad vitandam amissionem, quae fieri posset, eum apud me adduxi ita ut domi meae faceret versionem, quam per mensem et dimidium circiter perficit et praecise hoc modo tamquam hic ostenditur.

In primo volumine chartarum describebatur proelium domini Quixoti cum vasconico depictum et quidem vividis coloribus. Ambo autem erant in eadem positione ut iam narratur in historia eorum, nempe habentes gladios in altum alter coopertus scuto et alter ope pulvinaris et mula illius vasconici a longe bene videbatur eam mulam locatam fuisse propter vivacitatem illius pictae descriptionis. Ad calcem vero vasconici erat titulus qui dicebat: *Dominus Sanctius ab Azpeitia* et absque dubio hoc erat nomen eius et eodem modo ad calcem Rocinantis alter dicebat: *Dominus Quixotus*. Rocinans depictus erat miro modo reapse ut erat, longus et macer praeditus magna spina dorsali ac vere macilentus quod aliquo modo bene ad proprietatem nominis Rocinantis conveniebat. Iuxta eum stabat Sanctius Pansa qui capistrum asini manu tenebat et ad cuius calcem alter titulus qui dicebat: *Sanctius Zancas* et hoc fortasse, quia praeditus esset magno ventre, breve forma corporea, crura autem longa

quamobrem posuit et Pansam et Zancas, quia haec historia eum aliquando vocat his duobus nominibus. Aliae parvitates etiam animadvertendae erant, sed omnes erant minimi momenti, et pro nihilo pertinentes ad relationem huius verae historiae, in qua nulla adversa erunt cum vera sint.

Et quod attinet ad veritatem nostrae historiae nulla obiectio erit nisi quia auctor eius arabicus erat, nam ad gentes illius nationis pertinet eos mendaces esse; quamvis propterea quod tam inimici nostri sint, oportet dicere eos potius iudicium facere per defectum quam per excessum. Et quidem hoc sic mihi videtur, nam ubi ille potuit exarare calamo laudes equitis tam optimas, secundum me, eas silentio praetermisit: quod male fecit et peius cogitavit, quia historiagraphi saltem veritatem narrare debent et non ostendere se ullo affectu animi concitatos esse nec propter lucrum nec metum nec odium nec affectum ita ut recedant a via veritatis, quae est mater historiae, competitrix temporum, servans res gestas, testis rerum praeteritarum, exemplum praesentium et advertentia futurarum. In hac historia scio invenienda esse omnia pacifica desideria et si quid boni ei deficiat hoc erit, procul dubio, quia ipse auctor est canis filius canis et non propter materiam de qua agitur. Breviter, secunda pars illius versionis hoc modo incipiebat:

In altum levati erant acuti gladii duorum equitum pugnantium, qui valde strenui atque indignati erant ac minas in coelos iactabant et etiam in terram atque in profundam abyssum et hoc praecise propter audaciam ac procacitatem eorum. Iracundus vasconicus autem primum ictum proiecturus erat et quidem tanto robore ac furore, quo si gladius non mutaret viam illo uno ictu satis esset ad hanc saevam pugnam finiendam et etiam cunctas res gestas nostri equitis in futurum; sed bona fortuna, quae eum ad meliora servabat, gladium adversarii eius evolvit et quamquam eum in umero sinistro vulneravit nullum damnum fecit quam exspoliare partem muniminis illius lateris et quidem magnam partem galeae et dimidiam partem auriculae; et hoc modo ille ad terram proiectus est et quidem male vulneratus.

Adiuvet me Deus! quis enim accurate enarraret furiam quae in cor nostri equitis Manicae introivit cum vidit ut hoc modo eum tractarent! Nil amplius dicatur quia ille denuo surrexit super sustentacula pedum et apprehendens gladium duabus suis manibus impetum in vasconicum fecit et pulvinar et caput eius attigit et non tam bona protectio ei fuit quia, tamquam si mons super eum caderet, ille incepit sanguinem effundere per nares, per os et per aures et fere de mula deorsum cecidit nisi collum eius amplexus esset; sed pedes extra sustentacula mulae extraxit et bracchia sua laxavit et eodem tempore mula a teterrimo ictu expavefacta cursum per campum inchoavit et post aliquos gressus dominum suum in terram proiecit.

Dominus Quixotus inspexit eum magna animi serenitate et cum vidit eum ab equo deorsum cadere statim ad eum pervenit et gladium in oculos posuit ad deditionem eius faciendam aliter caput eius amputaret. Vasconicus omnino perturbatus erat et non potuit ei verbum respondere et male ei evenerat si dominae illius carpenti, quae magno languore pugnam spectabant ne quaererent a domino Quixoto veniam ut parceret vitam armigero. Quibus verbis dominus Quixotus praeditus magna serenitate et gravitate dixit:

–Profecto, formosae dominae, laetus sum faciendi quod a me quaeritis, sed sub

condicione, et haec est ut eques iste polliceatur iter facere ad Toboso ante conspectum dominae Dulcineae ex parte mea ita ut illa cum eo ad nutum suum faciat.

Afflictae ac terrefactae dominae acceperunt omnes illas condiciones domini Quixoti et non multum de eis curarunt, sed vere pollicitae sunt armigerum facturum esse quaecumque dominus Quixotus ab eo requireret, quamvis nec immo scirent quaenam haec domina Dulcinea esset.

–His promissis acceptis, nullum damnum afferam ei –inquit– quamvis ipse id mereatur.

Capitulum 10. De faceto colloquio quod accidit inter dominum Quixotum et Sanctium Pansam armigerum eius

Iam Sanctius Pansa vexatus a famulis monachorum surrexit, pugna domini eius spectata, et Deum in suo corde rogavit ut ei victoriam daret ex qua insulam obtineret qua fieret gubernator, secundum quod dominus Quixotus ei pollicitus erat. Pugna finita, cum vidit dominum suum ascendentem in Rocinantem ad eum venit et quidem ad sustentaculum pedum tenendum, sed antea quam ille ascenderet flexit genua ad terram et apprehendens manum illius quam osculatus est et tunc ei dixit:

–Dignare, quaeso, domine Quixote, mihi gubernationem illius insulae tribuere quam ope huius teterrimi proelii lucratus es; et quamvis magna in extremis sit credo me eam tam bene gubernare posse tamquam quispiam qui in hoc mundo alias insulas umquam gubernaret.

Cui dominus Quixotus respondit dicens:

–Animadverte, Sancti frater, has res gestas atque alias similes eis non esse de factis insularum, sed tantum de pugnis, quae in bifurcationibus viarum accidunt, quibus nemo lucratur insulam, sed tantum fracturam capitis sive amissionem cuiusdam auriculae. Sustine patienter, nam res gestae evenient nobis, quibus non tantum te faciam gubernatorem, sed immo magis forsitan.

Magnopere Sanctius ei gratias egit et denuo manum eius osculatus est et immo vestem loricae atque adiuvavit eum ad ascendendum in Rocinantem. Ille autem in asinum ascendit et dominum suum secutus est, qui intulit gressus et nemini valedixit nec locutus est cum hominibus illius carpenti et hoc modo intravit in silvam, quae prope erat. Sanctius eum sequebatur cursu celeri sui iumenti, sed Rocinans festinabat tam multum ad iter faciendum et praecedebat Sanctio, quare hic dominum suum vocavit ut exspectaret eum. Sic fecit dominus Quixotus retinens habenas Rocinantis, donec armiger eius lassus de via ad eum pervenit, et tunc ei dixit:

–Mihi videtur bonum esse ad quamdam ecclesiam nos recedere; nam homo cum quo pugnavisti male vulneratus est et fortasse nuntium dabunt Sodalitati Sanctae Fraternitatis et venient ad apprehendendos nos et profecto ante quam ex carcere exeamus noxias habebimus.

–Tace –inquit dominus Quixotus–. Unde vidisti aut quando enim legisti equitem itinerantem ad tribunal iustitiae pervenisse quamvis tam multa homicidia patravisset?

–Quid scio ego de *homunculis* –respondit Sanctius– nec in vita mea unum vidi; tamen tantummodo scio Sanctam Fraternitatem curare de his, qui in agro pugnant, sed alias res nolo tractare.

–Ne timeas, amice –respondit dominus Quixotus–; ego te extollam ex manibus Chaldaeorum et ideo facilius ex manibus Sanctae Fraternitatis. Sed dicas mihi, num vidisti umquam equitem magis strenuum quam me in toto orbe terrarum? Num in historiis legisti alium, qui maiorem impetum faceret ad proiiciendum, maiorem perseverantiam in animo haberet et maiorem dexteritatem ad vulnerandum et quidem maiorem sollertiam ad evolvendum?

–Ut verum dicam –respondit Sanctius– nullam historiam legi, quia nescio legere nec scribere, sed tantum dicam me numquam servivisse domino audaciori te in omnibus diebus vitae meae et placeat Deo ut propter has audacias ne perveniamus quonam dixi. Et quod a te quaero tantum est ut de teipso cures, quia ex illa auricula nimis sanguis fluit et hic est mihi medicamentum nempe fascia atque unguentum candidum in clitellis meis.

–Haec omnia praetermittere possem –dixit dominus Quixotus– si meminerim faciendi lagoenam illius balsami Fierabrae (Fierabrás), quia gutta ipsius omnes medicinas superat et moram temporis vitarem.

–Quaenam lagoena et quidnam balsamum est hoc? –dixit Sanctius Pansa.

–Hoc est quoddam balsamum –respondit dominus Quixotus– cuius formulam tradidi memoriae, vi cuius non est timenda mors nec est quaestio moriendi ex quodam vulnere. Et cum ego id faciam et tibi dem, tu tantummodo debes mihi dare cum videas me scissum in quodam proelio per medium corpus (quod aliquando accidit), et debes colligere partem scissam corporis, quae ad terram ceciderit, ante quam sanguis coagularetur atque accurate super aliam partem adaptare, quae in sella equi remanserit, ita ut bene altera pars iuste ad alteram partem conveniat. Tunc dabis mihi ad bibendum duos haustus huius balsami, quod dixi tibi, et videbis me statim sanum esse tamquam vegetum malum persicum.

–Cum hoc ita sit –dixit Sanctius– hic et nunc a gubernatione illius insulae renuntio et pro remuneratione mei longi et boni famulatus quaeso ut des mihi illam formulam medicinalem huius inauditi balsami sive elixir ex quo uncia plus quam duobus argenteis aestimabitur et nihil amplius necesse est mihi ad hanc vitam traducendam cum honestate et quiete. Sed etiam oportet scire quanti erit praeparatio huius balsami.

–Cum minus ex tribus argenteis plus quam tres sextarios [vulgo *azumbres*] possunt facere –respondit dominus Quixotus.

–Me miserum! –obiecit Sanctius– et quid exspectas ad id faciendum et docendum me quomodo id faciam?

–Tace, amice –respondit dominus Quixotus–, quia maiora arcana volo te docere et quidem maiora beneficia tibi facere, sed nunc oportet curare meam auriculam, quia dolet plus quam quod vellem.

Sanctius extraxit ex clitellis fasciam atque unguentum.

Sed cum dominus Quixotus galeam fractam vidit credidit se amentem fieri et posuit manum super gladium et porrexit oculos in coelum et dixit:

–Iuro Creatori omnium rerum et per quattuor sancta Evangelia, ubi textus integer et quidem ampliore scriptione continetur, me operam navare in vita mea ut fecit marchio Mantuae cum iusiurandum fecerat ad vindicandam mortem sobrini sui Valdovini, scilicet non accumbere mensae ad panem edendum nec cum sua uxore iacere atque alias res quarum nunc non memini, sed quas hic et nunc ut dictas habeo donec faciam ultionem illius, qui talem iniuriam mihi fecit.

Cum Sanctius haec audivit dixit ei:

–Animadverte, domine Quixote, si talis eques adimplevit quod imperatum est ei, nempe ut veniat ad conspectum dominae Dulcineae quidem non merebitur aliam poenam quin aliud delictum committeret.

–Optime locutus es et recte diiudicasti –respondit dominus Quixotus– propterea iusiurandum meum omnino rescindo, quatenus ad vindictam faciendam, sed ad alias res id affirmo quoad vitam sicut dixi usque ad tempus, quo aliam galeam et tam bonam quam meam a quocumque equite obtineam. Et ne credas, Sancti, hanc rem esse nullius momenti, nam hae fuerunt res gestae, quae acciderunt de galea Mambrini et quae tam adversae fuerunt Sacripanti.

–Secundum me, mitte hoc iusiurandum ad diabolum, domine –obiecit Sanctius–; quia sunt contra valetudinem tuam et adversus conscientiam. Quid facturi erimus si per multos dies non inveniemus virum praeditum hac galea? Quid tunc faciendum erit? Num iusiurandum adimplendum est, quamvis tam multae molestiae et incommoda sint, tamquam accumbere indutus veste sive non dormire in ullo pago inhabitato et tot multas poenitentias, quae erant in iureiurando illius amentis marchionis Mantuae, et quae nunc denuo vis in vitam revocare? Animadverte bene quia per has omnes vias non transire viros armatos, sed muliones atque aurigas curruum, qui nec induunt galeam neque de ea aliquando audiverunt in omnibus diebus vitae eorum.

–In hoc errasti –inquit dominus Quixotus–; quia tantum duas horas transivimus per has bifurcationes viarum et plures viros armatos vidimus quam qui venerunt supra castellum Albracae ad Angelicam Formosam liberandam.

–Utinam hoc ita sit! –dixit Sanctius–, et faxit Deus ut bene eveniat nobis atque adveniat tempus lucrandi insulam, quae tanti pretii est mihi et tunc moriar.

–Iam dixi tibi, Sancti, opus non esse te curare de hoc; quia si insula deficiat tibi en regnum Daniae (Dinamarca) sive Soliadisae (vel Sobradisa), quae ad te idonea erunt tamquam anulus ad digitum et praesertim melius erit tibi si sunt in terra arida quam in insula. Sed oportet haec relinquere ad tempus opportunum et vide interea utrum sit tibi aliquid in clitellis ad edendum et postea quoddam castellum petemus ad ibi pernoctandum et tunc faciemus balsamum de quo dixi tibi, quia iuro per Deum hanc auriculam mihi dolere plus aequo.

–En habeo caepam et parum casei et nescio quot parva frusta panis –dixit Sanctius–; sed haec non sunt praecise cibi propter talem equitem tamquam tu es.

–Quam male intelligis hoc! –respondit dominus Quixotus–; oportet te intelligere, Sancti, magnum honorem esse equites itinerantes per mensem nullam escam edere

et dum comedant, hoc sit quod ad manum eorum perveniat, sed hoc pro certo haberes si tot historias legisses tamquam egomet legi, quae vere multae fuerunt atque in omnibus non inveni narrationem qua equites itinerantes ederent, nisi in lautissimis epulis quos propter eos fecerunt; sed aliis diebus pertransibant inter flores campi. Et quamvis bene intelligatur eos nullo modo vivere sine cibis et aliis necessitatibus naturalibus corporis, quia homines erant, ut patet, propterea quod saepe per silvas et deserta deambularent et nullus erat eis coquus, praesertim esca eorum composita erat ex cibis rusticis talibus, quos tu mihi obtulisti. Hoc modo, Sancti amice, ne doleat tibi quod mihi perplacet nec velis novum mundum facere nec equitatum itinerantem ex loco eius removere.

–Ignoscas mihi, quaeso –dixit Sanctius–; quia sic ut ego nescio legere et scribere, ut iam dixi, non cognosco nec umquam vidi regulas huius professionis equitatus itinerantis; atque ex hoc et in futurum clitellas replebo omni genere fructus sicci propter te, quia eques es, sed mihi alia providebo tamquam volatilia et res maioris substantiae, quia nondum sum eques.

–Nolo dícere, Sancti –obiecit dominus Quixotus–, ut equites itinerantes debeant necessario nil aliud comedere quam fructus siccos quos dixisti, sed quia plerumque alimentum ordinarium erat eos edere necnon alias herbas quas inveniebant per agros et cognoscebant, tamquam egomet eas cognosco.

–Magna virtus est –respondit Sanctius– has herbas cognoscere quia, secundum me, aliquando oportet hac cognitione uti.

His rebus dictis, Sanctius extraxit quae secum ferebat et ambo una comederunt pacifice atque amicabiliter. Tamen cupidi erant inveniendi locum ad pernoctandum quare breviter miseram ac siccam coenam consumpserunt. Continuo ascenderunt in equos et festinaverunt ad perveniendum ad quoddam oppidum ante quam ad multam noctem venirent, tamen cito sol defuit eis et etiam spes nanciscendi quod cupiebant, nihilominus quaedam tuguria custodum caprarum viderunt, ubi decreverunt pernoctare, et valde doluit Sanctio non pervenire ad oppidum; sed si Sanctio doluit non pervenire ad pagum, domino eius valde placuit pernoctare ad coelum apertum, sub divo, nam ei proprie videbatur hoc fuisse confirmationem veram illius equitatus itinerantis ad quem pertinebat.

Capitulum 11. De his quae domino Quixoto apud caprarios acciderunt

Iucundo animo caprarii dominum Quixotum acceperunt. Et Sanctius, quam melius potuit, Rocinantem atque iumentum suum commodavit et postea autem secutus est odorem quem quaedam frusta carnis caprinae exhalabant, quae in olla ad ignem coquebantur. Et ipse illo tempore voluit probare si haec coctio apta erat ad

transferendam ex olla in stomachum suum, sed hoc non fecit, quia caprarii hanc ab igne abstulerunt et per terram quasdam pelles ovinas extenderunt, ipsique festinarunt ad rusticam mensam parandam atque ambos ad prandium libenter invitaverunt de his quae habebant. Sex eorum, qui tunc in ovile erant, circumsederunt super illas pelles et dominum Quixotum rogaverunt simplicibus caeremoniis ut sederet cum eis super alveum positum ei deorsum. Dominus Quixotus sedit dum Sanctius iuxta eum stabat ad potum ei ministrandum in quodam cornu pro poculo. Et dum vidit eum dominus eius dixit ei:

–Modo videbis, Sancti, quam magnum bonum insit in equitatu itineranti et quam digni sint, qui hoc munere funguntur et in eo exercentur, quia honorantur ac diliguntur ab omnibus in hoc mundo, quapropter volo te apud me sedere una cum his viris optimis; et sic fias ipsa res mecum, tuo magistro ac domino naturali, ut mecum ex meo catino comedas et bibas unde egomet bibam; quia de equitatu itineranti idem dicendum est ac de amore: ut omnia omnibus adaequat.

–Magnum beneficium! –dixit Sanctius–; tamen tibi dicam propter me tam bonum est comedere stans erectus et solus quam sedens sicut imperator. Et immo, ut verum dicam, melius est mihi et etiam saporosius manducare in angulo meo, sine ulla cura urbanitatis nec caeremoniarum, quamvis panis et caepa sit quam pavones in mensis, ubi debeam lentiter manducare, parum bibere, os meum saepe mundare, nullo modo sternutare nec tussire, si id vellem facere, nec alia quae solitudo ac libertas secum ferunt. Qua de causa, domine, hos honores quos mihi dare vis, potes mutare famulo et ministro huius equitatus itinerantis in tales res quae commodiores sint mihi et ad maiorem meam utilitatem; tamen quas obtinui, ut bene acceptas habeo, alias autem usque ad finem huius mundi respuam.

–Omni modo debes sedere iuxta me; nam qui se humiliat exaltabitur (Lc 18.14) a Deo.

Et apprehendit Sanctium bracchio et adstrinxit eum ad sedendum iuxta se.

Caprarii nullo modo intellexerunt hanc ridiculam loquelam inter armigeros et equites itinerantes et nihil aliud faciebant quam comedere, tacere et hospites eorum inspicere, qui etiam magna sollertia atque appetitu frusta carnis magna tamquam pugnum devorabant. Esca carnis finita, magnam copiam glandium avellanarum eiecerunt super illas pelles et etiam dimidium caseum durum tamquam ex argilla factum. Cornu vini non detinebatur nec otiosum erat, quia circumibat et tam crebro ac frequenter –modo plenum modo vacuum tamquam situlus antliae aquae– et faciliter exhauserunt utrem vini ex duobus qui ibi palam erant. Stomacho bene refecto, dominus Quixotus accepit pugnum glandium avellanarum in manu atque attente inspiciens eas locutus est similibus argumentis:

–Felicissima aetas ac beata saecula illa, quae antiqui aurea vocaverunt et non demum propter aurum quod nostra ferrea aetate tanti aestimatur nec quia tunc faciliter sine labore id lucrari possent, sed profecto ac reapse proptera quod tunc, qui vivebant, omnino ignorabant differentiam inter verba *tuum* et *meum*. In illa beata aetate omnia omnibus communia erant; nemini necessarium erat ad victum obtinendum alium laborem facere quam suam manum porrigere et ex robustis quercubus obtinere, quae libenter invitabant omnes ad edendum ex suo dulci ac maturo fructu. Fontes clari et

flumina defluentia offerebant translucidas sapidasque aquas magna ac splendida abundantia. In fissuris rupium et in foraminibus arborum sollicitae atque argumentosae apes efficiebant suam rem publicam et cuilibet manui offerebant et quidem sponte ac sine ullo lucro copiosam messem dulcissimi laboris. Strenua autem subera ultro a se offerebant, nullo alio artificio quam suo munere, amplas et leves cortices quibus homines domus cooperire inceperunt et quae supra rustica frusta lignea aedificatae erant tantum ad protectionem contra intemperiem tempestatis coeli. Pax tunc ubique imperabat et amicitia necnon concordia; nondum ponderosus et curvus vomer aratri ausus est magno robore terram proscindere nec pia viscera nostrae pristinae matris visitare; haec autem libentissime offerebat suum uberrimum atque amplum sinum ubique, ita ut posset alere atque oblectare omnes suos liberos, qui eam incolebant. Tunc vere simplices et pulcherrimae pastrices deambulabant ex valle in vallem ex colle in collem cum taeniis solutis in capillis ac nudo capite nec plures vestes induebant quam illas, quae necesse erant, ad partes honestas velandas propter requisitam honestatem, quae semper eas celare voluit. Et ornamenta haec non erant, quibus nunc temporis adhibentur, ubi purpura Tyri et sericus tantis diversimodis castigatus et quorum pretium tam multum auxit, sed tunc induebant folia viridia lampacea intexta hedera; et tam splendidae atque ornatae his indumentis ambulabant ut nunc nostrae aulicae regiae cum peregrinis et raris inventionibus, quae indolens otium his ostendit. Tunc conceptus amorosi animi loquebantur simpliciter tamquam concipiebantur et nulla arte indigebant nec ullo circumloquio verborum ad ea explananda. Nulla erat fraus, nullus dolus vel fallacia, nulla malitia quae commisceretur veritate et simplicitate. Ius aequitatis manebat in suis aedibus et non audebat id turbare acceptio personarum sive lucrum quod nunc vere illud ius perturbat ac persequitur. Lex compositionis partium nondum invaderat mentem tribunalium iustitiae, quia nemo erat qui diudicaret vel iudicaretur. Virgines et praesertim honestas ubique deambulabat, ut iam dixi, sola et domina, absque ullo timore quin aliena audacia et lascivia voluntatis ea abuteretur, et perditio illius oriebatur ex sua propria voluntate voluptateque. Tamen, nunc his teterrimis temporibus, nulla virgo est vere secura, quamvis alter novus labyrinthus cretensis eam celaret et clauderet; quia ibi venenum huius maledictae sollicitudinis per rimas et per aerem introducitur tamquam amorosa pestilentia et omnis secessus deperditur. Sed tempore progrediente et quia adhuc crevit malitia, et quidem ad securitatem earum, institutus est ordo equitum itinerantium ad virgines protegendas, ad viduas tuendas, ad liberos orbos atque egenos iuvandos. Ad hanc ordinationem egomet pertineo, fratres caprarii, quibus toto corde gratias ago propter convivium et hospitalitatem oblatam mihi et armigero meo. Et quamvis per legem naturalem omnes vere debeant fovere equites itinerantes magna benevolentia, fortasse, haec obligatio et lex incognita sit vobis, qui libenter me recepistis et laute mihi obtulistis in hoc prandio, quare propter vestram bonam voluntatem vobis ostendere volo meum gratum animum erga vos et quidem ex toto corde meo.

Hanc longam concionem –quam etiam praetermittere potuit– dixit noster eques, quia glandes adduxerunt eum ad memorandam illam auream aetatem et hanc argumentationem voluit offerre caprariis, qui sponte ac nullo verbo prolato, auribus

arrectis stupefacti ac suspensi eum auscultabant. Sanctius etiam tacebat et manducabat glandes et saepe visitabat utrem vini, quem ad refrigerandum ad arborem corticis suspendebant.

Diutius demoratus est dominus Quixotus loquendo quam coenam edendo; tamen ad finem huius caprarius quidem dixit:

–Ut vere dicere possis, domine eques itinerans, nos bona atque expedita voluntate habere, volumus ut recipias quoddam oblectamentum quo gaudeas, ecce socius noster qui cito huc perveniet et non diu demorabitur, ille cantabit cum ad nos veniat. Hic est iuvenis pastor vere intelligens et valde captus amore atque insuper scit legere et scribere et est musicus, quia pulsat instrumentum [vulgo *rabel*] et quidem miro modo.

Vix atque haec verba dicta sunt a caprario tunc auditus est sonus illius *rabel* et continuo qui id pulsabat venit. Ipse erat iuvenis circiter viginti et duos annos natus et praeditus bona figura. Socii eius ab eo quaesiverunt utrum coenaverit necne, quibus ille adsensus est et qui has quaestiones fecit dixit ei:

–Hoc modo, Antoni, bene potes pro tua benevolentia nobis offerre cantum ad gaudendum ita ut hic dominus hospes videat etiam per montes et silvas nos habere, qui vere cognoscant rem musicam. Iam ei de tua habilitate locuti sumus et nunc volumus te ostendere nos veros fuisse; quare petimus a te ut sedeas nobiscum et cantes carmen de tuis amoribus, quod avunculus tuus, qui est beneficiatus ecclesiae, tibi composuit et quae in pago nostro omnibus valde bene placuit.

–Hoc placet mihi –respondit pastor.

Et, ulterioribus petitionibus praetermissis, sedit super truncum fractae quercus, instrumentum suum accurate temperavit et paulo postea et bona dispositione incepit cantum, qui haec dicebat:

ANTONIUS

Olalla, scio te me amare,
quamvis hoc sit inauditum,
oculi tui non dixerunt
nec loquuntur expeditum.

Novi te esse prudentem
et hoc confirmat indictum
ex illo amore iucundo,
et cognitus veniet risus.

Quandoque et hoc fieri potest,
Olalla, ut des indicium
habere candidum pectus,
sed etiam aeneum visum.

Fortasse praeter contemptum
et tuum honestum oblitum

velis mihi ostendere hanc spem
iuxta tuum pulchrum vestitum.

Fiducia mea ad te venit
consilium meum in situ
et nullo modo imminuit
nec immo crevit evictum.

Si est amor verus urbanus
et quem tu habes non est tritum,
erit in finem spes mea
et sic imaginor missum.

Si hi labores sunt partes
quae fiunt pectus benignum
pro te haec opera feci
ad me faciendum tam dignum.

Nam si aliquando inspexisti
credo videre te signum,
nam me induere in feriis
quod ad dominicum illum.

Nam elegantia et amor
simul ad iter sic mittunt
et volui in tuo conspectu
offerre me sat politum.

Propter te choreas reliqui
et musicas quoque et myrtum,
quod aliquando audisti
nec cantat gallus ut primus.

Nullas tuas laudes narrabo
de venustate tua ut dictum,
quamvis hae verae sint, tamen
nolo ut fiam maledictus.

Teresia quae est a Berrocal
me laudante, dixit istud:
angelum colere credunt,
sed reapse adorant simium.

Sunt quae monilia induunt
habent capillum hunc fictum.
Sic falsae formositates
decipiunt amorem ipsum.

Illam refelli et irata est
tunc suum vocavit propinquum,
qui provocavit me ad proelium
et tu iam nosti relictum.

Ego inanis non te amo
neque contendo quam primum
ut des mihi quod sit honestum,
quia bonum est meum consilium.

Habet ligamina Ecclesia
quae sunt tamquam laqueus finus,
tuum collum pone ad nuptias
et ponam meum non invitum.

Aliter hoc iuro tibi
propter sanctum benedictum
me ex his terris non exire
nisi ut fiam capuccinus.

His versibus finitis, caprarius cantum suum perfecit; et quamquam dominus Quixotus ab eo quaesivit ut amplius concineret, Sanctius Pansa in hoc non consensit, quia magis cupiebat cubitum ire quam alias cantilenas exaudire. Et sic dixit domino suo:

–Bene poteris videre ubi pernoctes, quia homines isti lassi sunt de labore et non possunt cantare per totam noctem.

–Iam bene intellexi, Sancti –respondit dominus Quixotus–; quia tuae visitationes ad utrem vini potius requirunt retributionem somni quam musicae.

–Omnibus quod sapidum est bene sapit et benedictus sit Deus –respondit Sanctius–.

–Non possum hoc omnino negare –obiecit dominus Quixotus–; quaere ergo locum commodum ubi velis, quia qui meo munere funguntur praeferunt vigiliam quam somnum. Tamen praeter ea bonum esset mihi, Sancti, ut denuo auriculam meam curares, nam dolet mihi plus quam quod sustinere possum.

Sanctius fecit sicut ei imperatum est et cum quidam caprarius vulnus vidit, dixit nullam curam de eo habere, quia ipse noverat remedium opportunum ad sanandum. Et sic accepit quaedam folia roris marini, qui abunde ibi erat, ea parumper manducavit et miscuit cum parum salis et ea ad auriculam accurate apposuit et vulnus fasciis bene obvolvit, asseverans eum non alia medicina indigere, et hoc ita fuit.

Capitulum 12. De his quae caprarius narravit eis, qui cum domino Quixoto erant

Interea alius puer advenit ex his qui escam ex pago afferebant et dixit:

–O sodales! Num scitis quae acciderint in hoc loco?

–Quomodo possumus haec scire? –respondit quidam eorum.

–Tunc scitote: –prosecutus est iuvenis– hodie mane mortuus est ille clarus pastor et scholasticus qui nuncupabatur Chrysostomus et fertur eum mortuum esse ex amoribus illius diabolicae puellae, nomine Marcellae, filiae divitis Guillelmi (Guillermo), atque ipsa est, quae nunc tamquam pastrix in his locis deambulat.

–Nonne loqueris de Marcella? –dixit unus eorum.

–De eadem dico –respondit caprarius–. Atque en ille qui mortuus est in suo testamento iussit sepeliri in agro tamquam si maurus esset et quidem ad pedem saxi, ubi est fons suberis, quia ut aiunt et etiam ipse dixit, in illo loco ille vidit eam prima vice. Et etiam alia iussit quae abbates pagi dicunt non adimplenda esse, quia videntur gentilium esse. Sed Ambrosius amicus eius, idem scholasticus est, et qui etiam vestem pastoris induit, ille dixit oportet omnia adimplere ut diceret Chrysostomus et propterea pagus conturbatus est, tamen in finem faciendum est sicut dixit Ambrosius et omnes pastores socii eius volunt id fieri; atque in crastinum diem huc venient ad eum inhumandum magna pompa et caeremonia ad locum quem dixi. Et secundum me, erit res digna visu, saltem egomet eam videre volo etiam si cras non possem denuo ad pagum redire.

–Nos omnes eadem faciemus –responderunt caprarii–; et sortem ducemus ad videndum quis hic cum capris omnium manebit.

–Bene dixisti, Petre –dixit quidam eorum–; quamvis non necesse sit hoc facere, quia egomet pro omnibus hic manebo. Sed ne credas hanc esse magnam virtutem meam sive parvum desiderium meum videndi has res, non possum ambulare, quia abhinc quosdam dies pes meus vulneratus est.

–Nihilominus tibi gratias agimus –respondit Petrus.

Et dominus Quixotus rogavit Petrum ut diceret ei quisnam esset ille mortuus et quaenam illa pastrix; cui Petrus respondit se tantum scire mortuum fuisse fidalgum divitem, oppidanum illius loci, qui erat in illis montibus, et antea scholasticus fuit Salmanticae per multos annos et, studiis expletis, rediit ad pagum suum cum reputatione sapientis et valde docti.

–Potissimum de eo dicebant eum cognoscere scientiam stellarum et quid sol et luna in coelis facerent, quia accuratissime sciebat cum esset *cris* solis et lunae.

–Eclipsis vocatur, amice, et non *cris*, cum haec luminaria maiora obscurantur –dixit dominus Quixotus.

Petrus autem nihil fecit de his futilitatibus et narrationem suam prosecutus est, dicens:

–Eodem modo divinabat quando annus abundans erat et quando *stilis*.

–Sterilis dices, amice– dixit dominus Quixotus.

–Sterilis sive *stilis* –respondit Petrus–, idem valet. Et in his quae dicebat, pater

eius et amici qui in eum fiduciam habebant valde divites facti sunt, quia faciebant quodcumque ille eis consiliabatur et sic dicebat: «Seminate hoc anno hordeum et non triticum; hoc anno oportet ciceros et non hordeum seminare; in annum proximum venturum messis bona olei erit; sive per tres annos subsequentes nihil collectabitur.»

–Haec scientia nuncupatur astrologia –dixit dominus Quixotus.

–Nescio quomodo vocetur –obiecit Petrus; sed scio eum haec omnia cognoscere et immo magis. Denique non post multos menses cum reversus fuerat Salmantica, quondam apparuit amictus veste pastoris et quidem cum baculo et pelle, longis vestibus scholasticis remotis; et una cum eo magnus amicus eius Ambrosius eadem fecit qui cum eo socius erat in studiis. Oblitus sum dicendi Chrysostomum, nempe defunctum, magnum virum fuisse in arte componendi carmina et tali modo ut ipse scripsit cantus natalicios noctis Domini et dramata allegorica sive sacramentalia Corporis Christi, quos pueri nostri pagi agebant et omnes de eis dicebant optimos esse. Cum incolae huius loci vix viderunt hos scholasticos amictos vestibus pastorum mirati sunt nec poterant causam cognoscere huius insolitae mutationis. Illo tempore mortuus erat pater huius Chrysostomi, quare hic hereditati obvenit ad multa praedia, supellectiles atque immobilia et etiam non parvam copiam armentorum et pecorum necnon multam pecuniam, de his omnibus ille erat heres et dominus absolutus et haec omnia vere merebatur, quia ipse erat valde bonus socius et misericors, amicus bonorum et habebat vultum qui erat tamquam quaedam benedictio. Postea repertum est eum huc venisse propterea quod etiam hic, in his locis desertis, illa pastrix inveniebatur, nomine Marcella, de qua noster iuvenis antea locutus est et ipsam ardebat amore miser defunctus Chrysostomus. Nunc autem vobis dicam quaenam sit haec puella, quia bonum est ut hoc cognoscatis; fortasse et absque dubio numquam in omnibus diebus vitae vestrae audivistis rem similem quamvis plures dies vivatis quam sarna.

–*Sarra* dices –obiecit dominus Quixotus, qui mutationem verborum illius caprarii tolerare non poterat.

–Nimis vivit sarna –respondit Petrus–; o domine, si vis me interrumpere in omni vocabulo non finiemus in hoc anno.

–Ignosce mihi, amice –inquit dominus Quixotus–, sed haec tibi dixi, quia tam magna differentia est inter *sarna* et *Sarra* [ex vasconico, *zarra*, vetus; sive ex Sara, uxore Abraham], sed tu respondisti valde bene, quia magis vivit *sarna* quam *Sarra*; sed prosequaris tuam historiam et tibi nihil amplius obiiciam.

–Sic dico, domine animi mei –dixit caprarius–, in pago nostro erat agricola et quidem ditior quam pater huius Chrysostomi, qui vocabatur Guillelmus, cui Deus multas et magnas divitias et etiam filiam dedit, cuius mater ex partu illius mortua est atque haec fuit honoratissima mulier in his omnibus regionibus. Nunc autem videtur mihi me hanc inspicere, quia in vultu matris eius erat sol una ex parte et luna ex altera parte et praesertim erat argumentosa atque amica pauperum, quapropter animus eius hac hora gaudebit praesentia Dei in altera vita. Ex dolore defunctionis huius optimae uxoris mortuus est etiam maritus eius, nempe Guillelmus, qui filiam Marcellam reliquit puellam et divitem apud patruum sacerdotem, qui erat beneficiatus ecclesiae nostri loci. Haec puella autem crevit et quidem tanta formositate ut faciat

nos meminisse pulchritudinis matris eius, quae tam speciosa fuit; tamen ut putabatur formositas filiae superabat pulchritudinem matris. Et sic accidit ut cum esset quatordecim sive quindecim annos nata, omnes qui eam videbant Deo benedicebant, qui eam tam pulchram creaverat et plerumque eam ardebant et desperati ex amore manebant. Patruus eius eam servabat magna pudicitia et secessu; sed fama illius formositatis atque etiam divitiarum eius propagabatur et non tantum per homines nostri pagi, sed etiam per pagos circumvicinos distantes multas leucas et patruus eius importunabatur a melioribus eorum ut eam nuptum daret. Ille autem quamvis vellet ut eam ducerent uxorem, quia erat bonus christianus, noluit hoc tam cito facere propter aetatem puellae atque etiam sine consensu illius, spreto lucro offerto de praediis et divitiis puellae, dum demorarentur nuptiae illius puellae. Et profecto de laude huius sacerdotis locutum est in pago, nam oportet dicere, o domine itinerans, in his locis omnes loqui de omnibus rebus et de omnibus semper murmuratur; sed potes credere, sicut ego credo, hunc clericum bonum esse si vere impellit suos christifideles ut bene de eo dicant atque hoc praesertim in pagis.

–Hoc verum est –inquit dominus Quixotus–, sed prosequere ulterius, quia narratio valde bona est et tu quidem, bone Petre, eam iucundissime narras.

–Utinam ne deficiat mihi gratia Dei, quae vere est necessaria. Praeterea patruus nepti proponebat qualitates candidatorum in genere inter omnes, qui eam ducere uxorem cupiebant, quia ille volebat ut eam ducerent uxorem atque etiam illa eligeret ad nuptias faciendas ad nutum suum. Tamen ipsa semper respondebat dicens se nondum voluisse cuidam nubere propter praematuram aetatem ad munus matrimonii perficiendum. His iustis excusationibus peractis, ut videtur patruus noluit eam denuo importunare atque exspectabat ut ea tempore adveniente eligeret ad nutum suum. Ille dicebat, et bene dicebat, statum liberis non esse dandum a parentibus contra voluntatem eorum. Sed en quodam die, cum nemo de hac re conscius esset, haec timorata ac timida Marcella apparuit amicta ut pastrix; et nihil in hoc habuit patruus eius nec incolae illius pagi, qui e contra voluerunt eam dissuadere, sed ipsa ad agrum ivit cum reliquis puellis huius loci et pecus suum custodivit. Atque ubi primum illa palam se ostenderit et pulchritudinem eius aperte viderunt non possum dicere quot divites viri huius loci, fidalgi atque agricolae, induerunt eamdem vestem quam Chrysostomus induit atque etiam per agros deambulaverunt sollicitantes eam. Unus eorum, ut iam dixi, fuit defunctus noster de quo dicebatur non tantum eam diligere, sed immo eam adorare. Et nullo modo possum dicere hanc Marcellam tam liberam ac tam dissolutam vitam habuisse et nullam curam rerum. E contrario nihil fecit quod contradiceret honestati suae et pudori et magnam vigilantiam habebat de suo honore, quare nec unus hucusque laudatur nec immo laudabitur nanciscendi quamdam spem sive quidquid sit de ea ipsa. Tamen illa non renuit comitatum sive colloquium cum pastoribus et cum eis affabiliter atque iucundo modo alloquitur, sed si quis eorum habet voluntatem ducendi eam uxorem, quamvis hoc bonum desiderium sit, statim illa eum a se expellit tamquam si exploderet in eum catapulta. Et hic modus faciendi maius damnum his terris afficit quam si morbus pestis incideret; quia affabilitas et formositas illius allicit corda eorum, qui cum ea colloquuntur et sollicitant, et continuo eam amant; sed despectus et desperatio huius puellae ducit

eos ad damnationem. Atque hoc modo eam et crudelem et ingratam vocant atque alios titulos similes, quibus singularitatem generis illius ostendunt. Et si casu hic manebis per aliquot dies videbis hos montes et valles resonare lamentis omnium desperantium, qui eam sequuntur. Non procul est locus, ubi bis duodenae altae fagi inveniuntur et nulla est quae non habeat corticem incisum cum nomine huius Marcellae et super nomen est incusa corona in ipsa arbore ita ut captus amore aperte dicat Marcellam hanc coronam mereri ex tota humana pulchritudine. Hic est pastor qui suspirat, ibi alter lamentatur, illic cantus amorosi audiuntur, istic autem lamentationes cuiusdam despecti. Etiam est qui per totam noctem sedet ad pedem cuiusdam quercus sive saxi atque in crastinum diem sol hoc modo eum invenit, dum oculos lacrimosos nondum clausit, immersum suis cogitationibus. Atque etiam est qui suspirans intermittenter in medio ardoris quietis postmeridianae aestatis super comburentem arenam iacet dum lamentationes in pium coelum immittit. Et libera et splendida Marcella triumphat super hunc et super istum et etiam super illos atque omnes, qui eam cognoscimus, exspectamus quonam perveniet superbia huius puellae, et quisnam erit beatus ille qui hanc provocantem et tam extremam formositatem subiugabit atque eodem tempore ea fruetur? Haec omnia quae narravi vera sunt atque etiam credo verum est quod de causa mortis illius Chrysostomi noster pastor dixit quod fertur. Quare, domine, a te quaero ut in crastinum diem ad exequias illius adsis et puto eas dignas esse videndi, quia Chrysostomus multos adnumeravit amicos atque hinc ad locum ubi iussit sepulturam tantum distat dimidia leuca.

–Non praetermittam hanc occasionem –inquit dominus Quixotus–, et tibi gratias ago propter narrationem huius mirae historiae.

–Eheu! –obiecit caprarius–, nondum cognosco dimidiam partem rerum gestarum, quae acciderunt his qui diligebant Marcellam; forsitan cras in via inveniamus pastorem qui eas nobis narret. Nunc vero bonum est ut eas dormitum sub tecto, quia sub divo vulnus damnandum esset, sed medicina quae apposita est tibi nullum aliud indicium contrarium requirit.

Sanctius Pansa ad diabolum ferebat hanc longam loquelam caprarii et denique a domino suo quaesivit ut iret dormitum in tugurio Petri. Sic enim ille fecit, sed fere totam noctem transivit memorando dominam Dulcineam, ad imitandos captos amore Marcellae. Sanctius Pansa sese accommodavit inter Rocinantem atque iumentum suum et vere dormivit, non ut despectus amorosus, sed tamquam homo calcibus percussus.

Capitulum 13. Ubi historia pastricis Marcellae finitur atque aliae res gestae narrantur

Vix sol per fenestras Orientis exortus est, quinque caprarii ex illis sex surrexerunt et dominum Quixotum e somno suscitaverunt ad quaerendum ab eo utrum dispositus esset ad illustrem inhumationem Chrysostomi perspiciendam necne dum ipsi ei comitatum facerent. Dominus Quixotus, qui nihil aliud cupiebat, surrexit atque iussit

Sanctio ut sellam Rocinanti et clitellas asino pararet, quod ille statim ac festinanter perfecit atque eodem modo omnes ad iter faciendum se paraverunt. Nondum quartum leucae ambulaverunt, semitam transiierunt, et tunc intuiti sunt sex pastores, qui induebant pelles nigras atque habebant capita coronata sertis cupressinis atque amaricis neriis. Unusquisque crassum baculum agrifolii manu ferebat. Duo elegantes equites induti vestibus ad iter faciendum eos comitabantur una cum duobus pedisequis. Cum duae turmae mutuo se invenerunt magna urbanitate sese salutaverunt et, mutuo quaesiverunt quae pertinebant ad viam. Cum cognovissent quonam iter facerent, omnes una ad locum sepulturae iter prosecuti sunt.

Quidam eques loquens cum socio suo dixit ei:

–Mihi videtur, domine Vivalde, mora quam facimus ad hanc illustrem inhumationem videndam magni momenti erit, secundum res miras quas pastores nobis narraverunt, quia multa sunt ac valde insolita tum de pastore mortuo tum de hac pastrice homicida.

–Sic mihi etiam videtur –respondit Vivaldus–; et immo moram facerem et non tantum per diem, sed per quattuor dies ad haec omnia videnda.

Dominus Quixotus ab eis quaesivit quidnam de Marcella et de Chrysostomo audiverint. Viator dixit ei se illo die ad diluculum invenisse pastores, quorum vestes videbantur ei valde tristes, et tunc ab eis quaesiverunt cur ita induti essent et quidam ex eis id narravit, scilicet de insolita formositate cuiusdam pastricis, nomine Marcella, et de amoribus plurium, qui eam sollicitabant et de morte illius Chrysostomi ad cuius sepulturam iter faciebant. Tandem ille exposuit omnia quaecumque Petrus domino Quixoto etiam narraverat.

Hoc colloquio finito et alio incepto, ille, quem vocabant Vivaldum, quaesivit a domino Quixoto quare armaturam illo modo indueret in terra tam pacifica, cui dominus Quixotus respondit:

–Munus quo fungor non sinit nec permittit me aliter facere nec aliam vestem induere. Facilitas, oblectamentum et tranquillitas inventa sunt mollibus aulicis; labor autem, anxietas atque arma tantum inventa sunt iis, quos mundus equites itinerantes appellat; quorum ego, licet indignus, minor omnium eorum sum.

Vix atque ea ab eo audiverunt omnes eum ut amentem putaverunt; atque ad id dilucidandum et etiam genus illius dementiae, denuo Vivaldus quaesivit quinam sensus verborum eques itinerans esset.

–Nonne legistis –respondit dominus Quixotus– annales et historias Angliae, ubi agitur de illustribus rebus gestis illius regis Arcturi, quem in hispanica lingua saepe vocatur rex Artús, de quo est vetus et communis traditio in toto regno Magnae Britanniae hunc regem numquam mortuum fuisse, sed per incantamentum in corvum conversum esse et tempore adveniente denuo regnaturum atque accepturum tum sceptrum tum regnum suum; qua de causa atque ex illo tempore nullus britannus corvum occidit? Olim in tempore illius boni regis instituta est illa clara ordinatio equitatus equitum Tabulae Rotundae atque acciderunt amores domini Lanceloti a Lacu (Lanzarote del Lago) cum regina Genovefa (Ginebra) quibus mediatrix fuit illa honorabilis nutrix domina Quintannona (Quintañona) unde carmen [vulgo *romance*] illud ortum est ac tam notum in nostra Hispania:

Non umquam fuit eques famae
cui servirent domnae clarae
tamquam Lancelotus fuerat
cum ex Britannia venerat.

cum dulci ac suavi processu rerum gestarum amoris et roboris. Praecise ex illo tempore et secundum traditionem illa ordinatio equitatus propagata est per diversas partes totius mundi atque inter illos claros ac bene notos equites propter res gestas eorum fuit strenuus Amadis a Gaula, cum omnibus filiis suis et nepotibus usque ad quintam generationem et strenuus Felixmars ab Hyrcania atque ille, qui nondum laudatus est ut vere meretur, Tirante Albus (el Blanco) atque ille qui fere in diebus nostris vidimus et de eo audivimus ut invincibilis et strenuus eques Belianis a Graecia. Hoc est, domini, quod vult dicere equitem itinerantem esse et quam vocavi ordinationem equitatus itinerantis; qua fungor, ut iam dixi, quamvis peccator sim, et feci professionem sicut fecerunt equites quos antea nominavi et sic ego hanc exerceo. Et hoc modo per deserta loca et per eremos ambulo quaerens res gestas cum voluntate offerendi bracchium meum et etiam me ipsum ad periculosissimam fortunam, quae eveniet mihi, ad pauperes adiuvandos necnon egenos.

His argumentis dictis, viatores bene intellexerunt dominum Quixotum fuisse amentem, carentem sano iudicio et quod esset genus dementiae qua laborabat, de qua etiam mirati sunt tamquam si rem omnino novam cognoscerent. Vivaldus autem erat vir valde prudens et praeditus laeto ac faceto animo et ad iter iucundum faciendum antea quam ad locum sepulturae advenirent voluit ei occasionem offerre ut suis stultitiis ulterius proficisceretur. Et sic ei dixit:

–Mihi videtur, domine eques itinerans, te profiteri difficillimam professionem in terris et secundum me nec chartusiani congregationis Sancti Bruni habent regulam tam strictam.

–Regula horum monachorum strictior esse potest –dominus Quixotus respondit–; sed maxima difficultas est mihi ad hanc tam necessariam acceptandam in hoc mundo. Ut verum dicam, nonne ipse miles qui in actu ponit quod dux ei iubet idem facit quam dux qui ei imperat? His verbis dico religiosos magna quiete ac tranquillitate a coelo quaerere bonum terrae, sed sumus milites, scilicet equites, qui in actu facimus quodcumque illi petunt et nostro robore et nostro gladio pugnamus ad homines tuendos et non sub tectu, sed sub divo et palam omnibus, et sic oportet nos pati radios solis aestate et frigora hieme. Hoc modo etiam nos ministri Dei sumus in terris et bracchia quibus iustitia adimpletur. Atque ita ut res belli et quae ad eam pertinent non fiunt nisi sudore, opere et labore quare qui ea perficiunt maiorem laborem habent quam illi, qui tantum a Deo rogant in quiete ac tranquillitate ut Deus dignetur fovere eos, qui parum vel nihil suis viribus possunt. Nullo modo audeo dicere, nec per cogitationes meas affirmo, statum equitis itinerantis tam bonum esse quam seclusum religiosi monachi; tantum his exprimere volo, quae egomet passus sum, equites itinerantes ferre labores immanes, ictus omni genere, famem, sitim, miserias, fracturas et pediculos; nam equites itinerantes absque dubio multa adversa patiuntur in decursu vitae eorum. Nonnulli pervenerunt ad munus imperatoris propter virtutem bracchii

sui, sed vere hoc adimplerunt magna copia sanguinis et sudoris et si deessent eis incantatores et sapientes, qui eos adiuvarent in desideriis eorum, defraudati et decepti in spe manerent.

–Haec est mea opinio –obiecit viator–; tamen rem inveni apud illos equites itinerantes, quae nullo modo mihi placuit, nempe cum inveniuntur in occasione faciendi magnas et periculosas res gestas, quibus videtur eos facile vitam amittere posse numquam in illo tempore meminerunt commendandi animum suum Deo ut christifideles debent facere in similibus periculis, sed e contrario commendant animos dominabus eorum et quidem magno robore ac devotione tamquam si illae essent eis ut Deus et hoc, mea quidem sententia, redolet aliquantulum gentilitatem.

–Domine –respondit dominus Quixotus–, hoc non est ita ullo modo et male faceret eques itinerans si aliter fecisset, quia secundum regulas equitatus ille fecit. Eques itinerans, cum perficit magnas res gestas armorum, debet dominam suam ante oculos habere atque ante conspectum eius suaviter ac plenus amore ab ea petere iuvamen in difficili occasione opportunitateque; et quamvis nemo eum audiat, debet dicere inter dentes nonnulla verba, quibus ex toto corde commendetur ei; et sunt nobis multa exempla de his rebus in historiis. Sed non opus est credere eos oblivisci sese commendandi Deo; nam eis semper erat tempus aptum ad id faciendum in decursu illarum rerum gestarum.

–Cum hoc ita sit –obiecit viator–, adhuc est mihi scrupulum, scilicet aliquando legi duos equites itinerantes inter se loqui et propter verba quae dicunt ardent magna indignatione et continuo ducunt equos eorum alterum contra alterum et bonam distantiam campi metiuntur et statim incipiunt currere magna velocitate ad impetum faciendum in adversarium atque in medio cursu commendant sese dominabus eorum; et quod reapse accidit id est alterum cecidisse per dorsum equi perfossum lancea adversa atque eodem modo alter si comam equi non apprehenderet etiam ipse ad terram deiiceretur. Tunc nescio quomodo mortuus habuit tempus sese commendandi Deo in decursu harum rerum gestarum subito modo. Nonne melius ei esset in celeri cursu sese commendare Deo et non dominae suae, quod debuit facere tamquam christifidelis? Sed fortasse non omnes equites itinerantes habeant dominam cui sese commendare, quia non omnes ardent amore.

–Hoc minime accidere potest –respondit dominus Quixotus–; ego dico hoc non fieri posse ut eques itinerans non habeat dominam, nam hoc est eis tam proprium ac naturale ut sint capti amore tamquam stellae pertinent ad coelum nec umquam visum est equitem itinerantem nullam dominam diligere atque aeque si ille careret amore non esset amplius eques itinerans, quia non intravit in arcem equitatus per portam, sed per saeptum stabuli ut latro et praedo.

–Cum hoc ita sit –ait viator– mihi videtur, nisi male huius rei memini, quondam legisse dominum Galaorem, fratrem strenui Amadis a Gaula, numquam habuisse dominam cui sese commendaret et nihilominus semper habuerunt illum tamquam strenuum atque illustrem equitem.

Cui noster dominus Quixotus respondit:

–Domine, una hirundo non efficit ver. Praesertim ego vere scio hunc equitem secreto arsisse amore erga omnes puellas ad eum venientes et quae ei bene videbantur,

haec enim erat peculiaritas naturalis eius a qua evadere nequivit. Breviter, bene cognitum est eum tantum unam habuisse quam fecit dominam sui cordis voluntatisque cui saepe sese commendabat, sed valde secreto, quia ille semper gloriabatur se equitem secretissimum in extremis esse.

–Ideoque et si vere omnis eques itinerans debet amore ardere –inquit viator– tunc etiam credibile est ut diligas secundum regulas huius muneris, nisi gloriaris esse eques secretus, tamquam dominus Galaor fuit, a te quaero, atque hoc praecise in nomine totius huius comitatus, ut dicas nobis nomen, patriam, qualitatem et praeclaram formositatem tuae dominae; nam pro certo spero fore ut illa beata esset cognoscendi omnes homines palam atque aperte accipere talem equitem sicut te atque ut bene videatur te eam ardere eique servire.

Tunc dominus Quixotus profunde suspiravit et dixit:

–Non possum affirmare utrum dulcis inimica mea vere gaudeat hac recognitione totius mundi, scilicet ut ego ei serviam necne; tantum possum dicere et hoc modo respondebo ad hanc quaestionem quae a me poscis tam magna urbanitate respectuque: nomen eius est Dulcinea, patria eius est El Toboso, locus huius Manicae regionis, qualitas eius est saltem principessa, quia illa domina reginaque mea est; pulchritudo eius excedens humanam, quoniam in ipsa verificabuntur omnia attributa, quae non fieri possunt, et chimaerica pulchritudinis, quae poetae suis puellis amoribusque tribuunt: capilli eius aurei, frons eius Campi Elysii, supercilia arcus in nubibus, oculi eius soles, genae eius rosaceae, labia eius coralia, dentes eius margaritae, collum eius alabaster, pectus eius marmoreum, manus eius eburneae, candor eius nix, et partes quae honestas ab humano visu celavit tales sunt, mea opinione, quae tanti vel maximi aestimantur a prudenti consideratione, sed nullo modo eas comparare licet.

–Genus eius, progeniem sive stirpem familiarem id est quod vere volumus cognoscere –obiecit Vivaldus.

Cui dominus Quixotus respondit:

–Non est ex veteribus Curtiis, Caiis vel Scipionibus romanis, neque ex hodiernis Colonna atque Orsini, nec ex Montcada (Moncada) vel Requesens (Requesenes) a Catalaunia neque ex Rebella et Villanova a Valentia; Palafox, Nuza, Rocaberti, Corella, Luna, Alagón, Urrea, Foces, et Gurrea ab Aragonia; Cerda, Manrique, Mendoza et Guzmán a Castella; Alencastro, Palha (Pallas) et Meneses a Lusitania; sed ex iis a Toboso Manicae est et, quamvis hoc genus omnino hodiernum sit, principium generosum erit ex illustribus familiis saeculis advenientibus. Et nemo oppugnet hoc nisi sub condicione, quae Cervinus posuit ad pedem armorum Orlandi (Roldani) dicens:

> Nemo ea tangere audeat,
> tantum Orlandus (Roldanus) ea cum vellet moveat.

–Quamvis ego ex genere Cachopines a Laredo sim –respondit viator– nullo modo audebo id comparare cum illo a Toboso Manicae, quia hucusque nondum tale cognomen ad aures meas pervenit.

–Quomodo nondum pervenit? –obiecit dominus Quixotus.

Pastores auribus arrectis auscultabant illud colloquium inter illos duos viros atque etiam ipsi caprarii et pastores cognoverunt magnam dementiam et penuriam iudicii domini Quixoti. Tantum Sanctius Pansa putabat dominum suum dicere veritatem, quia novit eum a nativitate eius; tamen dubitabat de his, quae de pulcherrima Dulcinea a Toboso agebantur, quia numquam ad eum pervenit nuntium huius nominis, quamquam vivebat tam prope pagum Toboso.

Dum loquerentur de his argumentis en per fissuram montium circiter viginti pastores descendebant omnes induentes pelles nigrae lanae et coronati sertis quae, ut postea videbantur, erant altera ex taxo atque altera ex cupresso. Inter sex eorum ferebant tabulatum coopertum magna copia florum ramorumque. Et cum haec videret unus ex caprariis dixit:

–Illi qui veniunt sunt qui corpus Chrysostomi afferunt et locus ubi iussit ut sepelirent eum ad pedem illorum montium est.

Quare illi festinaverunt ad perveniendum atque id quidem fecerunt eodem tempore cum illi qui tabulatum ferebant, id ad terram posuerunt, et quattuor ex eis fossam iuxta durum saxum foderunt acutis palis.

Omnes se salutaverunt ad invicem atque urbaniter et dein dominus Quixotus et qui cum eo veniebant conspexerunt tabulatum et super id viderunt corpus mortuum coopertum floribus, qui indutus erat tamquam pastor, eius aetas erat circiter triginta annos natus et, quamvis mortuus esset, ostendebat se pulchrum vultum habere atque elegantem dispositionem corporis dum vivus esset. In ipso tabulato nonnulli libri erant et chartae multae apertae sive clausae. Et omnes qui inspiciebant et qui fossam fodiebant miro modo tacebant, denique unus ex eis qui mortuum ibi adduxerunt alteri dixit:

–Videas bene, Ambrosi, si hic est locus quem Chrysostomus dixit, quia tu vis accurate omnia adimplere sicut in testamento ille iussit.

–Hic est locus –respondit Ambrosius–; quia multoties miser amicus meus mihi historiam suae calamitatis narravit. Ibi imprimis illam inimicam totius generis humani vidit ibique etiam fuit, ubi ei declaravit cogitationes suas, quia erat captus amore valde honestus atque ibidem novissime Marcella eum omnino despexit, ita ut ipse finem poneret ad tragoediam miserae vitae suae. Quamobrem atque in memoria tam magni infortunii voluit ut sepelirent eum intus aeternae oblivionis.

Et versus dominum Quixotum et viatores prosecutus est dicens:

–Corpus hoc, domini, quod nunc piis oculis videtis animum habuit quo coelum posuit magnam partem divitiarum aeternarum. Hoc est corpus Chrysostomi, qui unicus fuit suo ingenio, sua urbanitate, extremus in sua praesentia corporea, phoenix amicitiae, magnificus sine ulla mensura, serenus absque superba praesumptione, laetus sine ulla vilitate et demum primus fuit in omnibus bonis rebus et nemini secundus in suo magno infortunio. Bene amavit, sed eum despexerunt, adoravit tamen eum neglexerunt; feram rogavit, marmor importunavit, cucurrit post ventum, voces magnas dedit in solitudine, ingrato animo inservivit et tantum ut praemium invenit spoliationem mortis in medio cursu vitae, quam pastrix finivit, quamvis vellet ipsam in aeternum aevum protrahere ut viveret in memoria omnium gentium et chartae

papyraceae quas videtis id bene ostendunt, nisi ipse iusserit mihi ut haec omnia igne comburerem post inhumationem corporis illius in terram.

–Si ita facis maiorem rigorem crudelitatemque ostendes cum eis –inquit Vivaldus– quam ipse scriptor et dominus et, mea sententia, non decet nec iustum est adimplere voluntatem illius qui iussit quod est praeter omnem sanam mentem. Nec ipse Caesar Augustus bene fecisset si sic adimplevisset, quamvis Vergilius, divinus mantuanus, in suo testamento hoc ei iussit. Quare, domine Ambrosi, cum corpus tui amici sepelias in terram, noli scripta eius in oblivium dare; et si ille offensus haec iussit, non oportet haec adimplere tamquam imprudens. Sine, quaeso, haec scripta supervivere ad ostendendam semper crudelitatem Marcellae, ita ut fiat exemplum temporibus advenientibus et viventes ne faciant quin in simili alta abyssu cadant. Quia egomet scio et omnes qui hic mecum sunt historiam huius ardentis ac desperati amici tui et cognoscimus tuam amicitiam erga eum atque occasionem eius mortis et quaecumque iussit ad terminum suae vitae; ex qua lamentabili historia colligi potest quam magnam crudelitatem habuisse Marcellam et quam magnum amorem Chrysostomum erga illam atque etiam magnam fidelitatem tuae amicitiae cum his, qui secuti sunt semitam dementis amoris quam ante oculos habebant. Hesterno die cognovimus mortem Chrysostomi et etiam eum in hoc loco sepeliendum esse atque hoc modo moti studio ac miseratione iter nostrum reliquimus et voluimus huc venire ad videndum oculis nostris quod nos tam magna tristitia affecit. Vicissim pro eius misericordia et etiam cum desiderio medendi eam, quaesumus te, prudens Ambrosi, et saltem mea ex parte rogo te, ut, in loco comburendi, permittas me quaedam scripta mecum adducere.

Et, nullo responso a pastore exspectato, ipse manum porrexit et quaedam scripta apprehendit ex his quae propinquiora erant; et cum Ambrosius haec vidit ei dixit:

–Propter benevolentiam consentio ut teneas quae apprehendisti, sed vanum est credere me reliqua non comburere.

Vivaldus autem cupiebat legere quae scripta erant et statim accepit unum et vidit titulum qui dicebat: *Cantus desperatus*. Ambrosius audivit et dixit:

–Hoc est ultimum carmen, quod miserrimus scripsit, atque ut intelligas, domine, quonam infortunium ad perniciem duxit, lege ita ut omnes audiant te et tempus habebis dum illi fossam fodiunt.

–Hoc libenter faciam –dixit Vivaldus.

Et cum omnes essent uno corde ad auscultandum, circumdederunt eum, qui clara voce hoc carmen legit.

Capitulum 14. Ubi versus desperati defuncti pastoris exponuntur et alia quae non exspectanda erant

CANTUS CHRYSOSTOMI

Voluisti, mea crudelis, ut edatur
ex lingua in linguam in hominum fines

de tua virtute et amaro rigore
et palam faciam ut sic proferatur
meo in pectore ad sonus affines
quibus vox mea insolito more
desiderium exponat cum dolore

facta mea et tuas res gestas horrendas.
Omnis cruciatus in corde miscetur
propter hanc vocem quae moesta loquetur
ad curas maximas bene exponendas.
Arrectis auribus attende sonum
non tam iucundum, sed etiam hunc tonum
quem ex mei pectoris fundo iam profero
et motus hic a quadam mea insania,
sponte egreditur et foras infero.

Rugit leo, lupus ululat tam saevus,
ignavus, serpens squamosus et horridus
sibilat, monstri rugitus iam taetricus
cuiusdam, praedictris cornicis laevus
clangor et strepitus ex vento pavidus
in mari inquieto sunt procellae porticus;
mugitus victi tauri tam munificus.

Turtur quae vidua tenuissime cantitat,
tristem sonum invida noctua profert,
planctus totius plebeculae atrae fert
foras, cum anima dolente quae invitat.
Et omnia una cum quodam vagitu
quae confunduntur in meo auditu.
Et ratio huius negotii in me invenitur
quae haec crudelis poena est moestitia
et ad narranda ea novum requiritur.

Perturbatione tanta haud arenae
fluminis Tagi tristem echum dabunt
nec Baetis clari amnis olivae gustum,
ibi dolores tantum mei et poenae
e summis rupibus sonum clamabunt
et lingua mortua vivida dant frustum
ex valle obscura ad litus vetustum,

humanum genus ibi esse renuit
ubi sol numquam lumen suum ostendit

vel inter turbam adversam contendit
beluarum, quas desertus Libyae aluit,

vox veninifera est in eremis
et rauca auditur de me in extremis
nulli secunda propter tuum rigorem
et fata prospera iam desunt mihi
sic amplam viam petam et amorem.

Contemptus necat hic, ruit patientia,
et vera sive dolosa suspicio;
occidit zelus suo magno rigore
et turbat vitam hac longa absentia,
firmiter spes prodest nullo artificio
et oblivionis timor in amore.
Cernitur mors in omnibus suo more,

sed vivo, magnum signum est insolitum,
ego sum absens, contemptus, zelosus,
et suspiciarum certus onerosus;
in oblivione uro ignem debitum
et inter tot tormenta non audivi
umbram meae spei, quam tam multum cupivi,
eamque non amplius quaero desperatus
et ad augendam hanc meam querelam
non volo esse cum ea iratus.

Num fieri potest ut hoc uno ictu
sit spes et timor et quoque iam moneat
ut sint certiores hae causae timoris?
Num claudet oculos hos sine victu
dum zelus praesens sit mihi et iam doleat
per mille vulnera aperta doloris?
Quisnam has portas non aperiet foris

desperationi magnae cum haec viderit
contemptum notum esse et suspiciones
amaricae ac tam verae conversiones!
num veritatem puram quis ostenderit
magnum mendacium? Zelus regni amoris
ut ferrum fit in manu mei timoris.
Da mihi, contemptus, funem incurvatum.
Tamen, proh dolor! haec victoria mea
meum memoratum necat annegatum.

Denique morior, quia numquam exspectavi
bonam fortunam in morte vel vita,
fidelis ero in meis rebus fictis.
Dicam et optime, quia hoc amavi,
liberior anima est expedita
priscae tyranidi amoris in dictis,
meam inimicam in verbis afflictis,

corpus et animum pulchrum habere,
huius oblivio pro meo delicto
et multa adversa mihi iam invicto,
in pace amorem suo loco manere.
Hac opinione et forti meo nexu
festinans miser in morae amplexu
quia eius despectus et me impulerunt
et ventis corpus animumque feram,
nam sine lauro et palma ea viderunt.

Tamen tu inanis haec omnia argumenta
doces me ut faciam in meis rebus iugiter
in vita plena taedio quam nunc habeo
et hinc iam bene nosti mea tormenta
et imam plagam ex corde meo breviter,
et me ad te laetum dare quo gaudeo
si forte credis et aliquid mereo

ne coelum clarum tuorum oculorum
in mea morte turbetur, ne facias.
Nolo ut tu hoc modo satisfacias
cum praedam dem tibi omnium meorum.
Utinam risum in morte mea habeas,
festivitatem quam magnam tu videas.
Et simplex sum loquendo de his rebus,
bene tu scis ubi est gloria tua
et vita mea finietur his diebus.

Euge, oportet ex abyssu ima
ascendat Sysiphus saxo onustus
et veniat Tantalus sua siti sursum;
vulturem Titius ducat ex ea rima,
ne Ixion rotam detineat vetustus,
nec tunc sorores conentur suum cursum,
omnes laborent ad mortale occursum,

ducant in pectus ac voce demissa,
–dum desperato omnia sint requisita–
cantent obsequia tristia, moesta vita
negetur corpori cui lintea immissa.
Ianitor ille cum tribus capitibus
et cum chimaeris et his monstris milibus
prorumpant omnes tristem cantilenam,
quae nullam mihi meliorem inveniam
defuncto amanti hanc debitam poenam.

Ne desperatus cantus lamenteris,
et comitatum meum oblivisceris
et propter causam qua tu sic es natus,
adversum auget, cura ne sis bene
in sepultura tam infortunatus.

Carmine finito, auditores laudaverunt cantum Chrysostomi, quamquam qui id legit non omnino consensit his, quae de Marcella audiverat, quia secundum narrationem, quam ei fecerunt ipsa erat valde modesta ac plena benignitate, atque e contrario Chrysostomus lamentabatur de zelotypia, de suspicione et de absentia et haec omnia machinabantur contra optimam famam Marcellae. His omnibus Ambrosius respondit, quia bene noverat reconditas cogitationes amici sui:

–Ut bene, domine, intelligas quae hic miserrimus scripsit oportet dicere eum absentem a Marcella fuisse cum hunc cantum composuerat et ipse libenter id fecit, nempe quia credidit se posse sanari per hanc longam absentiam. Et hoc modo in hac absentia concepta fuit zelotypia ficta et timendae suspiciones, quae eum fastidium dabant tamquam si verae essent. Et veritas apparet his verbis et fama bonitatis Marcellae videbatur; quae fortasse praeter crudelitatem, quamdam superbiam et magnum contemptum eius nec ipsa invidia aliquo modo posset eam maculare.

–Hoc ita est –respondit Vivaldus.

Ille voluit aliud scriptum legere ex his, quae ab igne removerat, sed en mirus visus apparuit –quia sic videbatur– et praecise repente ante oculos cunctorum; atque ecce supra saxum ubi sepulturam fodiebant pastrix Marcella visa est, pulcherrima quae ipsa superabat suam famam. Qui eam numquam viderunt inspiciebant eam magno stupore ac silentio et qui eam iam cognoverant suspensi manserunt sicut illi qui numquam eam inspexerant. Sed simul atque eam Ambrosius vidit continuo valde indignatus est eique dixit:

–Visne videre tu, fortasse, saevus basiliscus horum montium, utrum in conspectu tuo effundant sanguinem vulnera huius miseri, a quo tua crudelitas vitam sustulit necne? Sive visne frui tuis crudelibus factis ad videndum de alta rupe ut alter Nero despectus quomodo Roma comburatur sive calpestare hoc cadaver tua superbia, tamquam ingrata filia fecit cadaveri patris sui Tarquinii? Dic nobis subito, quaeso, cur ergo venisti vel quid est quod magis vis; nam cogitationes Chrysostomi cognovi, quae semper oboedierunt tibi in vita eius et sic faciam ut etiam, illo mortuo, oboediant tibi cogitationes omnium, qui amici eius vocati sunt.

–Nullo modo venio, o Ambrosi! ad ea facienda, quae dixisti –respondit Marcella– sed tantum ad me ipsam tuendam et ad probandum quam multum errant, qui culpant me de dolore eius atque immo de morte Chrysostomi; sic attendite me omnes qui hic adestis et breviter hanc veritatem suadebo vobis et quidem paucis verbis. Coelum me fecit sicut dicitis pulchram et taliter haec venustas ad nihil aliud profecit mihi, nisi ad alliciendos vos ita ut diligatis me et propter hunc amorem quem ostenditis mihi dicitis et vultis me etiam diligere vos. Ego cognosco per naturalem intellectum, quem Deus mihi dedit, omne pulchrum amabile esse; sed nullo modo possum intelligere cur qui amatus est debeat diligere illum, qui eum amat. Immo etiam aliquando fieri potest ut amans sit foedus, et ut foedus dignus vitandi, sed dum diligit pulchrum non merito dicet: «Diligo te quia tu es pulchra; et debes me diligere, quamvis foedus sim». Sed si essent omnes similes in pulchritudine non omnia desideria essent aequalia, nec omnes formositates impellerent ad eumdem amorem; sunt quae delectant visu, sed non alliciunt voluntatem; nam tunc omnes voluntates essent perturbatae et magna confusione, nescientes quonam pervenire; nam si subiecta innumera sunt etiam desideria essent innumerabilia. Et secundum quod audivi verus amor non dividitur, et debet esse voluntarius et non invitus. Et cum hoc ita sit, mea opinione, cur vultis submittere voluntatem meam omnino invitam dum dicitis amare me? Quid dicendum esset si coelum foedam me fecisset, num possem contra vos lamentari, quia non dilexistis me? Aliter, ut patet, egomet non venustatem elegi, quam coelum, nulla petitione praevia mea, gratis mihi dedit. Praesertim vipera non culpanda est propter venenum suum ope cuius illa occidit, quia natura ei dedit nec ego mereor reprehendi propter speciositatem meam; nam formositas in honesta muliere est tamquam ignis remotus vel gladius acutus; quia nec urit nec necat nisi illum qui ad ea appropinquat. Honor et virtutes ornamentum sunt animi et si desunt corpori, quamvis hoc speciosum sit, non reputatur ut pulchrum. Nunc vero, si honestas est virtus quae magis ornat et corpus et animum, cur debet perdere hanc virtutem illa, quae amatur ut pulchra, tantum ad obsequendam voluntatem illius, qui ad suum nutum et voluptatem omnia ordinat et quidem totis viribus et tota sollertia atque ita vult ut illa hanc honestatem amittat? Egomet nata sum libera atque ad fruendam hanc libertatem elegi mihi solitudinem camporum. Atque arbores horum montium comitantur me, clarae aquae horum fluminum sunt specula mea; et his arboribus et his aquis ego aperio cogitationes meas atque etiam meam venustatem. Fortasse sum ignis remotus et gladius qui longe manet. Et quos allexi tantum meo visu ad amorem, continuo volui meis verbis decipere. Et si quidem desideria spe sustentantur, nullam spem dedi Chrysostomo umquam vel ullo alio, quamobrem non est crudelitas mea, sed obstinatio eorum quae eos interfecit. Si vero dicitur cogitationes eius bonas esse, quapropter debui eis acquiescere, etiam dicam praecise in hoc loco, ubi sepultura eius foditur, dum ille mihi suam bonam voluntatem ostendit, ei statim dixi meum propositum fuisse vivere in solitudine completa ita ut sola terra frueretur meo secessu a mundo atque exspoliis meae formositatis; et si ille, hac prima deceptione accepta, etiam voluit obstinanter aliam spem obtinere et contra ventum navigare, quid est si in medio sinu propriae dementiae submergatur? Si e contrario ego ei dedissem quamdam spem tunc essem fallax; sed si ei placuissem tunc fecissem contra meam voluntatem ac meum propositum. Ille deceptus sese obstinavit

et desperavit, sed nemo odium habuit in eum; considerate nunc si vere de his rebus culpanda sim! Lamentetur qui vere deceptus sit, desperet ille cui promissam spem negarunt, confidat tantum ille, quem vocaverim, laetetur quem admiserim; sed minime appellet me crudelem nec homicidam ille cui nec promisi nec quem decepi nec quem vocavi neque admisi. Coelum nondum voluit me vere diligere quemdam, et non oportet hanc electionem irrationabilem facere. Prodeat haec ratiocinatio omnibus, qui sollicitant me; et etiam ultra intelligant ut si quis moriatur propter me non vere moritur ut zelosus et afflictus, quia qui neminem diligit non inducit zelotypiam; et deceptio non est contemptus. Et si quis me vocat feram ac basiliscum, cur non relinquit me ut nocivam? et qui ingratam me appellat, ne amplius serviat mihi; qui me insolitam nuncupat, nolit me cognoscere; qui me vocat crudelem ne sequatur me; quia hic basiliscus, haec ingrata, haec crudelis atque insolita nec eos quaeret, nec eis serviet, nec eos cognoscet, nec sequetur ullo modo. Impatientia atque inordinatum desiderium necaverunt Chrysostomum, cur ergo honestas et modestia mea damnandae sint? Et si immaculata maneo comitata his arboribus, cur debeam amittere hanc puritatem cum viris? Notum est vobis me divitias habere nec alienas cupio; est mihi libertas et nolo eam perdere sub quodam iugo; et demum nec diligo nec est mihi odium contra quemlibet. Nec decipio hunc nec illum sollicito; nec fallo quemlibet nec alium ope ludi. Libenter vaco colloquio cum pastricibus huius regionis et curae caprarum mearum. Hic montes habent desideria mea et si hinc exeo tantum est ad contemplandam speciositatem coeli et sic animus meus dirigit gressus ad suum scopum.

Et, his verbis dictis, et nulla responsione exspectata, vertit se atque intravit in densam silvam montis, quae ibi erat, atque omnes ibi mirati sunt de prudentia ac pulchritudine eius. Nonnulli autem praesertim –hi qui vulnerati erant fulgoribus oculorum Marcellae– eam voluerunt sequi, spreta deceptione audita. Et dominus Quixotus, his rebus conspectis, voluit occasioni accedere atque uti suo equitatu ad miseras virgines tuendas, quare sua manu apprehendit gladium et magna atque intelligibili voce dixit:

–Nemo ex quocumque genere et condicione audeat sequi formosam Marcellam, aliter sub indignatione mea damnabitur. Ipsa probavit claris et praecisis argumentis nullam culpam habuisse in morte Chrysostomi atque alienam omnino fuisse desideriis et voluptatibus amantium, quibus noluit indulgere; quare non diiudicanda, sed honoranda est ab omnibus hominibus huius mundi, quia illa est quae vere vivit atque habet tam honestum desiderium.

Fortasse propter minas domini Quixoti sive quia Ambrosius eis dixit bonum esse res pertinentes ad sepulturam amici finire, nullus pastor movebatur nec illinc discessit, et confecta sepultura et, combustione scriptorum Chrysostomi facta, deposuerunt corpus eius in illa sepultura cum multis lacrimis circumstantium. Fossam cooperuerunt magno saxo atque epitaphium voluerunt facere, secundum Ambrosium, his verbis:

Hic iacet veri amatoris
frigidum corpus sepultum
pecorum pastor qui multum
passus est ope doloris.

Mortuus est praeda rigoris
cuiusdam puellae ingratae
quia sic hoc regnum amatae
crudelitas fit amoris.

Supra sepulturam flores ramosque deposuerunt et, signo doloris ostenso, Ambrosio valedixerunt. Eadem fecit Vivaldus et comes eius et dominus Quixotus valedixit hospitibus et viatoribus, qui eum rogaverunt ut una cum eis veniret Hispalim, qui erat locus ubi perfacile multae res gestae invenirentur et quidem in omni via atque in omni angulo illius urbis. Dominus Quixotus gratias eis egit propter nuntium et bonum consilium ostensum ei faciendi beneficium et dixit eis tunc temporis se nolle sive se hoc non posse facere, quia secundum quod fertur multi latrones erant in illis montibus atque oportebat eos apprehendere. Voluntate eius cognita, viatores noluerunt eum amplius premere et eum reliquerunt eique etiam denuo valedixerunt et iter prosecuti sunt, quibus rebus peractis, non defuit eis quod tractarent, tum historiam Marcellae et Chrysostomi tum dementiam domini Quixoti. Hic autem statuit quaerere pastricem Marcellam ad ei serviendum in omnibus rebus. Sed res non fuerunt sicut ille cogitabat secundum cursum huius verae historiae cuius secunda pars hic finitur.

Capitulum 15. Ubi de infelicibus rebus gestis agitur, quas dominus Quixotus habuit cum invenit nefarios yangueses

Sapiens Cide Hamete Benengeli narrat dominum Quixotum atque armigerum eius, hospitibus valedictis et pastore Chrysostomo sepulto, introiisse in ipsam silvam in quam viderunt Marcellam intrare; et cum ultra duas horas iter fecerunt eam frustra quaerentes ubique, ad pratum plenum tenera herba pervenerunt, iuxta quod currebat amoenus frigidusque rivus; et tali modo ut eos aliquo tempore invitaret ad fruendam quietem postmeridianam, quae suo rigore aderat.

Dominus Quixotus et Sanctius descenderunt deorsum, iumento et Rocinante relictis, quia ibi erat locus multae herbae ad pascendum, atque ex clitellis extraxerunt quod ibi erat et, nulla caeremonia praetermissa, in pace ac bona societate dominus et famulus, quae invenerunt comederunt.

Sanctius nullam trabam ad pedes Rocinantis posuit, quia valde mansuetus erat et nullo modo voluptuosus ita ut omnes equae regionis cordubensis non possent eum provocare. Tamen fortuna aliter decrevit sive diabolus, qui non semper dormitat, propterea quod in illa valle pascebat armentum equarum gallaicarum, quas muliones gallaici habebant, quibus consuetudo erat quiescendi ad horam postmeridianam una cum grege eorum in locis, ubi tenera herba atque aqua inveniretur. Et ille locus ubi dominus Quixotus aderat idoneus erat secundum morem gallaicorum.

Et ecce accidit Rocinantem habuisse voluptatem sese refocillandi cum dominabus equis, et simul atque eas olfecit, et nulla venia quaesita, ex suo naturali gressu exivit

et quodam cursu eas celere petivit ad suam necessitatem eis ostendendam. Illae autem, ut videtur, magis curabant de pabulo quam de alia re et sic eum receperunt calcibus et etiam dentibus et hoc modo postea corrigias eius fregerunt et sine sella ille mansit et vere nudus. Tamen quod peius equo advenit fuit muliones ad eum venire cum fustis, impetu equi in equas bene cognito, et quidem eum percusserunt atque in terram vulneratum eiecerunt.

Tunc dominus Quixotus et Sanctius qui fustuarium et verberationem Rocinantis animadverterunt anhelantes venerunt et dominus Quixotus dixit Sanctio:

–Secundum quod video, amice Sancti, illi non sunt equites, sed plebecula rustica et minima. Et hoc dico tibi, quia bene potes me iuvare ad ultionem vindicandam propter iniuriam quam fecerunt Rocinanti.

–Quaenam vindicta facienda est! –respondit Sanctius–, si illi sunt plures quam viginti et nos tantum duo sumus et forte unus et dimidius?

–Ego valeo pro centum –obiecit dominus Quixotus.

Et, nullo alio argumento adhibito, accepit gladium atque in gallaicos impetum fecit atque idem Sanctius Pansa, motus exempli domini sui. Tamen imprimis dedit ictum gladii cuidam eorum et pellem coriaceam quam induebat et partem dorsi scidit.

Gallaici qui viderunt se vexari tantum a duobus viris, cum perplurimi ipsi essent, tunc ad fusta eorum venerunt atque illos duos in medio eorum apprehenderunt eosque magno robore ac vehementia percusserunt. Verum est Sanctium ad primum ictum in terram cecidisse atque idem accidit domino Quixoto, cuius sollertia et praesentia animi non multum profecit. Et propter fortunam ad pedes Rocinantis cecidit, qui nondum surrexerat, quo videtur quam magnum esse furorem, quo manus rusticae offensaeque percusserunt.

Gallaici timuerunt damnum factum et festinanter gregem eorum cum suis rebus oneraverunt et, duobus viris percussis, vulneratis ac relictis, iter eorum prosecuti sunt.

Primus qui surrexit fuit Sanctius Pansa; et quidem iuxta dominum suum erat cui voce infirma et luctuosa dixit:

–Domine Quixote! O, domne Quixote!

–Quid vis, Sancti frater? –respondit dominus Quixotus eodem tono vocis effeminato et doloroso quam Sanctii.

–Vellem, si hoc fieri potest –respondit Sanctius Pansa–, ut des mihi duos haustus illius potiunculae foedi Blasii si forte habeas in promptu. Forsitan sit ad utilitatem et medelam percussionis ossium quam patior sicut sit pro vulneribus.

–Si ego eam haberem quid deesset nobis? –respondit dominus Quixotus–. Sed iuro tibi, Sancti Pansa, per fidem equitis itinerantis, intra duos dies si fortuna non aliter statuit, me eam conficere, sin autem male eveniat mihi.

–Quot dies erunt donec nos pedes nostros movere valebimus? –respondit Sanctius Pansa.

–Quoad me tantum possum dicere –inquit percussus eques– me non posse ullum finem his diebus ponere. Sed tota culpa mea est in his omnibus; quia non debui manum porrigere gladio contra viros nondum armatos equites tamquam ego sum; et sic credo me leges equitatus transgredi et sic deus proeliorum hanc punitionem permisit. Quare oportet, Sancti Pansa, ut bene animadvertas quae dicam tibi, quia

magni momenti erit ad salutem amborum, scilicet cum videas similem plebeculam nos offendere ne exspectes me manum mittere ad gladium quod nullo modo faciam, sed tu debes apprehendere gladium manu ad eos puniendos ad tuum nutum; sed si ad auxilium eorum venient equites egomet sciam quomodo et quam protectionem et offensionem faciam totis meis viribus, quia iam vidisti per multa signa atque experientiam quonam virtus mei bracchi perveniat.

Tam audax et superbus remansit miser dominus cum victoria strenui vasconici. Sed non bene videbatur Sanctio Pansae nuntius domini eius cui statim dixit:

–Domine, ego sum homo pacificus, mansuetus et tranquillus etiam iniuriam possum dissimulare si oportet, quia mihi sunt uxor et liberi ad sustentandos et nutriendos. Sic animadvertas hoc non esse mandatum, quia nullo modo mittam manum ad gladium apprehendendum nec contra rusticum nec contra equitem atque hic et nunc et coram Deo ego ignosco omnes iniurias quas fecerunt mihi et quas facturi erunt, et idem erit si quidam altus sive humilis, dives sive pauper, fidalgus sive plebeius, nullo genere excepto et condicione.

His verbis auditis, dominus eius ei respondit:

–Si halitus esset mihi ad loquendum quadam tranquillitate et si dolor, qui hanc costam affectat, parum minueret, vellem tibi dicere ut posses intelligere, Pansa, te esse in crasso errore. Venias huc, peccator: Si ventus fortunae, qui adhuc adversus flat, fit secundus atque inflat vela desiderii ita ut certe ac sine adversitate possemus attingere portum cuiusdam insulae, ex quibus unam iam tibi pollicitus sum, quid erit tibi si eam lucrarer et facerem te gubernatorem illius? Forsitan quia non esses eques debeas hanc rem amittere, quia nec es nec eris nec habeas voluntatem vindicandi iniurias et defendere dominatum tuum? Quia oportet te vere scire in regnis et provinciis nuper expugnatis incolas et homines numquam tranquillos esse nec semper sunt pro novo domino, atque aliquando denuo volunt probare fortunam et quid facere ad ordinem subvertendum; atque oportet ut novus dominator habeat intellectum ad eos gubernandos et virtutem ad pugnandum atque ad defendendum se ipsum in qualibet occasione.

–In his rebus gestis quae nobis evenerunt –respondit Sanctius– vellem hunc intellectum habere et etiam hanc virtutem de qua loqueris; sed iuro tibi, per fidem miseri hominis, me plus egere medela quam loquela. Videas ergo si potes surgere atque ambo Rocinantem iuvabimus, quamvis id non mereatur, quia ille fuit causa praecipua totius huius percussionis. Haec numquam credidi de hoc Rocinante, quem putavi castum esse ac mansuetum tamquam egomet sum. Tamen, secundum dicunt, opus est multum tempus ad homines cognoscendos et nihil securum est in vita. Quisnam ergo diceret post ictus gladii, quos dedisti equiti itineranti, ut nobis continuo has teterrimas percussiones fustium super umeros nostros darent?

–Tui umeri, Sancti –obiecit dominus Quixotus–, debent cognoscere similes procellas; sed mei semper habuerunt magnam curam, quare absque dubio dolorem maiorem sentient in hac calamitate. Et nisi putarem ... sed quid dicam putare?... ego vere scio omnia haec incommoda annexa esse ad exercitium armorum, aliter moriturus essem ex indignatione.

Cui armiger obiecit:

–Domine, si haec incommoda sunt fructus equitatus, dicas enim si sunt tam frequentia vel si coartantur quo ad tempus; nam mihi videtur post duas messes inutiles erimus ad tertiam messem colligendam, nisi Deus sua infinita misericordia aliter provideat nobis.

–Oportet, amice Sancti –respondit dominus Quixotus–, vitam equitum itinerantium multas habere vicissitudines et pericula et idem prope est ad illos equites iuvandos ut sint reges imperatoresque, teste experientia, quia historia multa de his narravit. Et tibi nonnulla dicerem si dolor mihi permitteret de his, qui sola virtute bracchii eorum ad summos gradus ascenderunt, sicut dixi, et postea etiam calamitates et miserias viderunt. Quia strenuus Amadis a Gaula se vidit sub ditione illius incantatoris inimici acerrimi sui Arcalai, qui eum verberavit, secundum ut certum fertur cum esset in carcere, plus quam ducenta ictus flagellorum cum habenis sui proprii equi, et quidem religatum ad columnam in cohorte stabuli. Et etiam est auctor secretus et magnae fidelitatis qui dicit cum caperent Equitem Phoebi quodam laqueo ille demersus est sub pedibus suis intus in quodam castello et, cum cecidit, invenit se ipsum in profundo sinu sub terra, pedibus et manibus ligatis, atque ibi in eum introduxerunt hanc medicinam [quae vulgo dicitur *irrigatio* sive *clyster*] ope aquae nivis atque arenae, quae fere eum interfecit; et nisi amicus sapiens eum iuvaret in illa calamitate male eveniret ei. Quare etiam ego inter tot optimos viros inveniri possum; qui maiores ignominias passi sunt quam nosmetipsi. Equidem volo te scire, Sancti, vulnera quae afficiuntur cum instrumentis, quae casu in manu sunt non faciunt iniuriam. Et hoc est in lege duelli, sed aliis verbis, si sutor quidam percutit alterum sutorem mustricula sive instrumento, quod habet in manu secundum est ligneum, non dicitur eum his vapulare. Et hoc tibi dico ne credas nos nunc, percussione accepta, infamiam accepisse sive suggillationem, quia arma illorum non erant nisi fustes et nullus eorum, mea opinione, habebat gladium, ensem sive pugionem.

–Interea mihi non dederunt –respondit Sanctius– possibilitatem videndi; quia ubi primum gladium meum apprehenderem, illi percusserunt me tot signis crucis super umeros meos ope baculorum suorum ex ligno pini ita ut tollerent visum ex oculis meis atque omne robur ex pedibus meis et sic iacui ubi nunc sum et nullo modo dolet mihi cogitare utrum infamia vel suggillatio fuerit mihi ex ictibus fustium necne, quia dolor ictuum tam intensus est mihi et sic tradam memoriae tamquam iam tradidi meo dorso.

–Cum hoc ita sit, frater Pansa –obiecit dominus Quixotus–, non est memoria rerum, quae in tempore non evanescat nec dolor, qui non consumatur morte.

–Quam magnum infortunium harum rerum –obiecit Pansa– tantum exspectare ut tempus omnia consumat sive ut mors ea finiat? Si calamitas nostra esset ex his quae paucis medicamentis curantur, non essent tam adversa nobis, sed secundum me, omnia quae in nosocomio sunt non sufficiunt ad restituendam nostram valetudinem.

–Relinque haec omnia et conare surgere denuo, Sancti –respondit dominus Quixotus–, et sic faciam egomet ac videamus quomodo valeat Rocinans, quia, mea opinione, calamitas sua non fuit minor quam nostra.

–Quid mirum erit hoc –respondit Sanctius–, cum ille sit tam bonus eques

itinerans; sed vere inauditum est iumentum meum liberum esse atque absque ullo damno, ubi nulla costa sana est nobis.

–Fortuna semper relinquit portam apertam in calamitatibus ut remedium inveniatur –inquit dominus Quixotus–. Et hoc dico ut haec bestiola posset auxilium pro Rocinante facere et praecise me adducere hinc ad quodlibet castellum, ubi vulnera mea curentur. Et talis equus non erit mihi infamia, quia nunc memini illius veteris Sileni, qui praeceptor et paedagogus fuit (Bacchi), divi risus, cum introiret in urbem praeditam centum portarum et quidem laeto animo eques super pulchrum asinum erat.

–Verum est eum tamquam equitem introivisse, ut tu dicis –respondit Sanctius–; sed magna diversitas est inter ire ut eques sive ut saccus vel onus stercoris super dorsum asini.

Cui dominus Quixotus respondit:

–Vulnera in proelio accepta honorant et nullo modo auferunt honorem; quare, amice Pansa, noli refutare me sed, sicut dixi tibi, surge ita ut possis adiuvare me ad sedendum super iumentum tuum et gratias agam tibi atque hunc locum relinquamus, quia advesperascit, ne adveniat nox atque inveniat nos in hoc loco deserto.

–Tamen etiam audivi te dixisse –inquit Pansa– bonum esse equites itinerantes pernoctare in solitudine et desertis plerumque per annum atque hoc eis magnam fortunam esse.

–Hoc est –ait dominus Quixotus– cum nihil amplius facere possint sive cum ardeant amore et hoc tam verum est ut aliquando eques permansit supra saxum ante solem et pluviam atque ad inclementias tempestatis coeli per duos annos, domina illius nesciente. Atque unus ex his fuit Amadis, cum Beltenebrus vocaretur, cum in Rupe Pauperi habitavit, sed nescio utrum per octo annos an per octo menses, quia non bene memini huius rei; in qua poenitentiam fecit propter quamdam rixam cum domina Oriana. Sed relinquamus haec omnia, Sancti, et quidem festina, ante quam alia calamitas etiam accidat iumento tamquam accidit Rocinanti.

–Tunc esset diabolus –dixit Sanctius.

Et prorupit triginta stridores, sexaginta suspiria et centum et viginti maledictiones imprecationesque contra illum, qui huc adduxerat eum, sed surrexit conturbatus atque in medio stetit tamquam arcus arabicus, quia non fieri poterat ut maneret erectus. Tamen magno labore paravit asinum, qui nimis liberus per diem neglectus fuit. Tunc levavit Rocinantem et si hic linguam ad loquendum haberet non esset in suis lamentationibus secundus nec domino nec armigero.

Uno verbo, Sanctius dominum Quixotum accommodavit super asinum, a retro cuius posuit Rocinantem; asinumque apprehendit ex habenis capistri atque hoc modo iter fecit ad locum, ubi putavit viam regiam esse. Sed denique fortuna fuit eis prospera eosque feliciter fovit, quia post brevem leucam venerunt ad viam ex qua caupona videbatur quae, eo nolente et domino Quixoto valde laeto, esset castellum secundum dominum Quixotum. Sanctius obiecit eam cauponam fuisse, dominus autem negabat et, his argumentis prolatis, ad eam pervenerunt, sed nondum hanc parvam controversiam solverunt. Tamen Sanctius, nulla ulteriore inquisitione peracta, in cauponam una cum omnibus introivit.

Capitulum 16. De his quae domino Quixoto evenerunt in caupona quam putabat castellum esse

Cum caupo dominum Quixotum supra asinum adductum vidit, a Sanctio quaesivit quo morbo laboraret. Sanctius ei respondit nullam infirmitatem esse nisi eum ex saxo deorsum cecidisse quare quasdam costas percussas habere. Uxor autem erat cauponi, sed non ex eis quae solent habere in talibus officiis, quia haec misericors ex natura sua erat et de calamitatibus proximi dolebat; et sic venit ad curandum dominum Quixotum et etiam vocavit filiam suam virginem, puellam et quae erat bonae figurae ut veniret ad medelam illius hospitis. In caupona ministrabat puella asturica ampla vultu, collo plano, naso demisso, oculum luscum habebat atque alterum non valde sanum. Verum est elegantiam corporis eius supplere alia menda naturae: a summo capite usque ad pedes non plus quam septem palmos habebat et dorsum aliquantulum curvum, quod ei faciebat ut terram inspiceret plus quam quod ipsa vellet. Haec formosa puella iuvavit virginem atque ambae paraverunt miserum lectum domino Quixoto in quodam cubiculo, ubi, secundum quod videbatur, per multos annos antea palea servabatur. In illo cubiculo etiam erat mulio, qui suum lectum habebat iuxta lectum nostri domini Quixoti, sed parum longius. Tamen hic lectus compositus erat ex clitellis sive ex stragulis dorsalibus mulorum eius et superabat lectum domini Quixoti, qui tantum quattuor tabulas planas habebat super duo inaequalia scamna et culcitam, quae videbatur stragulum plenum pilulis, quae erant tamquam ex lana, quae per foramina videbantur, sed ad tactum et propter duritiam erant lapides siliceae et duo lintea ex corio scuti et stragulum pilosum, cuius fila si vellent numerari id possent facere et nec filum ex illo computo deperderetur.

In hoc maledicto lecto dominus Quixotus accubuit et postea cauponaria et filia eius massam plasmaverunt ei e summo capite usque deorsum, dum Maritornes, quae sic asturica nuncupabatur, lucernam manu sustinebat; et cum cauponaria eum tam contusum ubique in corpore vidit, dixit plus videri ictus esse quam lapsus de alto.

–Non fuerunt ictus –ait Sanctius–; sed saxum multas inaequalitates habebat – atque unaquaeque contusionem perfecit. Et etiam dixit–: Velis, domina, quaeso, nonnullas stopas relinquere, quia non deerit cuidam, qui eis utatur ad medelam; nam etiam laboro magno dolore dorsi.

–Hoc modo –inquit cauponaria–, etiam tu debuisti cadere.

–Non cecidi –dixit Sanctius Pansa–; sed ex metu perturbationis videndi cadere dominum meum, omne corpus meum dolet et mihi videtur mille ictibus contusum esse.

–Hoc potest accidere –dixit virgo–; quia hoc mihi accidit, nempe somniare me de turri deorsum cadere et numquam ad terram pervenire, sed cum e somno experrecta sum valde contusam me inveni tamquam si vere cecidissem.

–Hic est enim quaestio –respondit Sanctius Pansa–; quia ego nullo modo dormiebam et vere vigilans eram tamquam nunc ego sum, sed habeo tam multas contusiones quam meus dominus Quixotus.

–Quomodo vocatur hic eques? –quaesivit asturica Maritornes.

–Dominus Quixotus a Manica –respondit Sanctius Pansa–; et ille eques itinerans est atque inter meliores et magis strenuos, qui in mundo apparuerunt in multis temporibus nostris.

–Et estne hic eques quaerens res gestas? –obiecit puella.

–Tam nova es tu in hoc mundo ut id nescias? –respondit Sanctius Pansa–. Tunc scito, soror mea, equitem itinerantem quemdam esse, qui in duobus verbis videtur sive percussus sive imperator. Hodie infelicissima est creatura in toto orbe terrarum atque in crastinum diem habet duas vel tres coronas regnorum ad dandas suo armigero.

–Et quomodo nondum est tibi saltem comitatus, cum sis armiger huius domini?

–Adhuc hoc est praematurum –respondit Sanctius–, quia nondum mensem quaerimus has res gestas atque hucusque non ullas prosperas invenimus. Et fortasse etiam cum quaedam res quaeritur, alia omnino diversa invenitur. Sed verum est, si dominus Quixotus sanatur ex hoc vulnere sive lapsu atque ego non vulneratus maneo non mutabo spem meam pro meliore titulo Hispaniae.

Dominus Quixotus hoc colloquium attente exaudiebat et sedit in lecto, sicut potuit, accepit manum cauponariae eique dixit:

–Crede mihi, formosa domina, et quidem felicissima eris, quia apud te, in tuo castello, habuisti equitem, qui talis ego sum, quamvis non debeam laudationes meas proferre, nam laus in ore proprio vilescit; sed armiger meus tibi exponet quisnam ego sum. Tantummodo dicam tibi me aeterne traditurum esse memoriae iuvamen quod mihi nunc fecisti et per totam vitam meam gratias tibi agam; et si vero altis coelis placeret ut non essem tam captus amore ac tam subiectus ad leges et ad oculos illius formosae ingratae, atque hoc dico inter dentes meos; tunc oculi huius formosae virginis essent mihi ut domini meae libertatis.

Cauponaria et filia eius una cum bona Maritornes, his argumentis equitis itinerantis auditis, valde perturbatae erant, et nullo modo illa argumenta intellexerunt, tamquam si ille graece loqueretur, quamvis putaverint eum haec omnia dicere ad laudandas et sollicitandas; sed, cum numquam audiverunt talem loquelam, eum inspiciebant et mirabantur eisque vere videbatur eum virum inauditum esse praeter homines veros; illae tamen ei gratias modo solito egerunt et tandem eum reliquerunt, et etiam asturica Maritornes curam habuit de Sanctio, qui non minus quam dominus cura egebat.

Mulio autem et Maritornes decreverunt ut ambo illa nocte sese mutuo refocillarent et de hoc illa ei pollicita est ut cum hospites sedati essent et domini cauponae irent dormitum, ipsa ad eum veniret ad voluptatem eius adimplendam in omnibus, quae ille desideraret. Et ut traditur haec puella numquam talia verba dixit quin ea adimpleret, quamvis ea diceret supra montem et coram nullo teste, quia honorabatur suis verbis et non erubescebat ad fungendum illud munus in caupona, quia ipsa dicebat fortunam adversam et calamitates duxisse eam ad hoc vetus officium et condicionem.

Durus, angustus, parvus ac maledictus lectus domini Quixoti primus erat in medio illo stabulo fere sine tectu pro cubiculo, atque iuxta illum Sanctius paravit lectum suum, qui tantum stoream et stragulum habebat, quod paene ex lana videbatur. Post

illos duos lectos inveniebatur lectus mulionis, confectus ex clitellis sive stragulis dorsalibus atque ornamento ex duobus melioribus mulis, quos duxerat et qui erant duodecim, omnes lucidi, crassi optimique, quia ipse erat dives mulio Arevaci (Arévalo), secundum quod auctor huius historiae dicit, qui mentionem peculiarem fecit huius mulionis, quoniam eum bene cognoscerat et etiam alii volunt significare aliquo modo eum propinquum eius fuisse. Nihilominus Cide Hamete Benengeli fuit historiographus valde studiosus atque accuratissimus in omnibus rebus atque hoc bene videtur in his, quae hucusque narraverat, quamvis minima ac parvi momenti essent, quae noluit praetermittere silentio; ex quibus graves historiographi possent optimum exemplum discere, cum narrant nobis res gestas et quidem tam breviter, quae paene ad labia nostra perveniunt atque in atramento remanent, quae maioris momenti sunt sive ex malitia sive ex ignorantia eorum. Macte animo et quidem multoties, auctor illius *Tablante de Ricamonte* atque auctor illius libri, ubi narrantur res gestae comitis Tomillas, quibus maxima diligentia omnia narrantur.

Et nunc egomet dico mulionem, iumentis eius in stabulo convenienter paratis, et quidem, secundo pabulo eis oblato, in suo lecto recubuisse ad diligentem Maritornes exspectandam. Sanctius idoneo modo bene medicatus iam accubuerat et somnum procuraverat, quamvis dolor costarum non ei consentiret; dominus Quixotus laborabat etiam dolore atque oculos apertos habebat tamquam lepus. Omnis caupona silebat et in ea nulla alia lux erat quam lampas ardens, quae in medio vestibulo pendebat.

Haec mira quies et cogitationes, quae adducebant equitem nostrum ad meditandum de rebus gestis, quae saepe narrantur in libris, qui ei influxum maleficum effecerunt, eum duxerunt ad insolitas dementias fingendas, quae cogitari possent; et haec fuerunt eum credidisse ad illustre castellum pervenisse –ut iam dictum est, nam ille credebat omnes cauponas, ubi habitabat, castella esse– et immo filiam cauponis esse filiam praepositi castelli, et haec valde ardebat dominum Quixotum propter praestantiam corporis eius, et pollicita est illa nocte furtim a parentibus suis ad eum venire ad accumbendum iuxta eum bonam moram temporis; et dum haec chimaera esset in mente eius quam ipse adumbravit et putavit ut veram, tamen incepit affligi propter magnum periculum suae honestatis et sic proposuit in suo corde nullam perfidiam committere contra dominam Dulcineam a Toboso, quamvis ipsa regina Genovefa (Ginebra) cum nutrice domina Quintañona in conspectu eius esset.

His rebus perpensis, tempus appropinquavit et quidem hora –quae ei infelix fuit– adventus asturicae Maritornes, quae induta subucula et nudis pedibus, capillis collectis sudario, et mesuratis gressibus ac silenter, in cubiculum intravit, ubi tres recumbebant et mulionem quaesivit. Sed simul atque ianuam clausit dominus Quixotus eam sensit et sedens in lecto, praeter medicamenta accepta et magno dolore costarum, bracchia sua porrexit ad formosam virginem recipiendam. Asturica puella autem quae recollecta ac silens procedebat porrigens manus ante se, quaerens amantem suum, invenit bracchia domini Quixoti, qui fortiter apprehendit bracchium eius et eam ad se adduxit, nulla voce ab ea prolata, eamque sedere fecit super lectum. Ille autem subuculam eius tetigit et quamvis erat telae sacci ei autem videbatur subtilissima ex serico esse. Ad bracchia ferebat monilia vitrea, sed ille putavit eas margaritas orientales esse. Capilli eius qui magis videbantur crines equini ei fuerunt tamquam

splendens filum aureum Arabiae quod obumbrabat solem. Atque halitus eius, qui redolebat escam rancidam, sua opinione, erat odor suavissimus aromaticusque; denique ille eam depinxit suis cogitationibus ut legerat in libris de illa principessa, quae ad equitem male vulneratum venit, et quidem victa amoribus erga eum, et praedita omnibus ornamentis, quae hic describuntur. Et talis erat caecitas pauperis fidalgi ut nec tactus nec halitus nec alia, quae illa bona virgo secum ferebat, eum deciperent et quae alium facerent nausea vomere, nisi mulio esset; et, sua sententia, credebat in suis bracchiis divam formositatis habere. Et, cum eam sic habuit, incepit dicere:

–Vellem facultatem invenire solvendi tam magnum beneficium quod mihi fecisti, alta formosaque domina, quia praedita tua venustate ad me venisti; tamen fortuna, quae persequitur bonos, posuit me in hoc lecto, ubi contusus confractusque accumbo, quamvis voluntas mea vellet tibi convenire quod nullo modo fieri potest. Immo alia difficultas oritur ex fidelitate quam obtuli impari Dulcineae a Toboso, unicae dominae cogitationum mearum; atque, his rebus remotis, non essem tam stultus eques praetermittendi hanc prosperam occasionem quam tu, optima domina, mihi praebes.

Valde afflicta erat Maritornes et transpirabat sudorem videndo se apprehensam a domino Quixoto et nihil de eo intelligebat et, nullo verbo prolato, ab eo sese liberare conabatur. Bonus mulio autem, quem mala desideria eius non sinebant dormire, simul atque eius concubina intravit per ianuam eam quidem sensit atque attente auscultavit omnia, quae dominus Quixotus dicebat ei et zelosus ne puella asturica non adimpleret quod pollicita esset appropinquavit ad lectum domini Quixoti et exspectavit ad videndum quid faciendum esset, quia non intelligebat omnia illa argumenta; sed ubi primum viderit puellam voluisse sese liberare ab eo atque eodem tempore dominum Quixotum eam apprehendere, male videbantur ei illae facetiae, quare levavit bracchium et percussit dominum Quixotum fortiter pugno suo in angustam maxillam equitis amantis et continuo omne os illius impletum est sanguine, sed nondum contentus hac re super costas eius ascendit easque calcitravit et super eas percurrit pedibus violenter.

Lectus autem non nimis robustus erat nec fundamenta valde bona et non potuit sustinere etiam corpus illius mulionis, quare ruit deorsum ad quem strepitum caupo putavit hanc esse quamdam rixam Maritornes, quam vocavit, sed non respondit ei. Motus hac suspicione surrexit, accendit lucernam atque accurrit ad locum ubi audierat rixam. Puella, teterrimo domino adveniente, timuit, quia timorata erat atque ad lectum Sanctii Pansae pervenit, qui adhuc dormiebat ibique se incurvavit apud eum. Caupo autem intravit dicens:

–Ubinam gentium es tu, moecha? Absque dubio hae erunt res tuae.

His verbis auditis, Sanctius experrectus est et cum sensit molem corpoream apud se, putavit incubum habuisse atque impetum fecit pugnis et calcibus et inter ea multoties Maritornes percussit, quae ex dolore et, honestate amissa, reddidit Sanctio quae potuit et hic somnum amisit; et cum vidit se hoc modo tractari surrexit atque amplexus est Maritornes et inter illos duos rixa acerrima atque iucundissima huius mundi incepit.

Cum mulio sub lumine lucernae cauponis videret difficultates suae dominae,

relicto domino Quixoto, festinavit ad eam adiuvandam. Eadem cauponarius fecit, sed ex diverso desiderio, scilicet ad puellam puniendam, quia putavit tantum eam fuisse occasionem totius huius harmoniae. Et ut dicitur: feles persecutus est murem, mus funem et denique funis fustem, sic mulio percutiebat Sanctium, Sanctius puellam, puella eumdem, cauponarius puellam atque omnes tam magna celeritate ad invicem sese percutiebant, nulla mora praetermissa; et cumulus totius huius rei fuit lucernam cauponarii exstinxisse omnesque manserunt in tenebris atque in obscuritate noctis, sed nihilominus percutiebant sese absque commiseratione et ad primam molem detectam et ubi manum ponebant nullam rem sanam relinquebant.

Casu illa nocte in ipsa caupona pernoctabat sodalis ex his qui illius veteris toletanae Sanctae Fraternitatis vocabantur, qui, magno strepitu proelii audito, baculum suae auctoritatis accepit et metallicam capsam titulorum atque in obscurum cubiculum intravit dicens:

–Sistite omnes ad iustitiam! Sistite ad Sanctam Fraternitatem!

Sed primum quem invenit contusum, in lecto proiectum, accubitum sursum atque absque sensu, fuit dominus Quixotus; et cum barbam eius manu sua attrectavit non cessabat clamandi:

–Favete iustitiae!

Tamen, cum sensit quem tenebat nullo modo moveri, credidit eum mortuum fuisse ibique esse qui eum occiderunt, hac suspicione accepta, voce tonitruante exclamavit:

–Porta huius cauponae claudatur! Nemo hinc exeat, quia hic hominem interfecerunt!

Omnes, his vocibus auditis, maxime perturbati sunt et continuo unusquisque rixam reliquit. Recedit cauponarius ad cubiculum suum, mulio ad sua stragula et puella ad suum cubiculum. Tantummodo dominus Quixotus et Sanctius miserrimi non potuerunt se movere ex loco ubi erant. Sodalis Sanctae Fraternitatis barbam domini Quixoti reliquit atque egressus est ad quaerendam lucem ita ut delinquentes apprehenderet; tamen lucernam non invenit, quia cauponarius sua sollertia lampada exstinxit cum ad suum cubiculum recessit et sic ille sodalis debuit focum petere, ubi magno labore et longa mora aliam lucernam accendit.

Cap. 17. Ubi innumeri labores prosequuntur, quos strenuus dominus Quixotus et bonus armiger Sanctius Pansa passi sunt in caupona, quam putaverunt castellum et quidem pro adversitate eorum

Ex suo paroxismo et languore reversus dominus Quixotus, et cum eodem tono vocis, quo hesterno die armigerum vocaverat cum in valle fustium iaciebat, sic incepit appellare eum dicens:

–Sancti amice, dormis? Dormis, amice Sancti?

–Quid possum ego dormire? Male eveniat mihi! –respondit Sanctius, praeditus magna lassitudine et furore–, nonne videtur mihi cunctos diabolos fuisse mecum hac nocte?

–Hoc habeas pro certo atque absque dubio –respondit dominus Quixotus–; quia egomet parum scio an hoc castellum incantatum est. Nam oportet te scire ... Sed quod nunc tibi dicere volo polliciturus es te in secretum, donec moriar, servaturum esse.

–Profecto polliceor –respondit Sanctius.

–Hoc tantum tibi dico ne honor a quolibet auferatur.

–Ego dico me hoc polliceri –inquit denuo Sanctius– et hoc tacebo per dies tuae vitae et placeat Deo ut haec cras possim develare.

–Tam male operam navavi tecum, Sancti –respondit dominus Quixotus–, ut tam celeriter velles me mortuum videre?

–Non propter hoc haec dixi –respondit Sanctius–, sed quia inimicus sum servandi res diu et nollem ea putrefacere si longo tempore eas servarem.

–Quidquid sit –ait dominus Quixotus–; maiorem fiduciam habeo tuae dilectioni atque urbanitati; sic debes scire hac nocte mihi accidisse res gestas insolitas in extremis; et ut breviter dicam en filia praefectus huius castelli ad me nuper venit et haec est venustissima ac formosissima virgo, quae nullibi in terris inveniri potest. Quid dicam tibi de eius ornatu? Quidnam de elegante atque aperto intellectu eius? Quidnam de rebus ocultis, quae propter fidelitatem debitam dominae meae Dulcineae a Toboso intactas et silenter praetermittere debeo? Tantum dicam tibi coelum invidum esse propter tam magnam venturam, quae in manibus meis posuit. Sed, ut iam tibi dixi, hoc castellum incantatum est, et cum loquebar cum ea suavissimo atque amorosissimo colloquio, et, nemine vidente, en manus bracchii cuiusdam immanis gigantis percussit maxillas meas, quas sanguine continuo inundavit. Et postea tutudit me atque hoc modo peius me invenio quam hesterno die cum gallaici iniuriam nobis fecerunt, quam iam nosti, propter intemperantiam Rocinantis. Quare suspicor thesaurum formositatis huius virginis cuidam mauro servari et non quidem mihi.

–Nequaquam –respondit Sanctius–, quia plures quam quadringenti mauri tutuderunt me et taliter ut percussio fustium pro nihilo videretur. Sed dic mihi, domine, quomodo vocentur hae bonae et mirae res gestae, ex quibus invenimus tam magnam adversitatem? Sed tibi non evenit male, quia in manibus habuisti inaequalem formositatem quam dixisti, sed ego, quid enim accepi nisi maiores ictus, quam numquam accipiam in omnibus diebus vitae meae? Me miserum! Et vae matri, quae peperit me! quia nec eques itinerans sum nec umquam ero atque in omnibus adversis pessima pars semper accidit mihi.

–Ergo etiam tutuderunt te? –respondit dominus Quixotus.

–Nonne iam dixi ita mihi evenisse et hoc praeter genus meum! –dixit Sanctius.

–Ne doleat tibi, amice –inquit dominus Quixotus–; quia nunc conficiam balsamum pretiosum, quo sanabimur in ictu oculi.

Sodalis tandem accendit lucernam et intravit ad videndum quem crediderat mortuum; et simul ac Sanctius vidit eum amictum subucula, cum sudario super caput et cum lucerna in manu et insuper habentem vultum contractum quaesivit a domino suo:

–Domine, nonne hic est maurus incantatus, qui iterum revertit ad puniendos nos si quid reliquit in atramentario suo?

–Nullo modo erit maurus –respondit dominus Quixotus–, quia incantati a nemine videntur.

–Si non videntur profecto sentiuntur –dixit Sanctius–; sin minus, dorsum meum dicet.

–Etiam meum eadem dicet –respondit dominus Quixotus–; sed hoc non est signum ad probandum ut vere esset maurus incantatus.

Tunc sodalis Sanctae Fraternitatis advenit et cum vidit eos loquentes sereno colloquio valde miratus est. Verum est dominum Quixotum accubuisse sursum in lecto, nullo motu adhibito, quia graviter contusus erat. Ad quem sodalis pervenit et dixit ei:

–Quomodo vales, vir?

–Nonne oportet melius loqui –respondit dominus Quixotus–, quam quod loqueris? Num loquitur hoc modo in his regionibus cum equitibus itinerantibus, stulte?

Sodalis qui tam male se vidit tractari ab homine aspectu maligno non potuit id sustinere atque elevans lucernam cum olio eius percussit caput domini Quixoti tali modo ut caput vulneraret; et cubiculum mansit obscurum et deinde exivit; et Sanctius Pansa dixit:

–Absque dubio hic est maurus incantatus et thesaurum alteri servabit, quia nobis tantum contusiones ictusque lucernae habet.

–Hoc ita est –inquit dominus Quixotus–, atque est parvi faciendi in his rebus incantatis et non oportet irasci propter iniuriam; haec omnia sunt invisibilia atque entia rationis quare a nemine vindictam possumus facere, quamvis conemur. Surge, Sancti, si potes et vade ad praepositum huius castelli atque ab eo quaere parum olei, *vini*, *salis* et *roris marini* ad salutiferum balsamum conficiendum, hoc vere nunc necesse est mihi, quia magna copia sanguinis defluxit ex vulnere meo, quod istud phantasma mihi fecit.

Sanctius surrexit magno dolore atque in tenebris cauponem petivit; sed invenit sodalem Sanctae Fraternitatis, qui auscultabat, quae inimicus eius faciendus erat, eique dixit:

–Domine, quicumque sis fac nobis gratiam beneficiumque et da nobis parum roris marini, olei, salis et vini ad curandum equitem itinerantem, qui est inter meliores huius mundi et qui iacet in illo lecto vulneratus a mauro incantato, qui est in hac caupona.

Sodalis autem, his verbis auditis, putavit eum amentem esse; et, diluculo adveniente, aperuit portam cauponae et vocavit cauponem cui dixit quae ille vir bonus quaereret. Caupo autem dedit ei omnia, quae ab eo quaerebat, quae Sanctius domino Quixoto adduxit, qui manus ad caput ferebat ex dolore ictus lucernae, quamvis tantum duas protuberantias auxerit in capite et quod ille credebat sanguinem esse non erat nisi sudor ex anxietate illius teterrimae procellae.

Breviter, ille accepit sua simplicia elementa quibus compositum fecit, miscens haec omnia, quae etiam coxit per aliquot tempus, donec ei videbatur omnia idonea esse. Quaesivit lagoenam, sed non invenit eam in caupona, quare accepit ampullam oleariam metallicam quam caupo ei ut donum dedit. Et postea supra hanc ampullam oleariam plus quam octoginta *Paternoster* dixit et tot preces ut *Avemaria*, *Salve* et *Credo* atque omni verbo addebat signum crucis tamquam benedictionem et his

omnibus caupo et Sanctius circumstantes erant et etiam sodalis ille; dum mulio praeditus tranquillitate beneficium mulorum tractabat.

Dominus Quixotus, his rebus confectis, voluit probare virtutem illius pretiosi balsami, quem hoc modo sibi animo fingebat et sic bibit quae non potuit in illam ampullam oleariam introducere et in olla manebat, ubi coxerat quasi dimidium sextarium [vulgo *azumbre*] et simul ac bibit incepit vomitare magna vehementia et nauseis ita ut nihil relinqueret in stomacho; et cum anxia atque agitatione illius vomitus transpiravit magnum sudorem et stragula quaesivit et etiam rogavit ut eum solum relinquerent. Sic enim fecerunt et per tres horas vel plures ille dormivit et cum e somno experrectus est sensit se validiorem in corpore et putavit se esse omnino sanum. Quare credidit se scopum attigisse illius balsami de Fierabras et cum tali remedio omnia ultra posse conari absque ullo timore, nempe impetus facere, proelia inire et rixas, quamvis omnia periculosa essent.

Sanctius Pansa qui credidit illud signum tamquam miraculum sui domini, ab eo quaesivit ut daret ei ex reliqua parte ollae, quae adhuc erat magna copia. Dominus Quixotus concessit ei atque ille apprehendit ollam duabus manibus et bona fide et dispositione bibit quae potuit, non minus quam dominus eius. Tamen fortasse stomachus Sanctii non erat tam delicatus quam domini eius et ante quam vomitaret tam multas habuit anxietates et nauseas cum sudoribus et languoribus ut crederet ad finem vitae pervenire; et sic maledicebat balsamo atque infami qui hoc ei dederat. Sed cum dominus Quixotus eum in hoc modo vidit dixit ei:

–Mea quidem sententia, Sancti, haec adversitas oritur, quia nondum armatus es eques itinerans, et hic liquor non proderit iis qui non sunt.

–Si hoc sciebas, domine –obiecit Sanctius–, quare consensisti ut probarem? Et male eveniat mihi et omnibus propinquis meis!

Tunc effectum fecit balsamus et miser armiger incepit evacuare ex omnibus foraminibus sui corporis et tam celeriter ut nec storea nec stragula, quibus se cooperiebat sufficerent ei. Transpirabat et sudabat magnopere et talibus paroxismis et languoribus ut non tantum ille, sed etiam alii crederent eum ad extremum vitae pervenisse. Fere per duas horas passus est hanc procellam, sed deinde non remansit ut dominus eius, sed vexatus et concussus ita ut nec erectus stare posset.

Sed dominus Quixotus, ut iam diximus, validiorem se sensit, et denuo voluit ad suas res gestas venire, quia ei videbatur nullam moram faciendam esse, nam mundus egebat eo et virtute eius ad adiuvandos miseros et praesertim cum esset securus, quia munitus erat illo balsamo. Motus hoc desiderio sellam ipse posuit Rocinanti et clitellas asino armigeri quem iuvavit ad ascendendum. Etiam ille in equum ascendit et ad angulum venit, ubi erat quaedam hasta brevis ut ei esset pro lancea.

Oculi omnium, qui in caupona erant, eum inspiciebant, et quidem plures quam viginti; filia cauponis etiam eum videbat, atque ipse oculos ab ea non removebat et aliquando suspirium exhalabat et hoc videbatur ut ex profundo corporis eius exire, quamvis alii crederent esse ex dolore costarum eius saltem hoc putabant qui eum viderunt hesterna nocte cum eum curarent.

Cum ambo essent super equos suos atque ad portam illius cauponae, tunc dominus Quixotus vocavit cauponem ac serena et gravi voce dixit ei:

–Multa ac magna sunt beneficia, domine praeposite, quae in tuo castello accepi, quibus gratias vere agam tibi omnes dies vitae meae. Si tibi aliquo modo retribuere possum in qua vindicta cuiusdam superbi, qui tibi iniuriam fecerit, scito munus meum esse adiuvare eos, qui parum ex se possunt, vindicare ultiones eorum, qui adversas iniustitias acceperunt et punire iniurias. Quamobrem quaere in tua memoria et si quid huiuscemodi invenies, dic mihi atque ego polliceor tibi per ordinationem equitatus, quam accepi, me facturum esse omnia secundum tuam voluntatem.

Caupo autem ipsa voce serena ei respondit:

–Domine eques, nulla est mihi necessitas ut vindices me a quadam iniuria, quia ego possum etiam ultionem vindicare cum eam mihi faciant. Tantum oportet ut solvas expensas huius noctis in caupona, scilicet paleae et hordei duarum bestiarum necnon et expensas coenae et cubiculorum.

–Tunc haec est caupona? –obiecit dominus Quixotus.

–Et valde honorata –respondit caupo.

–Deceptus hucusque vixi –respondit dominus Quixotus–; quia vere credidi hoc esse castellum et quidem bonum; sed propterea quod hoc ita est et non castellum, sed caupona, quod potes facere est expensas mihi ignoscere; quia non possum contradicere ordinationi equitum itinerantium ex quibus pro certo habeo eos, nemine discrepante, numquam solvisse pro caupona ubi pernoctassent, quia notum est eos habuisse forum et ius ut eos bene acciperent pro labore suscepto, quo patiuntur quaerentes res gestas die noctuque, hieme et tempore aestivo, pedibus et super equum, sitientes atque esurientes, calore et frigore contra omnes tempestates coeli atque incommoda huius terrae.

–Quid haec omnia mihi? –respondit caupo–; solve quod debes et nihil amplius loquamur de equitatu; quia mihi nihil aliud oportet quam expensas recipere.

–Tu es stolidus et perversus caupo –respondit dominus Quixotus.

Et Rocinantem calcaribus incitavit, levavit lanceam atque ex caupona exivit, nemine eum detinente, neque ipse inspexit utrum armiger sequeretur eum necne et prosecutus est procul.

Caupo autem qui vidit eum non solvisse expensas ad Sanctium Pansam venit ut solveret, qui dixit, si dominus eius noluerit pecuniam solvere nec ille etiam solveret; quia ille erat armiger illius equitis itinerantis atque eadem erat eis regula et ratio agendi nec ipse solveret in cauponis et diversoriis. Caupo autem, his verbis auditis, valde contristatus est et in eum minas iactavit ut ei solveret, quamvis nollet. Cui Sanctius respondit dominum eius nihil soluturum esse, secundum leges illius equitatus quem receperat, nec immo parva pecunia, quamvis amitteret vitam; quia consuetudo tam vetus non amittenda erat pro eo, nec alii equites itinerantes debebant lamentari de eo, nec armigeri ipso modo, quia frangeret morem veterem et honorabilem in hoc foro tam iusto.

Adversa fortuna huius miseri Sanctii adduxit illuc, ad illam cauponam, viros facetos praeditos bonis consiliis, id est malevolos et qui ludos diligebant, scilicet quattuor carminatores lanae Segoviae, tres mercatores acuum ex Fonte Pulli (Fuente del Potro) Cordubae et duos vicinos ex Feria sive ex Mercatu Hispalensi (Heria de Sevilla); illi moti ipso desiderio ad Sanctium pervenerunt eumque demiserunt de asino deorsum, et quidam ex eis stragulum petivit ex lecto cuiusdam hospitis et Sanctium super id

posuerunt et tunc porrexerunt oculos in altum et viderunt tectum non valde altum esse, quare statuerunt ad aream stabuli ire, quae altum coelum habebat ut limes. Ibi, Sanctio super stragulum posito, inceperunt eum proiicere in altum et cum eo ludere tamquam faciunt cum canibus ad Carnestollendas (Quadragesimam).

Voces miseri Sanctii multae erant, quae ad aures domini eius pervenerunt; qui attente exaudivit et credidit has esse res gestas novas, donec potuit clare distinguere armigerum eius clamavisse; tunc dedit habenas ad gyrum faciendum et cucurrit celerius ad cauponam eamque invenit clausam, circumivit eam ad introitum inveniendum; sed cum pervenit ad murum illius areae, qui non erat nimis altus, vidit quae faciebant armigero eius. Sic vidit eum ascendere per aerem in altum tanta dexteritate et celeritate ut, si iracundia relinqueret eum, absque dubio ipse de eo rideret. Tunc conatus est ascendere ope equi sui super murum; sed tam contusus erat quin id posset facere, nec immo ex equo descendere deorsum; et sic incepit infamare eos, qui Sanctium super stragulum in altum proiiciebant, et non decet illa verba iniuriosa denuo scribere, sed hoc nihil proficiebat, quia prosequebantur suo ludo crudeli, nec Sanctius volator cessabat clamare et voce intermiscere tum cum minis tum et aliquando cum petitionibus; sed parum profecit usque ad tempus quo vere lassi et fatigati erant eumque reliquerunt.

Asinum eius adduxerunt ei et Sanctium super illum posuerunt eumque vestibus eius cooperuerunt. Clemens Maritornes autem, Sanctio vexato ac lasso conspecto, credidit bonum esse ei succurrere cum urceo aquae et sic e puteo eam extraxit ad bibendum, quia illinc aqua frigidior erat. Sanctius accepit urceum suis ambabus manibus atque ad os suum adduxit, sed detinuit se cum audivit voces domini sui dicentis:

–Fili mi, Sancti, ne bibas aquam! Fili, ne bibas aquam, quia te occidet! Videas, hic est mihi sanctissimum balsamum –et ostendit ei ampullam illius liquoris–, ex quo duae guttae sufficiunt ad sanandum.

Sanctius autem, his vocibus auditis, oculos vertit seorsum et maioribus vocibus ei dixit:

–Num oblitus es, domine, me nondum esse equitem itinerantem? Sive vis me vomere viscera, quae reliquerunt mihi ex hesterna nocte? Serva, domine, tuum liquorem cunctis diabolis et denique relinque me.

Simul atque haec dixit, incepit bibere; sed, cum vidit ad primum haustum hoc esse aquam, noluit ultra prosequi atque a Maritornes quaesivit ut ei vinum adduceret et illa sic libenter fecit atque ex pecunia sua solvit; quia profecto de ea dicitur eam, quamvis in hoc officio maneret, tamen apparientias habere a longe tamquam christianam.

Cum Sanctius potavit, asinum incitavit calcaribus, et, porta illius cauponae ei aperta, ex illa exivit laetus, quia nihil pecuniae solvit atque hoc modo ad nutum suum, quamquam solveret suis costis, quae pro eo magnam cautionem solverunt. Verum est caupo clitellas eius abstulisse pro his, quae solvere debuit; sed Sanctius non animadvertit, quia vere turbatus erat. Caupo, cum ille exivit, voluit portam pessulo claudere; sed qui ludum straguli fecerunt noluerunt id adimplere ut inane, quia ut plebecula contempserunt dominum Quixotum et pro nihilo fecerunt nec eum honoraverunt, quamvis verus eques itinerans ipsissimae Tabulae Rotundae esset.

Capitulum 18. Ubi narrantur argumenta, quae Sanctius Pansa cum domino Quixoto locutus est aliaeque res gestae dignae narrandi

Sanctius ad dominum Quixotum pervenit et quidem exhausto animo, quare nec asinum incitare calcaribus potuit. Cum dominus Quixotus sic eum vidit ei dixit:

–Nunc firmiter credo, Sancti bone, illum castellum sive cauponam, procul dubio, incantatum fuisse; quia qui tecum illum teterrimum ludum fecerunt, quid possent illi esse nisi phastasmata et plebecula alterius mundi? Atque hoc confirmo quia cum vidi per muros illius areae te et actus illius tristis tragoediae, non potui super muros ascendere nec de Rocinante deorsum descendere, quia incantatum me habuerunt, tamen iuro tibi, quod verum est, si potuissem ascendere sive descendere me vindicaturum esse ab eis, ita ut malefici illi meminissent illarum facetiarum in aeternum, quamvis frangerem leges equitatus, nam haec nullo modo consentiunt equites impetum facere in eos, qui non sunt equites, nisi in defensione propriae vitae atque in extrema urgentique necessitate.

–Etiam ego vindicarem me si possem, seclusa ordinatione illius equitatus, tamen non potui; quamvis, mea opinione, qui mecum ludum fecerint non erant phantasmata neque viri incantati, secundum dicis, sed homines ex carne et ossibus sicut nos; atque omnes, secundum audivi eos appellare cum me proiicerent in altum, nomina habebant alter vocabatur Petrus Martínez, alter Tenorius Hernández et caupo, secundum quod audivi, nuncupabatur Ioannes Palomeque Scaevus (el Zurdo). Sic, domine, si non potuisti in muros areae ascendere nec de equo descendere culpa tua fuit et non incantamenti. Et quod ex hac experientia extrahere possum tantum est nos errare quaerentes has res gestas ita ut nesciamus quisnam sit pes dexter noster. Et quod vere esset maioris momenti, secundum parvum intellectum meum, opus est nos ad pagum nostrum reverti et praecise nunc, quia id est tempus messis ad curanda praedia nostra et non peregrinandi huc vel illuc et ex malo in peius ad adversam fortunam, sicut aiunt.

–Quam parum scis, Sancti –respondit dominus Quixotus–, de quaestionibus huius equitatus! Tace atque habeas patientiam; quoniam dies veniet, quo videbis tuis propriis oculis quam honorabile est in hoc exercitio ultra prosequi. Sin autem, dicas mihi: quaenam laetitia huius mundi comparabitur cum victoria cuiusdam proelii sive super triumphum sui inimici? Nulla absque dubio.

–Forte sic erit –respondit Sanctius–, quia ego nescio; tantum possum dicere ex hoc nos equites itinerantes esse, sive tu es (quia non possum numerari in hoc honorabili coetu), numquam victoriam accepimus in quodam proelio, nisi id cum vasconico et tunc fere dimidiam auriculam perdidisti et dimidiam galeam minus; postea vero omnia fuerunt magis magisque ictus fustium, ictus pugnorum et colaphi, sed his omnibus ego praestantiam habeo propter iactum meum in altum ope straguli et quia illa entia incantata sunt, quibus non possum me vindicare, quomodo possum gaudere hac victoria super inimicum, quam tu dicis, domine?

–Hic est dolor meus et etiam tuus, Sancti –respondit dominus Quixotus–; sed

ultra iam providebo quemdam gladium ad manus meas et quidem confectum tali sollertia ut possessor eius non patiatur incantamentum ullius generis; immo si fortuna daret mihi illum gladium quem Amadis habebat cum ipsum vocarent *Equitem Ardentis Ensis* atque hic fuit optimus gladius, quem eques in toto orbe terrarum habuit, quia acutus erat tamquam novacula radendi et nulla armatura obstabat ei, quamvis fortis vel incantata esset.

–Secundum fortunam meam, si illum gladium invenies, domine, tantum equitibus itinerantibus proderit tamquam balsamum; et armigeris nihil boni erit.

–Ne timeas, Sancti –inquit dominus Quixotus–; coelum etiam tibi propitium erit.

His argumentis expositis, dominus Quixotus atque armiger eius ultra procedebant et en dominus Quixotus in via ubi iter faciebant vidit magnam ac densam nubem pulveris ad eos venire; et vix ac vidit eam ad Sanctium oculos suos convertit eique dixit:

–Hodie est vere dies, o Sancti! quo aperte videndum est quidquid prospera fortuna servabit mihi; hic est dies, ut dixi, quo virtus bracchii mei ostendenda est, quia talia opera perficiam, quae in aeternum in libro Famae scribentur. Videsne illam nubem pulveream, quae hic in altum levatur, Sancti? Profecto copiosissimus exercitus in ea pullulat ex diversis atque innumeris viris qui huc procedunt.

–Cum hoc ita sit, duo erunt exercitus –dixit Sanctius–; quia ex hac altera parte eodem modo etiam altera nubes pulverea similiter levatur.

Dominus Quixotus denuo inspexit et vidit hoc verum esse; et valde gavisus est, quia cogitavit duos exercitus esse, qui ad impetum faciendum in illa media planitie conveniebant. Quoniam mens eius omni tempore et momento plena erat his pugnis, incantamentis, rebus gestis, stultitiis, amoribus, provocationibus ad certamina atque ad omnia, quae in libris illius equitatus describebantur, et quidquid loquebatur, cogitabat sive faciebat haec omnia ad similia facta instituenda erant. Tamen haec nubes pulverea quam videbant, duo magni greges ovium arietumque levabant, quae in illa via ex duabus partibus veniebant, et propter pulverem non bene videbantur donec ad eos appropinquaverunt. Sed dominus Quixotus tam firmiter loquebatur eos esse exercitus quod etiam Sanctius credidit et sic ei dixit:

–Domine, quid tunc faciendum est?

–Quidnam? –inquit dominus Quixotus–. Miseris et pauperibus favere eosque iuvare. Et debes scire, Sancti, ut hic qui recte ad nos venit ducit et dirigit magnus imperator Alifanfaron, dominus magnae insulae Trapobanae; alter qui a tergo proficiscitur inimicus eius est, rex garamantarum, nomine Pentapolinus de Nudo Bracchio, quia semper incipit proelia bracchio dextro nudo.

–Et cur hi duo domini tam male se diligunt ad invicem? –quaesivit Sanctius.

–Male se amant –respondit dominus Quixotus– quia hic Alifanfaron est omnino gentilis atque ardet filiam Pentapolini, quae valde formosa et domina praedita elegantia est, et etiam christiana, sed pater eius non vult ut rex gentilis eam ducat uxorem, nisi hic imprimis legem falsi prophetae Mahometi relinquat atque ad suam pristinam revertatur.

–Secundum me –ait Sanctius–, bene fecit Pentapolinus et etiam eum adiuvabo in quantum possim.

–Hoc modo facies quod debes, Sancti –inquit dominus Quixotus–; quia ad similia proelia incipienda non requiritur eques itinerans esse.

–Hoc bene est –respondit Sanctius–; sed ubi possumus asinum stabulare ita ut post rixam eum invenire possimus? Quia non oportet cum simili iumento proelium inire ad usum hodiernum.

–Hoc verum est –dixit dominus Quixotus–. Sed quod potes facere est ei libertatem dare, et utrum deperdatur necne hoc non erit magni momenti, quia tot multos equos habebis cum victores simus ita ut nec securus sim ego quin permutem ipsum Rocinantem pro alio equo. Sed attende nunc et vide, quia potissimum volo tibi equites principales describere, qui in his duobus exercitibus veniunt. Et ut melius eos videas atque animadvertas, recedamus parum seorsum super illum collem, unde duo exercitus discernùntur.

Sic enim fecerunt et super collem sese constituerunt, ex quo bene greges ovium apparebant, quae domino Quixoto exercitus videbantur si nubes pulvereae ne impedirent quin visum obcaecarent; et secundum cogitatíones suas nec videbat nec erant, sed magna voce incepit dicere:

–Eques ille quem ibi vides praeditum armis fulvis, qui in scuto suo leonem coronatum habet ad pedes cuiusdam virginis est enim strenuus Laurcalcus, dominus Pontis Argentei; alter qui arma florum aureorum et qui in scuto tres coronas argenteas in campo caeruleo habet, est teterrimus Micocolembus, magnus dux Chirossiae (Quirocia); alter cum membris giganteis ad dextram eius est numquam temerosus Brandabarbaranus a Boliche, dominus trium Arabiarum, qui munitus est pelle coriacia ex serpente et pro scuto portam habet et, secundum quod fertur, est quaedam porta ex templo quod Samson diruit, cum vindicaret sese ab inimicis philisthaeis cum morte sua. Sed verte oculos ad alterum cornu et videbis ante omnes victorem et numquam victum Timonel a Carcaxona (Carcajona), princeps Novae Vasconiae armatus scuto tessellato, caeruleo, viridi, candido et fulvo colore et in scuto habet felem aureum in campo fulvo cum superscripto *Miau* quod est initium nominis dominae eius, formosissimae Miaulinae, quae est filia ducis Alfenniquis ab Algarbia (Alfenhiquem do Algarve); alter qui onerat et lumbos premit illius robustae equae et cuius arma alba nivea sunt et cuius scutum sine ullo nomine est eques novus francogallus natione, qui nominatur Petrus Papin (Pierres), dominus baronatus de Utrique (de las baronías de U.); atque alter, qui suis ferreis calcaribus incitat latera illius pictae ac levis cebrae et fert arma cum smaragdis caeruleis, est Spartaphilardus Nemoris (Espartafilardo del Bosque), potens dux Nerbiae, et ut titulum habet in scuto plantam asparagi atque hispanico sermone dicit: *Insequere fortunam meam (rastrea mi suerte).*

Et hoc modo enumeravit plures equites ex utraque turma, secundum cogitationes et insolitam dementiam suam, atque omnibus dedit arma, colores, titulos ac rationes agendi et, nulla intermissione accepta, prosecutus est:

–Ad hanc primam turmam pertinent viri plurium nationum: hic sunt qui bibunt dulces aquas clari Xanthi (Xanto); montani qui pedibus calcant campos massilicos; qui cribrant parvum et subtilissimum aurum in Arabia Felici; qui gaudent illustribus frigidisque ripis clarissimi Thermodontis; qui hauriunt aureum Pactolum diversimode; numidi dubitantes in suis promissis; persae noti suis arcubus et sagittis; parthi, medi

qui recedendo pugnant [vulgo *torna fuye*]; arabes nomades; scythae crudeles ut albi; aethiopes noti suis labiis perforatis; atque infinitae aliae nationes, quorum vultus cognosco et video, quamvis eorum nomina oblitus sim. In altera turma veniunt qui crystallinas aquas oliviferi Baetis (Guadalquivir) bibunt; qui poliunt vultus eorum in liquore illius semper copiosi atque aurei Tagi (Tajo); qui utuntur aquis commodis divi Genilis; qui campos tartesios pedibus calcant; qui laetantur in amoenis pratis caesarianis (Xeres, jerezanos); qui coronati sunt aureis spicis in Manica regione; qui amicti sunt ferreis vestibus, superstites ex genere gothico; qui abluunt se in flumine Pisoraca (Pisuerga) noto propter cursum mansuetum; qui armenta sua pascunt per amplos campos tortuosi fluminis Annae (Guadiana), celeberrimi propter cursum occultum; qui tremunt frigore silvosorum Pyrenaeorum (Pirineos); et albis nivibus coronatis excelsi Apennini; et denique omnes quos Europa continet et circumdat.

Iuvet me Deus et quot provincias dixit, quot nationes nominavit unicuique propria attributa dedit mira celeritate imbutus atque absortus in his, quae legerat in suis mendacibus libris!

Sanctius Pansa de verbis eius pendebat, nihil autem protulit, atque aliquando vultum movebat ad inspiciendos equites et gigantes, quos dominus eius nominabat; sed cum neminem cerneret dixit ei:

–Domine, ad diabolum tot viros, gigantes atque equites commendo, quos dicis hic esse, saltem ego eos non video ullo modo; fortasse quia haec erunt per viam incantamenti tamquam phantasmata hesterna nocte.

–Quomodo potes haec dicere? –respondit dominus Quixotus–. Nonne audis hinnitum equorum, sonum tubarum et crepitum tympanorum resonantium?

–Ego tantum audio –respondit Sanctius– oves balantes atque arietes.

Et sic erat verum, quia iam ad eos appropinquabant duo greges ovium.

–Metus qui te habet –inquit dominus Quixotus– facit te nec videre nec recte audire; quoniam effectus timoris est perturbatio sensuum atque efficere res non videri tamquam esse; sed si tam magnum metum habes recede hinc seorsum et relinque me solum, quia egomet valeo ad victoriam consequendam illis quibus tribuam meum iuvamen.

Et his verbis dictis, incitavit Rocinantem calcaribus et, lancea suscepta, descendit de illo colle velox tamquam fulgor. Sanctius enim magnis vocibus ei dicebat:

–Recede, domine Quixote, quia iuro per Deum has oves et hos arietes esse in quos impetum facis! Recede, me miserum a patre qui me genuit! Quaenam dementia est haec? Videas, quaeso, hic nec gigantes nec ullos equites nec feles nec arma nec scutos tessellatos nec integros nec caeruleos neque eos esse cum diabolis. Vide quid facias! Me miserum! Peccator ego sum in conspectu Dei!

Sed dominus Quixotus nec vultum quidem vertit; sed immo magna voce comminabatur eos dicens:

–Eheu equites, qui sequimini et militatis sub vexillis strenui imperatoris Pentapolini de Nudo Bracchio, omnes vos, sequimini me; et cito videbitis quam faciliter vindicabo eum ab inimico eius Alifanfaron a Trapobana!

Et his verbis dictis, introivit per mediam turmam ovium atque incepit impetum facere in eas ope lanceae et quidem tanto furore ac robore tamquam si vere lancea

percuteret inimicos mortales. Pastores et pecuarii qui cum pecoribus veniebant, vocibus ei clamabant ne id faceret; sed cum viderent nihil proficere loqui cum eo apprehenderunt fundas atque inceperunt aures eius salutare petris et saxis. Dominus Quixotus nullo modo curabat de petris; immo ubique inveniebatur et dicebat:

–Ubi es tu, superbe Alifanfaron? Veni mecum, quia ego eques solus sum, qui vult tecum solus cum solo vires tuas probare et vitam a te auferre pro vita, quam abstulisti a strenuo Pentapolino Garamanta (Garramanta).

Tunc amygdala fluminis percussit latus domini Quixoti et duas costas sepelivit in corpore. Cum ille se vidit tam contusum credidit, procul dubio, se mortuum esse et meminerat illius liquoris ampullae, eduxit eam atque ad os suum posuit et incepit stomachum implere; sed antequam finiret quod ei satis videbatur, aliud saxum ut amygdala pervenit et manum percussit atque omnem ampullam rupit fragmentis et tres sive quattuor dentes eradicavit de ore et etiam duos digitos manus contudit.

Ictus fortes fuerunt, et primus et secundus ope quorum miserrimus eques de equo cecidit deorsum. Pastores ad eum pervenerunt et crediderunt eum mortuum esse et cito festinaverunt ad pecora sua colligenda, oneraverunt mortua, quae plura erant quam septem et, nulla autem disquisitione facta, profecti sunt.

Sanctius erat super collem inspiciens dementias domini sui. Et barbas manibus evellebat dum maledicebat horae et momento quo fortuna ostensa est ei. Et, pastoribus remotis, et domino Quixoto in terra contuso, Sanctius de colle descendit atque ad eum pervenit et quidem eum invenit adverso modo, tamen non amisit sensum eique dixit:

–Nonne dixi tibi, domine Quixote, ut reverteris, quia non erant exercitus nisi greges arietum?

–Haec omnia inimicus meus et sapiens incantator perfecit et a visu mutavit atque abstulit. Sed oportet te scire, Sancti, perfacile eis esse ut videatur nobis quod ipsi volunt et maleficus, qui persequitur me invidus meae gloriae, quam nancisurus eram in hoc proelio, mutavit cohortes inimicorum in greges ovium. Aliter, per vitam meam! Sancti, atque ut veritas patefaciat tibi, hoc facies, et omnia recte videbis: ascende in asinum et sequere eos et certe videbis, cum discedant hinc, denuo esse ut antea et non iam arietes, sed viri cum omnibus rebus sicut eos tibi depinxi. Sed ne facias nunc hoc, quia magna necessitas est mihi tui iuvaminis; appropinqua ad me et vide quot dentes et molares desunt mihi, quia mihi videtur nullum esse in ore meo.

Sanctius appropinquavit ad eum et fere oculos suos in ore eius introduxit; et fuit cum balsamum operam navavit in stomacho domini Quixoti et cum Sanctius inspexit os eius en ille vomit ex se et fortius quam sclopetum quidquid intus haberet atque haec omnia ad barbas misericordis armigeri eiecit.

–Sancta Maria! –dixit Sanctius–, et quid est quod evenit? Absque dubio hic peccator vulneratus est mortis, quia sanguinem per os vomit.

Nihilominus animadvertit hoc non fuisse sanguinem propter colorem, saporem odoremque, sed balsamum illius ampullae, quod vidit eum bibere et talis fuit ei nausea illius ut stomachus agitaretur et ipse etiam vomit viscera sua super dominum suum et ambo sordidi et maculati manserunt. Sanctius ad asinum venit ad extrahendum ex clitellis aliquid ad sese mundandum et ad dominum curandum, sed, proh dolor!

clitellas non invenit et fere sanum iudicium suum perdidit. Maledixit sibi denuo et proposuit in suo corde dominum illum relinquere et domum suam petere, quamvis amitteret lucrum suae servitutis et spem gubernandi illam insulam promissam.

Tunc surrexit dominus Quixotus et manu sinistra os suum attrectavit ne amitteret plures dentes atque altera manu habenas Rocinantis accepit, qui numquam a domino suo sese removit –quia valde fidelis et bene assuefactus erat–, et ad suum armigerum pervenit, qui manum habebat ad maxillam ut homo valde meditabundus. Cum dominus Quixotus vidit eum tali modo et tam magnam tristitiam ostendentem dixit ei:

–Debes scire, Sancti, hominem non supra alium hominem esse nisi plura faceret quam ille. Et tot hae procellae quae accidunt nobis signa evidentia sunt hanc tempestatem cito mitigandam esse et in futurum fieri res prosperas; quia non fieri potest quin sive res adversae sive res secundae in aeternum sint; inde deducitur si malum diu producitur bonitas proxima erit. Quapropter non debes contristari ob has adversitates quae ad me perveniunt, quia nulla est pars tibi in eis.

–Cur non? –respondit Sanctius–. Nonne quem hesterno die cum stragulo in altum eiecerunt alius erat nisi filius patris mei? Et clitellae quae hodie desunt mihi, cum omnibus meis rebus, nonne sunt etiam ipsius?

–Desuntne clitellae tibi, Sancti? –dixit dominus Quixotus.

–Certe, desunt mihi –respondit Sanctius.

–Hoc modo nihil erit nobis hodie ad edendum –obiecit dominus Quixotus.

–Hoc ita esset –dixit Sanctius– cum prata non haberent herbas quas tu, domine, dices bene cognoscere et quibus infelices equites itinerantes supplent similes inopias tamquam tu nunc quidam eorum es.

–Cum hoc ita sit –respondit dominus Quixotus–, nunc magis vellem fragmentum panis vel panem focarium et duo capita sardinarum salsarum quam omnes herbas quas Dioscorides in suo herbolario describit, quamvis doctor Laguna eas illustret. Tamen ascende in asinum tuum, Sancti bone, et sequere me quia Deus providens in omnibus non deficiet nobis et praesertim cum simus in ministerio eius, quia aer non deerit culicibus nec terra vermibus nec aqua ranunculis. Et pius est quia facit oriri solem super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos.

–Melior esses, domine –dixit Sanctius–, ut praedicator quam ut eques itinerans.

–Omnia oportet eos cognoscere et equites itinerantes debent scire, Sancti –inquit dominus Quixotus–; quia fuerunt equites itinerantes in praeteritis saeculis, qui eodem modo steterunt in medio campo regio ad sermonem sive concionem faciendam tamquam si lauream accepissent ex Universitate Lutetiae Parisiorum (París); quare deducitur lanceam numquam calamum obiecisse nec calamum lanceam.

–Nunc autem, sit tamquam tu dicis –respondit Sanctius–; procedamus hinc et videamus ubi pernoctabimus et provideat Deus ne sint ibi stragula et viri, qui ludant stragulis, nec phantasmata, nec mauri incantati, sed si talia sunt omnia ad diabolum mittam.

–Hoc debes a Deo quaerere, fili mi –inquit dominus Quixotus, et duc quonam velis; quia nunc ad nutum tuum relinquere volo nostrum habitaculum. Sed veni huc et tenta cum digito ad videndum quot dentes et molares desunt mihi in maxilla superiore; quia ibi est mihi dolor.

–Quot molares erant tibi in hac parte?

–Quattuor –respondit dominus Quixotus–, extra cordalem omnes integri et valde sani.

–Videas quod dicis, domine –respondit Sanctius.

–Quattuor sive quinque dico –respondit dominus Quixotus–; quia numquam in vita mea abstulerunt a me dentem nec molarem ex ore meo neque ceciderunt nec ex quodam morbo destructi sunt nec ex quodam rheumatismo.

–In maxilla inferiore –dixit Sanctius– tantum duos molares habes et dimidium; sed in superiore nec dimidium nec ullum habes; maxilla est rasa tamquam palma manus.

–Me miserum! –ait dominus Quixotus, his moestis nuntiis ab armigero eius auditis–; melius esset bracchium perdere, quamvis non esset illius gladii. Quia debes scire, Sancti, os absque molaribus esse tamquam mola sine petra asinaria et dens pretiosior est adamante. Sed subiecti sumus omnibus adversis, qui stricta ordinatione equitatus fungimur. Ascende ergo, amice, et duc ultra, et egomet sequar te ad tuum nutum et gressum.

Sic fecit Sanctius et prosecutus est ad illam partem ubi ei videbatur bonum refugium inventurum esse, via regali nullo modo derelicta, quia ibi sequenda erat.

Iter paulatim fecerunt, quia dolor in maxillis domini Quixoti ei non indulgebat ad quietem vel ad festinandum et immo Sanctius potissimum voluit animum eius aliquo modo oblectare cum quibusdam argumentis atque inter ea ei dixit quae dicenda sunt in proximo capite.

Capitulum 19. De argumentis et disquisitionibus quibus Sanctius cum domino suo loquebatur et de rebus gestis cum corpore mortuo aliaeque res gestae

Ut mihi videtur, domine, hae omnes adversitates, quae nobis his diebus acciderunt fortasse sint propter poenam peccati, quod delinquisti contra ordinationem equitatus, quia non adimplevisti iusiurandum quod feceras, nempe non comedendi panem ad mensam nec cum regina accumbere et cum reliquis rebus, quae sequuntur et pollicitus es adimplendi usque ad obtinendam galeam Malandrini, sive ut appellaretur maurus ille cuius nominis non bene memini.

–Omnino concedo tibi, Sancti –ait dominus Quixotus–; sed ut verum dicam, etiam huius rei memini; et pro certo habeas te quamdam culpam habere, quia haec non animadvertisti nec memorem me fecisti, quare tibi acciderunt res gestae de stragulo; sed emendationem faciam; quia in institutione equitatus omnia componenda sunt.

–Num aliquid pollicitus sum ego? –respondit Sanctius.

–Nihil facit utrum pollicitus sis necne –inquit dominus Quixotus–; sufficit me intelligere te non tam securum esse, tunc velis nolis bonum erit remedium providendum.

–Cum hoc ita sit –dixit Sanctius–, provideas ne denuo obliviscaris huius rei tamquam iurisiurandi; forsitan phantasmata velint ludere mecum et etiam tecum, quia te vident tam obstinatum.

His atque aliis rebus peractis, et nocte imminente in media via nondum viderunt ubi pernoctare nec se recipere possent; et malum erat, quia illi fame peribant; quoniam, clitellis amissis, copia cibi deerat eis. Et demum ad haec omnia finienda evenerunt eis res gestae nullo modo artificioso, quamquam aliquo modo sic videbatur. Et, atra nocte imminente, iter ambo faciebant et Sanctius propter viam, quam credebat regiam, animo fingebat eos cito quamdam cauponam intra paucas leucas inventuros esse.

Cum hoc ita esset, nox atra erat, armiger valde esuriens et dominus qui cupiebat edere, tamen ambo viderunt, in ipsa via ubi erant, multitudinem virorum ad eos venire, et quidem videbantur tamquam stellae quae movebantur. Sanctius stupuit videns eas et dominus Quixotus incepit vacillare suis cogitationibus; alter duxit asinum ex capistro et alter habenas equi sui accepit, sed quieti manserunt exspectantes quid hoc esset atque en luces appropinquabant ad eos, et dum propius essent videbantur maiores. Sanctius autem, his rebus conspectis, incepit tremere ex metu et capilli capitis domini Quixoti hispidi fiebant, sed animum suum parumper refecit et dixit:

–Hae erunt, procul dubio, Sancti, res gestae maximae ac periculosissimae, ubi oportet me omnem virtutem meam et robur meum ostendere.

–Me miserum! –respondit Sanctius–. Si fortasse hae res gestae sunt de phantasmatibus, quod mihi videtur, ubi erunt costae ad sustinendum?

–Quamvis phantasmata sint –inquit dominus Quixotus–, minime consentiam eos capillum vestis tuae attingere; et si aliquando antea te illuserunt, hoc tantum fuit, quia in muros cohortis ascendere non potui, sed nunc in planitie gladium meum ad nutum meum apprehendere possum.

–Quid enim erit hoc si illi incantant te, domine, et intumescunt ut etiam tunc fecerunt? –dixit Sanctius–, num proderit hoc in campo aperto?

–Nihilominus –obiecit dominus Quixotus–, quaeso te, Sancti, ut habeas animum bonum et, teste tua experientia, videbis quomodo spero fore ut egomet optimum animum habeam.

–Libenter faciam, Deo iuvante –respondit Sanctius.

Et, secessis seorsum de via, attente inspexerunt quid illae luces significarent et subito viderunt multos viros indutos subuculis, quorum visum abstulit omnem animum Sanctii Pansae, qui incepit dentem contra dentem percutere tamquam si magna febri quartana affectus esset; et immo percutio dentium et palpitatio cordis prosecuta est cum viderunt quae haec omnia essent, quia inspexerunt viginti viros super equos, amictos subuculis, omnes cum facibus lucis in manibus, a tergo quorum lectica veniebat cooperta funebri vestimento nigro, quam alii sex sequebantur cum equis eorum, amicti vestibus nigris usque ad pedes mularum; et bene viderunt eas non esse equos propter tranquillitatem gressuum quibus procedebant. Illi induti subuculis voce demissa ac lugubri inter se murmurabant. Hoc visum tali hora et quidem in tali loco suffecit ad metum inferendum in cor Sanctii et etiam in cor domini

eius; et hoc ita esset quoad dominum Quixotum, quia Sanctius iam pavore terrebat et nil faciendum erat. E contrario evenit domino eius, quia illo momento ac tempore credidit, sua opinione, res gestas inusitatas ante se habere secundum libros suos.

Sic enim ille putavit in lectica equitem vulneratum sive mortuum vehi, cuius vindicta tantum ad eum solum pertinebat et, citius dicto, accepit lanceam, bene sedit super sellam et praeditus ingenti alacritate stetit in media via, qua illi induti subuculis debebant transire et cum illi propius essent magna voce eis dixit:

–Sistite omnes! Equites vel quidquid sitis et dicite mihi quinam sitis et quonam gentium procedatis et quid in lectica fertis, quia secundum quod mihi videtur fecistis aliquam improbitatem sive vobis aliquam iniuriam fecerunt atque oportet me haec omnia scire sive ad puniendos vos propter iniuriam sive ad vindicandam iniustitiam factam vobis.

–Oportet nos festinare –respondit quidam eorum amictus subucula–, quia caupona procul est et nullam moram possumus facere ad haec omnia declaranda tibi, sicut quaeris a nobis.

Et statim mulam incitavit calcaribus atque ultra processit. Dominus Quixotus, hoc responso accepto, valde indignatus est et, freno innexo, ei dixit:

–Consistite atque utimini maiore urbanitate mecum et dicite mihi, quae a vobis quaesivi; aliter omnes vos accedite ad proeliandum mecum.

Tamen mula, cum apprehenderent frenum eius, terrore expavit et pedes in altum levavit atque equitem per dorsum deiecit in terram. Pedisequus, cum vidit illum amictum subucula cadere, incepit dominum Quixotum insultare verbis, qui cum indignatus esset, nihil amplius exspectavit, sed accepit lanceam impetumque fecit in unum ex illis cum vestimento funebri, qui vulneratus per terram cecidit; et reliquos percussit magna celeritate omnesque perturbavit atque hoc modo videbatur Rocinantem alas habere ad volatum, quia taliter currebat atque audax erat.

Omnes amicti subuculis erant viri valde timorati atque absque armis et uno ictu proelium reliquerunt et cucurrerunt per campum seorsum, facibus in manibus accensis, et similes erant personis tragicis, quae in quadam nocte festiva ac plena gaudio currebant. Viri illi, involuti vestibus funebribus, non potuerunt bene se movere propter impedimenta vestis talaris et dominus Quixotus ad nutum suum eos omnes percussit et sic locum reliquerunt omnino inviti, quia crediderunt hunc virum diabolum ex infernis esse, quia venit ad auferendum corpus mortuum ex lectica.

Haec omnia adspiciebat Sanctius et quidem mirabatur de ardore domini sui et haec intra se dicebat:

–Absque dubio dominus meus tam strenuus et validus est sicut ipse de se dicit.

Quaedam fax ardebat in terra iuxta primum virum, quem mula evertit atque ad lucem illius facis dominus Quixotus eum aperte potuit videre, et, lancea ad vultum eius posita, dixit ei ut captivum se daret e contrario eum occideret. Cui vir contusus haec respondit:

–Nimis captivus ego sum, quia nec moveri possum propter crus fractum quod habeo; tamen quaeso a te, si eques christianus es ne interficias me, quia magnum sacrilegium facies, nam licentiatus sum et primas ordinationes sacras iam habui.

–Quis ergo, per omnes diabolos, duxit te huc –inquit dominus Quixotus–, cum sis vir Ecclesiae?

–Quisnam, domine? –supplicavit contusus–, adversa fortuna mea.

–Alia maior tibi minatur –ait dominus Quixotus– nisi respondeas mihi omnia quae a te quaesivi.

–Libenter respondebo tibi –dixit licentiatus–; sed scito me, quamvis dixerim licentiatum esse, tantum baccalaureus sum et quidem nominor Ildephonsus (Alonso) López et natus sum in Alcobendas, venio ex urbe Beatia (Baeza) cum undecim sacerdotibus, illi sunt qui fugerunt cum facibus lucis; iter facimus Segoviam comitamur corpus mortuum, quod in hac lectica venit, ille erat eques qui in urbe Beatia mortuus est et ubi sepultus est, sed nunc ossa eius adducimus ad sepulcrum quod est Segoviae, ubi natus erat.

–Et quisnam enim occidit eum? –quaesivit dominus Quixotus.

–Deus, ope febris pestilentis qua aegrotavit –respondit baccalaureus.

–Hoc modo –dixit dominus Quixotus– Dominus Noster abstulit a me laborem vindicandi mortem eius si alter eum occideret, sed si ille interfecit eum, non est nisi ad silentium servandum et acceptandum, quia idem esset si interficeret me. Sed volo ut cognoscas, reverendissime, me esse equitem a Manica, et nuncupor dominus Quixotus et munus et labor meus est per mundum vagari ad iniustitias vindicandas atque ad iniurias delendas.

–Nescio quomodo fieri potest vindicare iniustitias –ait baccalaureus–, quia rectus eram et nunc contusus sum, quia habeo crus fractum, quod numquam in vita mea erit rectum; atque iniuria, quam voluisti delere, in aeternum manebit et adversa fortuna mea fuit venire obviam tibi, qui quaeris tales res gestas.

–Non omnia –inquit dominus Quixotus– eodem modo eveniunt. Damnum et mala fortuna fuit, domine, te baccalaureum Ildephonsum López venire sicut venistis, hora nocturna cum his vestibus et facibus accensis, orantes et quidem amictos funebribus vestibus atque hoc modo similes eratis entibus malignis alterius mundi; quare non potui quominus impetum in vos facere et quidem percussi tamquam si essent diaboli ex inferno, quia ut tales habui vos et diiudicavi semper.

–Sic voluit mea adversa fortuna –dixit baccalaureus–, sed obsecro te, domine eques itinerans (quamvis tam malam fortunam mihi dedisti), ut adiuves me ita ut possim ex hac mula mea exire, quia habet crus meum inter sellam et sustentaculum pedum.

–Non potuisti hoc in crastinum dicere? –inquit dominus Quixotus–. Quare tam multum demoratus es ad hanc urgentem necessitatem dicendam mihi?

Et continuo, vocibus prolapsis, vocavit Sanctium Pansam ut veniret, sed ille non curavit de hoc, quia iumentum depraedabatur in quo domini illi magnam copiam ciborum habebant ad reponendum atque edendum. Ille in vestibus suis duxit quae colligere potuit et sic iumentum suum incepit onerare et tunc accurrit ad voces domini sui et adiuvavit illum dominum baccalaureum ad extrahendum eum ex oppressione mulae eumque posuit super eam ac facem lucis ei dedit; et dominus Quixotus dixit ei ut ille et sodales sui sequerentur iter eorum et eodem tempore quaesivit ab eo ut ignoscerent ei propter iniuriam factam et quia aliter non potuit ipse facere. Atque ei etiam Sanctius dixit:

–Si forte isti domini volunt scire quisnam fuit strenuus eques qui haec eis fecit, dicas enim eum illustrem dominum Quixotum a Manica fuisse, qui etiam alias nuncupatur *Eques Tristis Figurae*.

Baccalaureus, his rebus peractis, profectus est et dominus Quixotus quaesivit a Sanctio, quid impulit ad eum appellandum *Equitem Tristis Figurae* atque hoc potissimum nunc.

–Haec libenter dicam –respondit Sanctius–; quia ad lucem illius facis intuitus sum te et vere habes pessimam figuram quam non umquam vidi; et hoc propter lassitudinem huius proelii sive per amissionem dentium et molarium.

–Non erit propter hoc –respondit dominus Quixotus–; nisi quia sapiens, cui munus est scribendi historiam rerum gestarum mearum, putavit bonum esse me hunc appellativum habere et hoc ut fecerunt equites itinerantes in saeculis praecedentibus, qui etiam appellativa similia habebant: quidam nuncupabatur *Ardentis Ensis*, quidam *Unicornii*; ille *ex Virginibus*; iste *Avis Phoenicis*; alter vocabatur *Eques Gryphi*, alter *Eques Mortis*; atque his nominibus et titulis cognoscebantur per totum orbem terrarum. Et sic dico illum sapientem, de quo iam dixi tibi, induxisse ad mittendum in os tuum ut hoc modo vocares me *Equitem Tristis Figurae* et hoc modo nuncupabor ex hoc die in futurum; atque ut melius nomen hoc accommodetur mihi faciam ut pingant figuram tristissimam super scutum meum.

–Non necesse est tempus et pecuniam inaniter dare ad hanc figuram faciendam –dixit Sanctius–; tantum oportet ut tuum vultum ostendas et qui eum inspiciant, et nulla imagine cognita nec scuto conspecto, vocabunt te *Equitem Tristis Figurae*; et credas me veritatem dicere, quia tu, domine, et ad facetias faciendas, sive propter famem vel propter indigentiam molarium et dentium, et sicut dixi, non oportet tibi picturam cuiusdam tristis figurae perficere.

Dominus Quixotus has facetias Sanctii risit; sed, ad hoc nomen servandum, omnino voluit picturam facere in scuto sicut sibi finxerat animo.

Tunc temporis baccalaureus reversus est et dixit domino Quixoto:

–Oblitus sum dicendi ut animadvertas te excommunicatum esse, quia manus posuisti violenter super rem sacram, *iuxta illud: Si quis suadente diabolo*, etc.

–Hanc sententiam latinam non intelligo –respondit dominus Quixotus–, et ego bene scio me non manus posuisse, sed tantum hanc lanceam; et potissimum nec cogitavi me offendere sacerdotes nec res Ecclesiae, quam veneror atque adoro tamquam catholicus et christifidelis qui ego sum, sed vero phantasmata et monstra ex altero mundo. Et cum hoc ita sit, etiam memini illius quod domino Cid Ruy Díaz accidit cum fregit sellam legati regis in conspectu Sanctitatis Papae, quare excommunicatus est, sed bonus dominus Rodericus de Vivar procedebat tamquam honoratus et strenuus eques.

His verbis auditis, baccalaureus profectus est, ut iam dictum est, et quidem, nulla responsione prolata. Dominus Quixotus voluit videre utrum vere corpus quod in lectica veniebat essent ossa necne; Sanctius autem haec non consensit, dicens ei:

–Domine, finisti has periculosas res gestas prospera fortuna et maiore valetudine ex omnibus quas vidi; haec gens, quamvis victa sit inordinataque, fortasse animadvertat solummodo equitem eos vicisse atque affecti magna verecundia parent se ad nos quaerendos et veniant ad disturbandos nos. Iusiurandum est ut convenit, mons prope manet, fames onerat nos, et nihil est faciendi nisi recedendum secundum gressus convenientes atque ita ut dicunt: mortuus ad fossam et vivus ad panem focarium.

Sanctius autem, asino apprehenso, dominum suum rogavit ut seipsum sequeretur; ille autem concessit Sanctium recte iudicavisse et, nemine discrepante, secutus est eum. Et illi, parva mora elapsa, iter fecerunt inter duos montes et spatiosam atque absconditam vallem invenerunt, ubi descenderunt deorsum et Sanctius exoneravit iumentum et sedentes super teneram herbam, cum aviditate famis ientaculum, prandium et coenam simul atque eodem tempore comederunt et stomachos refecerunt cibis, quos abstulerunt ex his, quae domini clerici illius defuncti –qui saepe bonam copiam habent– in cella penaria mulae secum ducebant.

Nihilominus adversa fortuna advenit, et secundum Sanctium omnium pessima, quia non erat eis vinum ad bibendum nec aqua ad potandum nec ad afferendum ad os eorum; et illi moti magna siti, et prato pleno tenera ac parva herba considerato, Sanctius dixit quod in proximo capite dicendum est.

Capitulum 20. Ubi insolitae res gestae narrantur, quas dominus Quixotus a Manica, clarissimus eques in toto mundo, fecit et pauco periculo adimplevit

–Mea sententia, domine, non fieri potest quin haec herbae testimonia non dent *hic fontem sive flumen aquae esse, quod herbas madefecit* et sic oportet nos ultra procedere et iam inveniemus ubi hanc teterrimam sitim mitigare possimus, quae absque dubio cruciatus maior est quam ipsa fames.

Hoc consilium bene videbatur Domino Quixoto et sic ille accepit habenas Rocinantis dum Sanctius apprehendit capistrum asini sui et, remanentibus prandii super asinum positis, iter fecerunt per pratum sursum atque ad tactum, quia nox atra valde erat et nihil videbatur; sed cum ducentos gressus progressi essent magnus strepitus aquae ad aures eorum pervenit tamquam si ex magnis atque altis rupibus deorsum caderet. Valde gavisi sunt hoc strepitu; et cum auscultassent unde sonaret, audiverunt subito sonum quo gaudium aquae periit, praesertim Sanctio, qui ex se timoratus valde erat et parvi animi. Dico eos audivisse ictus teterrimos magno rumore aquae et etiam cum stridore ferri catenarumque, quae rythmice strepitum violentum aquae comitabantur et qui validi erant ad terrendum quodlibet cor nisi illius domini Quixoti.

Cum diximus nox atra erat atque illi intraverunt per altas arbores, quarum folia movebantur suavi vento et sonum metuendum et mansuetum efficiebant; sed propter solitudinem illius loci, obscuritatem strepitumque aquae una cum susurru foliorum, haec omnia afficiebant horrorem et pavorem, praesertim cum viderent ictus nullo modo cessare nec ventus dormire nec immo primo mane erat atque ignorabant undenam haec omnia provenire. Tamen dominus Quixotus praeditus suo strenuo corde, ascendit in Rocinantem, accepit scutum, apprehendit lanceam et dixit:

–Sancti amice, oportet te scire me natum esse propter voluntatem coeli in hac ferrea aetate et quidem ad resurgendam in ea aetatem auream ut haec appellatur.

Ego sum ille cui servantur pericula difficiliora, magnae res gestae et facta strenua. Egomet sum, et denuo dico tibi, qui resurget equites Tabulae Rotundae, Duodecim Pares Galliae, Novem Pares Famae et qui in oblivionem fugiam omnes Platires, Tablantes, Olivantes, Tirantes, Phoebos, Belianises atque omnem turbam multam clarorum equitum itinerantium ex temporibus praeteritis et quidem faciam tales res gestas hoc tempore, quo ego sum atque tantae magnitudinis, facta inusitata, et facta armorum ita ut obscurent praeclara facta quae illi fecerunt. Et tu, fidelis atque integer armiger, bene animadvertisti tenebras huius noctis atque inauditum silentium eius, stridorem harum arborum necnon et metuendum strepitum illius aquae quam quaerimus, quae nobis videtur eam deiici de altis montibus Lunae et perennes ictus, qui vulnerant aures nostras et hae omnes res sive omnes una et unaquaeque ex se sufficit ad infundendum metum, terrorem et pavorem in pectus ipsius Martis, a fortiori in omnes qui nullo modo solent similes res gestas et facta cognoscere. Sed haec omnia quae tibi depinxi sunt incitamenta ad movendum animum ita ut explodat cor meum in pectore cum desiderio perficiendi has res gestas, quamvis difficiles in extremis sint, secundum quod ostenditur mihi. Quare preme parum cinctum Rocinantis et interea mane cum Deo atque exspecta me hic per tres dies et si non redibo huc poteris ad pagum nostrum ire et tunc facies mihi veniam petendi urbem Toboso, ubi dominae meae Dulcineae dices me, scilicet captivum equitem eius, mortuum esse, quia voluit impendere tam magnas res ut fecerint me dignum vocari equitem illius.

Sanctius, his verbis domini eius auditis, incepit flere amare ac magno dolore eique dixit:

–Domine, nescio quare has res gestas adimplere vis; nunc est tempus nocturnum et quidem nemo videt nos; quare bene possumus aliam viam accipere et vitare periculum, quamvis non bibamus aquam per tres dies; et si nemo videt nos nemo poterit dicere nos ignavos fuisse; sed etiam audivi parochum nostri loci, quem bene eum nosti, qui dixit, nempe qui diligit periculum in eo peribit; quare non licet Deum temptare nec factum tam immane petere ex quo non evades nisi per miraculum et sufficiunt quae coelum fecit ad salvandum te ab illo stragulo sicut fecerunt cum luserunt mecum et etiam victor, liber atque incolumis fuisti ex omnibus inimicis, qui comitabantur illum defunctum. Et si haec omnia non sufficiunt ad detinendum durum cor tuum, cogita et crede vere cum a me discedas me moriturum esse ex metu atque animum meum tradam cuilibet. Liberos meos reliqui atque uxorem, ex terra mea exivi ad serviendum tibi ad maiora facienda et non minus; tamen cupiditas saccum rumpit et mihi spem fregit, quia cum maior erat mihi ad illam nigram et maledictam insulam obtinendam, quam saepe mihi pollicitus es, nunc vis me relinquere in loco remoto ab omni genere humano et praecise pro lucro illius insulae. Per Deum unicum, domine, ne facias hoc modo mecum et si nemo potest te detinere, velles praetermittere saltem ad crastinum diem; quia secundum scientiam quam didici cum essem pastor ex hoc ad diluculum non erunt plus quam tres horas, quia os buccinae [nempe Stellae Polaris] est super caput et dimidia nox est ad bracchium sinistrum.

–Quomodo potes tu, Sancti –inquit dominus Quixotus–, videre ubi est haec linea nec ubi os vel buccina sive cacumen capitis de quibus locutus es, cum nox vere tam atra sit et nulla stella in coelo videatur?

–Hoc ita est –dixit Sanctius–; sed metus multos oculos habet et videt immo res quae sub terra sunt, tunc melius ea quae supra coelum sunt; sed facile creditu, quam primum diem adventurum.

–Quidquid demoretur usque ad diluculum –respondit dominus Quixotus–, sed nemo dicet de me nunc atque ullo tempore lacrimas et rogationes avertere me faciendi quod faciendum erat secundum morem equitis; et sic quaeso, Sancti, ut taceas; quia quamvis Deus has periculosas res gestas posuerit in corde meo, etiam curam faciam de salute mea atque ad consolandam tristitiam tuam. Quod nunc facies id est, preme cinctum Rocinantis et remane hic; atque ego ad te revertar aut vivus aut mortuus.

Cum Sanctius vidit ultimum desiderium domini sui et quam parum faciebat ille de lacrimis, consiliis et rogationibus eius, statuit profectum facere sua sollertia ita ut ad novum diem exspectaret et moram faceret; et sic cum debebat cintum equi premere, ligavit pedes Rocinantis capistro asini, domino Quixoto omnino insciente, et taliter ut cum dominus Quixotus voluit proficisci nullo modo potuit, quia equus non poterat moveri nisi tantum saltitare. Et cum Sanctius vidit successum sui mendacii, dixit ei:

–Eheu, domine, coelum commotum est ex meis lacrimis et rogationibus et decrevit Rocinantem non moveri hinc; tamen si vis certare, hoc erit offendere Fortunam et calcibus dare contra aculeum, ut dicitur.

His omnibus rebus peractis, dominus Quixotus desperabatur et quamvis vellet incitare equum calcaribus, ille non movebatur; sed non cogitavit de ullo ligamine et debuit moram facere *sive exspectare ad diluculum vel ut Rocinans moveretur*, sed nullo modo putavit Sanctium haec omnia fecisse sollertia ac dolo; et sic dixit ei:

–Profecto, Sancti, Rocinans non potest moveri et gaudeo, quia oportet exspectare crastinum diem, quamvis lamenter propter hanc demoram.

–*Non est flendi* –respondit Sanctius–, quia ego tibi quasdam fabellas narrare possum usque ad diluculum nisi velis descendere de equo deorsum et parumper ire dormitum super teneram herbam, sicut eques itinerantes faciebant, ita ut tranquillior sis cum veniat hora et momentum ad impares res gestas faciendas, quae ad te pertinent.

–Quid de descendendo et quid dormitum ire? –inquit dominus Quixotus–. Num ego sum ex illis equitibus, qui accipiunt quietem in periculis? Dormi tu qui ad dormitum natus es, sive fac quidquid velis, quia ego faciam quod magis meae professioni conveniat.

–Ne displiceat tibi, domine –respondit Sanctius–, quia non est magni momenti quod dixi.

Et cum ad eum appropinquaret manum posuit ad frontem sellae atque alteram manum ad tergum sellae et hoc modo coxam sinistram domini sui amplexus est et non ausus est nec digitum ab eo recedere: tam magnus erat metus eius propter ictus, qui continuo atque alternatim audiebantur. Tunc dominus Quixotus dixit ei ut quamdam fabellam narraret ad moram faciendam secundum quod pollicitus erat, et Sanctius dixit se sic facturum esse si metus ex his quae audiebat ei permitteret.

–Tamen, his praelibatis, conabor enarrare historiam et si vere eam narrare possum sine interruptione, haec erit optima omnium historiarum; atque attendas, quia iam

incipio: «Quondam ecce bonum omnibus adveniat et malum illi, qui id quaerat ...» Et animadverte, domne mi, principium quod veteres omnibus fabellis dederunt non fuit res nullius momenti, quia fuit sententia cuiusdam Catonis (Catón Zonzorino), censoris romani, qui dicit: «et malum ei qui id quaerat», quod hic venit tamquam anulus ad digitum ut maneas hic et nullum malum quaeras ex qualibet parte, sed per aliam viam revertamur, quia nemo compulit nos ad hanc viam prosequendam, ubi tot timores invadunt nos.

–Prosequere fabellam tuam, Sancti –inquit dominus Quixotus–, et relinque mihi curam viae quam secuturi erimus.

–Ego dico –prosecutus est Sanctius–, pastorem caprarium fuisse in quodam loco Bethuriae (Extremadurae), et dico eum capras servare, ille autem pastor sive custos caprarum, sicut dixi, in fabella mea vocabatur Lupus Ruiz (Lope) atque iste Lupus Ruiz ardebat pastricem, quae vocabatur Torralba, et haec pastrix vocata Torralba filia erat cuiusdam divitis pecuarii atque hic dives pecuarius ...»

–Si hoc modo omnem fabellam enarras, Sancti –inquit dominus Quixotus–, bis repetens quae dicis intra duos dies non finies tuam narrationem; enarra quae debeas ut vir intelligens, aliter taceas et nihil dicas.

–Hoc modo sicut ego narro fabellam –respondit Sanctius– enarrantur omnes fabellae in meo pago omnesque sententiae et nescio eas alio modo narrare neque decet eas narrare nec bonum est te a me quaerere consuetudines novas.

–Dic ergo sicut velis –respondit dominus Quixotus; quia fortuna noluit me aliter facere quin te audiam, prosequere ergo.

–Sic, domine ex animo meo –prosecutus est Sanctius–, sicut iam dixi, hic pastor ardebat pastricem Torralbam, quae erat puella robusta, aspera atque aliquo modo virago, quia erant ei mystaces et videtur me eam inspicere.

–Ergo eam cognovisti? –dixit dominus Quixotus.

–Non eam cognovi –respondit Sanctius–; sed qui hanc fabellam narravit dixit mihi hoc tam certum esse ac verum ut possem cum ego enarrarem ipsam fabellam dicere, affirmare et immo iurare me omnia vidisse. «Et hoc modo in prosecutione dierum venerunt dies quibus diabolus, qui numquam dormitat atque omnia commiscet, ille fecit ut amor, quem pastor erga pastricem habebat, mutaretur in odium et perversam voluntatem; et causa horum secundum linguas malignas fuit magna copia zelotypiae, quam illa in eum habuit, quae excedebat quod iustum erat atque ad vetatum perveniebat; et tam multum pastor eam abhorruit ut ad eam vitandam voluit discedere ab illa regione et pervenire ubi oculi sui ne viderent eam denuo. Torralba enim cum se vidit neglectam a Lupo tunc eum dilexit et magis quam antea eum amavit.»

–Haec est naturalis condicio mulierum –inquit dominus Quixotus–; spernere eos qui diligunt eas et diligere eos, qui eas abhorrent. Prosequere ergo, Sancti.

–Et accidit –dixit Sanctius– pastorem adimplevisse suum consilium, collexit capras suas et petivit campos Bethuriae ita ut perveniret ad regna Lusitaniae. Torralba autem, his rebus cognitis, persecuta est eum et nudis pedibus eum sequebatur a longe ferens baculum manu et sarcinas ad collum suum, unde secundum quod fertur erat ei frustum speculi atque aliud pectinis et capsula quaedam cum unguentis ad faciem

reficiendam; sed non oportet de his quae ferebat disputare, tantum dicam illum pastorem advenisse cum pecoribus suis ad flumen Annam (Guadiana) transmeandum, et tunc temporis aquae superabant ripas, quia creverant atque inundaverant et non erat cymba ad pecus transportandum ex altera parte in alteram, quare contristatus est valde et potissimum quia Torralba veniebat a tergo et prope erat, et valde affligeretur si eam lacrimantem videret; tamen ubique inspexit atque en vidit piscatorem, qui iuxta se habebat cymbam parvam qua tantum poterat capram et hominem secum transferre; nihilominus cum illo locutus est et cum eo concertavit ut omnes trecentas capras traduceret, quas secum duxerat. Intravit piscator in cymbam et duxit capram; reversus est aliamque duxit.» Animadverte computum caprarum quas piscator traduxit, quia si una deperditur a memoria tunc narratio finiet et non erit ulla facultas prosequendi aliis verbis. «Sequor et dico alteram ripam lubricam esse et plenam coeno et piscator valde demorabatur ad navigationem faciendam et redere. Tamen reversus est ad aliam capram transmeandam et aliam et aliam ...»

–Iam potes credere eum omnes capras traduxisse –inquit dominus Quixotus–; non oportet iter facere et redere hoc modo, quia sic non finies per annum.

–Quot capras traduxit hucusque? –dixit Sanctius.

–Quid possum ego scire per omnes diabolos? –respondit dominus Quixotus.

–Ecce quod antea dixi; ut bene faceres computum et rationem. Et quidem per Deum haec fabella confecta est et finita et nullo modo ultra proficisceretur.

–Cur ita? –respondit dominus Quixotus–. Tam magni momenti est, ad hanc peculiarem fabellam cognoscendam, scire quot capras ille traduxerit necne et si tantum una ex eis per errorem in ratione numeratur non potest haec historia ultra pervenire?

–Nullo modo, domine –respondit Sanctius–; quia sic a te quaesivi quot ex eis traduxerat et cum mihi respondisti te hoc minime scire, ipso facto ac momento deleta fuit haec fabella ex mea memoria et, mea opinione, quae narranda erant magnae virtutis et gaudii.

–Tunc –inquit dominus Quixotus– haec historia omnino confecta est?

–Finita et confecta sicut mater mea –dixit Sanctius.

–Et ut verum dicam –respondit dominus Quixotus– te miram fabellam sive historiam narravisse quam nemo umquam superare potest et secundum modum enarrandi eam nemo poterit in hoc mundo nec narrare nec eam hoc modo relinquere nec videbitur per multos annos, quamvis nihil aliud ex tuo intellectu quaererem; sed non quidem miror, quia ictus isti non cessant et fortasse mentem tuam turbaverunt.

–Omnia fieri possunt –respondit Sanctius–; sed quod pertinet ad fabellam meam nihil amplius est dicendi; et finitur ubi error transferendi capras detectatur.

–Finiatur ubi vellet et bene tibi sit –inquit dominus Quixotus–, et videamus denuo utrum Rocinans possit moveri necne.

–Iterum incitavit eum calcaribus et ille saltitavit ut antea, sed postea omnino quievit: quia valde bene ligatus erat.

His rebus peractis, ad diluculum frigor adveniebat sive Sanctius forte coenavit laxamenta sive naturaliter ei evenit ad evacuandum –quod credibilius est– sed ei

fuit quaedam necessitas faciendi, quod nemo potuit loco eius facere; quia tam magnus erat metus, qui in cor eius intravit, ut nec parvum unguem ausus esset recedere a domino suo. Sed nullo modo potuit urgentem necessitatem corpoream vitare; atque ille tantum manum dextram a tergo sellae equi removit et postea cingulum femoralium suorum aperuit et bracae ceciderunt deorsum. Tunc subuculam levavit quantum fieri posset ad nates sui corporis in altum develandas et quidem ambae non parvae erant. His rebus peractis –ille putavit haec omnia esse maioris momenti ad evadendam difficultatem huius necessitatis–, tamen ei evenit alia res et haec fuit se non posse evacuare nisi faceret strepitum atque ad eum vitandum dentes pressit umerosque contraxit et immo halitum intus frenavit; sed, his omnibus convenienter paratis, miser ille fecit strepitum et hic diversus fuit ab illo quem ambo timebant. Et cum dominus Quixotus haec animadvertit dixit ei:

–Quid est strepitus iste, Sancti?

–Nescio, domne –respondit ille–. Fortasse res omnino nova sit; quia res gestae prosperae sive adversae numquam incipiunt cum parvitatibus.

Iterum iterumque probavit suam fortunam et bene evenit ei, quia absque ullo fragore nec tumultu evacuavit onus quod tantum corpus suum defatigabat. Sed dominus Quixotus sensum odoratus tam acutum habebat quam sensum auditus et Sanctius valde prope eum manebat, quare per lineam rectam in altum vapores ascendebant et non potuit vitare ut etiam ad nares domini Quixoti pervenirent; et ubi primum ibi advenerint atque ad nares iuvandas inter duos digitos eas pressit et voce nasali ei dixit:

–Mihi videtur, Sancti, te magnum metum habere.

–Hoc verum est –respondit Sanctius–; sed quomodo animadvertisti hoc, domine?

–Quia numquam redolebas tamquam nunc et non praecise est aroma ambari.

–Hoc fieri potest –dixit Sanctius–, sed non culpandus sum ego, sed tu qui duxisti me per haec inhospita loca.

–Recede a me tres vel quattuor gressus, amice –inquit dominus Quixotus, digitis ad nares positis–, et ex hoc et in futurum habeas curam de te ipso et etiam de me, quia multum colloquium inter nos fecit ut sperneres me.

–Sponsionem faciam –obiecit Sanctius– te cogitare me aliquid fecisse quod nequaquam deberem facere.

–Melius est nil de hoc amplius dicere, Sancti amice –respondit dominus Quixotus.

His colloquiis et similibus peractis, noctem transiverunt dominus et famulus eius. At cum Sanctius animadverteret diluculum advenire, magna sollertia solvit Rocinantem et femoralia sua ligavit. Cum Rocinans se vidit liberum, quamvis non esset nimis animosus ex sua natura, tamen incepit manibus calcitrare et gyros dare; quia magnos saltus dare –sua venia– numquam didicit. Cum dominus Quixotus vidit Rocinantem moveri credidit hoc prosperum omen esse et putavit bonum fuisse ad has periculosas res gestas perficiendas.

Primo mane lux apparuit eis et omnes res videbantur alio modo et sic dominus Quixotus vidit se inter altas arbores esse et praecise erant castaneae, quae umbram valde obscuram faciunt. Nihilominus sensit ictus illos nondum cessare, sed neminem vidit, qui eos faceret; et sic et, nulla mora adhibita, incitavit Rocinantem calcaribus

et denuo valedixit Sanctio eumque commendavit ut per triduum eum exspectaret, sed, hac mora elapsa, si ille non reverteretur Sanctius credere posset Deum eum vocavisse atque in illis periculosis rebus gestis dies vitae eius finivisse. Iterum ei iussit missionem et legatum sua ex parte ante conspectum dominae suae Dulcineae et quoad emolumentum propter ministerium eius non necesse erat eum dolere, quia ante quam exiret domo iam fecerat testamentum, ubi ille ei remunerabatur propter salarium eius, secundum tempus illius laboris, quo serviret ei; sed si Deus ex illo periculo eum sanum et salvum educeret et sine cautione, procul dubio, illam insulam quam pollicitus erat tamquam securam haberet.

His miserandis argumentis domini eius auditis, denuo Sanctius flevit et decrevit eum nullo modo relinquere usque ad ultimum gressum et finem totius huius negotii.

Ex his lacrimis atque ex honorata voluntate Sanctii Pansae, auctor huius historiae deducit eum bene natum esse et saltem veterem christianum esse, ex quo dolore emollivit quantumvis dominum suum, sed non ad quamdam debilitatem ostendendam; immo et dissimulans, ut potuit, ille incepit iter facere ad partem ex qua ei videbatur strepitum aquae et profusio ictuum oriri.

Capistro iumenti in mano more solito accepto, qui ei erat socius perennis in rebus gestis prosperis sive adversis, Sanctius dominum suum pedibus sequebatur; et post iter productum cuiusdam temporis per illas castaneas atque umbrosas arbores ad parvum pratum pervenerunt ad pedem altarum rupium ex quibus magna copia aquae praecibitabatur deorsum. Ad pedem rupium erant quaedam tuguria male aedificata, quae videbantur destructa et ruinosa et non proprie domus, inter quae strepitus distinguebatur et ictus illi qui nondum cessaverant.

Rocinans expavit strepitu aquae atque ictuum, sed dominus Quixotus eum pacavit et paulatim appropinquavit ad illa tuguria, dum ex toto corde sese commendavit dominae suae eique supplicabat in illo periculoso die ac negotio ut ei faveret et eodem tempore etiam Deo se commendavit, quin eius oblivisceretur. Sanctius iuxta eum manebat et, collo et visu prorsus producto et etiam inter crura Rocinantis, cupiebat videre quaenam essent, quae eum tam suspensum et timoratum facerent.

Plus quam centum passus ambo progressi sunt, sed ad angulum videbatur eis aperte ipsa causa omnium rerum, et non alia illius strepitus teterrimi, qui eos suspensos ac timoratos fecit per totam noctem. Et en –si haec non habes, lector, propter prolixitatem et molestiam– sex ingentes mallei fullonicarum, quorum ictus regulares continuo efficiebant strepitum illum.

Cum ea vidit dominus Quixotus silentio corripuit et pavit e summo capite deorsum. Sanctius autem intuitus est eum et vidit eum prono capite super pectus atque ostendebat se deceptum esse. Etiam dominus Quixotus inspexit Sanctium et vidit eum genas inflatas habere atque os plenum risu cum signis explodendi magnum risum et sua melancholia non potuit reprimere ad visum Sanctii quin etiam ille teneret risum; sed sic ut Sanctius vidit dominum suum ridentem, nemine discrepante, risit omnibus maxillis suis et debuit pugnis opprimere ventrem ne exploderet magno cachinno. Quater mitigavit impetum suum et denuo toties eodem robore risit; ex quibus rebus dominus Quixotus commotus haec omnia dabat ad diabolum, praesertim cum audiret eum dicentem per iocum:

«Sancti amice, oportet te scire me natum esse propter voluntatem coeli in hac aetate ferrea ad resurgendam in ea aetatem auream ut haec appellatur. Ego sum ille cui servantur pericula difficiliora, magnae res gestae et facta strenua. Egomet sum, et denuo dico tibi, qui resurget...»

Et hic hoc modo semel iterumque repetivit easdem sententias quas dominus Quixotus ei dixerat cum ictus teterrimos audierunt.

Cum dominus Quixotus vere vidit Sanctium ridere eum valde iratus et stomachatus est et sic lanceam suam levavit et bis percussit umeros Sanctii, sed si illos ictus super caput reciperet non necesse erat ei salarium in futurum solvere nisi heredibus eius. Facetiis suis male acceptis, Sanctius timuit ne ultra procederet et humiliter ei dixit:

–Quiesce tranquille, domine; quia haec tantum per iocum dixi.

–Sed quamvis illudas, egomet nullo modo illudo –respondit dominus Quixotus–. Veniat huc hic dominus laetus; nonne tibi videtur si ictus isti essent quarumdam rerum gestarum periculosarum etiam haberem animum strenuum ad perficiendum et finiendum? Num equitis est omnes sonitus cognoscere et recognoscere utrum sint istarum fullonicarum necne? Hoc ita fuit, quia non umquam in vita mea talia vidi, sed tu autem tamquam rusticus fortasse vidisti eas, quia natus et creatus es inter eas. Aliter facias illos sex malleos fieri senos gigantes et in me incita eos alterum post alterum sive omnes una contra me et vere videbis quomodo cunctos eos interficiam sin autem iocum facias.

–Nequaquam, domne mi –obiecit Sanctius–; quia confiteor me nimis ad iocum promovisse. Sed dicas mihi, quia nunc sumus in pace (et faxit Deus ut possis exire ex omnibus rebus gestis cum sanitate et bona valetudine tamquam nunc), nonne ridendum est et etiam narrandi teterrimum metum quem habuimus? Saltem quem ego habui; quia quoad te iam bene scio te non cognoscere timorem vel pavorem.

–Non nego –respondit dominus Quixotus– quae evenerant nobis fuisse ad ridendum; sed non omnia digna sunt narrandi, quia non omnes sunt iusti discernentes ad res apte intelligendas.

–Saltem –respondit Sanctius– tu, domine, bene fecisti, quia lanceam ad caput meum eiecisti, et tantum umeros meos percussisti, Deo iuvante, quia ad latus me secessi. Sed in finem omnia aperte videbuntur; quia iam audivi dicere: «Qui te diligit faciet te flere»; et aliquando quia domini praecipui solent post offensam factam contra famulum quaedam femoralia ei offerre ad malum reparandum; quamvis nescio quid equites itinerantes faciant cum percutiant famulos ictibus nisi insulas sive regna in terra arida.

–Taliter potest fortuna esse –ait dominus Quixotus– ut omnia, quae dicis, vera sint; atque ignosce mihi quae inter nos acciderunt, quia tu diligens es et bene cognoscere potes primos et spontaneos motus non esse in voluntate hominis, sed etiam animadverte ex hoc et in futurum ne plus aequo loquaris mecum; quia multos sive innumeros libros equitatus legi et numquam inveni armigerum tam loquacem, quem tantum locutum fuisse cum domino suo tamquam tu cum tuo. Et haec culpabilitas mea est et etiam tua: tua quia non multum diliges me; mea autem quia non permitto te me diligere. Verum est Galandinum, armigerum Amadis a Gaula,

comitem Insulae Firmis fuisse; sed quidem legitur de eo, ut semper loqueretur cum domino habens pilleum in manu, prono capite et curvo corpore, *more turcico*. Quid dicendum est de illo Gasabali (Gasabal), armigero illius Galaoris, qui ita tacitus erat ut ad excellentiam exponendam sui miri silentii tantum semel in tota illa vera ac magna historia nomen eius vocatur? Ex his omnibus rebus potes inferre, Sancti, oportet discrimen facere inter dominum et famulum, inter dominum et servum, inter equitem atque inter armigerum. Quapropter ex hodie in futurum locuturi erimus maximo respectu atque absque ullo iocu, ne quid huiuscemodi iracundiae accidat mihi in te, quod vere amphoram debiliorem nocebit. Mercedes et beneficia quae pollicitus sum tibi ad tempus opportunum venient ad te; sin minus saltem salarium tuum habebis quod non deperdetur secundum quod dixi tibi.

–Bona sunt omnia quae dicis –ait Sanctius–; sed etiam vellem scire quot lucrabatur armiger cuiusdam equitis itinerantis, si fortasse hoc necessarium esset et tempus beneficii non adveniret; si vero concertabant cum eis per menses sive per dies tamquam nunc faciunt cum operariis aedificationis.

–Minime credo –respondit dominus Quixotus– eos habuisse salarium statutum nisi secundum beneficium. Et si nunc temporis de hac re dixi tibi, nempe de meo testamento clauso, quod domi est, tantum fuit ad suspiciones vitandas et quod accideri potest, sed nescio quid faciendum sit in his hodiernis temporibus calamitatis quod ad equitatum attinet et nolo animum meum damnari in altero mundo, quare omnia bene feci. Quia volo te scire non esse in hoc mundo munus tam periculosum quam munus illorum, qui quaerunt novas res gestas.

–Hoc verum est –dixit Sanctius–, quia tantum sonitus malleorum fecit animum tremere cuiusdam equitis itinerantis sicut tu es. Quapropter labia mea non aperiam nisi ad te laudandum, sed nullo modo ad iocos faciendos domino meo naturali cum sale et lepore.

–Hoc modo –obiecit dominus Quixotus– vives supra faciem terrae; quia post parentes oportet dominos honorare quasi alteros parentes.

Capitulum 21. Ubi de altis rebus gestis ac magno lucro galeae Mambrini agitur, cum aliis rebus quae nostro invicto equiti evenerunt

Illo tempore incepit pluere et Sanctius voluit introire in machinam fullonicam. Tamen tam magnum fuit odium quod dominus Quixotus in illam habuit propter gravem iocum, quem passus est et nullo modo voluit intrare; sic iter dextrorsum prosecuti sunt atque aliam viam invenerunt sicut hesterno die.

Illinc et, parva mora elapsa, dominus Quixotus tunc animadvertit virum super equum, qui iter faciebat et super caput suum quamdam rem habebat, quae fulgebat tamquam si aurea esset et, simul atque eum intuitus est, ad Sanctium se vertit et dixit ei:

–Mihi videtur omne proverbium verum esse, quia sunt sententiae exhaustae ex ipsa experientia, quae est mater omnium scientiarum, praecipue illud quod dicit: «Ubi ianua clauditur alia aperitur» et hoc praecise dico, quia hesterna nocte prospera fortuna nobis portam clausit, quam quaerebamus atque ope fullonicarum nos decepit. Nunc autem aliam ianuam nobis palam aperit ad alias et meliores res gestas faciendas et si non intrarem per eam tantum mea erit culpa et nihil erit propter fullonicas nec propter obscuritatem noctis. Et hoc dico quia, ni fallor, en ad nos venit quidam, qui super caput habet galeam Mambrini supra quam iusiurandum feci quod iam nosti.

–Videas, domine, quae dicas et immo quid facias –ait Sanctius–; quia nolo nos alias fullonicas invenire quae percutiant sensum nostrum.

–Vade ad diabolum, o vir! –obiecit dominus Quixotus–. Quidnam ergo erit haec galea pro fullonicis?

–Nihil scio –respondit Sanctius–; sed, mea opinione, et si possem loqui sicut antea solitus sum facere, fortasse talia argumenta darem ut possim tibi errorem probare in his quae dixisti.

–Quomodo possum errare in his quae dico, scrupolose traditor? –inquit dominus Quixotus–. Dic ergo mihi, nonne vides equitem, qui ad nos venit super equum fulvum maculatum et induit galeam auream super caput.

–Quod video et intelligo –respondit Sanctius– tantum est vir super asinum fulvum, tamquam meum, qui super caput habet rem fulgentem.

–Ecce haec est galea Mambrini –ait dominus Quixotus–. Recede seorsum et relinque me solum cum eo; et videbis quomodo, nullo verbo prolato, ad tempus finiam nanciscendo has res gestas et galea manebit mihi, quam tam multum cupivi.

–Mea erit cura recedendi hinc –obiecit Sanctius–; et faxit Deus –inquit denuo– ut origanus sit et non ut hesterna nocte fuit nobis.

–Iam dixi tibi, frater, nec nominetur inter vos negotium fullonicarum –dixit dominus Quixotus– quia iuro ... et nihil amplius dicam, aliter percuterem animum tuum.

Tacuit Sanctius, quia timuit ne dominus eius rotundum iusiurandum quod diceret adimpleret ei.

Aliqua autem oportet de illa galea, equo atque equite dicere, quos dominus Quixotus videbat et hoc ita fuit: duo erant pagi in illa regione, alteri deerat pharmacopolium et tonsor, sed alter, qui erat ei vicinissimus, ambos habebat tum pharmacopolium tum tonsorem; et sic accidit ut tonsor pagi maioris inserviret minori et quidam aegrotus urgebat extractionem sanguinis atque alter cupiebat barbam radere, quare tonsor veniebat et illud instrumentum aeneum secum ferebat; sed tempestas climatica fecit pluere et tonsor instrumentum aeneum super caput posuit ad pilleum suum protegendum, qui novus esset, et sic fulgebat, quia limpidum et mundum erat et a longe bene videbatur. Tonsor vero super asinum fulvum veniebat, tamquam Sanctius dixit, et in illa occasione domino Quixoto videbatur eum equitem super equum fulvum maculatum venire et quidem praeditum galea aurea; quia omnia mutabat magna facilitate secundum suos equitatus insanos atque improbas cogitationes. Et cum animadvertit miserum equitem propius venire, nullis verbis praelibatis, ad currendum incitavit Rocinantem calcaribus et, accepta lancea, conatus est eum transfodere, sed cum appropinquaret ad eum cursum non detinuit eique dixit:

–Defende te ipsum, maligna creatura, et trade mihi libenter quod mihi dare debeas!

Tonsor qui, nulla re cognita atque exspectata, vidit contra se illud phantasma venire, nihil aliud cogitavit ad sese protegendum ab ictu illius lanceae quam descendere de asino deorsum; et simul ac terram tetigit, surrexit levior cervo et per illam planitiem cucurrit velocior vento. Sivit suum aeneum instrumentum tonsorium in terram cadere, quo dominus Quixotus valde gavisus est et intra se dixit paganum valde prudentem fuisse, atque imitatum esse castorem quia hic, cum videt se a venatoribus circumdari, dentibus mordit et a se eiicit quod ipsi venatores ab eo quaerunt propter instinctum suae naturae quo persecutus est. Ille iussit Sanctio ut galeam e terra recuperaret et Sanctius cum eam in manibus habuit haec dixit:

–Deus meus, hoc instrumentum tonsoris bonum est et bene poterit constare argenteo sive teruntio.

Et domino suo porrexit, qui vix atque id habuit, posuit super caput suum et fecit gyrum ita ut melius ei veniret, tamen non potuit et dixit:

–Absque dubio paganus ad cuius mensuram haec galea facta est habebat magnum caput; tamen caret dimidia parte.

Cum Sanctius audivit eum vocavisse galeam illud instrumentum non potuit risum tenere; attamen meminerat iracundiae domini sui et detinuit se in medio risu.

–Quid facit te ridere, Sancti? –dixit dominus Quixotus.

–Rideo –respondit Sanctius– cogitando magnum caput illius domini pagani huius galeae, quae similis est accuratissime instrumento tonsorio.

–Scisne quod imaginor, Sancti? Haec est clara pars galeae incantatae, quae per quoddam insolitum eventum pervenit ad manus cuiusdam viri, qui nullo modo potuit suum verum pretium aestimare et, nulla cognitione praevia, cum videret eam auream esse, aliam dimidiam partem fudit ad lucrandum pretium et ex alia dimidia parte hoc fecit quod simile est instrumento tonsorio sicut tu dicis. Sed quidquid sit, ego eam cognosco et mutatio eius non facit ad casum; egomet eam adaptabo in primo loco, ubi inveniam fabrum ferrarium et taliter ut praestantior sit galeae quam deus ferrarius pro deo proeliorum fecit et fudit atque interea ego eam induam sicut possim, quia aliquid melius est quam nihil; et saltem bonum erit ad defendendum me ipsum contra ictus lapidum.

–Hoc erit –dixit Sanctius– si non utuntur fundis sicut fecerunt in illo proelio duorum exercituum cum percuterent te in dentibus et molaribus et tunc ampullam fregerunt in qua erat liquor benedictus, qui viscera mea vomere fecit.

–Non doleo quia illum perdidi; nam vere scis, Sancti –inquit dominus Quixotus–, me formulam illius bene tradidisse memoriae.

–Etiam egomet tradidi memoriae meae –respondit Sanctius–, sed si eum facerem numquam in vita mea denuo gustabo, nisi haec sit ultima hora vitae meae. Et ulterius nec volo temptare occasionem ad eum utendum, quia me protegam omnibus meis sensibus et viribus ita ut nemo vulneret me nec ego vulnerem quemdam. Quatenus ad ludum stragulorum nihil possum dicere; quia tales calamitates nemo potest praevidere et si accidunt tantum possumus umeros comprimere, halitum desinere et

oculos claudere et reliqua relinquere ad casum et quonam stragula nos adducere vellent.

–Malus christianus es, Sancti –inquit dominus Quixotus, his rebus auditis–, quia numquam oblitus es iniuriae, quam tibi fecerunt, et debes scire nobilia ac magnanima pectora pro nihilo facere de his minimis rebus. Quia praesertim, fregeruntne tibi pes, an costam vel caput ita ut nullo modo dares oblivioni illum iocum? Nam, omnibus rebus consideratis, haec omnia tantum fuerunt ioci faceti atque oblectamentum e contrario egomet vellem illuc reverti ad vindictam faciendam et maiorem quam illi graeci fecerunt propter Helenam raptam. Nam si illa hoc tempore esset, sive mea Dulcinea illo tempore, certa esset nanciscendi maiorem famam venustatis quam illa Helena quondam habuit.

Et hic dedit suspirium qui ascendit in nubes. Et dixit ei Sanctius:

–Remaneat res ut iocus, quia vindicta fieri non potuit; sed ego bene cognosco qualitatem tum veritatis tum ioci et etiam cognosco numquam huius rei obliviscar tamquam non umquam e costis meis deficient. Sed, his rebus relictis, quid faciendum est de hoc equo fulvo maculato, qui videtur asinus fulvus, quem ille Martinus reliquit et quem per terram evertisti; quia ille propter pulverem pedum suorum in regionem longinquam profectus est et fugit et non videtur se umquam reverti ad iumentum quaerendum. Et per barbas meas, hic asinus vere bonus est!

–Numquam fuit consuetudo mea –inquit dominus Quixotus– exspoliandi inimicos quos vici nec consuetudo est in equitatu itineranti equos prendere et relinquere victos sine equis, nisi in casu ubi eques suum proprium equum perderet in proelio et mutaret pro equo victi quod licitum est. Sic enim, Sancti, relinque hunc equum sive asinum sive quod ille sit; nam si dominus eius videt nos procul esse, veniet ad eum apprehendendum.

–Deus scit si vellem eum adducere –obiecit Sanctius–, sive saltem permutare pro asino meo, quia non mihi tam bonus videtur. Vere leges huius equitatus strictae nimis sunt, et non permittunt mutationem inter asinos facere, sed possumne saltem clitellas permutare?

–In hoc non nimis certus sum –respondit dominus Quixotus–; atque in dubio, et usque ad meliorem certitudinem, dico te posse eas mutare si vere extremam necessitatem habeas.

–Tam extrema haec est –respondit Sanctius–, tamquam propter me ipsum, aliter non necesse esset facere hanc praedam.

Et, hac licentia accepta, *mutatio caparum* facta est et suum asinum ornavit ad maximum hac bona mutatione.

His rebus peractis, et facta refectione ex clitellis nuper exspoliatis, aquam potaverunt illius rivi ex fullonicis, sed nullo modo eas denuo inspexerunt propter odium quod habebant et metum quem acceperant.

Illi autem, victa iracundia et melancholia manente, ascenderunt in equos atque iter fecerunt, quamvis nullum cursum peculiarem acciperent secundum morem equitum, tantum ad nutum Rocinantis, qui voluntatem domini eius alliciebat et etiam illius asini, qui eos ubique sequebatur, libenter et bene comitatus. Tamen ad viam regiam reversi sunt, nulla altera cogitatione habita.

Cum iter hoc modo faciebant, Sanctius dixit domino suo:

–Domine, visne mihi tuam veniam dare ut possim aliquid loqui? Quia secundum illud mandatum impositum mihi custodiendi silentium, tres sive quattuor res in meo stomacho putrescunt et quod nunc habeo in extremo linguae nolo perdere.

–Dic quidquid vis –ait dominus Quixotus–, sed breviter in tuis argumentis; quia nihil iucundum si longum est.

–Dico enim, domine –respondit Sanctius–, abhinc aliquos dies consideravi, mente mea, quam parum lucramur quaerendo has res gestas ut facis per haec loca deserta et bifurcationes viarum, et, quamvis vincas et finias periculosissimas res gestas, nemo eas videt et hoc modo in perpetuo silentio manebunt et hoc erit contra desiderium tuum et quod vere meretur. Quare, mea sententia, melius esset, salva optima tua opinione, nos servire cuidam imperatori sive magno principi, qui quoddam bellum habeat atque in cuius ministerio possis omnem tuam virtutem ostendere, magna robora et maximum intellectum et, his rebus perspectis, nobis consequenter retribuat secundum merita propria atque ibi non deerit, qui praeclara facta tua ad perpetuam memoriam rei scribat. Nihil de meis dicam, quia non possunt limina excedere cuiusdam armigeri; quamvis non debeant praetermittere res gestas armigerorum in equitatu itineranti, si vere haec est consuetudo, et tunc res gestae meae non manebunt in oblivione, sed palam omnibus.

–Recte iudicasti, Sancti –respondit dominus Quixotus–; sed antea atque ad hoc assentiendum, oportet has res gestas per mundum quaerere et, his peractis, lucrari nomen et famam talem ita ut cum ad aulam regiam perveniant omnes cognoscant illum equitem propter opera eius; et simul ac pueri videant eum per portam urbis intrare, omnes sequentur et circumdabunt eum et magnis vocibus dicent: «Ecce hic est Eques Phoebi» (del Sol) sive «Eques Serpentis» (de la Sierpe) sive quodam titulo, sub quo magna praeclara facta fecerit. «Hic est –dicent– qui singulari proelio gigantem Brocabrunum a Magno Robore vicit; qui Magnum Mameluchum Persiae ex longo incantamento solvit in quo fere per nongentos annos manserat». Et, praeconio praeclarorum factorum cognito, ex voce in vocem, et, strepitu puerorum atque omnium hominum audito, rex illius regni ante fenestras palatii palam apparebit et cum equitem videat eumque cognoscat per arma eius et titulum scuti, certe rex ille dicet: «O, vos omnes! Exite equites mei atque omnes qui in aula regia estis ad recipiendum florem totius equitatus, quia hic venit!» Et, hoc mandato audito, omnes exeunt et ecce ipse rex obviam equiti venit usque ad dimidias scalas et eum arctissime amplectitur atque osculum pacis ei dat et vultum eius deosculatur et postea tenens eum manu ad habitaculum dominae reginae adducit, ubi eques invenit illam cum filia eorum, scilicet principessa, quae formosissima est inter virgines ex magna parte huius terrae cognitae. Et continuo postea evenit ut illa oculos suos ponit in eum atque ille in eam et unusquisque mutuo videtur ut res divina, quia non proprie humana et, illis inscientibus, quia nihil de his sciebant nec quomodo haec accidere potuit, sponte ac libenter ambo capti sunt atque ardent ad invicem in rete illius amoris et magno angore cordium eorum, et quidem nesciunt quid dicendum sit ad exprimendas has novas anxietates et sensus inter se. Illinc equitem adducunt, absque dubio, ad quoddam habitaculum illius aulae regiae, ornatae magnifice, ubi arma ex corpore eius denudant et specioso pallio coccineo induunt eum; et si bene videbatur eques

armatus etiam melior et speciosior videtur amictus pulchro thorace farto. Atque ille eques, vespere autem facto, coenat cum rege et regina et principessa et interea oculi equitis semper inspiciunt oculos principessae, licet furtim ne circumstantes id animadvertant, et principessa eadem facit atque eadem sollertia, quia ut dixi, valde prudens est illa virgo. Et, coena finita ac mensis remotis, tunc atque omnino intempestive foedus homunculus nanus per ianuam triclinii introit cum quadam nobili ac venusta nutrice quae venit inter duos gigantes et a tergo illius homunculi procedit et ecce tunc exponit quaestionem exaratam a vetustissimo sapiente de quibusdam rebus gestis et quidem ad probandum intellectum et virtutes equitum vi cuius, qui victor fuerit in his quaestionibus proclametur optimus eques totius huius mundi. Rex iussit ut omnes circumstantes conarentur has res gestas superare, sed nemo potuit eas solvere, nisi eques hospes et, his rebus quidem peractis, fama eius auget atque his factis principessa valde gaudet ac magnopere laetatur, quia videt se habuisse desideria sua probata et novit etiam excelsas virtutes illius equitis. Praeterea atque inter alia hic rex, sive princeps, vel quidquid sit, saevum bellum habet cum alio strenuo rege simili sibi et tunc eques hospes quaerit veniam (post aliquos dies quibus in aula regia commoratus est) ad pugnandum pro eo in illo bello. Venia autem libenter concessa, eques osculatur manus regis propter beneficium oblatum. Atque illa nocte valedicit dominae suae, nempe principessae, et quidem per cancellum viridarii eius quod erat iuxta cubiculum, ubi principessa dormit et per quod iam saepe loquebantur, cum esset lena mediatrix totius huius negotii famula virgo, quae omnia noverat, et cuius sollertiae in his rebus principessa valde confidebat. Eques suspirat, principessa autem languescit cadens per terram exanimis, et famula virgo aquam adducit ad aspergendum vultum illius, et etiam haec virgo affligitur et, diluculo adveniente, festinat quia non vult ut haec patefaciant ne honor dominae eius deperdatur. Tandem principessa sensus rursum recuperat et per cancellum candidas manus suas porrigit equiti, qui eas milies miliesque osculatur easque lagrimis humectat. Inter ambos decernunt modum quo nuntios prosperos sive adversos ad invicem communicaturos esse in futurum. Principessa autem ab equite quaerit ne plus aequo procul ab ea demoretur; ille vero iureiurando pollicetur nullam moram facere; manus principessae denuo osculatur eique valedicit magno dolore ita ut fere vita eius finiatur. Ille discedit illinc et cubiculum suum petit et super lectum accumbit, sed dormire ex dolore discessus sui nequit. Mane autem facto et quidem primo diluculo, ad regem venit ad valedicendum ei et reginae et principessae; tamen tantum regi reginaeque valedicit, quia principessa, secundum quod dicunt ei, indisposita est et neminem recipere potest. Eques putat hoc esse propter discessum suum qua ex causa cor suum transfossum manet et conatur ne animadvertant dolorem eius. Lena virgo mediatrix coram eo est et omnia intelligit et haec dominae suae nuntiat verbis et principessa hunc nuntium multis lacrimis accipit eique dicit se magnam anxietatem habere, quia vere nescit nomen illius equitis sive cuius genus sit, et utrum filius cuiusdam regis sit necne. Secundum virginem mediatricem tanta urbanitas, tanta praestantia corporis et virtus non potest esse nisi ut ille eques sit filius cuiusdam regis et valde nobilis natu; his verbis principessa de suo dolore pacatur et conatur mederi in conspectu parentum suorum ne quid suspicentur et hoc modo, duobus diebus elapsis, palam se ostendit. Eques proficiscitur, pugnat in bello, inimicum regis vincit, multas

urbes expugnat, in multis proeliis triumphat, ad aulam regiam revertitur, more solito videt dominam suam, et propter merita recepta quaerit principessam ducere uxorem. Rex autem non vult ei filiam dare, quia nescit quis reapse ille sit. Eques autem vult eam adducere tum eam rapere tum eam habere alio modo et denique eam ducit uxorem et pater rex his rebus gestis valde gaudet quia comperit hunc equitem filium strenui regis esse, sed nescio cuiusdam regni, quia puto non esse in charta geographica. Breviter, pater moritur, principessa obtinet ius hereditatis et eques fit rex. Hic autem beneficia dat suo armigero et omnibus qui eum iuvarunt ad ascendendum ad hunc statum rerum: armiger virginem principessae ducit uxorem et haec praecise est lena mediatrix in illa re amatoria, et quae etiam est filia cuiusdam ducis nobilis natu.

–Hoc est quod quaero, nemine discrepante, dixit Sanctius–: et hoc est quod vere exspecto et quidem litteraliter et verbatim ut sic enim eveniat propter te, quia vere tu es *Eques Tristis Figurae.*

–Ne dubites, Sancti –obiecit dominus Quixotus–; quia per hos similes gressus, quos narravi, tot equites itinerantes facti sunt reges et immo imperatores. Tantummodo oportet nunc videre quisnam rex christianorum sive paganorum habeat bellum et etiam filiam pulchram; sed tempus erit ad cogitandum de his, nam secundum quod tibi dixi imprimis oportet famam habere ante quam ad aulam regiam perveniamus. Atque alia res deest mihi: nam si casu invenitur rex, qui gerat bellum et habeat filiam venustam, atque ego hanc famam inauditam per totum mundum habeam, nescio quomodo possim genus regum habere vel propinquus imperatoris esse; quia nullus rex dabit mihi filiam suam ad ducendam uxorem, nisi antea haec omnia mea cognoscat, quamvis mea praeclara facta plus mereantur; et hac de causa deperdatur virtus, quae digna bracchii mei sit. Verum est me esse fidalgum ex cognito loco, ex possessione et proprietate et saltem ex quingentis solidis, et fieri potest ut sapiens, qui meam historiam scribat, inveniat inter parentes meos sive meos antenatos quidam qui sit nepos cuiusdam regis in quinta vel sexta generatione. Quia oportet te scire, Sancti, dua esse genera in hoc mundo: nempe illi qui proveniunt ex descendentia a principibus et regibus, quos tempus paulatim delevit et in cuspidem finiunt, tamquam pyramides e contrario positae; alii vero sunt qui habuerunt principium ex humili plebe et paulatim ascenderunt sursum per gressus donec fiunt magni domini. Hoc modo haec est diversitas inter eos, quia sunt qui fuerunt, sed iam non sunt atque alii qui non fuerunt et nunc sunt; ego possum ex his esse et post indagationem inveniant me magnum et nobilem ortum habuisse, quo ille rex, qui futurus erat socer meus, contentus esset mecum; aliter principessa adamabit me magno amore, patre eius invito, et nuberet mihi, quamvis aperte cognoscant me filium aquarii esse; aliter egomet rapiam eam atque adducam ubi vellem; et tunc temporis mors finiet anxietatem parentum eius.

–Et hic bene veniunt –dixit Sanctius– quod aliqui scelerati dicunt: «Ne quaeras libenter quae prehendere potes violenter»; sed melius esset dicere: «Potior saltum dare propriis viribus quam veniam petere». Et haec dico quia si res, nempe socer tuus, non vult principessam tradere tibi, tunc oportet facere quod dixisti, id est, eam rapere et tecum eam adducere, velis nolis. Sed damnum tunc erit, dum pacem denuo inter se faciant et ille gaudeat pacifice illo regno, sed miserrimus armiger ieiune manebit quoad beneficia habenda. Nisi illa lena virgo mediatrix, quae futura esset

uxor eius, principessam comitetur atque ille cum ea oblectet adversam fortunam, donec coelum aliter decerneret; quia bene fieri potest, mea sententia, ut dominus eius eam ei det ut legitimam uxorem.

–Hoc nemo potest vitare –dixit dominus Quixotus.

–Et cum hoc ita sit –respondit Sanctius–, tunc non oportet alia facere nisi sese Deo commendare et relinquere fortunam ad operam navandam.

–Sic faxit Deus –respondit dominus Quixotus– haec ego desidero et tu, Sancti, hoc pro necessario habebis, et vilis tantum sit qui pro vile se habeat et credat esse.

–In nomine Domini –dixit Sanctius–; quia christianus vetus ego sum et hoc sufficit ad bonum comitatum adipiscendum.

–Et immo superest –inquit dominus Quixotus–, et quamvis non esses, quid ad hoc? nam si ego essem rex etiam tibi nobilitatem tribuere possum, nulla pecunia adhibita nec ullo ministerio usurpato. Et si facerem te comitem, ecce eris eques, quamvis dicant quae dicere velint; et, eis invitis, vocabunt te dominum.

–Et iuro me perficere bene meam *actoritatem*! –dixit Sanctius.

–*Auctoritatem* dices et non *actoritatem* –dixit dominus eius.

–Hoc ita sit –respondit Sanctius Pansa. Sed dico me bene hoc facturum esse, quia per vitam meam, aliquando fui bedellus cuiusdam Confraternitatis et vestis tessellata bene erat mihi, quare dicebant me posse esse praesidem eiusdem Confraternitatis. Quid ergo erit cum induam vestem ducalem atque amictus sim auro et margaritis ad usum comitis peregrini? Mea opinione, ad me videndum venient ex longinquis regionibus.

–Et bene videbunt te –dixit dominus Quixotus–, sed oportet te barbam saepius radere, quia secundum eas densas, crassas et spissas habes saltem in binos dies eas radere debeas et quidem ope novaculae, aliter a longe atque ad iactum sclopeti videbitur quis tu sis.

–Quidnam hoc est –dixit Sanctius–, nisi tonsorem habere et eum domi salario servare? Sed si vere oportet faciam ut hic tonsor sequatur me tamquam stabularius magnae domus.

–Quomodo potes scire tu –quaesivit dominus Quixotus– stabularios sequi magnos dominos eorum?

–Haec dicam –respondit Sanctius–, quia annis praeteritis per totum mensem ad aulam regiam adfui et quidem vidi parvum dominum deambulantem de quo dicebant eum magnum esse et hic vir, super equum sedens, dominum suum sequebatur per omnes circuitus eius et non aliter nisi caudae eius similis erat. Et sic dixerunt mihi eum stabularium eius fuisse et etiam tales magnos homines a tergo stabularios habere. Inde hanc rem scio et numquam huius rei oblitus sum.

–Sic iterum dico te recte iudicare –ait dominus Quixotus–, et etiam hoc modo tonsorem tuum tecum ducere potes; quia mores non omnes uno tempore inventi sunt et tu bene eris primus comes qui tonsorem tuum a tergo tecum ducas; et melius est et maioris fiduciae barbam radere quam sellam equo ponere.

–Iam habebo curam de meo tonsore –dixit Sanctius–, sed tu cura ut fias rex et me facias comitem tuum.

–Hoc ita erit –respondit dominus Quixotus.

Et cum porrigeret oculos vidit quae in proximo capitulo dicenda sunt.

Capitulum 22. Ubi agitur de libertate, quam dominus Quixotus nonnullis infortunatis dedit, quos invitos ducebant quo nolebant ire

His disquisitionibus et argumentis in capitulo vigesimo primo refertis, Cide Hamete Benengeli, auctor arabicus et etiam a Manica regione, in hac gravissima, altisonanti atque iucunda historia minutatim narrat dominum Quixotum porrexisse oculos et vidit per viam usque duodecim viros incatenatos duci ope catenae ferreae ad collum atque omnes vincula ferrea ad manus habere. Una cum eis veniebant duo equites custodes et duo pedisequi; equites sclopeta rotae ferebant, pedisequi autem hastas gladiosque; et cum Sanctius eos vidit dixit:

–Haec est catena damnatorum, remiges regis quos ad triremes, ad naves longas [vulgo *galeras*] trahunt.

–Quomodo sunt damnati? –quaesivit dominus Quixotus–. Num fieri potest ut rex damnet homines?

–Non est ita –respondit Sanctius–, sed sunt homines, qui propter delicta eorum damnati sunt ad serviendum regi in *galeris* et quidem coacte.

–Demum –obiecit dominus Quixotus–, sicut sit haec gens quam ducunt, non libenter, sed invite vadunt.

–Hoc ita est –dixit Sanctius.

–Si hoc ita est –inquit dominus eius–, hic bene venit munus meum ad miserabiles adiuvandos et virtutes adimplendas.

–Animadverte, quaeso –dixit Sanctius–, iustitiam, id est ipse rex qui nec coactionem nec iniuriam facit talibus hominibus, sed tantum damnat eos propter delicta eorum.

Tunc catena damnatorum advenit et dominus Quixotus urbanis verbis a custodibus eorum quaesivit rationes quibus illos hoc modo ducerent.

Custos eques respondit dicens eos damnatos esse triremibus regis et ad *galeras* ibant et nihil amplius dicendum erat nec ille scire debebat.

–Tamen –obiecit dominus Quixotus–, vellem scire ab ipsis causam huius calamitatis.

Dominus Quixotus, his argumentis et aliis prolatis, induxit eos ut ei dicerent, quae ille audire cupiebat, sed alius custos eques dixit ei:

–Hic est nobis liber iudicialis et ratio sententiarum uniuscuiusque horum infelicium, sed non est nunc tempus ad moram faciendam legendo eas; tu, domine, potes ad unumquemque eorum venire atque ipsi eas dicent si vellent et spero fore ut vellent, quia hi viri libenter improbitates eorum et facere et exponere volunt.

Hac venia accepta, quamvis dominus Quixotus eadem faceret si ei non permitterent, ad catenam damnatorum pervenit et a primo quaesivit quaenam peccata commisit, quia hoc modo ibat. Ille autem respondit se sic procedere propter amorem.

–Num tantum per hanc causam? –obiecit dominus Quixotus–. Si hoc ita est et viri capti amore damnandi sunt ad triremes etiam possum damnari ad *galeras*.

–Sed non sunt amores quos tu ipse putas –dixit remex–; quia amores mei erant me tantum dilexisse canistellum plenum vestibus albis atque hunc amplexus sum

tam fortiter ut si ipsa iustitia coacte non auferret a me, numquam eum libenter relinquerem. Fuit «in fragranti delicto» quare nulla necessitas cuiusdam supplicii; et, causa finita, umeri mei centenas verberationes acceperunt et tres annos integros ad *gurapas*.

–Quod sunt *gurapas*? –quaesivit dominus Quixotus.

–*Gurapas* sunt *galeras* triremes –respondit remex damnatus.

Ille erat iuvenis circa viginti et quattuor annos natus et dixit se ex oppido Piedrahita fuisse. Eadem quaesivit dominus Quixotus ab altero damnato, qui nullum verbum respondit, quia tristis et melancholicus iter faciebat, sed in loco eius respondit primus qui dixit:

–Hic, domine, vadit pro canariensi passero, id est pro musico et cantore.

–Quidnam hoc? –repetiit dominus Quixotus–. Etiam musici et cantores vadunt ad *galeras*?

–Utique, domine –respondit remex damnatus–; quia nihil tam adversum est quam cantare in anxietate.

–Semper audivi dicere –inquit dominus Quixotus– qui cantat sua adversa fugat.

–Hic hoc est e contrario –dixit remex damnatus–, quia qui semel cantat per totam vitam suam lamentatur.

–Non possum intelligere –dixit dominus Quixotus.

Sed unus custodum ei dixit:

–Domine eques, cantare in anxietate significat, inter hanc *non sanctam* plebeculam, delicta in supplicio confiteri. Et huic peccatori cruciatum dederunt et delictum suum confessus est et hoc erat eum *quatrerum* esse, quod est latro bestiarum, et propter confessionem suam damnatus est sex annos ad triremes, necnon ducentas verberationes quas iam habuit super suos umeros et hac de causa semper meditabundus et moestus est, quia reliqui latrones, qui ibi manent, et hic vadunt, eum vexant, eo abutuntur eumque deridént et pro nihilo faciunt, quia confessus est et non sustinuit ad dicendum: non! Quia secundum eos tot litterae sunt in *non* quam in *ita* et delinquens magnam fortunam habebit si in sua lingua habet facultatem ad vitam sive ad mortem suam et non pendet de testibus vel de probationibus; et secundum me in hoc illi non errant a via.

–Et sic haec intelligo –respondit dominus Quixotus.

Hic enim ad tertium pervenit et eadem quaesivit tamquam ab alteris; qui statim et magna vivacitate ei respondit:

–Ego vado per quinque annos ad dominas *gurapas*, quia decem denarii deerant mihi.

–Viginti ego tibi dabo et quidem libenter –inquit dominus Quixotus– ut possis hanc molestiam vitare.

–Hoc mihi videtur –respondit remex– simile esse illi qui pecuniam in sinu maris habet et interea fame perit, quia emere nequit quae ei necessaria sunt. Et hoc sic dicam, quia si tunc temporis hos viginti denarios habuissem, quos nunc tu, domine, mihi offers, quibus possem tunc corrumpere et subornare calamum scribae et intellectum procuratoris excitare, hodie essem in media platea Zocodover Toleti et non in hac via tamquam canis venaticus cum catena; sed Deus est magnus et patientia et hoc sufficit.

Pervenit dominus Quixotus ad quartum eorum, qui erat vir venerabilis vultu,

praeditus barba candida, quae ei ultra pectus cadebat; qui cum audiret eum quaerentem de causa, qua illi hic veniebant, incepit flere et nullum verbum respondit; quintus damnatus autem locum eius accepit et pro eo dixit:

–Hic honoratus vir per quattuor annos ad *galeras* venit postquam deambulavit, quae solita sunt, amictus magna pompa et super equum.

–Hoc est –obiecit Sanctius Pansa–, quod mihi videtur ad publicam verecundiam exire.

–Ita est –obiecit damnatus–; et culpa eius quam poenam dederunt, quia cursor auriculae fuit et immo totius corporis. Profecto, dicere quaero hunc equitem lenonem fuisse et eodem modo habuit cuspides et torquem venefici sive malefici.

–Nisi has cuspides et torquem ei adderent nullo modo ille mereretur si tantum fuit mundus leno ad remigandum in triremibus, sed ad eas ducendas ita ut dux earum esset. Quia munus lenonis officium est prudentium et non minimi momenti, sed valde necessarium in re publica bene ordinata et non fungerentur hoc munere nisi qui essent homines nobiles natu et deberent instaurare inspectores atque examinatores tamquam in aliis muneribus et quidem numero clauso et restricto ut cursores mercatorum, et hoc modo multa adversa vitarent, quia etiam sunt in hoc officio viri stulti et parvi intellectus, tamquam mulierculae nullius momenti, pedisequi et immo scurrae nati sine peritia et minoris experientiae qui, necessitate orta, et cum instans necessitas sit ad faciendùm quod sit maioris momenti, ore aperto et manu detenta, nec scire possunt quaenam sit manus dextra eorum. Ulterius vellem procedere ad probandum quare oportet electionem facere eorum, qui in re publica tale necessarium munus habent; sed ad hoc non est hic locus idoneus; aliquando haec enim dicam illi qui possit haec providere et quidem mederi. Nunc tamen dicam me misereri videndi hos candidos capillos et hunc venerabilem vultum et quidem tanta lassitudine pro hoc lenone mediatore, sed continuo evanescit cum cognoscerem eum habuisse aliam accusationem maligni venefici. Quamvis bene notum sit nulla incantamenta nec veneficia esse in mundo, quae possint voluntatem humanam mutare et compellere etsi nonnulli simplices mentis sint qui sic cogitent, sed nulla herba nec incantamentum est ad hominem compellendum ut faciat. Quod quaedam mulierculae et nonnulli scelerati soliti sunt quasdam mixturas et venena facere, quibus homines efficiunt amentes et hoc modo conantur ostendere se virtutes habere ad voluntatem mutandam, quod nullo modo fieri potest.

–Hoc ita est –inquit bonus senex–, et vere, domine, nulla culpa fuit mihi in accusatione venefici; in altera accusatione tamquam lenonis tamen negare non potui. Sed numquam putavi me male fecisse; quia meum desiderium erat ut omnes homines gauderent in pace et quiete, sine rixa nec doloribus; sed hoc bonum desiderium meum nullo modo profecit mihi ad iter vitandum quonam exspecto non iterum ire, propter copiam annorum atque incontinentiam mictionis qua laboro, quae nullam quietem dat mihi.

Et denuo ad planctum, ut antea, reversus est; et Sanctius magnam commiserationem erga eum habuit et ex sinu suo argenteum ex quattuor eduxit quem ei pro eleemosyna dedit.

Ulterius profectus est dominus Quixotus et ab alio de suo delicto quaesivit, qui spontanee et iucundiore modo respondit quam praecedens ei.

–Ego vado hic quia duas propinquas meas nimis illusi cum duabos sororibus, quae non erant sorores meae; denique tam multum eas omnes illusi ex quibus rebus numerus propinquorum multiplicatus est et implicatus est ut nullus diabolus haec declarare posset. Omnia contra me probaverunt, non fuit mihi ulla protectio nec iuvamen, defuit mihi pecunia et fere guttur meum perdidi et secundum sententiam damnaverunt me per sex annos ad triremes et consensi: haec est poena culpae meae; tamen iuvenis sum: si vita ulterius prosequitur omnia nanciscar. Si tu, domine eques, ad hos miserrimos adiuvandos habes aliquid, Deus in coelo retribuet tibi et nos hac in terra cum nostris orationibus rogabimus pro tua valetudine et vita ut longa sit et bona tamquam tua praesentia meretur.

Hic induebat vestem scholasticam et quidam custodum dixit eum valde garrulum esse et quidem valde elegantem loquendo latino sermone.

Post hos omnes vir praeditus iucundo vultu circiter triginta annos natus veniebat, tamen cum inspiceret oculum in alterum oculum paululum introducebat. Tamen ligatus erat diversimode ab alteris, quia erat ei catena ad pedem et tam magna ut posset ope illius religare totum corpus et duos anulos ferreos ad guttur suum habebat et alterum ad medium corpus et alterum, qui vulgo dicitur *ad amicum servandum* sive *pes amici*, ex quo duo ferra descendebant usque ad dimidiam partem corporis et ibi erant duo manicae ad manus apprehendendas et quidem clausae cum magno pessulo ita ut nec cum manibus posset os suum tangere, nec inclinare caput ad manus suas. Dominus Quixotus quaesivit quare ille vir tantis catenis esset astrictus et plus quam alii. Custos autem dixit ei, quia solus ille plura delicta habebat quam alii cuncti et quia etiam audacissimus erat in extremis et malefactor et, quamvis ligatus illo modo esset, non erant securi cum eo et credebant eum fugere posse.

–Quae delicta potuit ille facere –inquit dominus Quixotus–, si non meruerunt plus quam ad triremes eum mittere?

–Per decem annos –obiecit custos–, quod idem est ac mors civilis. Sufficit dicere eum esse Ginesium de Pasamonte, alias Ginesilius de Parapilla.

–Domine delegate –dixit tunc remex damnatus–, procedas lentiter et ne venias ad nomina et cognomina imponenda. Nomen meum est Ginesius et nullo modo Ginesilius et Pasamonte est quidem genus sive cognomen meum secundum quod tu dixisti; et unusquisque curam habeat de suis rebus et gyrum completum in his det et satis erit ei.

–Et utinam velis loqui placidiore modo –obiecit delegatus–, domine latro, et quidem ultra mensuram, nisi velis me facere te omnino tacere quamvis nolles.

–Bonum est –respondit damnatus– hominem secundum decretum Dei procedere; sed forte aliquando cognoscat utrum nominer Ginesilius de Parapilla necne.

–Sed nonne dicunt te mendacem esse? –dixit custos.

–Profecto dicunt –respondit Ginesius–, sed faciam eos non ultra dicturos esse de me, sive quae intima mea sunt perficiam et quidem inter dentes. Domine eques, si aliquid habes ad nobis dandum, da nobis, et vade in pace; quia permolestus es nobis cum disquisitionibus de vitis alienis. Et si vitam meam cognoscere vis, oportet ut scias me esse Ginesium de Pasamonte et hanc vitam scripsi cum his propriis digitibus meis.

–Hoc verum est –ait delegatus–; quia ipse historiam suam scripsit et nihil est

amplius dicendi et immo librum reliquit in carcere sub pignoratione pro ducentis argenteis.

–Sed conabor redimere eum –dixit Ginesius– quamvis per ducentos denarios esset.

–Tam bonus est liber? –dixit dominus Quixotus.

–Tam bonus –respondit Ginesius– ut male eveniat illi *Lazarillo de Tormes* et omnibus huius generis scriptis sive qui scribendi sunt. Quod tibi dicere possum est eum veritates tractare et veritates hae tam venustae ac lepidae sunt ut mendacia cum illis certare non possint.

–Et quomodo intitulatur liber hic? –quaesivit dominus Quixotus.

–*Vita Ginesii de Pasamonte*– ipse respondit.

–Estne liber perfectus? –quaesivit dominus Quixotus.

–Quomodo potest liber perfectus esse –respondit ille– si adhuc vita mea non finita sit? Quod scripsi est ex nativitate mea usque ad hanc novissimam damnationem meam ad triremes.

–Tunc etiam alia vice fuisti damnatus? –dixit dominus Quixotus.

–Ad ministerium Dei regisque per quattuor annos fui et iam novi quod *panis biscoctus* sapit et *flagellum* –respondit Ginesius–; sed non tantum doleo damnandi, atque erit mihi occasio propitia finiendi librum, quia multa dicenda sunt et in *galeris* Hispaniae maiorem quietem inveniam quam quae oportet, quamvis non tam magna quies mihi necessaria sit ad scribendum quod volo, praesertim quia iam omnia tradidi memoriae.

–Mihi videris sollers in extremis –dixit dominus Quixotus.

–Et miserrimus –respondit Ginesius–; quia adversa comitantur illos qui praediti sunt claro intellectu.

–Sceleratos persequuntur –dixit delegatus.

–Iam dixi, domine delegate –respondit Pasamonte–, ut procedas lentiter; quia illi domini non dederunt tibi auctoritatem ad eam abutendam, nisi ad adducendos nos secundum mandatum regis. Aliter, et per vitam ..., sed sufficit! quia aliquando maculae cuiusdam rei apparent in lotione vestium et inveniatur quod factum est in caupona; et omnes taceant et bene vivant et melius loquantur et procedamus; quia iam sufficit haec magna refocillatio.

Delegatus baculum levavit ad monitum respondendum illi Pasamonte propter minas eius; tamen dominus Quixotus intercessit in medio et ab eo quaesivit ne vexaret damnatum, quia non erat tanti momenti et qui ligatus erat saltem linguam liberam haberet. Et tunc revertens se ad omnes qui in illa catena erant dixit:

–Ex his quae mihi dixistis, fratres carissimi, intellexi vos damnari propter culpas vestras et poenas quas passuri eritis non afficiunt vobis magnum gaudium, qua de causa vos non libenter vaditis, sed utique contra vestram voluntatem; et paucitas animi quam ille in cruciatu habuit et penuria pecuniae alterius et minima protectio cuiusdam et denique iudicium adversum iudicis fuit causa vestrae perditionis et quidem non habuistis iustitiam prosperam vobis. His omnibus rebus consideratis, memoria mea dicit et suadet et immo adstringit me ut vobis ostendam decretum coeli mittendo me ad hunc mundum, quia ecce secundum ordinationem equitatus, quo munere fungor et iusiurandum quod feci favendi miserrimis et oppressis a praepotentibus. Sed etiam oportet dicere ut pars prudentiae sit omnia bene facere et

non adversa, quare hos dominos custodes et delegatum rogabo ut liberent vos et permittant vos in pace ire; quia non deerunt qui velint regi servire in melioribus occasionibus, quia mihi durum videtur servos facere, quos natura liberos creavit. Et etiam, domini custodes –adiunxit dominus Quixotus–, hi miseri homines nihil fecerunt contra vos. Unusquisque solvat peccatum suum; aliter Deus est in coelis, qui non desinit malum punire et bono retribuere et non bonum est homines honoratos carnifices esse aliorum hominum praesertim, quia quid hoc illis? Qua de causa et quidem mea magna mansuetudine et quiete quaero a vobis ita ut gratiam vobis agam si haec facitis; sed si id nullo modo facitis haec lancea et hic gladius una cum virtute bracchii mei facient ut invite et coacte ea adimpleatis.

–Quam magna stultitia! –respondit delegatus–. Bonum est hoc quod dixisti ad ridendum! Tu vis nos remiges regis liberare tamquam si auctoritas esset nobis ad hoc faciendum, sive si tu hanc haberes ad imperandum nobis. Vade in pace et procede ulterius in tua via et cura ut recte ponas illum urceolum mingendi, quem super caput habes et non augeas nobis difficultates nec quaeras felem cum tribus pedibus.

–Tu eris feles et mus et sceleratus! –respondit dominus Quixotus.

Et, his dictis et factis, in custodem impetum fecit et eum tam celeriter percussit ut ille non potuit sese defendere et cecidit per terram vulneratus lancea et bene fuit hoc, quia hic erat qui sclopetum ferebat. Hoc subitaneo et inexspectato impetu facto, omnes custodes valde stupefacti sunt, tamen equites custodes apprehenderunt gladios et pedisequi hastas suas et in dominum Quixotum impetum fecerunt, hic autem praeditus magna tranquillitate eos exspectabat, sed male ei eveniret si damnati non accepissent hanc occasionem exortam ac praelatam nanciscendi libertatem. Et sic catenam ferream, qua ligati erant, conati sunt rumpere. Et tunc custodes modo in damnatos, qui cupiebant se liberare, modo in dominum Quixotum, qui illos percutiebat, impetum facientes nihil utilitatis pro se fecerunt.

Sanctius etiam sua ex parte iuvavit ad liberandum Ginesium de Pasamonte, qui primus liberatus fuit et exoneratus saltavit per campum atque impetum fecit in delegatum illum contusum per terram et gladium eius et sclopetum ab eo abstulit, quo aliquando intentans explodere in hunc aliquando in alterum, sed nullo modo explodens illo sclopeto, et denique omnes per campum fugerunt et nullus custos erat in toto campo, quia fugerunt omnes propter sclopetum illius Pasamonte et etiam causa lapidum quos damnati in eos eiiciebant.

His rebus gestis peractis, valde contristatus est Sanctius, quia putavit fugientes nuntium daturos esse Sodalitati Sanctae Fraternitatis, quae campana sonanti delinquentes quaereret et hoc modo domino suo dixit et immo eum rogavit ut fugam peterent et in densam ac proximam silvam se absconderent.

–Hoc bene est –inquit dominus Quixotus–; sed ego bene scio quod nunc oportet et quid faciendum sit.

Et, omnibus damnatis vocatis, qui vere turbulenti erant et delegatum ex omnibus suis rebus exspoliaverunt usque ad relinquendum eum nudum, hi circumierunt dominum Quixotum ad eum audiendum, quid ab eis quaereret qui eis dixit:

–Pertinet ad homines nobiles natu gratias agere propter beneficia accepta et magnum peccatum, quod Deus abominatur, praecise est ingratam voluntatem. Et hoc

vobis dico, domini, quia vidistis, teste experientia, quae a me accepistis; et propter retributionem huius rei vellem et quidem est voluntas mea ut vos cum hac catena quam a vestris collis abstuli iter faciatis ad oppidum Toboso ibique ante conspectum dominae Dulcineae a Toboso perveniatis eique dicatis equitem eius, nempe Equitem Tristis Figurae, mittere vos ad commendandum ei. Atque ei narrabitis accurate quaecumque feci vobis in his claris rebus gestis ad consequendam libertatem exoptatam; et, his rebus perfectis, tunc liberi eritis ad faciendum quidquid velitis.

Ginesius de Pasamonte respondit pro omnibus et sic dixit:

–Quod a nobis quaeris, domine et liberator noster, non fieri potest ut adimpleamus et quidem ullo modo, quia non possumus omnes una iter facere, nisi soli et seiuncti ab aliis et unusquisque sua via et abscondendo se in interioribus terrae ne Sancta Fraternitas inveniat nos, quia haec continuo proficiscetur ad quaerendos et apprehendendos nos. Quod facere potes, et iustum est, erit permutare hoc ministerium et tributum dominae Dulcineae a Toboso pro aliquot *Avemaria* et *Credo* quae dicemus secundum voluntatem tuam, et hoc adimplebitur die noctuque, fugiendo sive quiescendo, domi militiaeque; sed credere nos reversuros esse ad ollas Aegypti, nempe accipere catenam nostram et iter facere ad oppidum Toboso hoc est credere nunc esse noctem atram, quamvis nondum sit hora decima matutina et a nobis haec quaerere idem est tamquam pira ex ulmis quaerere.

–Attamen, iuro pro tale! –inquit dominus Quixotus, qui iam stomachabatur– domine fili moechae, domine Ginesili a Parapillo, sive sicut vocaberis, te iter facere solum et quidem cum cauda inter crura et oneratum cum omni catena.

Pasamonte autem non erat nimis tolerans et praesertim, quia credidit dominum Quixotum amentem esse et vere amentia erat eis dare illam libertatem atque ut primum vidit se tractari hoc modo a domino Quixoto, oculis signum fecit sodalibus suis et recedentes seorsum dominum Quixotum lapidaverunt ut pluvia lapidibus, qui male potuit se cooperire scuto suo; Rocinans autem nihil faciebat de stimulo equitis calcaribus tamquam si equus aeneus esset. Sanctius vero occultavit se ipsum post asinum suum, ope cuius se protegebat a nube et grandine, quae super eos pluebat. Dominus Quixotus non potuit se protegere tam bene et percusserunt eum aliquot saxa in corpus et tam fortiter ut eum per terram eiicerent; et ubi primum ad terram pervenerit scholasticus ille a capite abstulit illud instrumentum tonsoris et vi cuius percussit eum ter vel quater super umeros eius et toties super terram et fregit illud. Aliqui a domino Quixoto partem vestis abstulerunt, quae super arma ferebat et immo calceas voluerunt ab eo auferre nisi armatura crurum hoc impediret. A Sanctio vestem superiorem abstulerunt et fere nudus mansit. Et unusquisque eorum, reliquis exspoliis illius proelii inter se distributis, iter suum petivit, quia plus cupiebant illi a Sancta Fraternitate fugere, quam catenam illam ferre ante conspectum dominae Dulcineae a Toboso.

Iumentum et Rocinans, Sanctius et dominus Quixotus soli remanserunt; iumentum prono capite et meditabundum aliquando excutiebat aures suas, nesciens utrum haec procella saxorum vere finiret necne, quae aures suas persequebantur. Rocinans autem concussus iuxta dominum suum, qui etiam ad terram pervenit ope alterius lapidis; Sanctius fere nudus et timoratus de Sancta Fraternitate; dominus Quixotus tristissimus, quia se vidit vexatum ab eis, quibus tam magnum beneficium fecerat.

Capitulum 23. De his quae illustri domino Quixoto in Montibus Fuscis (*Sierra Morena*) evenerunt, quae fuerunt quaedam ex rebus gestis singularibus, quae in hac vera historia narrantur.

Cum dominus Quixotus tam vexatum se vidit, armigero suo dixit:

–Semper, Sancti, audivi dicere beneficium rusticis facere idem est atque aquam in mare effundere. Si vere credidissem quod mihi dixisti, hanc molestiam vitarem; tamen, his rebus peractis, oportet tantum patientiam habere atque experientiam carpere ex hoc et in futurum.

–Sic animadvertes hanc experientiam –respondit Sanctius– tamquam egomet gens turcica sim; nam dicis te putare hanc adversitatem a te avertere si vere credideris mihi, tunc oportet ut habeas tuam fiduciam in me ad maiorem adversitatem vitandam; et certiorem te faciam in rebus de Sancta Fraternitate eos non esse equites et pro nihilo facient de omnibus rebus pertinentibus ad equites itinerantes nec immo duos teruntios; et scito me iam audire sagittas eorum in auribus meis.

–Vere, Sancti, ignavus ex natura es –inquit dominus Quixotus–; sed nolo te dicere me obstinatum esse et numquam tuum consilium sequi, quare nunc tuum monitum accipiam et avertam calamitatem quam tam multum times; sed haec omnia erunt sub quadam condicione: nempe ut numquam dicas, in vita sive in morte, me avertisse hoc periculum sive discessum esse propter metum, sed tantum ad tua consilia adimplenda. Aliter si alia dixeris in hoc mentieris et ex hoc iam tibi ad illud tempus et illinc hucusque dico te mentiri et quidem toties quoties haec cogitabis sive dices profecto mentieris. Et noli me refutare, quia tantum si puto me a quodam periculo recedere, potissimum ex hoc, videtur mihi hoc redolere quamdam umbram metus et forte debeam hic et nunc manere ad omnem Sanctam Fraternitatem exspectandam, de qua dicis et quam times, necnon et fratres ex Duodecim Tribubus Israel et Septem Machabaeos, Mecastor atque Edepol et quoque omnes fratres et fraternitates, quae in mundo sint.

–Animadverte, domne –respondit Sanctius– recedere non esse fugere, nec exspectare est prudentia, cum periculum taliter omnem spem superet, quia sapientis est se servare ad crastinum diem et non omnia inconscienter ad periculum uno die se debeat dare. Et scito me, quamvis insipiens et rusticus sim, aliquid intelligere de his quae dicunt de gubernatione rerum; et ne poeniteat te consilii mei, sed ascende in Rocinantem, si hoc facere vales, e contrario ego te iuvabo ut sequaris me, quia caput meum dicit mihi: nunc oportet pedibus et non manibus uti.

Dominus Quixotus, nullo verbo addito, ascendit in equum et Sanctius in asinum suum, ambo iter fecerunt et hoc modo intraverunt in illam partem Montium Fuscorum, qui ibi propinqui erant; et Sanctius conatus est eos omnes transire usque ad oppidum Viso sive Almodovariam Campestrem (Almodóvar del Campo) ita ut se absconderet per quosdam dies inter illas rupes ad vitandam Fraternitatem si casu vere eos quaereret. Ad haec facienda iuvavit cellarium integrum evasisse ex pugna cum damnatis, quod Sanctius putavit pro magno miraculo, propter omnia quae damnati abstulerunt et quaesiverunt.

Cum dominus Quixotus introisset in montes illos laetus erat animo, quia putavit illos locos idoneos esse ad res gestas quas quaerebat. Ad suam memoriam pervenerunt mirae res gestae, quae in talibus solitudinibus evenerunt equitibus itinerantibus. Meditabundus erat de his rebus et nullius meminerat. Nec Sanctius de aliis rebus curabat –cum vidit se iter facere per illas regiones securas– nisi stomachum reficere cibis, quos habuit ex depraedatione clericorum atque eis remanserunt; et hoc modo dominum suum sequebatur sedens super iumentum suum modo muliebri, sed ex clitellis eduxit cibum et ventrem implevit; et nullas res gestas quaesivit nec pro minima pecunia cum hoc modo procederet.

Tunc porrexit oculos et vidit dominum suum stantem, qui cum extrema lancea aliquid cupiebat levare et en moles sive res quaedam, quae in terra iacebat, quare festinavit ad eum iuvandum si oportebat; sed cum advenit eo tempore cum lancea ille levavit pulvinar et sarcinam cum eo ligatam et haec omnia fere putrida erant sive omnino putrida et dirupta; tamen onus magnum erat eis, quare Sanctius descendit de asino ad ea apprehendenda et dominus eius iussit ei ut videret quae in sarcina erant.

Festinavit Sanctius ad haec perficienda et quamvis sarcina clausa esset cum catena et pessulo per foramina eius vidit quae intus erant et ecce quattuor subuculae subtilissimae atque alia ex linteo non minus curiosa quam limpida et in quodam sudario invenit magnam copiam aureorum; et ille, his rebus conspectis, dixit:

–Benedictum sit totum coelum quod nobis has res gestas decrevit ita ut sint cuiusdam utilitatis nobis!

Amplius inspexit et codicillum optime confectum invenit. Dominus Quixotus ab eo hunc quaesivit eique iussit ut pecuniam servaret sibi. Sanctius manus eius osculatus est propter hoc magnum beneficium atque ex sarcina omnia lintea abstulit et in suis clitellis posuit. Dominus Quixotus, his inspectis, dixit:

–Mihi videtur, Sancti, quia alia res non fieri potest, ut quidam viator, qui per hos montes transivit, viam suam fortasse perdidit, quia grassatores in eum irruerunt, eum interfecerunt atque in hac abscondita regione sepelierunt.

–Hoc non fieri potest –respondit Sanctius–, quia si vere latrones erant hanc pecuniam hic non reliquissent.

–Hoc verum est –inquit dominus Quixotus–, atque ita neque video nec intelligo quid hoc sit; sed exspecta paulisper: videamus si fortasse in hoc codicillo est scriptum, quo invenire possimus et cognoscere quod scire volumus.

Aperuit atque invenit sonetum scriptum et quidem pulchris litteris et cum legeret alta voce ita ut Sanctius eum audiret sic dicebat:

SONETUM

Nescio utrum desit Amori cognitio
an supersit ei haec magna crudelitas,
quae est occasio mihi tamquam calamitas
et ad tormentum pervenit punitio.

Si deus est Amor haec est mea petitio
quam vero ignorat et est mea festivitas
et saevas habet res divi insolitas?
Quas ordinavit haec mea condicio?

Si dico te, Phyllis, hoc est incertum,
et magnum malum esset in meo bono,
adversum quid ex hoc coelo ad me veniet?

Sed cito moriar et hoc tamquam certum
feram, accipiam meo capite prono
et opportuna medela adveniet.

–Per hoc carmen –dixit Sanctius– nihil ostenditur nisi ex ungue leonem videamus sive ex filo glomum.

–Quod filum est hic? –dixit dominus Quixotus.

–Mihi videtur –dixit Sanctius– te, domine, dixisse *filum.*

–Tantum dixi *Phyllis* –respondit dominus Quixotus–, et hoc erat procul dubio nomen illius dominae de qua auctor lamentatur in hoc soneto; et, mea sententia, valde excellens poeta est sive parum huius artis egomet cognosco.

–Ergo, etiam –dixit Sanctius– tu cognoscis artem poeticam?

–Et plus quam fingere animo poteris –respondit dominus Quixotus–, atque iam videbis cum mittam litteras ad dominam Dulcineam a Toboso scriptas in versibus e summo usque deorsum. Quia oportet te scire, Sancti, omnes, sive plures equites itinerantes ex aetate praeterita magnos vates fuisse et etiam magnos pulsatores musicos; quia haec duae artes sive dexteritates annexae sunt equitibus itinerantibus captis amore. Tamen carmina illorum praeteritorum equitum plus habebant ingenii quam venustatis.

–Lege, quaeso, ulterius –dixit Sanctius–; forsitan invenias quod nobis magis conveniat.

Dominus Quixotus paginam volvit et dixit:

–Haec est prosa et mihi videtur epistula esse.

–Estne epistula missiva, domne? –quaesivit Sanctius.

–Imprimis videtur ut sit de re amatoria –respondit dominus Quixotus.

–Legas ergo, quaeso, alta voce, domine, –inquit Sanctius–; quia res amatoria perplacet mihi.

Et eam legit alta voce, tamquam Sanctius ab eo quaesivit et haec dicebat:

Promissio mendax atque adversa fortuna mea duxerunt me ad partem ex qua ad tuas aures pervenient nuntii meae mortis et non sententiae meae lamentationis. Sprevisti me, o ingrata, pro divitiore, sed non pro meliore. Tamen si virtutes essent divitiae et sic hae aestimarentur nullam zelotypiam haberem de alienis nec de propriis lamentarer. Quod tua pulchritudo aedificavit, opera tua deruerunt; propter illam credidi te angelum esse et per haec cognosco te esse mulierem. Vade in pace, quia fuisti causa belli mei atque utinam coelum faciat ut fallaciae tui mariti

absconditae maneant, ne poeniteas horum, quae fecisti, nec ulciscer pro his quae non desidero.

Dominus Quixotus, hac epistula lecta, dixit:

–Minus ex hac epistula quam ex versibus cognoscimus auctorem, qui ea scripsit, nisi ut amans despectus esset.

Et fere cuncta folia illius libri volvit, alios versus litterasque invenit, nonnullos potuit legere, alios autem nullo modo; sed in omnibus erant querelae, lamentationes, diffidentiae, voluptates atque acerbitates, blanditiae et despectiones, alterae laudatae, alterae vero deploratae.

Dum dominus Quixotus inspiciebat librum, Sanctius videbat sarcinam et nullum angulum reliquit nec pulvinar, ubi non quaereret et conspiceret immo iuncturas destruxit et fimbrias lanae aperuit ita ut nihil esset sine investigatione: quia aviditas illius auxit post inventionem aureorum, qui plures erant quam centum. Et quamvis nihil amplius invenit bene ei videbatur ludus straguli in altum, vomitus balsami, benedictiones fustium, ictus pugnorum mulionis, amissio clitellarum, raptus vestis superioris atque omnis fames, sitis lassitudoque quae passus est in ministerio sui boni domini et immo credidit se bene lucrari beneficium acceptum ope illius inventionis.

Nunc Eques Tristis Figurae cupiebat magnopere cognoscere quis esset possessor illius sarcinae et, propter sonetum atque epistulam et propter pecuniam auream et bonas subuculas, putavit eum esse amantem illustrem qui, per despectiones et modum se gerendi dominae suae, pervenit ad quemdam finem desperatum. Sed dominus Quixotus in illa regione inhospita atque aspera a nemine potuit nuntios quaerere et sic non curavit amplius nec ulterius profectus est et tantummodo iter fecit secundum nutum Rocinantis, quod erat quo ipse ambulare potuit, quamvis ille semper exspectaret suis cogitationibus inter illa virgulta etiam inauditas res gestas invenire.

Ille autem, his argumentis peractis, porrexit oculos per cacumina monticuli, quae ante oculos habebat et vidit virum qui supra rupes et virgulta saltitabat et quidem insolita celeritate. Eum vidit fere nudum et praeditum barba fusca ac densa cum multis et inordinatis capillis, nudis pedibus et cruribus sine vestibus; coxae eius cooperiebantur femoralibus fractis ex tela contexta fulvi coloris, sed omnino dirupta, et carnes corporis per foramina videbantur. Ille autem nudo capite procedebat; et quamquam celeriter transivit, ut iam dictum est, has omnes parvitates Eques Tristis Figurae intuitus est atque animadvertit. Dominus Quixotus eum assequi voluit, sed propter lassitudinem Rocinantis ad deambulandum in illis asperis regionibus non potuit, et potissimum, quia gressus eius erat brevis ac phlegmaticus. Dominus Quixotus putavit illum dominum pulvinaris ac sarcinae esse et statuit eum quaerere, quamvis annum per illos montes pergeret donec eum inveniret; et hoc modo iussit ut Sanctius de asino descenderet atque illam partem montis perscrutaretur, dum ipse alteram partem perlustraret et sic fortasse hac mutua activitate invenirent virum qui tam celeriter a visu evanuit.

–Haec non potero facere –respondit Sanctius–; quia vix a te discedo, timor est mecum atque oppugnat me mille perturbationibus et phantasmatibus. Atque animadverte hoc ne separem me nec digitum a tua praesentia ex hoc et in futurum.

–Optime et sic ita faciam –inquit Eques Tristis Figurae–, et hic contentus sum, quia voluisti meo animo uti, qui numquam a te deficiet, quamvis animus a corpore deficiat. Sed nunc sequere me paulatim sive sicut possis et fac oculos tuos lanternas esse; monticulum hoc circumdabimus; forsan inveniamus virum quem vidimus, qui absque dubio, erit possessor inventionis nostrae.

Cui Sanctius respondit:

–Melius esset eum non quaerere; quia si eum invenimus et possessor pecuniae esset, ut patet, debeo ei eam restituere; et sic melius est, hac diligentia omissa, bona fide pecuniam habere, donec per aliam viam sive modum non tam difficilem ut verus dominus eius appareat; et fortasse iam tunc illam pecuniam impendissem et rex mihi veniam huiusmodi det atque immunitatem in toto hoc negotio.

–In hoc erras, Sancti –respondit dominus Quixotus–; quia iam est nobis suspicio eum illius possessorem esse atque hoc modo adstricti sumus ad eum quaerendum eique pecuniam restituendam; et si eum non quaerimus haec vehemens suspicio nostra, nempe eum possessorem esse, coactabit nos ad culpam tamquam si ille verus possessor illius esset. Hoc modo, amice Sancti, ne doleas quaerendi eum, quia animus meus gaudebit si eum invenio.

Et incitavit Rocinantem calcaribus et Sanctius secutus est eum suo usitato iumento; et, monticulo circumdato, invenerunt iuxta rivum mulam mortuam et fere devoratam a canibus cum sella et habenis; ex his omnibus suspicio confirmabatur virum fugientem, quem viderant, possessorem mulae et pulvinaris esse.

Illi, his rebus perspectis, audiverunt sonum sibili tamquam cuiusdam pastoris, qui pecus custodiebat, et continuo ad latus sinistrum magnam copiam caprarum viderunt et post eas et supra montem apparuit caprarius, qui eas custodiebat et quidem vir senex nimis erat. Dominus Quixotus vocavit eum atque ab eo quaesivit ut descenderet ubi illi erant. Ille respondit magnis vocibus, quis enim eos ad illam regionem duceret, ubi raro sive numquam pedes calcaverunt terram, nisi pedes caprarum vel luporum sive aliarum ferarum, quae ibi pullulabant. Sanctius respondit ei dicens ut descenderet et de his omnibus rebus rationem redderent ei. Caprarius autem descendit deorsum et cum pervenit ad dominum Quixotum dixit ei:

–Existimo te inspicere hanc mulam locatam, quae mortua est in hac profunda valle. Profecto abhinc sex menses illa est in hoc loco. Dicite mihi, utrum possessorem eius inveneritis necne?

–Neminem invenimus –respondit dominus Quixotus–, nisi pulvinar et sarcinam, quae invenimus non procul ab hoc loco, ubi sumus.

–Etiam ego inveni ea –respondit caprarius–; sed numquam volui ea colligere, timens ne quid mali mihi accideret neque de furto accusarent me; nam diabolus subtilis est; quia res sub pedibus hominis levat ad offendendum ut cadat, ipso homine nesciente et nolente.

–Hoc est quod egomet dico –respondit Sanctius–, quia etiam inveni ea et nolui ad ea pervenire nec ad iactum lapidis; ibi ea reliqui ut maneant sicut erant; quia nolo canem cum tintinnabulo.

–Dic mihi, vir bone –dixit dominus Quixotus–, num scis quis possessor harum rerum sit?

–Quod vere scire possum –ait custos caprarum– est, abhinc circa sex menses ad refugium pastorum, quod ab hoc loco tres leucas distat, pervenisse iuvenem altum bonae figurae, qui ut eques sedebat super hanc mulam, quae est hic mortua et cum eodem pulvinare et sarcina, de quibus dixistis vos ea invenisse, sed non tetigisse. A nobis ille quaesivit quaenam pars huius montis esset asperior ac magis recondita; ei diximus hanc esse, ubi nos nunc sumus et haec est veritas, quia si intratis dimidiam leucam intus fortasse non poteritis exire; et miror quomodo potuistis huc venire, quia non est nec via nec semita, quae huc perducat. Et dico enim eum, responso nostro audito, habenas vertisse et tunc petivit locum quem ei indicavimus; atque omnes nos mansimus contenti cum praesentia eius et mirati de quaestione eius et etiam de celeritate, qua iter faciebat ad hunc montem; atque in posterum eum iam non denuo vidimus, usque ad diem quo ad viam exivit et petivit quemdam pastorem et, nullo verbo prolato, illum percussit pugnis et calcibus, postea ad asinam penariam venit atque ex ea panem et cibos rapuit et continuo celeriter in silvam penetravit. Nonnulli caprarii, his rebus cognitis, eum quaesivimus per binos dies per densiorem partem huius silvae atque in finem horum dierum eum vidimus in cavo cuiusdam crassi et robusti suberis. Ille autem ad nos venit magna mansuetudine, vestibus diruptis et vultu mutato et combusto ardore solis et tali modo ut paene eum recognovimus; nisi quia vestes diruptae testes erant eum ipsum esse quem quaerebamus. Ille urbaniter salutavit nos et paucis ac brevibus verbis nobis dixit ne miraremur, nam hoc modo deambularet, quia sic erat opportunum pro suis innumeris peccatis ad expiandam culpam quam ei imposuerunt. Ab eo quaesivimus ut nobis diceret quis ille esset; tamen numquam potuimus id ab eo audire. Etiam ab eo quaesivimus cum egeret victu necessario ad edendum ut diceret nobis, ubi eum possemus invenire, quia libenter ei voluimus dare; et si hoc non esset secundum beneplacitum eius saltem id posset quaerere, sed non rapere a pastoribus. Gratias egit nobis propter benevolentiam, excusavit se propter incursus suos et pollicitus est ex amore Dei omnia a nobis quaerere et nullam molestiam cuidam afferre in futurum. Et quoad habitaculum suum dixit nobis se nullum aliud habere nisi quod occasio ei offerebat, nocte adveniente; et postea incepit plangere atque eum comitati sumus planctu, quia non facti eramus ex lapidibus et cogitavimus quomodo eum vidimus prima vice atque ut eum tunc videbamus. Quia, ut dixi, erat iuvenis venustae figurae atque iucundi animi et ille, suis argumentis urbanis et bene expositis, ostendebat se nobilem natu esse ac virum illustrem sive aulicum; et nos rustici eramus, sed placido animo eum audiebamus et sua elegantia bene videbatur et cognoscebatur a nostra rusticitate. Sed ecce cum haec dixerat stetit in suo colloquio, detinuit se et tacuit; inspexit terram suis oculis longam moram de quo omnes mirabamur et suspensi eramus, exspectantes quid esset illa interruptio, quia lamentabamur videndi eum; et quod faciebat erat tantum aperire oculos et intueri terram, palpebris immotis, per longum tempus et aliquando oculos claudebat, labris pressis, et, superciliis curvis, quibus facile cognovimus eum quadam dementia laboravisse. Et ipse probavit hoc verum esse quod putabamus; quia continuo ex terra, ubi accubuit, surrexit magna furia et percussit primum quem iuxta se invenit et tanto robore atque iracundia ut si nos eum ab illo non

seiunxerimus profecto eum interficeret ictibus pugnorum et dentibus; et cum haec faceret dicebat «Miserabilis Ferdinande, proditor! Hic mihi solves proditionem, quam mihi fecisti! Hae manus cor tuum extrahent, ubi omnes adversae improbitates tuae habitant, praesertim raptus et fallacia». Et ad haec verba alia argumenta addebat atque omnia missa ad Ferdinando maledicendum, qui vere erat traditor et miserabilis. Illum ab eo seiunximus et quidem magno dolore atque ipse, nullo verbo adhibito, a nobis secessit et cucurrit ad silvam per virgulta, ita ut difficile esset nobis eum persequi. His rebus conspectis, putavimus dementiam prendere eum intermittenter et etiam quidam, nomine Ferdinandus, ei quid mali fecerat et tam adversa ut terminus illius rei ostenderet. Atque haec omnia saepe probavit et quidem multoties cum ille ad viam exiret ad cibum quaerendum a pastoribus sive ab eis robore et violenter auferret; quia cum laborat dementia, quamvis pastores ei libenter offerant, ille hoc non admittit, sed rapit ictibus pugnorum; tamen cum conscius sit omnia propter amorem Dei ac maxima urbanitate quaerit a nobis et gratias agit et immo cum lacrimis. Vere hesterno die ego et quattuor pueri pastores, nempe duo famuli ex eis et duo etiam sodales mei, statuimus eum quaerere usque ad eum inveniendum et tunc, velis nolis, eum adducere ad villam Almodovariam Campestrem (Almodóvar), quae hinc octo leucas distat ibique de eo curabimus si vere aegritudo eius curanda sit, aliter cognoscemus eum cum conscius sit, et si sunt ei propinqui, quibus nuntium de eius calamitate dare possumus. Hoc est, domini mei, quod vobis dicere possum ex his quae a me quaerebatis; et possessor harum rerum, quas inspexistis, ipse est quem vidistis deambulantem tam magna celeritate quam nuditate –quia dominus Quixotus iam dixit ei quomodo vidit virum saltitantem per montem.

Dominus Quixotus miratus est de his quae a caprario audivit et cupivit maiore desiderio cognoscere, quis esset miser amens et statuit ad faciendum, quod iam cogitaverat: scilicet eum quaerere per totum montem, nullo angulo sive spelunca illius relicta, donec eum inveniret. Sed melius evenit fortuna quam quod ipse exspectabat, quia illo tempore apparuit iuvenis, quem quaerebant atque en ille loquebatur secum verba, quae si prope non intelligebantur multo minus a longe. Vestis eius erat sicut iam descripta erat, tamen cum propius esset dominus Quixotus vidit eum induisse pellem diruptam et quidem ex ambaro, qua intellexit eum non pertinere ad genus infimum propter subtilitatem talium vestium suarum.

Cum iuvenis ad eos pervenit gravi et atona voce salutavit eos, sed maxima urbanitate. Dominus Quixotus respondit salutationibus eius eadem urbanitate et descendens de Rocinante deorsum venit ad eum amplectendum venusto modo et circumspectione, atque amplexus est eum per longam moram inter sua bracchia tamquam si eum a longe cognosceret. Alter autem, quem vocare possumus *Ruptum Malae Figurae* –sicut dominum Quixotum *Equitem Tristis Figurae*–, longo amplexu elapso, a se recessit et super umera domini Quixoti manus imposuit, inspiciendo eum ad videndum utrum cognosceret eum necne; quidem ille mirabatur videndo figuram, staturam et arma domini Quixoti, et etiam dominus Quixotus mirabatur intuendo eum. Breviter, Ruptus fuit primus qui locutus est, illo amplexu elapso, et dixit quae ulterius dicentur.

Capitulum 24. Ubi res gestae Montium Fuscorum prosequuntur

Historia dicit dominum Quixotum magna attentione auscultavisse equitem Ruptum, qui prosecutus est suam loquelam dicens:

–Profecto, domine, quicumque sis, quia ego non te cognosco, gratias ago tibi propter signa urbanitatis, quae mecum habuisti et etiam vellem eodem modo tecum eadem ostendere atque ultra voluntatem, quam habuisti mecum; tamen fortuna mea non vult mihi dare alia, quibus possim retribuere his beneficiis, quae mihi faciunt nisi ad meliora desideria adimplenda.

–Mea desideria –respondit dominus Quixotus– sunt tibi servire; et hoc tali modo decrevi ex his regionibus non proficisci quin invenirem te et cognoscerem si esset quaedam medela apta ad tuum dolorem curandum propter insolitam vitam quam ostendis; et si necesse est hoc remedium quaerere et quidem maxima diligentia. Sed si adversa fortuna tua nullam consolationem requirit tunc committerem me ad lamentandam magno planctu ut possim haec facere secundum vires meas; quia etiam est quaedam consolatio in calamitatibus si invenitur qui eis nobiscum lamentetur. Et si mea voluntas meretur quamdam gratam voluntatem, quaeso, domine, propter multam, quae est in te, atque eodem modo obsecro te pro illa re, quam magis diligis in terra ut mihi dicas quis sis et causa, qua huc venisti ad vivendum sive ad moriendum in his solitudinibus, quia vita tua est tamquam cuiusdam animalis silvestris, quia inter illa animalia vivis et quidem procul ab habitaculo tuo, quod patenter videtur ex vestibus tuis et tua praesentia. Et iuro –addidit dominus Quixotus– per ordinationem equitatus quam accepi, quamvis indignus et peccator sim, et per munus equitis itinerantis quo fungor, si in hoc, domine, complacebis mihi, me tibi servire totis viribus meis et quidem obstrictus munere meo, modo curando de tua fortuna adversa, si curari potest, modo adiuvando te ad lamentandum secundum quod tibi pollicitus sum.

Eques Nemoris qui hoc modo audivit Equitem Tristis Figurae loquentem, inspiciebat et conspiciebat eum iterum iterumque e summo capite usque deorsum et denique cum eum bene videret ei dixit:

–Si vos quid ad edendum habetis, date mihi, propter misericordiam Dei; et, prandio finito, adimplebo petitiones vestras et quidem gratias agens propter bona desideria, quae mihi ostendistis.

Postea Sanctius eduxit e sacco suo et caprarius e sua pera penaria quae mitigarent famem illius Rupti, qui edit quae ei dederunt tamquam inconsciens, quia festinavit, et inter morsum et morsum et, nulla mora elapsa, eos cibos magis vorabat quam deglutiebat; et, nullo verbo prolato, dum comedebat neminem inspiciebat. Ille autem, prandio finito, eos indicavit ut sequerentur eum, quod fecerunt atque ad pratum viride eos adduxit a tergo cuiusdam rupis et non procul seorsum. Cum illuc pervenirent ille sedit super terram, supra herbam teneram et reliqui idem fecerunt, et, his rebus peractis, nullus eorum locutus est donec vir Ruptus, accepto sedile, dixit:

–Si vere vultis, domini, me vobis breviter narrare immensitatem mei infortunii, oportet vos polliceri mihi nullam quaestionem facere nec aliam rem nec immo tristem

narrationem meae historiae interrumpere; quia si hoc facitis tunc detinebo me in ipso loco et narratio finietur.

Dominus Quixotus, his verbis auditis, meminerat fabellae quam ei armiger eius narravit, cum neglexerat numerum caprarum, quas trans flumen traduxerunt et historia mansit sine fine; sed revertens se denuo ad virum Ruptum, hic hoc modo prosecutus est dicens:

–Haec praelibata sunt, quia breviter volui narrationem infortunii mei praeterire; quia denuo ad mentem revocare non prodest mihi nisi aliud novum adversum addere, quare si non quaeritis a me finiam citius loquendi, quamvis omnia quae magni momenti sint enarrabo ad adimplenda desideria vestra.

Dominus Quixotus sic pollicitus est ei in nomine omnium, et ille hac certitudine hoc modo incepit:

–Nomen meum est Cardenius; patria mea est urbs ex melioribus urbibus huius Baeticae regionis, genus meum est nobile natu; parentes mei divites sunt; infortunium meum tam magnum quod parentes mei plorabunt et etiam propinqui mei sentient, et divitiae eorum nullo modo possunt id mittigare; quia ad mittiganda infortunia coeli parum vel nihil possunt bona fortunae. In hac ipsa regione vivebat coelum meum, ubi amor posuit omnem gloriam, quam cupiebam mihi: et talis est pulchritudo virginis Luscindae, quae tam nobilis et dives erat tamquam ego, sed maioris fortunae et minoris firmitatis quam quae debebatur meis cogitationibus. Hanc Luscindam dilexi a teneribus annis meis et ipsa dilexit me sua simplicitate et iucundo animo, tamquam tenera aetas eius ei permittebat. Parentes nostri desideria nostra cognoscebant et hoc non repugnabat eis, quia bene videbant, tempore prodeunte, ut nullus alius finis esset quam procedere ad nuptias inter nos, quod nobis vere conveniebat propter aequalitatem generis necnon et divitiarum. Aetas adauxit et cum illa amor mutuus ad invicem, et tunc patri Luscindae bonum videbatur, propter consuetudinem acceptam et respectabilitatem, vetare me introitum in domum suam atque in his autem imitatus est parentes illius Thisbes cantatae et laudatae a poetis. Hoc interdictum auxit flammam amoris super flammam et desiderium super desiderium; et quamquam linguae tacuerunt non potuerunt silentium calamis imponere, qui liberiores quam linguae faciunt intelligere, cui volunt, quae in animo celantur; quia multoties praesentia amatae animum deturbat et sic voluntas, quamvis deliberata sit, et lingua magis resoluta atque audacior tacet. Eheu coeli! Quot litteras ad eam dedi! Quot iucunda honestaque responsa accepi! Quot cantus composui, quot versus amorosos, ubi animus declarabat et sensus transcribebat, depingebat ardentia desideria, memoria oblectabatur et voluntas recreabatur! Profecto, cum viderem me afflictum et animum meum pati desiderio videndi eam, et sic atque uno ictu statui omnia perficere ad haec omnia vitanda, quod mihi magis conveniebat ad desiderium meum nanciscendum atque ad meritum et debitum praemium obtinendum et hoc modo a parentibus eius quaesivi eam ducere uxorem legitimam; quibus verbis pater eius respondit se gratias agere mihi propter voluntatem ad eum honorandum; et eodem modo ille voluit honorare me, sed sicut pater meus vivus erat, ille debebat, secundum rectum ius, illam petitionem facere, quia si hoc non esset factum sic ac magna voluntate et gaudio, Luscinda non erat mulier ad ducendam sive ad dandam furtim.

Ei gratias egi propter bonam voluntatem eius, quia mihi videbatur eum recte iudicavisse et certe pater meus conveniret ad eum ubi primum ei dicerem; et mox et, hoc consilio facto, ad patrem meum veni ad haec ei nuntianda. Sed cum ad habitaculum eius perveni, inveni eum cum litteris in manu quas, nullo verbo a me prolato, mihi dedit et dixit: «His litteris videbis, Cardeni, voluntatem ducis Richardi faciendi tibi bonum beneficium». Hic dux Richardus, sicut vobis notum erit, quidam magnus Hispaniae est et habet statum in meliore parte huius Baeticae regionis. Accepi litteras et legi atque ecce valde commendatae erant patri meo, quibus adimplere debebat, quae in eis ab eo quaerebant et hoc erat ut mitteret me, ubi ille dux erat et quidem volebat me fuisse socium, non autem famulum, fili sui maioris natu atque ipse etiam voluit me instaurare in summa positione debita ad aestimationem, quam de me habebat. Litteras legi et legendo eas tacui, praesertim cum audirem patrem meum mihi dicentem: «Intra binos dies profecturus es, Cardeni, ad faciendam voluntatem ducis et gratias Deo age, qui tibi aperuit viam prosperae fortunae ad nascincendum, quod vere mereris.» Alias considerationes addidit his rebus ut pater consiliator. Die discessus mei advento, nocte cum Luscinda locutus sum eique narravi omnia, quae acciderant, atque eadem patri eius dixi, supplicans ei ut moram faceret per quosdam dies et produceret desiderium meum ducendi filiam eius uxorem, donec cognoscerem quae dux Richardus a me quaerebat; ille haec mihi pollicitus est et Luscinda haec mihi confirmavit iureiurando et languoribus animi. Tunc ad ducem Richardum perveni. Ille optimo modo recepit atque honoravit me et ex hoc invidia incepit suum officium facere et sic veteres famuli invidebant mihi, quia eis videbatur ducem perfecisse in detrimentum eorum quaelibet beneficia quae mihi fecerat. Sed qui magis gavisus est meo adventu fuit secundus filius ducis Richardi, nempe Ferdinandus, elegans iuvenis, vir nobilis, liberalis et captus amore qui, brevi tempore, voluit me amicum intimum eius esse, ita ut omnes de hac quaestione loquerentur, et, quamvis frater maior natu me aestimaret bene et beneficium faceret mihi, hoc non fuit ad extremum quo Ferdinandus aestimabat me atque agebat mecum. Et, ut patet, inter amicos non sunt secreta, quae non communicentur ad invicem et propter mutuam fiduciam atque amicitiam cum domino Ferdinando, ille mihi omnes cogitationes suas exponebat potissimum de re amatoria, quae ei aliquantulum perturbabant. Ille ardebat puellam rusticam subditam patris sui, quamvis ipsa parentes valde divites haberet, atque ipsa erat tam pulchra, pudica, prudens honestaque ut nemo qui eam cognosceret posset dicere qua ex his virtutibus magis excelleret. Optimae qualitates huius puellae rusticae impulerunt desideria Ferdinandi ad eam nanciscendam atque ad oppugnandam firmitatem illius rusticae et sic ei pollicitus est eam ducere uxorem; quia aliter hoc non fieri posset. Ego autem, teste amicitia, bonis verbis atque argumentis expositis, et vivis exemplis allatis, volui eum detinere atque avertere a tali proposito; sed propter inanitatem, decrevi rem mittere ad ducem Richardum, patrem eius. Sed Ferdinandus callidus ac prudens hoc suspicatus est atque hoc timuit, quia sic ei videbatur me non posse celare, sed ostendere, utpote bonus famulus, quae erant in tam magnum damnum honoris ducis Richardi, domini mei. Et tunc ille ad illudendum et decipiendum me dixit mihi se nullum medium invenire ad memoriam avertendam ex illa pulchritudine, ope cuius firmiter captus erat amore,

quam proficisci ab illa urbe per quosdam menses et sic ille volebat mecum ad domum patris mei venire atque ad haec nuntianda duci Richardo bona occasio esset emendi quosdam equos in mea urbe, nam in hac generantur meliores equi huius mundi. Ut primum atque haec audivi et quidem motus hoc studio meo, quamvis voluntas eius non esset nimis bona, ego eam accepi tamquam convenientiorem inter alias, quae fingendae essent, quia hoc modo habui occasionem denuo videndi meam Luscindam. His cogitationibus et desiderio prolato, probavi consilium eius atque exhortatus sum eum ut quam primum id adimpleret, quia reapse absentia operam navaret contra desideria eius in hac re. Tamen, ut postea cognovi, iam fruitus erat hac rustica sub promissione matrimonii atque occasionem quaerebat persolvendi hanc difficultatem, timens quominus pater eius faceret cum cognosceret audaciam eius. Et evenit ut plerumque amor apud iuvenes non est nisi cupiditas, cuius finis est voluptas et cum assequitur tunc finitur et retrocedit quod videbatur amor, quia non potest progredi ulterius quod natura posuit, sed verus amor non habet hunc limitem ... His verbis volo dicere quomodo dominus Ferdinandus simul atque accubuit cum illa rustica omnino desideria eius pacata sunt et cupiditas eius evanuit; et si imprimis simulabat se velle abire ad medelam obtinendam, nunc reapse conabatur proficisci quin ea adimpleret. Dux dedit filio veniam et etiam mihi ad eum comitandum. Sic ad urbem meam advenimus, pater meus recepit eum ut talem, atque ego continuo vidi Luscindam, et denuo ad vitam reversa sunt desideria mea –quamvis numquam mortua essent nec mitigata– de quibus cum domino Ferdinando pro meo damno locutus sum, quia credidi, propter magnam amicitiam quam ostendebat mihi, me non debuisse ea ab eo celare. Et sic laudavi pulchritudinem Luscindae, elegantiam ac prudentiam eius et laudes meae allexerunt desideria domini Ferdinandi videndi virginem exornatam talibus virtutibus. Sic feci ego, propter brevem fortunam meam, et ostendi eam ei quadam nocte ad lumen candelae per fenestram, ubi soliti eramus colloquendi. Ille vidit eam pulcherrimam amictam tenuissima veste et continuo oblitus est omnium puellarum venustarum, quas antea quondam viderat. Tunc ille tacuit et fere sensum amisit, stupefactus mansit et, tandem tam captus amore fuit sicut videbitis in decursu narrationis huius infortunii mei. Et ad excitandum desiderium quod mihi celabat et tantum alto coelo ostendebat in solitudine sua, fortuna fecit ut casu inveniret epistulam Luscindae in qua illa a me quaerebat ut peterem eam a patre eius ad ducendam eam uxorem et quidem haec omnia tanta prudentia, honestate et quidem amore; et cum ille legit hanc epistulam dixit mihi in Luscinda esse omnes virtutes formositatis atque intellectus, quae in omnibus mulieribus distributae erant. Verum est, et nunc hoc debeo confiteri, quia tunc videbam dominum Ferdinandum laudare Luscindam pro iustis causis, sed nolebam haec ex ore eius audire, quia timui et suspicatus sum de eo, nam omni tempore cupiebat nos agere de Luscinda et ipse dirigebat colloquium de ea, quamvis non semper esset causa loquendi. Hoc suscitabat in me nescio quid suspicionis sive zelotypiae amorosae, et non quia timuissem adversitatem ex probitate et fiducia Luscindae; sed, his omnibus perpensis, timui fortunam meam et ipsa eadem mihi affirmabat. Dominus Ferdinandus cupiebat legere omnes litteras, quas ego mittebam ad Luscindam et quas illa mihi respondebat, quia secundum eum valde gaudebat prudentia amborum. Tamen quodam die accidit ut Luscinda posceret a me

quemdam librum equitatus itinerantis, quia de ipso valde studiosa erat et hic erat *Amadis a Gaula* ...

Ubi primum dominus Quixotus audiverit nominare hunc librum equitatus dixit:

–Si ab initio totius huius historiae diceres hanc dominam Luscindam dilexisse libros equitatus, nulla alia necessitas esset ut intelligerem altitudinem intellectus eius; et melius eam habuissem quam quod tu eam depinxisti, domine, si non vacaret libenter studio huius lectionis: hoc modo et saltem mihi non necesse est amplius de eius pulchritudine, virtute et intellectu loqui; quoniam quod audivi de studio eius sufficit et sic assentior tibi ut illa pulcherrima ac prudentissima sit inter mulieres huius mundi. Et etiam vellem ut mitteres ad eam iuxta librum *Amadis a Gaula* illum bonum *Dominum Rugel a Graecia*, quia ego existimo illam etiam hoc gaudere et eodem tempore credo dominam Luscindam oblectari cum Daraida et Geraia et cum sale et leporibus pastoris Darinelis et versibus eclogarum, quas ille cantat et agit omni elegantia, prudentia ac facilitate. Sed, prodeuntibus annis, ad hanc penuriam solvendam et hoc erit si tu, domine, vis ad domum meam venire plus quam trecentos libros habeo, qui sunt delectatio animi mei et oblectamentum vitae meae; sed, mea sententia, nullus est nunc mihi propter malitiam perversorum et invidorum incantatorum. Et ignoscas mihi, quia contra quod pollicitus sum interrupi locutionem tuam, sed cum audivi ea quae dixisti de equitatu et de equitibus itinerantibus eodem modo non potui tacere, sicut radii solis numquam cessant calefaciendi nec radii lunae humefaciendi. Quare denuo dico ut parcas mihi et prosequere, quia hoc est quod oportet.

Sed dum dominus Quixotus loquebatur quod dictum est, caput Cardenii cecidit super pectus eius et mansit profunde meditabundus. Et quamvis dominus Quixotus dixerit ei iterum iterumque ut prosequeretur historiam suam, ille nec caput levabat nec verbum dicebat; denique, longa mora elapsa, surrexit et dixit:

–Non possum a cogitationibus meis hoc avertere, nec erit qui hoc a me tollat nec aliter faciat ut intelligam et qui haec diceret erit stolidus si crederet e contrario vel intelligeret nisi sceleratus magister Elisabath qui concubinarius erat cum regina Madasima.

–Minime vero hoc! iuro per talem! –respondit dominus Quixotus praeditus magna iracundia et ut solebat dixit totum iusiurandum illud secundum morem suum–; et haec magna malitia est sive scelus, ut ita dicam: regina Madasima fuit illustrissima domina et nullo modo dicendum est tam excelsam dominam concubinam fuisse cum quodam amante; et qui e contrario hoc diceret mentitur tamquam maximus sceleratus. Et ego faciam eum hoc intelligere pugnando pedibus vel equo, armatus sive absque armis, die noctuque sicut magis ille velit.

Cardenius inspiciebat eum attente, quia advenerat ei irruptio dementiae eius nec poterat suam historiam ulterius prosequi; neque dominus Quixotus potuit eam audire propter auditam displicentiam illius Madasimae. Sed mirum est, quia eam defendit tamquam si esset sua vera et propria domina: nam talis fuit influxus librorum excommunicatorum in eum! Sic dico Cardenium esse dementem et cum audiisset se tractari tamquam mendacem sceleratumque atque alias similes contumelias, male ei videbantur nugae et saxum levavit, quod iuxta se invenit et percussit pectus domini

Quixoti magno robore eumque impulit ut caderet a tergo. Sanctius Pansa quae taliter vidit, nempe dominum eius percuti, in dementem impetum fecit pugnis compressis et Ruptus eum recepit tali modo atque uno ictu eum deruit per terram, postea super eum venit calcibus et costas eius percussit et calcavit ad nutum suum. Caprarius qui eum defendere voluit eamdem fortunam passus est. Et cum omnes expugnatos haberet et contusos, reliquit eos et profectus est magna tranquillitate atque intravit in silvam montis.

Sanctius autem surrexit, praeditus magna iracundia, quia immerito contusus erat, et voluit sese vindicare percutiendo caprarium, quia hic culpabilis erat non animadvertendo ei quin hic vir intermittenter haberet irruptiones dementiae huiuscemodi, nam si haec cognovissent melius possent se defendere. Caprarius respondit dicens se haec iam dixisse, sed illi non recte auscultaverunt, quare ipse nullo modo erat culpabilis. Sanctius obiecit et caprarius iterum refutavit et denique atque in finem harum obiectionum alter alterum percussit et mutuo barbas ad invicem apprehenderunt necnon et impetum ope pugnorum fecerunt ac tali modo ut si dominus Quixotus non eos placaret continuo se ad invicem trucidarent. Et Sanctius apprehendens caprarium dicebat:

–Relinque me, domine Eques Tristis Figurae: quia hic rusticus est tamquam ego sum et non est armatus eques, quare bene possum iniuriam inflictam vindicare pugnans cum eo ut vir honoratus.

–Hoc ita est –inquit dominus Quixotus–, sed bene scio eum nullam culpam habere in his factis.

Dominus Quixotus, his contendentibus pacatis, rogavit caprarium, si fieri posset ut inveniret Cardenium, quoniam voluit magnopere finem illius historiae cognoscere. Caprarius autem dixit ei, quae antea iam dixit, id est se nescire ubi haberet refugium suum; sed si per illam regionem deambularet absque dubio eum inveniret, sive conscius vel inconscius.

Capitulum 25. Ubi agitur de rebus inauditis, quae in Montibus Fuscis strenuo equiti Manicae regionis evenerunt et de imitatione poenitentiae Beltenebri quam ille fecit

Dominus Quixotus caprario valedixit, denuo ascendit in Rocinantem et iussit Sanctio ut eum sequeretur, quod statim cum suo iumento fecit, quamvis omnino invite. Tamen paulatim in asperrimum montem intraverunt et Sanctius cum domino suo colloqui cupiebat, at volebat dominum Quixotum incipere colloquium, quia hoc modo ne contradiceret domino suo, qui sic ei iussit, sed non potuit tam longum silentium servare eique ait:

–Domine Quixote, velis, quaeso, mihi tuam benedictionem dare et etiam specialem veniam, quia ex hoc volo domum petere et uxorem meam et liberos meos, quibus saltem cum eis potero colloqui et dicere quidquid vellem; quia si tu vis me per has

solitudines iter facere die noctuque et nullum verbum dicere, hoc idem est ac me sepelire in vita. Si fortasse fieri posset ut animalia loquerentur, sicut locuta sunt in tempore illius Guisopete (Aesopi), melius esset mihi, quia saltem potuissem cum iumento meo loqui quidquid vellem; et hoc modo adversa fortuna mea transiret; sed difficilis res haec est et nulla patientia potest hoc sustinere, nempe ambulare quaerendo res gestas per totam vitam et nihil amplius invenire quam calces pedum, iactus in altum ope stragulorum, saxa, alapas et colaphos et cum omnibus his rebus oportet os claudere et nullo modo dicere, quae homo habeat in suo corde, tamquam si esset mutus.

–Iam intelligo, Sancti, quae quaeris –respondit dominus Quixotus–; vere cupis ut auferam a te vetitum, quod posui linguae tuae. Tunc concedo tibi et non prohibeo quin loquaris quidquid velles, sed sub quadam condicione ut hoc tantum sit donec nos per hos montes vagamur.

–Ita sit –dixit Sanctius–; nunc loquar ego et deinde Deus providebit atque ad gaudendum hac venia dico, quidnam erat tibi, domine, de illa regina Magimasa vel quomodo illa nominetur? Et quid erat ad casum ut ille abbas esset amicus illius necne? Nam si tu haec praeteriisses, et non eras iudex illius, etiam credo ego illum amentem porro praeteriisse in narratione suae historiae atque ictus saxi et calces, alapae et colaphi parcerentur.

–Profecto, Sancti –respondit dominus Quixotus–, sed si scires sicut ego vere scio, quam honorata atque illustris domina erat illa regina Madasima, absque dubio, diceres me magnam patientiam habuisse, quia non fregi os per quod tot blasphemiae exiierunt. Quia maxima blasphemia est dicere reginam esse concubinam cuiusdam chirurgi. Et veritas huius historiae haec est, nempe magister Elisabath erat vir valde prudens et praeditus validis consiliis et quidem servivit ut praeceptor et medicus reginae; sed credere eam amasiam illius fuisse sunt ineptiae dignae magnis poenis. At ut bene intelligas Cardenium nescivisse quod dixit animadverte eum tunc amentem fuisse.

–Eadem dico egomet –inquit Sanctius–: et non computanda sunt verba cuiusdam amentis, quia si bona fortuna non iuvaret te atque eiiceret saxum ad caput et non ad pectus sicut evenit, bene fecimus dimicando propter illam dominam, quam Deus confundat. Quia, per vitam meam! Cardenius nullo modo damnaretur propter insaniam suam.

–Sed eques itinerans contra sanos atque insanos adstrictus est ad honorem defendendum omnium mulierum, quaecumque hae sint, immo si reginae tam illustrae essent et magnae aestimationis ut regina Madasima, pro qua peculiaris inclinatio est mihi propter virtutes qualitatesque illius; quia praeter formositatem suam valde prudens ac patiens in calamitatibus fuit et profecto multas habuit; et reapse consilia et comitatus illius magistri Elisabath fuerunt ei magnae utilitatis atque allevamenti ad ferenda onera eius prudenter ac patienter. Et ex hoc ignorans ac male sentiens vulgus occasionem cepit dicendi, et quidem cogitandi, eam amasiam illius fuisse: sed mentiuntur, semel iterumque dico, et mentientur quotiescumque omnes haec cogitabunt et dicent.

–Nec ego dico nec haec cogito –respondit Sanctius–; et unusquisque quae sua sunt habeat; atque haec comedant suo pane. Utrum moecharentur necne iam Deo confessi erunt. Ego autem de meis curabo et nullo modo curabo de illis; quia cupidus

non sum cognoscendi vitas alienas; nam qui emit et mentitur in sua pera lamentabitur. Et potissimum quia nudus natus sum et nudus maneo: nihil lucror vel nihil perdo; et si vere amantes essent et moecharentur, quid hoc mihi? Perplures quaerunt pernas salsas et nec stipes inveniunt. Et quis enim potest campum portis claudere? Immo quia etiam de Deo dixerunt.

–Domine mi! –inquit dominus Quixotus– et quot stultitias protulisti, Sancti! Et quaenam relatio est enim inter ea quae tractavimus et proverbia quae tu dicis? Per vitam tuam, taceas, Sancti, et noli ulterius procedere, incita asinum tuum calcaribus et relinque quae nullius momenti sint. Atque animadverte tuis quinque sensibus ut omnia quae feci, facio et quidem faciam secundum sanum iudicium et quidem secundum regulas equitatus, quas melius cognosco quam omnes equites, qui eas professi sunt in toto mundo.

–Domine –respondit Sanctius–, estne bona regula huius equitatus ut vagemur per hos montes absque semita vel via, et quidem quaerendo amentem qui, eo invento, fortasse vellet finire quod nondum potuit et non de sua historia, sed de capite tuo et de meis costis et haec omnia rumpat in extremis?

–Tace, iterum iterumque dico tibi, Sancti –inquit dominus Quixotus–; quia oportet te scire non tantum me ad has regiones pervenire ad quaerendum dementem, sed ad magna praeclara facta perficienda, quibus nomen perpetuum et famam lucrandus ero per cunctam hanc notam terram; atque haec talis erit ut superet maximam perfectionem et praeclara facta cuiuslibet equitis itinerantis.

–Eruntne tales res gestae magni periculi? –rogavit Sanctius Pansa.

–Minime –respondit ille Eques Tristis Figurae–; quamvis etiam fortuna posset ad nos venire ut adversa si cubum proiicimus vel ut prospera, sed omnia pendent de tua sollertia.

–De mea sollertia? –dixit Sanctius.

–Utique –ait dominus Quixotus–; quia si cito reverteris a loco quo te misurus sum statim finiet poena mea et citius incipiet mea gloria. Sed non est bonum te suspensum esse exspectantem, quae sint cogitationes meae, quare scire debes, Sancti, illustrem Amadisem a Gaula quemdam fuisse ex perfectis equitibus errantibus. Fortasse non bene dixi quodam verbo, quia ille fuit solus, primus, unicus, dominus omnium, qui fuerunt tempore eius in toto orbe terrarum. Male eveniet Belianis et omnibus dicentibus se aliquo modo compares ei esse, quia decipiuntur et iuro hoc sic esse. Etiam dico si pictor vult excellere sua arte procurat imitari praecipuas tabulas pictas optimorum pictorum quos noverat. Et haec regula bona est omnibus officiis et muneribus ad ornatum rei publicae et sic oportet ut faciat, qui vere vult nomen prudentis et patientis adipisci, imitando Ulyssem in quo Homerus depingit virum et labores eius ut effigiem pictam prudentiae ac tolerantiae, sic Vergilius in figura Aeneae ostendit virtutem pii filii et sollertiam strenui atque audaciam ducis, et non quidem depingendo vel describendo eos sicut fuerunt, sed sicut oportebat eos esse ut exempla viva virtutum hominibus, qui venturi essent. Et hoc modo Amadis fuit Stella Polaris, lucifer, sol omnium equitum strenuorum atque amantium, qui imitandi sunt ab omnibus, qui sub vexillo amoris equitatum exercemus. Et cum hoc ita sit atque ego sic invenio, Sancti amice, oportet ut eques itinerans qui eum magis et propius imitaretur citius hanc perfectionem equitatus adipiscatur. Atque inter alia

quod hic eques ostendit fuit prudentiam, strenuitatem, audaciam, patientiam, firmitatem amoremque et potissimum cum secesseret a domina Oriana despectus ad poenitentiam faciendam in Rupe Paupere mutando nomen suum pro Beltenebro, quo nitebatur sensum novum dare suae vitae, quam libenter elegerat. Et eodem modo facilius mihi erit imitari eum in hac poenitentia et non scindendo gigantes, amputando serpentes, occidendo monstra, exercitus evertendo, classes dirumpendo atque incantamenta solvendo. Et sic ut regiones hae tam optimae sint ad talia perficienda, et, nulla occasione praetermissa, haec adimplebo magna mea commoditate, quia haec mihi praebetur ut optima.

–Profecto –dixit Sanctius–, sed quid est quod vis facere in hac tam remota regione?

–Nonne dixi tibi –respondit dominus Quixotus– me voluisse imitari Amadisem faciendo hic desperatum, stultum ac furiosum amantem atque hoc modo etiam imitabor Orlandum (Roldanum) cum inveniret et develaret pulchram Angelicam moechari cum mauro Medoro et de quo dolore amens factus est arboresque eradicavit, aquas clarorum fontium turbavit, pastores necavit, pecora destruxit, tuguria pastorum combussit, domus diruit, equas traxit et centum milia inordinata facinora perficit, omnia digna aeternae memorationis et ad scribenda apta? Attamen egomet nolo Roldanum, sive Orlandum vel Rotolandum (quia omnia haec tria nomina erant ei) partim imitari omnes dementias quas fecit, dixit et cogitavit, tantum faciam delineationem ex his, quae mihi peculiares vel maximi momenti videantur. Et fortasse etiam placeret mihi imitatio poenitentiae Amadis, qui nullam dementiam adimplevit ad damnum infligendum, nisi ex planctis et lamentis et tam magnam famam obtinuit.

–Mihi videtur –inquit Sanctius– equites, qui hoc modo fecerunt, quamdam causam habuerunt ad has stultitias et poenitentias perficiendas; sed quaenam causa est tibi ut fias amens? Quaenam domina despexit te sive quae signa develasti, quibus cognosceres dominam Dulcineam a Toboso fecisse quamdam puerilitatem cum quodam mauro sive cum christifideli?

–Hic est quaestio –respondit dominus Quixotus–, et haec est subtilitas huius negotii mei; quia si ageretur de dementia cuiusdam equitis itinerantis et causa esset neque mereretur gratias nec bonam voluntatem; sed, si ex nulla causa cognita ad hanc poenitentiam faciendam paratus sum, domina mea bene intelliget, quid egomet facerem si causam haberem, scilicet si hoc facio dum maneo siccus quid ergo facerem si essem madefactus? Et praesertim bona occasio erit mihi in hac longa absentia, quam sustinui, a domina mea Dulcinea a Toboso. Et sicut iam audisti saepissime dicere de illo pastore Ambrosio, qui absens est omnia adversa sunt ei et etiam timet. Quare, amice Sancti, ne amittas tempus tuis consiliis quin faciam hanc inauditam, felicem ac numquam cognitam imitationem. Demens sum, sed insanus ero donec revertaris ad me cum responso epistulae, quam tecum mittam ad dominam Dulcineam; et si haec prospera ac secunda esset mihi, tunc stultitia et poenitentia mea uno ictu finietur; sin autem vere demens fiam et tunc nihil sentiam. Hoc modo cum illa det mihi responsum, evadam ex hac tribulatione et labore, quo me reliquisti. Scilicet si exspecto responsum bonum gaudebo hac exspectatione et si adversum esset

non sentiam, quia tunc vere amens fiam atque amentes nullo modo sentiunt. Sed nunc alia ex parte, dicas mihi, Sancti, num servasti galeam Mambrini, quia iam vidi te eam ex terra apprehendisse cum ingratus ille eam frangere voluit? Sed ille non potuit facere, quare magna virtus videtur esse in ea.

Cui Sanctius respondit:

–Per Deum vivum! Domine Eques Tristis Figurae, nullo modo possum tolerare nec pati quae tu dicis, ex quibus opinor ut haec omnia quae de equitatu dicas et de regnis obtinendis, de insulis mihi tribuendis aliisque beneficiis et magnitudinibus secundum morem et consuetudinem equitum itinerantium, haec omnia nihil aliud esse quam ventum et magnum mendacium, omnes fabellas et fabulas sive velut eas appellemus. Quia si quis audit te dicere pelvim tonsoris esse galeam Mambrini atque ex hoc crasso errore non exeas, quattuor diebus elapsis, quid ergo cogitandum est nisi te non habuisse rectam rationem? Galeam fero ego in sacco meo et quidem omnino contusam ad eam reparandam eamque mecum domum ducam ad barbam radendam, si Deus providebit atque aliquando cum mea uxore et meis liberis me inveniam.

–Videas, Sancti, per ipsum per quem antea iurasti etiam iuro tibi –inquit dominus Quixotus– et dico te habere intellectum obtusum, quem numquam armiger habuit et quidem habebit in hoc mundo. Nonne vidisti, post longum tempus quo mecum venis, res gestas ab equitibus itinerantibus videri chimaeras, stultitias atque aberrationes et omnes e contrario fieri? Et non quia haec ita sint, sed quia nobiscum ést caterva incantatorum, qui omnia nostra mutant et permutant atque ea faciunt ad nutum eorum et quidem secundum desiderium, quod habent favendi sive destruendi nos; et sic quod tibi videtur pelvis tonsoris mihi autem galea Mambrini atque alii aliud videbitur. Et hoc modo fuit insolita providentia sapientis ut omnes videant eam pelvim tonsoris esse, quod reapse galea Mambrini est, et propterea quod haec est tam magni pretii, si hoc omnes scirent persequerentur me ad eam auferendam a me. Sed sicut omnes vident eam pelvim tonsoris esse nullo modo curant de ea, quod aperte ostenditur, quia ille voluit eam rumpere et reliquit in terra et non abstulit secum; quia si vere cognosceret numquam eam relinqueret. Serva eam bene, amice, quia nunc non necesse est mihi; propterea quod omnia arma a me auferre volo ut nudus maneam, sicut natus sum si vero volo hanc poenitentiam facere, quae similior est poenitantiae Orlandi (Roldani) quam Amadis.

* * *

NARRATIO RAPTUS ASINI SANCTII

Illa nocte pervenerunt intus ad dimidiam partem Montium Fuscorum, ubi bene videbatur Sanctio pernoctare et immo nonnullos dies ibi transire, saltem usque ad finiendos cibos quos secum ferebat, et sic pernoctaverunt inter duas rupes atque inter multa subera. Tamen adversa fortuna quae omnia dirigit, coquit et componit ad nutum suum, secundum opinionem illorum qui carent lumine fidei, iussit ut Ginesius de Pasamonte, famosissimus mendax et latro, qui illam catenam ferream ferebat et ope virtutis et dementiae domini Quixoti evaserat propter metum Sanctae Fraternitatis, quam iuste timebat, sese abscondit in illis montibus et casu sive metu

ad eumdem locum venit, ubi ipsa fortuna duxit dominum Quixotum et Sanctium Pansam et quidem eadem hora et tempore ut posset eos cognoscere eosque sivit dormire. Sed ita ut maligni etiam ingrati sunt atque ex necessitate inveniunt occasionem faciendi quod non vere licet facere, sic statuit pro se ipso agere ad suam propriam medelam in melius et in futurum, et, sic ut Ginesius ingratus omnino erat et nullam bonam voluntatem habebat, furavit asinum a Sanctio Pansa et nullo modo curavit de Rocinante, quia non erat bonus ad pignus faciendum neque ad eum vendendum. Sanctius autem dormiebat atque ab eo iumentum abstulit et ante diluculum fugit et longe ab illo loco erat ita ut non possent eum invenire. Tandem aurora luxit primo mane laetificans terram, sed affecit moestitiam Sanctio, quia asinum suum non invenit; et, iumento amisso, incepit tristissimum atque acerbissimum planctum huius mundi facere et eo modo dominus Quixotus experrectus est vocibus eius et sic eum audivit dicentem:

–O fili ventris mei, natus in ipsa domo mea, socius in ludis liberorum meorum, munus uxoris meae, invidia autem vicinorum meorum, solatio onerum meorum, et demum sustentator dimidii corporis mei, quia viginti et sex teruntiis, quos quotidie ille lucrabatur, ad dimidium sumptum meum perveniebam!

Cum dominus Quixotus vidit planctum et cognovit causam eius, consolatus est Sanctium suis melioribus argumentis eumque rogavit ut sustineret eique pollicitus est donationem facere trium asinorum ex quinque asinis, quos reliquit domi suae. Quibus verbis Sanctius accepit consolationem et lacrimas suas statim abstersit, singultus suos temperavit et domino Quixoto gratias egit propter beneficium ei factum.

* * *

His colloquiis peractis, pervenerunt ad pedem alti montis, qui tamquam rupes secessa solus erat inter alios huiuscemodi, qui eum circumdabant. Deorsum mansuetus rivus currebat et circa eum pratum viride atque amoenum, quod delectabat oculos id inspicientes. Arbores multae silvestrae ibi erant necnon et plantae et flores, qui locum amoenum atque iucundum faciebant. Hunc locum Eques Tristis Figurae ad faciendam suam poenitentiam elegit et cum eum vidit magna voce exclamavit, tamquam si demens esset:

–O coeli! Hic est locus quem ego eligo et seiungo ad infortunium lamentandum, quod vos super me posuistis. Hic est locus ubi liquor oculorum meorum aquas huius parvi rivi augebit et continua ac profunda suspiria mea movebunt folia arborum ex his montibus ad saepe cadendum sicut testes et signum poenae, qua cor meum cruciatum patitur. O vos, quilibet sitis, rustici dii, qui in hoc inhospito loco habitatis, audite querelas huius infortunati amantis, quem longa absentia ac ficta zelotypia huc duxerunt ad lamentandum inter has asperitates atque ad querelam faciendam inflexibilis condicionis illius ingratae et pulchrae, quae est meta et finis omnis humanae formositatis! O vos, Napaeae et Driadae, quae solitae estis habitare has densas silvas montium tamquam leves ac lascivi Satyri a quibus amatae estis, quamvis inaniter et numquam perturbent quietem vestram, adiuvate me ad lamentandum infortunium meum sive saltem ne lassae sitis audiendi querelam meam! O Dulcinea

a Toboso, dies noctis meae, gloria poenae meae, ductrix viarum mearum, stella fortunae meae, sic enim coelum det tibi prosperam fortunam cum eam a coelo quaeras, atque animadverte locum et condicionem meam et quonam absentia tua me duxit, ita ut concedas mihi gratiam meritam propter labores meos! O arbores solitariae, quae ex hoc et in futurum sodales mei eritis, ostendite mihi, suavi motu ramorum vestrorum, praesentiam meam non esse molestam vobis! O armiger, iucundus comes in prosperis atque adversis rebus gestis, trade memoriae tuae quaecumque videas me facere ut possis Dulcineae narrare atque accurate ac vere dicere.

Et ille, his verbis dictis, descendit de Rocinante et confestim ab eo frenum et sellam abstulit atque equum liberavit eique parvam alapam dedit super coxas, eique dixit:

–Libertatem dat tibi qui ea vere caret, o eque, praeclarus in prosperis fortunis et infortunatus in adversis! Procede quocumque velis, quoniam in tuo fronte scriptum habes Hippogryphum Astolphi noluisse tecum contendere celeritate nec celeberrimum Frontinum, qui Bradamanti tanti pretii fuit.

Sanctius autem, his rebus conspectis, ait ad eum:

–Beatus ille qui abstulit a nobis laborem parandi clitellas asino, quia ei non deerunt alapae iucundae nec laudationes; verumtamen si hic apud me ille esset, nemini permitterem ab eo clitellas auferre, nam quid esset hoc ei? et non deberet tangere argumenta generalia eius sive amantis vel desperati nisi dominus eius, et faxit Deus me eum fuisse, sed desperatus non eram. Tamen, domine Eques Tristis Figurae, si profectio mea hinc et dementia tua verae sunt, oportet denuo sellam parare Rocinanti pro absentia asini mei, quia hoc modo festinabo et melius erit tum itus tum reditus meus; quam si pedibus iter faciam et nesciam quando perveniam illuc nec huc revertar, quia numquam fui validus viator iter faciens pedibus.

–Dico, Sancti –respondit dominus Quixotus–, ut facias sicut velles, quoniam non mihi male videtur consilium tuum; atque ex hoc in tres dies poteris proficisci, sed hoc tempore oportet te videre quae me facturum ac dicturum esse ut Dulcineae accurate haec dicas.

–Quid ergo amplius debeo videre –dixit Sanctius– quam quae iam intuitus sum?

–Nondum omnia intellexisti! –respondit dominus Quixotus–. Nunc oportet me scindere vestes, arma spargere atque ictus capiti meo inter has rupes dare et etiam alia huiuscemodi, quibus miraberis.

–Deus meus! –dixit Sanctius–. Animadverte quomodo dabis hos ictus capiti tuo; quia ad talem rupem pervenire potes et primo ictu omne negotium huius poenitentiae finiatur; et, mea opinione, melius esset si ictus capiti qui reapse, tua sententia, necessarii sunt, eos facias ficto modo et sic eos adimpleas, quia haec omnia ficta debeant esse et faceta et satis esset si, secundum me, faceres ope aquae sive quadam re molli tamquam lana atque iam dicam, mea conscientia teste, meae dominae Dulcineae te omnia fecisse cum rupibus durioribus adamante.

–Gratias ago tibi propter tuam bonam voluntatem, Sancti amice –respondit dominus Quixotus–; tamen animadverte ut omnia quae facturus sim debent esse vera et minime ficta; quoniam aliter contradicerem ordinationi equitatus, quae nullum mendacium acceptare potest sub poena damnationis et facere aliquam rem pro alia idem est ac mentiri. Propterea ictus capiti meo veri erunt, validi et fortes et nihil

habebunt mendacii sive fictionis. Et oportet relinquere mihi nonnullas fascias ad me curandum quia, proh dolor! fortuna fecit nos non habere balsamum quod amisimus.

–Peius fuit perdere asinum –respondit Sanctius– quia, eo amisso, non habemus fascias nec omnia reliqua. Et quaero a te ne memineris illius molestae potionis; quia si de ea audio etiam erunt mihi magnae nauseae in animo meo et non tantum in stomacho. Et etiam rogo te ut credas tres dies iam transiisse quos dedisti mihi ut terminum ad dementias tuas videndas, quas facies et sic possum dicere me eas vidisse et iureiurando mira dicam dominae Dulcineae de his; quapropter scribe, quaeso, domine, has litteras et mitte me hac legatione, quia vere cupio huc reverti ad te extrahendum ex hoc purgatorio ubi manes.

–Purgatorium id vocas? –ait dominus Quixotus–. Melius esset infernum vocare et immo peius quam infernum si hoc fieri posset.

–*Cui est infernum* –respondit Sanctius–, *nulla est retentio*, secundum quod audivi dicere.

–Nescio quid sit haec *retentio* –ait dominus Quixotus.

–*Retentio* [nempe *redemptio*] est –respondit Sanctius– quia qui in inferno est numquam ex eo exire potest. Quod erit e contrario apud te, nisi pedes mei non bene iter faciant et debeam Rocinantem incitare calcaribus; et profecto si perveniam ad Toboso in conspectu dominae meae Dulcineae; iam loquar de stultitiis ac dementiis, quia omnia eadem sunt, te facere et fecisse ita ut ipsa Dulcinea fiat mollior quam chirotheca, quamvis durior esset quam suber; et cum dulci ac mellifluo responso eius per aeres tamquam veneficus vel maleficus iter faciam atque extraham te ex hoc purgatorio, quod videtur infernum, sed non est, quia est spes exiendi ex hoc et sicut dixi hanc spem non habent, qui in inferno sunt nec credo te, domine, alteram rem dicturum esse.

–Hoc verum est –dixit Eques Tristis Figurae–; sed quid faciemus ad litteras scribendas?

–Et quid etiam ad schedulam donationis asinorum? –addidit Sanctius.

–Haec omnia erunt inclusa –inquit dominus Quixotus–; et bonum erit si deest nobis charta ut scriberem sicut veteres faciebant, nempe in foliis arborum sive in tabulis cerae; quamvis tam difficile sit hoc tempore invenire haec quam ipsam chartam papyraceam. Verumtamen nunc memini, bonum erit haec scribere in illo codicillo Cardenii et postea iubebis translationem in chartam papyraceam et quidem cum optimis litteris scriptis in primo loco, ubi invenies quemdam qui sit magister scholae puerorum sive sacrista, qui possit eas transcribere; sed cave ne eas des cuidam scribae, qui faciat litteras iudiciales [vulgo *escritura procesal*], quia nec ipse Satan eas intelliget.

–Et quid faciendum est de signatura tua? –dixit Sanctius.

–Litterae Amadis numquam habuerunt signaturam –respondit dominus Quixotus.

–Hoc bene est –respondit Sanctius–; sed schedula donationis necessario debet hanc signaturam propriam habere et si haec transcribitur dicent eam falsam esse atque ego careo asinis.

–Schedula erit in ipso codicillo cum signatura manus meae; et neptis mea, scripto meo inspecto, nulla difficultate omnia adimplebit. Quoad litteras de amoribus scribes

in subscriptione: «Tuus usque ad mortem, Eques Tristis Figurae.» Et parvi momenti erit utrum hoc sit manu aliena necne, et secundum quod memini Dulcinea nescit scribere nec legere et numquam vidit in sua vita litteras meas nec epistulam, quia amores inter nos tantum fuerunt platonici et nullam aliam rem habuerunt quam intuitus honestissimos oculorum. Et etiam hoc tam raro accidit, quoniam audeo iurare in duodecim annis ex hoc me eam diligere, et quidem magis eam diligo quam lumen oculorum meorum, quos terra aliquando devorabit, nec quater eam vidi; et fortasse ex his quattuor vicibus ipsa nec immo animadvertit me eam conspicere; quia talis est pudicitia et cautio, qua pater eius Laurentius (Lorenzo) Corchuelo et mater eius Ildephonsa (Aldonza) Nogales eam genuerunt.

–Ta, ta! –inquit Sanctius– Filia Laurentii Corchuelo est domina Dulcinea a Toboso, alias nominata Ildephonsa (Aldonza) Laurentii?

–Ipsa est –ait dominus Quixotus–, et est quae titulum dominae totius universi meretur.

–Bene eam cognosco –dixit Sanctius–, et de ea dicere possum eam bene iactare vectem similis fortiori iuveni strenuo totius pagi. Et laudetur Deus! eam robustam puellam esse compactam atque erectam, quia strenua est nimis, quae ex luto extollere potest barbam cuiusdam equitis itinerantis, qui eam tamquam dominam haberet. O filia moechae! et quem surcum habebit! et quam vocem! Quia dicere possum, quondam eam ascendisse super turrim campanariam oppidi ad quosdam iuvenes pastores vocandos, qui erant in agro patris eius et quidem longius quam dimidia leuca illinc atque eam tam bene audiverunt tamquam si essent ad pedem illius turris. Et bonum est eam nullo modo esse timoratam, sed magis habet ut aulica; atque ex omnibus rebus faceta est et ridet de omnibus et lepida est. Nunc ego dico, domine Eques Tristis Figurae, te non tantum posse dementias facere huiusmodi, sed etiam debes propter eam atque iusta causa immo desperari et laqueo te suspendere; et nemo qui haec cognoscat dicet te nimis fecisse et quidem bene, et diabolus ferat te secum. Sed iam vellem in itinere esse saltem ad eam videndam, quia abhinc multum tempus me eam non denuo vidisse et fortasse mutata est, quia facies mulierum deformatur dum ambulant per agros sub ardore solis aereque. Quare debeo tibi confiteri veritatem, nempe me magnam ignorantiam habuisse, quia semper putavi dominam Dulcineam fuisse principessam, quam diligebas sive quamdam dominam, quae mereretur munera egregia ut tu mitteres ad eam, sic ex manu illius vasconici, ex damnatis ad triremes atque ex aliis innumeris, quia multae fuerunt victoriae, quas vicisti cum ego nondum eram armiger tuus. Sed, omnibus rebus consideratis, quid erit dominae Ildephonsae Laurentii (Aldonza Lorenzo), ut ita dicam, Dulcineae a Toboso tot homines venire victos a te, qui eos mitteres ad genua flectenda in conspectu illius? Quia fieri potest tunc temporis cum illi perveniant ad eam, illa esset pectendo linum sive triturando triticum in areis et vererentur videndi eam atque ipsa rideret de hoc sive accipiendo illud munus stomacharetur.

–Iam antea et multoties dixi tibi, Sancti –inquit dominus Quixotus–, te magnum garrulum esse et quamvis intellectus tuus sit turpis, saepe te ostendis accutum; at ut videas quam stolidus sis tu et quam prudens egomet, volo te brevem fabellam auscultare. Ecce olim vidua formosa, iuvenis atque dives et praesertim expedita, arsit magno amore robustum laicum iuvenem atque indoctum; praefectus eius hanc rem

cognovit et quodam die ait ad viduam pro correptione fraterna: «Miror, domina, et quidem magna causa, mulierem tam nobilem tam venustam ac tam divitem, tamquam tu es, diligere quemdam virum tam rudum, tam abiectum, tam indoctum, cum multi sint in hac domo magistri, scholastici designati et theologi, quos tu eligere posses inter optimos et dicere: «Hunc quaero atque hunc nolo». Illa autem ei respondit et quidem sale et lepore atque expedite: «Tu, domine, deciperes te si alio modo cogitas quam quod oportet, quia credis me male elegisse eum, quia tibi videtur indoctus, sed ad scopum quem eum elegi tantam philosophiam novit ille ut Aristoteles.» Et eodem modo, Sancti, secundum scopum meum Dulcinea a Toboso tam bona est mihi quam altissima principessa totius huius terrae. Num poetae qui illas dominas laudaverunt sub nominibus, quae eis dederunt, secundum afflatum eorum vere eas habuisse? Sive credis tu Amaryllidas (Amariles), Phyllides (Filis), Silvias, Dianas, Galateas, Alidas aliasque quibus libri pleni sunt et fabellae omnium tabernarum tonsorum et theatrorum comoediarum veras mulieres ex carne atque ossibus fuisse, quamvis eas profecto celebraverint carminibus? Minime! sed has finxerunt ad vitam dandam versibus eorum atque ita ut eos habeant tamquam veros amantes et viros, qui sic sentiunt. Et sic satis est mihi putare et credere Ildephonsam Laurentii bonam ac formosam esse; et quoad genus familiae, haec quaestio est parvi momenti, quia nemo veniet ad indagationem faciendam ad aliquod indumentum dandum et propter me haec est altissima principessa totius huius orbis terrarum. Quia oportet te bene scire, Sancti, duas res allicere ad amandum plus quam alias atque hae sunt abundantia pulchritudinis atque optima fama et haec duo in Dulcinea mutuo se habent, quia nemo aequalis est ei in formositate atque in bona fama perpaucae ad eam perveniunt. Breviter, his verbis praelibatis, imaginor haec omnia esse secundum quae dico et sic nec superest nec quid ei deficit et meis cogitationibus depingo eam secundum meum desiderium modo in formositate modo in excellentia et sic nec Helena cum ea contendere potest nec Lucretia ad eam perveniet nec altera ex claris mulieribus temporum praecedentium, graecis, barbaris, latinis. Et unusquisque dicat quae dicere vellet; et si hac de causa reprehenderer ab ignorantibus, qui rigidi sunt nullo modo damnabunt me.

–Denuo dico te in omnibus bene iudicare –respondit Sanctius– atque ego asinus sum. At nescio cur ego nunc memini asini in ore meo, quia hoc idem est ac funem vocare in domo illius qui suspensit se laqueo. Sed veniant litterae et valedicam ego tibi, quia proficisci volo.

Dominus Quixotus eduxit codicillum et secessit parumper seorsum ac magna quiete incepit litteras scribere atque, hac re peracta, Sanctium vocavit et dixit se eas ei legere velle, ita ut ille memoriae traderet ne eas de via perderet, quia propter adversam fortunam omnia credenda erant. Cui Sanctius respondit:

–Scribe hanc epistulam bis sive ter in libro et da mihi et bene servabo eum; sed credere me posse tradere memoriae hoc est absurdum; quia tam mala est memoria mea ut aliquando immo mei nominis obliviscar. Tamen dic epistulam et valde gaudebo audiendo eam, quia erit exemplar.

–Ausculta, quia sic dicit –ait dominus Quixotus:

LITTERAE DOMINI QUIXOTI AD DULCINEAM A TOBOSO:

Excelsa atque alta domina:

Vulneratus propter absentiam atque afflictus in mediis telis cordis, o dulcissima Dulcinea a Toboso, salutem ad te mittit ille qui ea caret. Si formositas tua despicit me, si merita tua non sunt pro me, si contemptus tui sunt ad affligendum me, quamvis satis patiens sim, difficili modo potero hunc dolorem sustinere, quia et fortis et diuturnus est. Bonus armiger meus Sanctius completam relationem dabit tibi, o pulchra ingrata dilectaque inimica mea! et tibi dicet modum quo propter captivitatem tuam hic maneo. Si fortasse velles subvenire ad me, tuus sum omnino, sin autem, fac secundum nutum tuum et, vita mea finita, crudelitatem tuam desideriumque meum adimpleam.

Tuus usque ad mortem

EQUES TRISTIS FIGURAE

–Per vitam patris mei –inquit Sanctius, hac epistula audita–, haec est excellentior res quam umquam audivi. Me miserum! Et quo modo dicis quaecumque vis et quam bene venit signatura *Equitis Tristis Figurae*! Verumtamen dico te esse ipsissimum diabolum et nulla res est quam nescias.

–Omnia necessaria sunt –respondit dominus Quixotus– in meo officio.

–Tunc addas in alia pagina schedulam donationis trium asinorum et signaturam scribe magna claritate ita ut recognoscant cum eam videant.

–Libentissime id faciam –dixit dominus Quixotus.

Et cum scripsit legit ei et sic dicebat:

Iubeas per hoc primum scriptum de asinis, cara domina neptis, dare armigero meo, Sanctio Pansae tres ex quinque asinis, qui sunt mihi domi sub custodia tua. Hos tres asinos iubeo ut mittas et tradas pro aliis iam receptis ab eo et quidem pro tributa pecunia, quae apud me est. Datum intus in Montibus Fuscis, die vigesimo secundo mensis Augusti huius anni.

–Bona est –dixit Sanctius–: scribe tuam signaturam, domine.

–Non oportet signaturam scribere –ait dominus Quixotus–, sed tantum signum meum addere quod idem est ac signatura et satis est ad tres asinos et etiam ad trecentos.

–Tibi autem confido –respondit Sanctius–. Nunc sellam parabo Rocinanti et velis mihi tuam benedictionem dare; quia, nullis stultitiis perspectis a te, proficisci volo, tamen Dulcineae dicam me tam multas vidisse ut amplius non fieri posset.

–Saltem volo, Sancti, quia sic oportet, ut videas me nudum et tunc faciam duodenas dementias, quas perficiam in dimidia hora et cum eas videas, tuis propriis oculis, poteris dare iusiurandum, tua conscientia, alias res non perspectas quas addere velis; et pro certo non dices omnes quas vere facturus sum.

–Per misericordiam Dei! Domine mi! ne videam te nudum, quia magna poena afficiet me et immo amare flebo; atque adhuc est mihi planctus in capite propter asinum amissum, quare non debeo novos planctus habere; sed si vere vis ut videam quasdam dementias fac eas breviter et quascumque velles atque amictus vestibus. Sed propter me nihil huiusmodi placebit mihi et melius est nullam moram facere ad

nuntios dandos quos desideras et mereris. Sin autem domina Dulcinea exspectet impetum meum; et si non bene respondit ut debeat iuro sollemniter me responsum ex stomacho illius extrahere et quidem calcibus atque alapis. Nam quis pateretur equitem itinerantem tam illustrem, ut tu es, fieri dementem, et quidem nulla causa posita, ab una ...? Et utinam illa domina ne impellat me ad inopportuna dicenda quin, per Deum! omnia eiiciam foras, quamvis nihil ad bonum negotium faciendum sit. Quia bonus sum ego ad talia facienda! Aliter illa male cognoscit me! Et si bene me cognosceret profecto me adiuvaret!

–Secundum quod video –ait dominus Quixotus–, Sancti, tu non es praecise magis compos mentis quam egomet sum.

–Certe non sum tam amens –respondit Sanctius– sed magis iratus sum. Et, his rebus peractis, quid manducabis dum ego iter facio? Num exibis ad viam tamquam Cardenius fecit ad auferendum panem a pastoribus?

–Ne patiaris hoc –respondit dominus Quixotus–, quia quamvis esset mihi cibus, non ederem amplius quam herbas et fructus prati et quod arbores dent mihi; quia subtilitas huius negotii mei est nihil edere et similes asperitates facere. Et vale.

–Scisne quod vere timeo? Credo me non posse denuo invenire hunc locum, ubi relinquo te, quia vere reconditus atque absconditus est.

–Animadverte bene vestigia eius atque ego curabo ab his regionibus non me seiungere –inquit dominus Quixotus–, et etiam aliquando ascendam super altas rupes ad videndum utrum revertaris huc necne. Sed melius est te quosdam ramos scindere cuiusdam genistae, quae multae hic sunt et ponas eos per intervalla donec ad planitiem exeas atque erunt tibi tamquam limes et signa ad me inveniendum dum revertaris, et hoc facies ad imitandum labyrinthum Persei.

–Hoc libenter faciam –dixit Sanctius Pansa.

Et, scindens aliquos ramos, quaesivit benedictionem a domino suo et cum multis lacrimis amborum valedixit domino Quixoto. Atque ascendit in Rocinantem, quem dominus Quixotus valde ei commendavit et dixit ut de eo curam haberet tamquam de eo ipso, et his praelibatis, iter fecit in planitiem, spargens per intervalla ramos genistae sicut dominus eius ei iussit. Et hoc modo profectus est, quamquam dominus Quixotus eum importunabat ut saltem videret eum duas dementias facere. Sed Sanctius, nondum centum gressus profectus est, continuo reversus est et dixit ei:

–Dico, domine, te dixisse et valde bene: ad recte iusiurandum iurare, salva mea conscientia, bonum erit me saltem videre quasdam ex his dementiis, quamvis maxima dementia sit ut hic maneas.

–Nonne tibi dixi? –ait dominus Quixotus–. Exspecta, Sancti, et haec faciam in ictu oculi dum recites *Credo*.

Et confestim femoralia sua abstulit a se et mansit nudus suis pannis interioribus et dein saltitavit per aerem duos calces ac binos gyros et quidem capite demisso et pedes in altum develans res sui corporis, quas ad non videndas denuo Sanctius habenas Rocinantis vertit et laetus mansit et plenus oblectatione, quia iam potuit in pace iusiurandum dare et dicere dominum eius insanum omnino mansisse. Et hoc modo sinemus eum iter facere usque ad reditum eius qui breviter accidit.

Capitulum 26. Ubi prosequuntur subtilitates, quas dominus Quixotus fecit, ut captus amore in Montibus Fuscis

Sed perveniamus ad narrationem Equitis Tristis Figurae postquam hic se vidit solum, gyris in altum peractis et corporeis conversionibus ope pedum perfectis, dum erat nudus deorsum et sursum vestitus, et quidem Sanctius profectus erat, quia non potuit plures stultitias conspicere, historia dicit dominum Quixotum ascendisse in cuspidem altae rupis et tunc, nulla solutione inventa, incepit cogitare de iis quae antea multoties cogitavit, quaenam poenitentia esset ei praestantior et convenientior scilicet: imitari Orlandum (Roldanum) in dementiis violentis, quas fecit, sive Amadis in melancholicis, et dominus Quixotus loquens secum dicebat:

–Si Orlandus (Roldanus) tam bonus et strenuus eques fuit, secundum quod omnes de eo dicunt, quid mirandum est si nemo eum potuit interficere nisi introduceret acum, pretii semiteruntii, per extremitatem pedis, quapropter semper induebat calceos munitos septem soleis ferreis? Sed nihil ei profuerunt astutiae contra Bernardum a Carpio, qui cum eo pugnavit atque eum in Roncesvalles inter bracchia sua suffocavit. Sed, fortitudine seorsum remota, perveniamus ad amentiam eius, quia vere sanam mentem amisit propter signa quae invenit in Fortuna et per nuntios, quos pastor dedit ei nempe Angelicam accubuisse et quidem plus quam binas dormitiones postmeridianas cum Medoro, mauro praedito capillis crispatis, qui erat ephebus Agramantis. Et si ille credidit hoc verum esse et dominam eius perfecisse hanc contumeliam, quid mirum si demens factus sit? At quomodo potero ego eum imitari in dementiis si non imitatus sum eum in causa earum? Quoniam de mea Dulcinea a Toboso audeo iurare eam numquam in omnibus diebus vitae suae vidisse quemdam verum maurum amictum vestibus propriis atque hodie illa ipsa est tamquam sua mater, quae eam peperit, et si aliter de ea cogitarem iniuriam ei facerem et tunc haberem eamdem dementiam, quam habuit Orlandus (Roldanus) furiosus. Alia ex parte video Amadis a Gaula, qui vere fuit compos mentis et, nulla dementia facta, illustris et captus amore et quidem nemini secundus; quia secundum quod fertur in historia, domina eius ei praeceperat ne appareret Amadis in conspectu eius, donec ipsa id vellet et tunc ille sensit se despectum et secesssit ad Rupem Pauperem comitatus cum quodam eremita ibique flevit ad saturitatem et sese commendavit Deo usque ad diem quo coelum ad eum pervenit in maximo dolore et necessitate. Sed si hoc verum est, quare oportet me omnino denudare vestibus et quare debeo molestum esse his arboribus, quae mihi nullum damnum fecerunt? Et quare debeo claram aquam horum rivorum turbare, qui tandem mihi potum dant cum siti laboro? Vivat ergo memoria Amadis et dominus Quixotus imitabitur eum in omnibus quae posset; et de illo diceretur quod de alio dictum est, nempe si non magna perfecit saltem mortuus est ad ea perficienda; et si non sum despectus nec contemptus a Dulcinea a Toboso satis est mihi haec facere propter absentiam ab ea, ut iam dixi. Euge! Age porro! Venite ad meam memoriam praeclara facta Amadis et docete me ubi incipiendum sit ad imitationem faciendam. Tamen iam bene scio eum oravisse et sese Deo commendavisse; sed quomodo faciam coronam precatoriam [vulgo *rosarium*] quoniam hanc nondum habeo?

Tunc cogitatio venit ad eum et scidit imam extremitatem subuculae, quae pendebat

et fecit undecim nodos et quidem unum ex eis maiorem aliorum et hoc fuit illi ut rosarium, dum in his regionibus mansit, et milies mille *Avemaria* deprecatus est. Attamen quod ille moleste ferebat erat nullum eremitam habere ad peccata confitenda ei sive ad consolationem inveniendam. Et hoc modo ambulabat per parvum pratum scribendo et incidendo in corticibus arborum atque in tenui arena multos versus et quidem omnes accommodatos ad suam moestitiam aliosque in laudationem Dulcineae. Sed quos integros potuerunt invenire et legere cum eum ibi iterum invenerunt tantum fuerunt hi qui hic notantur:

Arbores, herbae et plantae
quae estis in locis bonis
altae, virides ac tantae,
si dolorem non seponis
en querelae meae sanctae.

Noli turbari ab ea,
magnum dolorem vocavit
ad solvenda sumpta mea,
quia hic Quixotus ploravit
absentiam a Dulcinea
orta a Toboso

In hoc loco est ubi amans
eques hic valde fidelis
a domina se occultans,
quamvis hoc scire ne velis,
cur, quonam et quando rogans.

Amor eum duxit ad ea,
nempe ad mala quae patravit,
et vitavit cum chorea,
quia hic Quixotus ploravit
absentiam a Dulcinea
orta a Toboso

Novas res gestas quaerendo
inter inhospita saxa,
et multa maledicendo,
sic inter virgulta laxa,
ivit expensum solvendo.

Tamen amor propterea
eum fortiter vulneravit
a cervice et fuit dea,
quia hic Quixotus ploravit
absentiam a Dulcinea
orta a Toboso

Appendix *a Toboso* nominis Dulcineae in hoc carmine, ad magnum cachinnum provocavit eos, qui hos versus invenerunt, quia putaverunt dominum Quixotum credidisse carmen nullo modo intelligi posse sine tali additamento nominis Dulcineae; et sic fuit quoniam ipse hoc modo confessus est. Alios multos versus etiam ipse scripsit, sed, ut iam dictum est, non omnes potuerunt integros invenire, praeter tres strophas huius carminis. Et ille in his negotiis sese delectabat et etiam suspirabat et Faunos Silvanosque ex illis silvis invocabat necnon et Nymphas fluminum ac dolentem et umidam [sive humidam] Echo ita ut responderent et quidem ad consolandum atque auscultandum eum et etiam herbas quaerebat ad sese sustentandum dum Sanctius reverteretur; qui demoratus est tres dies, sed si tres hebdomadas demoraretur Eques Tristis Figurae vere esset transmutatus atque eum non recognosceret mater quae eum peperit.

Et bonum erit eum relinquere inter versus et suspiria ad narrandum quod evenit Sanctio Pansae in legatione eius. Et hoc sic fuit, quia cum exiret ad viam regiam tunc petivit iter ad urbem Toboso atque in crastinum diem pervenit ad eamdem cauponam, ubi adversae res gestae ludi straguli evenerunt iactando eum in altum; et simul atque eam vidit videbatur ei se in altum salire, quare noluit intrare in eam, quamvis esset hora valde opportuna, qua potuit et debuit id facere, quia erat praecise tempus prandii et bonum erat ei edere cibum calefactum, nam cibum frigidum per multos dies iam comederat.

Haec necessitas impulit eum prope cauponam venire et certe dubitabat utrum intrare necne. Interea duo viri exierunt e caupona qui eum cognoverunt. Atque alter dixit alteri:

–Dic mihi, domine licentiate, ille qui apparet cum equo nonne est Sanctius Pansa, qui secundum heram nostri equitis itinerantis profectus est cum domino suo pro armigero?

–Certe –inquit licentiatus–; et ille est equus domini nostri Quixoti.

Et bene eum cognoverunt, quia illi erant parochus et tonsor eiusdem pagi atque ipsi qui apud eum scrutationem librorum actumque fidei fecerunt. Ipsi autem, Sanctio Pansa et Rocinante bene notis, voluerunt nuntios de domino Quixoto habere, quare ad eum pervenerunt et parochus eum nomine eius vocavit, dicens ei:

–Amice Sancti Pansa, ubi est dominus tuus?

Sanctius Pansa noverat eos et decrevit celare locum et modum ubi et quomodo dominus eius mansit; et sic eis respondit dominum eius illo tempore fecisse aliquid magni momenti atque alibi et quidem haec ille non poterat eis develare per oculos quos in vultu habebat.

–Minime hoc ita erit! –ait tonsor–, o Sancti Pansa, quia si non dicis nobis ubi ille manet putabimus quod vere credere possumus, nempe te eum interfecisse et rapuisse, quia super equum eius venis. Profecto dominum huius equi debes nobis tradere, aliter aliquid faciemus in te.

–Non oportet minas in me facere, quia ego non sum vir qui rapiat et quemdam interficiat; et propria fortuna interficiat unumquemque sive Deus qui eum fecit. Dominus meus manet nunc faciendo poenitentiam in medio monte et quidem ad nutum suum.

Postea et, nulla mora praetermissa, eis narravit statum rerum eius et etiam res

gestas, quae ei evenerant et etiam eum litteras mittere ad dominam Dulcineam a Toboso, nempe ad filiam Laurentii Corchuelo, quam ille maximo amore ardebat.

Mirati sunt ambo quae Sanctius Pansa narraverat eis et quamvis iam noverint dementiam domini Quixoti et genus eius, sed quotiescumque de ea audiebant denuo mirabantur. Tunc rogaverunt Sanctium Pansam ut eis ostenderet epistulam, quam ad dominam Dulcineam ferebat. Ille respondit eam scriptam esse in codicillo et secundum dominum suum oportebat eam transcribere in chartam in primo loco ubi perveniret; quibus verbis parochus ait ei ut eis ostenderet eam, quia ipse eam transcriberet et quidem optimis litteris. Sanctius Pansa introduxit manum in sinum suum quaerens codicillum, sed non invenit nec eum posset invenire nisi hucusque eum quaereret, quia eum reliquit apud dominum Quixotum, qui eum ei non dedit nec ipse Sanctius eum ab eo quaesivit.

Cum Sanctius vidit se librum non habere, pavit tamquam mortuus et subito totum corpus manibus attrectavit atque iterum iterumque vidit librum non apparere et confestim manus ad barbas immisit ad eas erradicandas et vultum quibusdam ictibus percussit et nares sanguinem effuderunt. His rebus conspectis, parochus et tonsor ei dixerunt, quare hoc sic faciebat et quid ei evenit, quia tam male secum agebat.

–Quid enim evenit mihi –respondit Sanctius–, nisi me perdidisse uno ictu tres asinos atque unusquisque eorum erat sicut castellum?

–Quomodo hoc fieri potest? –obiecit tonsor.

–Amisi codicillum –respondit Sanctius– ubi erant litterae ad Dulcineam et etiam schedula signata a domino meo ope cuius iubebat ut neptis sua mihi daret tres asellos ex quattuor vel quinque, qui apud eum erant.

His rebus dictis, enarravit eis se asinum perdidisse. Parochus eum consolatus est dicens ei, se eum rogaturum esse, dum dominum eius invenirent ut denuo hoc mandatum rescriberet et quidem charta papyracea officiali et secundum leges et mores regni, quia quae scribebantur in codicibus privatis numquam acceptabantur nec valida erant.

Illi his verbis magnopere consolati sunt Sanctium. Atque hic dixit cum hoc ita sit parvi faciebat amissionem illius epistulae et quidem quia ipse tradidit memoriae ex qua magna facilitate possent eam transcribere ubicumque et cum vellent.

–Dic eam nobis primo, Sancti amice, –dixit tonsor– et postea eam vertemus.

Sanctius autem commoratus est et caput suum manibus scabit ita ut illas litteras ad memoriam adduceret et modo stabat super pedem modo super alterum, aliquando inspiciebat terram, postea vero coelum ac, fere dimidio digito consumpto, dum omnes stupebant exspectantes eum iam litteras dicturum esse sed, tempore inaniter elapso, dixit eis:

–Absit a me! domne licentiate, et etiam daemones ferant secum hanc rem et quodlibet de epistula nunc memini, quamquam in primis dicebat: *Alta ac subiecta Domina.*

–Non diceret *subiectam* –dixit tonsor– sed suprahumanam sive sublimem Dominam.

–Ita est –dixit Sanctius–. Postea, ni fallor, prosecutus est ..., tamen nisi me fallit scripsit: *qui plenus somno atque insomnis est vulneratusque deosculatur manus tuas, ingrata atque incognita formosa*, et nescio quid dicebat de valetudine sive de quodam morbo, qui eum inficiebat atque hoc modo ibi dilababatur usque ad finem his verbis *Tuus usque ad mortem Eques Tristis Figurae.*

Non parum ambo gavisi sunt videndo optimam memoriam Sanctii Pansae eamque valde laudaverunt et quaesiverunt ab eo ut ipsam epistulam bis iterumque repeteret ita ut ipsi etiam traderent memoriae ad eam transcribendam tempore opportuno. Sanctius eam accurate ter quaterve repetivit et taliter tot ineptias adiunxit. His rebus peractis, narravit etiam quae dominus eius faciebat; sed noluit dicere de his quae ei acciderant cum eum iactaverunt ope straguli in illa caupona in quam introire renuit. Etiam eis dixit quomodo dominus eius dum misit eum legatum ad Dulcineam a Toboso et moram faceret dum ipse reverteretur bene dispositus erat ad officium imperatoris obtinendum sive saltem ad munus regis; quod inter ambos sic collocuti erant et perfacile esset ut haec hoc modo fierent propter strenuitatem illius et fortitudinem bracchii et dum haec acciderint ipse denuo mulierem duceret uxorem, nam fortasse iam esset viduus atque acciperet quamdam virginem illius imperatricis, quae esset heres illius magni et divitis regni, sed ita ut esset in terra arida et nullo modo in insula sive insulo, quam ille nolebat.

Sanctius haec dicebat magna quiete atque aliquando nares emunxit et tam defectus erat iudicio ut ambo admirati essent denuo inspiciendo dementiam domini Quixoti, quae etiam potuit allicere Sanctium, quia ille pauper vir etiam sanam mentem suam amiserat. Noluerunt autem eum ab errore trahere, quia hoc eum nullo damno conscientiae afficiebat, quare melius eis videbatur eum hoc modo relinquere ad gaudendum stultitiis eius. Et sic ei dixerunt ut omnia commendaret Deo propter salutem domini sui; quia res fieri poterat et valde probabilis ut in decursu temporis fieret imperator sicut ille dicebat sive saltem archiepiscopus sive aliud munus simile. Cui Sanctius respondit:

–Domini, si fortuna circumferret res taliter ita ut dominus meus noluisset esse imperator, sed archiepiscopus, nunc vellem scire ego quae soleant archiepiscopi itinerantes dare suis armigeris.

–Solent eis –inquit parochus– quoddam beneficium dare sive parochiam vel officium sacristae, quod valet multum propter reditum statutum necnon et munera altaris quod est alterum beneficium.

–Sed ad hoc pertinebit –obiecit Sanctius– ut armiger caelebs sit et sciat ministrare missae, sed me miserum! cum hoc ita sit quia uxorem duxi et nescio nec primam litteram alphabeti! Quid erit mihi si dominus meus vult fieri archiepiscopus et non imperator secundum consuetudinem et usum equitum itinerantium?

–Ne patiaris, Sancti amice –inquit tonsor–; quia dominum tuum rogabimus et etiam ut casus conscientiae id faciemus ut fiat imperator et non archiepiscopus quod facilius erit ei, quia ille magis strenuus est quam scholasticus.

–Hoc ita mihi semper videbatur –respondit Sanctius–; quamvis etiam dicere possim eum ad omnia habere quamdam dexteritatem. Quod quidem faciam est rogare Dominum Nostrum ut mittat eum ad regiones ubi ille melius servire possit et ubi mihi plura beneficia tribuat.

–Haec dicis tamquam vir cautus et prudens –ait parochus–, et facies ut bonus christifidelis. Sed quod nunc oportet facere est ut conemur ad dominum tuum educendum ex illa poenitentia inutili, quam tu dicis dominum tuum facere; sed ad cogitandum sicut id faciemus atque ad edendum, quia iam est hora, bonum erit in hanc cauponam introire.

Sanctius dixit eos posse intrare, sed ipse voluit foris exspectare, et deinde diceret

eis causam illius rei, qua noluit introire; sed etiam rogabat eos ei aliquid ad comedendum dare atque ut hoc esset cibus calefactus et etiam hordeum Rocinanti. Illi intus introiierunt et eum foris reliquerunt et parumper deinde tonsor ei cibum dedit. Postea inter ambos cogitaverunt de modo quo possent obtinere quod cupiebant et parochus venit cum quodam consilio secundum desiderium domini Quixoti atque ad nutum necnon scopum eorum. Et sic ille ait ad tonsorem quaecumque putaverat, nempe se induere vestem virginis itinerantis atque interea tonsor pararet seipsum tamquam armigerum atque ambo ad dominum Quixotum perventuri essent ut ficta virgo afflicta et indigens, quae a domino Quixoto petitionem quaereret, quam ipse ei tribueret ut strenuus eques itinerans. Atque haec petitio erat ut dominus Quixotus cum ea veniret quo ipsa eum duceret ad iniuriam reparandam, quam pravus eques itinerans fecerat ei atque eodem modo rogabat eum ut larvam faciei eius non auferret neque de bonis fortunae ab ea quaereret, donec vindicaret eam ab illo pravo equite. Absque dubio, his requisitis acceptis, dominus Quixotus veniret ad pagum suum, ubi illi curaturi erant de illa peregrina dementia eius si vere ei remedium esset.

Capitulum 27. Ubi narratur quomodo parochus tonsorque consilium eorum adimpleverunt et alia quae digna sunt memorandi in hac magna historia

Hoc artificium non videbatur male tonsori, sed tam bonum ut statim illi operam navarent. Tunc a cauponaria quaesiverunt stolam et velum, eique pro pignore reliquerunt novam vestem talarem parochi. Tonsor autem magnam barbam fecit ex fulva cauda cuiusdam bovis, ubi caupo pecten suum suspendebat. Cauponaria vero ab eis quaesivit quare haec facerent. Tunc parochus ei breviter dementiam inauditam domini Quixoti narravit et quam conveniens erat illa larva personarum ad eum extrahendum ex illis montibus, ubi tunc temporis manebat. Caupo et cauponaria intellexerunt dementem fuisse eumdem hospitem eorum, qui balsamum confecit atque etiam dominus armigeri in ludo straguli cum iactarent eum in altum et tunc parocho et tonsori narraverunt quaecumque eis evenerunt cum domino Quixoto et nullo modo siluerunt quod Sanctius occultabat. Breviter, cauponaria induit parochum talibus vestibus, quae mirae erant videndi: posuit ei stolam panni cum fasciis ex atra tela serica, amplitudinis palmi, cum aliquis aperturis et thoracem ornatum viridi tela serica cum fimbriis ex albo raso serico et fortasse haec omnia fecerunt tempore regis Wambae. Parochus autem noluit sibi muliebre tegumentum capitis, sed ipse celavit caput suum ope pillei lintei, quo usus erat ad dormiendum nocte et super frontem posuit fasciolam ex atra tela serica et cum alia fasciola confecit larvam atque ordinavit barbam, quibus et faciem omnino velavit. Super haec induit galerum suum, qui valde amplus erat et fungebatur munere pro umbella et cooperuit sese pallio. Tunc ascendit in mulam suam et quidem muliebri modo et tonsor etiam idem fecit in suam mulam cum barba, quae ad medium corpus perveniebat et cuius color erat inter album et fulvum, quia ex cauda subrubra bovina confecta erat.

Omnibus valedixerunt et etiam bonae Maritornes, quae pollicita est deprecandi coronam rosarii, quamvis peccatrix esset, ut Deus prosperum exitum eis daret in tali gravi et christiano negotio quod sibi susceperunt.

Sed ut primum egressi sunt ex caupona parochus putavit se non bene fecisse induendo talia vestimenta, quia haec non decentia erant sacerdoti atque hoc quamvis magni momenti esset; quapropter locutus est cum tonsore eumque rogavit ut utrumque vestitum permutarent, quoniam magis decebat ut tonsor repraesentaret personam virginis indigentis atque ipse parochus esset armiger illius, et hoc modo dignitas eius non tantum profanaretur et si tonsor nolebat nec ipse ulterius proficisceretur, quamvis diabolus dominum Quixotum secum ferret.

Cum Sanctius appropinquavit et vidit utrumque indutum hoc vestimento non potuit risum tenere. Profecto tonsor assensus est omnibus quae parochus voluit et, permutato artificio, parochus eum docuit quaecumque oportebat facere et etiam quae verba dicenda erant domino Quixoto ita ut eum moverent ad sequendos ipsos atque ad illum locum relinquendum, quem elegerat ad suam inutilem poenitentiam perficiendam. Tonsor autem respondit se omnia bene adimplere posse, quamvis nullum mandatum ei daret. Noluit tamen induere illas vestes donec perveniret propius ad locum, ubi erat dominus Quixotus et tunc vestes accurate plicavit et parochus sua ex parte barbam accomodavit et prosecuti sunt iter eorum, Sanctio Pansa ductore, qui paulatim enarravit eis quod eis evenit cum demente illo, quem invenerunt in montibus, invento sarcinae atque omnium rerum in ea convenienter celato; quia quamquam stultus aliquantulus avidus hic homo erat.

Crastino die pervenerunt ubi Sanctius signa ramorum reliquerat ad locum inveniendum, quo manebat dominus eius; et cum haec cognovit ait ad eos hoc introitum esse, quare iam possent induere illa vestimenta si vere hoc ad libertatem domini eius vere pertinebat. Quia illi antea dixerunt ei se induere hoc modo et illas vestes, quia hoc erat magni momenti ad redimendum dominum eius ex miserrima vita, quam sibimet elegerat, quare iusserunt Sanctio ut nullo modo diceret domino suo, qui illi essent quin eos cognosceret; et si ille interrogaret eum, quia hoc facturus erat, et si quaereret utrum epistulam ad Dulcineam dedisset necne, ille certo annuiret, sed ita ut haec Dulcinea nesciebat legere vel scribere illa respondit verbatim et quidem domino Quixoto dixit, sub poena maledictionis suae, ut confestim ille ad eam veniret, quia hoc erat maximi momenti ei et praecise, hoc argumento facto atque his verbis dictis, putabant se adducere eum ad meliorem vitam ita ut deinde fieri posset imperator sive monarcha, quia ut fieret archiepiscopus hoc non erat timendi.

His rebus auditis, quas Sanctius bene tradidit memoriae permultas gratias eis egit propter bonum consilium eorum suadendi domino suo ut fieret imperator et non archiepiscopus, quia, sua opinione, ad beneficia tribuenda armigeris eorum validiores erant imperatores quam archiepiscopi itinerantes. Etiam dixit eis bonum esse ut praecederet eos ad dominum Quixotum quaerendum ita ut daret responsum dominae eius, quia ipsa, labore eorum praetermisso, iam valida et bona erat ad eum ex illo loco educendum. Verbis Sanctii Pansae acceptis, decreverunt ut exspectarent eum donec reverteretur cum nuntio inventionis domini sui.

Sanctius intravit per fissum montium et illos duos reliquit in quodam loco, quo

parvus ac mansuetus rivus decurrebat cui rupes arboresque, quae ibi erant, iucundam et frigidulam umbram praebebant. Calor et dies quo illic pervenerunt erant mensis Augusti, et in illis regionibus ardor valde magnus solebat esse; et quidem erat hora tertia postmeridiana: haec omnia faciebant illum locum aptum ad quiescendum parumper, dum exspectabant Sanctium reversurum et sic illi fecerunt.

Et tunc, his duobus sub umbra recumbentibus, en ad aures eorum quaedam vox et quidem non comitata ab ullo instrumento musico pervenit, haec sonabat dulciter atque iucundo modo, de qua non parum mirati sunt, quia eis videbatur locum non esse idoneum, ubi quidam tam bene cantaret. Quia quamvis aliquando dicatur pastores per silvas camposque habere voces excellentes hoc redolet magis carmina poetarum quam veritatem, praesertim cum audirent cantare versus et non rusticorum agricolûm, sed cautorum aulicorum. Atque hi versus quos audierunt hanc veritatem confirmaverunt:

Quare sentio me ut abiectus?
    Despectus.
Quisnam vult ut sit mihi scelus?
    Hic zelus.
Quare probatur patientia?
    Absentia.

Sic hoc modo in mea dementia
nullam invenio medelam,
quia vitant hanc meam querelam
despectus, zelus, absentia.

Quid facit ut sit meus dolor?
    Hic amor.
Cur sors mea inopportuna?
    Fortuna.
Quid consentit meum duellum?
    Hic coelum.

Sic hoc modo timeo telum
quo vehor morte in scamnum,
nam augent ad meum damnum
amor, fortuna et coelum.

Quid fiet in melius mea sors?
    Ipsa mors.
Cur amoris indignatio?
    Mutatio.
Contra mala quae vehementia?
    Dementia.

Hoc modo non est prudentia
istam passionem curare
cum medelae sint tam clare:
mors, mutatio et dementia.

Hora, tempus, solitudo, vox ac dexteritas illius qui cantabat suscitaverunt admirationem et gaudium audientium, quare quieti manserunt aliam rem exspectantes; sed, producto silentio, statuerunt ad exiendum et musicum quaerendum, qui tam bona voce cantabat. Et voluerunt sic facere, sed ipsa vox detinuit eos, quia ipsa ad aures eorum pervenit ope huius soneti:

SONETUM

Leves sunt alae ad sanctas amicitias,
Ope relictae terrae dum anhelo
Quae ad beatos animos in coelo,
Ultra ascendisti altas aulas regias,

Ad nutum tuum illinc pacem incipias
Magnam amictam pulcherrimo velo,
Utpote talia apparent in hoc zelo,
Revera idonea quae mala sic audias.

Locum coelestem cave ne permittas
Alium errorem induere tua veste,
Tamquam consilium probum ad necandum,

In quo praesentiam tuam non amittas
Ne mundus veniat ad pugnam, te teste,
Et hunc tumultum denuo provocandum.

Profundo suspirio cantilenam finivit atque ambo attente denuo exspectaverunt si ille forte magis cantaret; sed, cum musica facta esset singultus et gemitus moestus, statuerunt mutuo consilio cognoscere tristem cantorem, qui praeditus erat hac iucunda voce et afflictus his gemitibus et ecce non procul ac parva mora elapsa, et quidem, rupe transgressa, viderunt virum tamquam Sanctius Pansa eum eis descripsit quoad staturam corpoream et figuram, cum eis historiam Cardenii narravit. Hic vir autem vix ac vidit eos tranquillus mansit et quietus, capite prono super pectus, similis homini meditabundo et non ausus est oculos porrigere ad eos inspiciendos, sicut fecit primo ictu simul ac subito apparuerunt.

Parochus autem, qui erat vir facilis loquelae, cum novisset eum et infortunium per signa eius, ad eum pervenit et brevibus ac prudentibus argumentis eum rogavit eique suasit ut illam miseram vitam relinqueret ne eam vere amitteret, quod reapse

maximum infortunium esset. Tunc Cardenius erat compos mentis et non laborabat furiosa aegritudine, quae saepissime impellebat eum ad faciendum; et, cum videret ambos amictos inaudito modo in illis solitariis regionibus, valde miratus est, praesertim cum audiret eos loquentes de negotio eius, quia id noverant, argumentationibus expressis a parocho, et sic ad eos ait:

–Profecto video vos, quicumque sitis, domini, coelum curam habere ad adiuvandos optimos et etiam aliquando malignos, et nullo merito meo, misisse ad has remotas regiones inhospitas homines ad educendum me ex hoc loco ad meliorem partem, vividis argumentis expositis de inanitate vitae meae; tamen illi nesciunt me vere timere si hodie ex hoc periculo exire perventurum esse in aliud immo peius et credunt me virum esse praeditum nullo iudicio et, quod peius est, etiam dementem. Et quid mirum est si mihi videtur onus calamitatum mearum tantum influxum habere in meam pernitiem, me omnino invito, et maneo sicut statua petrea absque ullo sensu et cognitione. Et tunc hanc veritatem novi cum videam, quae de me dicunt atque ostendunt mihi quae feci ut signum huius aegritudinis, quae tenet me et quidem doleo inaniter et maledico fortunae meae gratis et etiam dementias meas excusare volo si vere sunt, qui ea audiant. Quapropter si cognovissent sapientes causam nullo modo mirarentur de effectibus eius et si non praeberent mihi remedium, saltem non culparent me et indignatio praeclari facti mei fieret miseratio infortunii mei. Et si vos, domini, ipsum consilium habetis, quo alii etiam ad me pervenerunt, melius esset vos audire historiam completam mei infortunii ne ultra veniatis cum persuassionibus vestris quia, audita expositione mea, nullo modo oportet consolari adversitatem meam, quae omnem consolationem renuit.

Ambo, qui nullam aliam rem quaerebant, quam audire ex ore eius causam illius adversitatis, rogaverunt eum ut eis eam narraret, illi autem dispositi erant omnino ad faciendum quidquid ille vellet propter medelam sive consolationem suam. His verbis dictis, moestus eques suam tristem historiam incepit fere eisdem verbis gressibusque, quibus usus est cum domino Quixoto et caprario paucis diebus praecedentibus, cum propter disgressionem magistri Elisabath et diligentiam domini Quixoti ad defendendam dignitatem equitatus illa narratio interrupta mansit, secundum fertur in historia. Attamen nunc prospera fortuna vitavit signa illius dementiae et pervenit usque ad finem. Et hoc modo cum agebatur de illa epistula quam dominus Ferdinandus invenerat in libro *Amadis a Gaula* Cardenius ait se bene tradidisse memoriae et sic dicebat:

Luscinda ad Cardenium

Quotidie invenio apud te virtutes, quae ad diligendum te fortiore modo me impellunt; quare si vis ex hoc debito me liberare, nullo damno meo honore, perfacile erit tibi. Pater est mihi qui te cognoscit et bene diligit me, et quidem, voluntate mea non coacta, adimplebit iustam petitionem tuam si vere tanti aestimas me sicut dicis et egomet credo.

Propter hanc schedulam motus sum ad ducendam Luscindam uxorem, sicut iam dixi vobis, et etiam per eam dominus Ferdinandus invenit eam prudentissimam et circumspectissimam mulierem illius temporis esse. Et eodem modo haec schedula fuit causa ut ille vellet ruinam et perditionem meam ante quam petitio mea fieret.

Domino Ferdinando dixi quod pater Luscindae exspectaret, nempe ut pater meus peteret Luscindam ab eo et non quidem, quia nollem, sed quia timebam eum non consentire, nulla qualitate, probitate, virtute ac speciositate Luscindae spreta, nam ex his omnibus apta erat ad honorandum omne genus Hispaniae, sed quia, mea sententia, nolebat me uxorem ducere tam subito nisi antea exspectaret quid dux Richardus a me quaereret. Breviter, ei dixi me non statuere ad loquendum cum patre meo sive per hoc incommodum sive per alia, quamvis ignota mihi essent, quae impediebant me et mihi videbatur me numquam posse obtinere scopum meum. His omnibus argumentis auditis, dominus Ferdinandus ipse respondit mihi se locuturum esse cum patre meo ita ut hic cum patre Luscindae etiam loqueretur. O Mari (Mario) cupidissime, o Catilina crudelis, o Sulla (Sila) fascinerose, o Galalon mendax, o Vellide traditor, o Iuliane vindicative, o Iuda avidissime! Traditor, crudelis, vindicative mendaxque! quid mali fecit tibi iste tristis vir, qui develavit tibi secreta et gaudia sui cordis tanta simplicitate? Quam iniuriam feci tibi? Quae verba adversus te dixi sive quae consilia dedi tibi, nisi omnia ad augendum tuum honorem commodumque? Tamen de quo lamentor? Me miserum! Nonne certum est calamitates sequi cursum stellarum et sic ut a summo usque deorsum veniunt cum furore et vehementia cadunt ita ut nullum robur in terris possit detinere nec sollertia humana praevenire? Quisnam enim potuit imaginari ut dominus Ferdinandus, ut ita dicam, vellet auferre a me illam unicam ovem quam ego nondum possidebam? Ille qui erat illustris eques, prudens, gravatus meis obsequiis et potens ad quaecumque nanciscenda secundum desiderium suae cupiditatis! Sed, his inanibus argumentis atque absque ullo profectu remotis, prosequar filum fractum meae infortunatae historiae. Et sic dico ut domino Ferdinando videretur praesentia mea magnum obstaculum esse ad suum perversum consilium perficiendum, quare ille statuit mittere me apud suum fratrem maiorem natu cum occasione poscendi ab eo pecuniam ad acquirendos sex equos, quos emit ipso die in quo sese obtulit ad loquendum pro me cum patre meo, sed hoc erat ad removendum me cum falso artificio ita ut melius posset adimplere suum malignum consilium. Et sic voluit me pro eo hanc pecuniam quaesivisse. Num egomet potui has insidias praevenire? Num potui casu eas imaginari? Minime! Tamen et, illa emptione facta, libenter me obtuli ei ad proficiscendum. Illa autem nocte locutus sum cum Luscinda eique dixi, quae cum domino Ferdinando constitui, quare secura spes erat ut iusta et bona desideria nostra scopum prosperum attingerent. Illa vero incauta, tamquam ego, proditionis domini Ferdinandi, mihi dixit me non demorari reditum meum ad eam, quia ipsa putabat subito conclusionem illius negotii nostrarum voluntatum proximam esse, ubi primum pater meus cum patre eius loqueretur. Nescio quid accidit sed, his verbis dictis, oculi Luscindae lacrimaverunt et etiam nodus oppressit guttur eius ita ut non posset loqui ex multis rebus, quae illa videbatur velle dicere mihi. Miratus sum de hoc signo novo, quia hucusque cum locuti essemus prospera fortuna sive diligentia mea semper fecit nos magna laetitia et gaudio ad invicem colloqui, nulla lacrima nec suspiriis nec zelotypiis nec suspicionibus vel timoribus immixtis. Tantummodo erat mihi occasio benedicendi fortunae, quia coelum dedit eam mihi ut dominam; augebam formositatem eius, mirabar virtutem atque intellectum eius. Illa autem reddebat mihi laudationes in his, quae ut amans ei

videbantur digna laudandi. Hoc modo narrabamus mutuo mille puerilitates ac parvas res gestas oppidanorum nostrorum et quod ulterius perveniebat impudentia mea tantum erat ad pulchram et candidam manum eius tenendam fere violenter eamque osculandam secundum hoc fieri posset propter angustam transennam illius fenestrae, quae nos seiungebat. Sed illa nocte, et quidem pridie ante profectionem meam, Luscinda flevit amare, gemuit suspiravitque et profecta est et reliquit me praeditum magna confusione ac perturbatione necnon stupefactum videndi signa inaudita ac tristia doloris et turbationis in ea. Sed nolui spem meam destruere et sic putavi haec omnia fuisse effectum amoris erga me et propter dolorem absentiae meae inter hos, qui se mutuo diligunt. Denique profectus sum moestus et meditabundus et animus meus plenus erat cogitationibus et suspicionibus et quidem nesciebam quid suspicari vel quid imaginari; indicia aperta et clara quibus ostendebant mihi tristes res gestas atque adversam fortunam, quae superveniebat mihi. Perveni ad illam urbem quo missus sum; litteras dedi fratri domini Ferdinandi; receperunt me bene, sed non dimiserunt me statim et debui manere, me invito, per octo dies atque in his locis, ubi dux pater eius non videret me, quia frater eius scripserat ei ut mitteret pecuniam, eo insciente, sed haec omnia erant artificium dolosum falsi domini Ferdinandi, quia frater eius pecunias habebat et bene potuit dimittere me confestim. Mandatum atque imperatum posuerunt me in periculo non oboediendi, quia mihi videbatur non fieri posse tot dies vitam sustinere in absentia Luscindae, et praesertim quia eam tristem reliqui, ut iam dixi vobis. Tamen, me omnino invito, oboedivi ei tamquam bonus famulus, quamquam haec erant contra valetudinem meam. Et, quattuor diebus post adventum meum illuc elapsis, quidam vir ad me pervenit et petivit me atque epistulam ad me dedit et per superscriptum cognovi eam esse Luscindae, quia erat modus scribendi illius. Formidolosus aperui epistulam et quidem perturbatus, quia putavi res magni momenti induxisse eam ad me absentem scribendum, quia si praesens ego fuissem raro scriberet. Ante quam litteras legerem a viro quaesivi, quis ei epistulam dedit et quanto tempore demoratus erat in via. Et sic locutus est mecum nempe, eo ambulante per viam illius urbis, et quidem casu ac tempore meridiano domina valde pulchra vocavit eum ex fenestra, oculis plenis lacrimis, et festinanter ait ei: «Frater, si christifidelis es, ut mihi videtur, per misericordiam Dei, quaeso te hanc epistulam mittere ad locum atque ad virum huius scripti et magnum obsequium Domino Nostro facies, sed ne incommoda patiaris accipe quae in hoc muccinio sunt.» «Et, his verbis dictis, proiecit ad me per fenestram muccinium in quo centum argentei atque anulus ex auro erant atque epistula quam dedi tibi. Et postea, nullo responso exspectato, illa reliquit fenestram, sed vidit sicut accepi litteras et muccinium cum pecunia eique signum feci me facturum esse quod a me quaerebat. Et, hoc magno lucro accepto pro labore, volui ad te epistulam mittere, quia noveram per scriptum te esse et quidem te, domine, bene novi et etiam lacrimae illius pulchrae dominae impulerunt me ad hanc operam navandam, quare statui nulli confidere nisi ad te venire atque abhinc sedecim horas haec dedit mihi et iter feci atque ex illo loco quidem sunt duodeviginti leucae.» Et dum haec dicebat hic novus atque iucundus tabellarius, ego de verbis eius pendebam, cruribus meis tremulis, et fere non potui erectus stare. Profecto aperui litteras atque haec legi:

Dominus Ferdinandus adimplevit verbum quod tibi dedit, nempe suadendi patri tuo ita ut hic cum patre meo loqueretur, sed magis ad beneficium suum quam tuum. Scito, domine, eum quaesivisse ducere me uxorem a patre meo et pater meus omnino annuit ei propter commodum venturum, quia ille et quidem te et hic autem tam multum hoc festinavit ad nuptias perficiendas ut intra duos dies erunt et quidem modo secreto, quia tantum coelum et nonnulli illius domus testes erunt. Imaginare quomodo maneo, veni ergo ad videndum si fieri potest; et si te diligo res gestae huius negotii tibi probabunt. Faxit Deus ut litterae hae ad manus tuas tandem perveniant ante quam condicio mea veniat ad unionem cum illo, qui tam perverse fidem promissam servavit.

Haec fuerunt argumenta illius epistulae vi quorum statim et, nullo responso exspectato nec ulla pecunia accepta, iter feci foras; quia tunc vere cognovi dominum Ferdinandum noluisse equos emere, sed, secundum desiderium suum, misit me ad suum fratrem. Indignatio quam contra dominum Ferdinandum concepi una cum timore amittendi fiduciam obtentam post tot annos mei famulatus dederunt alas meis pedibus, quia fere volavi et in crastinum diem perveni ad locum meum et praecise ad horam opportunam loquendi cum Luscinda. Maximo secreto intravi domum eius et mulam reliqui apud virum bonum, qui litteras ad me dedit et fuit mihi etiam bona fortuna, quia inveni Luscindam iuxta transennam fenestrae eius, testis amoris nostri. Luscinda cognovit me atque ego recognovi eam, tamen non eodem modo sicut antea mutuo sentiebamus. Sed, quis in hoc mundo laudabitur cognoscendi confusam mentem et mutabilem condicionem mulieris? Nemo pro certo. Ego nunc dico ut primum Luscinda vidit me ait ad me: «O Cardeni, amicta sum ad nuptias; in vestibulo exspectat me traditor dominus Ferdinandus ac pater meus cupidissimus cum nonnullis testibus, qui ante erunt meae mortis quam de meo conubio. Ne patiaris, sed procura adstare ad sacrificium et, nullis argumentis meis prolatis, est mihi pugio occultus in sinu meo ita ut obstet roboribus adversis et ut vere cognoscas voluntatem, quam habui et quidem habeo quapropter finiam vitam meam.» Ei respondi valde turbatus et festinanter, timens ne haberem tempus respondendi: «Utinam facta tua, domina, probent tua verba vera esse; et si habes pugionem ad honorem tuum probandum, hic habeo gladium ad te defendendam sive ad me interficiendum, si vere fortuna adversa sit nobis.» Credo me non potuisse argumenta eius audire, quia eam vocaverunt celeriter, quoniam sponsus iam eam exspectabat. His rebus peractis, clausa est nox tristitiae meae et sol laetitiae meae occisus est; amisi lucem oculorum et loquelam intellectus. Nescivi introire domum eius nec immo potui movere me quoquoversus; tamen cogitavi quanti momenti esset praesentia mea in illo statu rerum et decrevi ad faciendum secundum vires meas atque intravi in domum eius; cuius introitus exitusque omnes bene novi, praesertim cum magno tumultu illius diei et nemo vidit me; hoc modo in foramine cuiusdam fenestrae potui me abscondere, nemine sciente, in eodem vestibulo occultus post stragula parietis ita ut possem videre, quae ibi agebantur, sed curando ne viderent me.

Quisnam tunc potuit enumerare perturbationes cordis mei dum ibi mansi et cogitationes mentis meae? Considerationes quas feci tot ac tantae fuerunt, quae nec narrandae sunt nec enarrari debent. Satis est vobis scire sponsum intravisse in vestibulum, nullo ornamento amicto, quam suis solitis vestibus. Pro patrono illius

caeremoniae adduxit patruelem Luscindae atque in toto vestibulo nemo erat praeter famulos illius domus. Dein, parva mora elapsa, Luscinda apparuit comitata a matre sua et duabus virginibus suis, et quidem ornata ac decorata secundum formositatem et nobilitatem quam merebatur propter aulicam elegantiam splendoremque. Suspensio ac stupor meus non permisit mihi conspicere atque invenire, quae sub veste sua secum ferebat; tantummodo animadverti vestem rubram atque albam esse necnon et reflexiones lucis quae fecerunt fulgere gemmas, monilia ornamenti et omnem vestem. Sed omnibus his rebus perspectis, singularis speciositas fulvorum capillorum venustorum eius superabat gemmas et quattuor faces lucentes in vestibulo, quia ipsa Luscinda lucebat maiore fulgore in conspectu oculorum meorum. O memoria inimica mortalis quietis meae! Quid prodest mihi me meminisse imparis pulchritudinis illius inimicae amatae meae? Nonne melius esset, o crudelis memoria, ut meminisses atque ostenderes mihi quaecumque ipsa fecit, ita ut, motus hac iniuria manifesta, saltem conarer, omni vindicta spreta, vitam meam perdere? A vobis quaeso, o domini, ne patiamini me, his omnibus disgressionibus meis expositis; quia propter cruciatum meum non possum narrare succincte nec diligenter omnia adiuncta rerum, quae mihi videbantur ad opportunam explanationem.

Parochus, his verbis auditis, respondit dicens se non defatigari, sed immo valde gaudere his parvitatibus, et non debebat ea praeterire silentio, quia digna erant, secundum quod ei videbatur, huius narrationis.

–Dico enim –prosecutus est Cardenius– parochum illius parochiae intravisse, omnibus in vestibulo praesentibus, et cum apprehenderet manus amborum secundum quod requiritur in caeremonia, et cum diceret: «Vis accipere, o domina Luscinda, dominum Ferdinandum, hic praesentem, in tuum legitimum maritum iuxta ritum Sanctae Matris Ecclesiae?» Tunc ego omne caput et collum inter ea stragula parietis protuli et, auribus arrectis ac turbato animo, auscultavi responsum Luscindae, exspectans ex responso eius sententiam mortis sive confirmationem vitae meae. Eheu! quisnam tunc auderet exire clamando «Luscinda, o Luscinda! Animadverte quid facis, respice quod mihi debes; attende te meam esse et nullo modo spero fore ut ad alium pertineas! Animadverte te annuire idem esse ac finem vitae meae ipso ictu. O traditor Ferdinande, latro gloriae meae et mors vitae meae! Quid ergo vis? Quaenam conaris? Considera te non posse christiano modo desideria tua nancisci, quoniam Luscinda est uxor mea atque ego maritus eius.» O quam fatuus egomet sum! Nunc, me absente ac remoto a periculo, dico quae facere debui, sed nullo modo feci! Nunc autem, dilecta mea a me ablata, maledico latroni, quem vellem ulcisci si cor ad id faciendum esset mihi, sicut est mihi ad lamentandum! Breviter, tunc ignavus et nescius fui, quare non mirum est nunc me mori, quia et piget et pudet me poenitentis et dementis. Etiam parochus exspectabat responsum Luscindae, quae demorabatur paululum et cum putavi eam pugionem educere e sinu suo ad honorem vindicandum sive ut linguam solveret ad veritatem exprimendam vel aliquid faceret ad commodum meum, audivi debilem vocem illius dicentem: «Volo» et idem dominus Ferdinandus dixit ei et, tradito anulo, indissolubili vinculo ambo permanserunt. Maritus amplexus est uxorem suam, ipsa autem, manu in corde posita, languit atque exanimis cecidit in bracchia matris suae. His rebus auditis, et, spe mea delusa, propter verba mendacia et promissum Luscindae,

mansi absque ulla possibilitate nanciscendi quae amiseram uno ac subito ictu. Praeditus nullo consilio, desertus a coelo, secundum me, terra quae sustentabat me facta est inimica mea atque aer recusabat halitum ad suspiria mea atque aqua humorem meis oculis; tantum ignis augebat et taliter ut omnia amplificaret ope iracundiae zelotypiaeque. Cuncti turbati sunt languore Luscindae, mater autem eius aperuit pectus eius ita ut aerem haberet atque en ibi develavit schedulam plicatam, quam dominus Ferdinandus accepit et mox legit ad lumen cuiusdam facis lucis; schedula lecta, genam suam tenuit manu profunde meditabundus et nullam medelam uxori adduxit ad curandum languorem. Ego autem, omnibus domi valde turbatis, statui relinquere locum occultum, nec cogitavi utrum possent me videre necne, et tunc quidem si invenissent me fortasse quamdam aberrationem facerem ita ut omnes cognoscerent iustam indignationem cordis mei pro punitione falsi domini Ferdinandi atque etiam pro mutatione proditionis Luscindae languescentis. Sed fortuna mea, quae ad maiora adversa servavit me, si hoc fieri posset, efficit me recte iudicare, quamvis in posterum defecerit mihi; et, nulla vindicta excogitata contra inimicos meos, quod mihi perfacile esset, volui in me punitionem, quam illi merebantur atque immo maiore severitate quam illis si tunc eos interficerem, proptera quod qui subito moritur finit poenam; sed quae demoratur necat multis cruciatibus et non finiet vitam. Breviter, exivi ex illa domo et perveni ad virum apud quem reliqui mulam; iussi ei ut pararet sellam super eam et, nemini valedicendo, ascendi in mulam atque urbem reliqui et quidem nolui nec vultum a tergo vertere ut alius Lot ad eam inspiciendam; et cum viderem me in campo solum dum obscuritas noctis cooperiebat me et silentium eius invitabat me ad lamentandum et, nullo metu teste, nec me ab ullo noto, linguam meam solvi et ope vocis erupi maledictiones contra Luscindam et dominum Ferdinandum quibus volui retribuere propter iniuriam inflictam mihi. Eam vocavi crudelem, ingratam, falsam, amaram; sed praesertim cupidissimam, quia divitiae inimici mei clauserunt oculos voluntatis eius ad auferendam eam a me et tradendam ei cui liberalior ac benevola fortuna esset; atque in medio harum maledictionum et vituperationum etiam eam excusabam, quia vixit ut virgo simplex in custodia parentum suorum, quibus semper oboediens fuit, atque in hac occasione etiam voluit eis oboedire, quia illa nubebat sponso illustri, qui erat eques dives ac nobilis natu et, eo neglecto, idem erat atque ostendere parentibus eam nullum sanum iudicium habere sive alibi habere voluntatem suam quod redundaret in detrimentum bonae famae atque opinionis eius. Deinceps alia ex parte iterum dicebam, si illa diceret me sponsum eius esse poterant dicere eam non malam electionem fecisse et omnino excusarent eam; quia ante adventum domini Ferdinandi non potuerunt credere alium meliorem quam me invenire pro ea et quidem secundum opinionem eorum ut sponsus filiae eius; et ante quam manum suam daret domino Ferdinando bene posset dicere me ei iam in extremis dedisse manum meam; et tunc possem egomet venire ad confirmanda haec verba illius, quamvis in hoc casu ficta essent. Breviter, putavi inopiam amoris et iudicii, magnam cupiditatem ac magnum desiderium impulisse eam ad negligenda verba quibus decepit me, dum aliquando delectavit me et solidam spem meam atque honesta desideria mea fovit. His vocibus atque hac anxietate iter feci reliqua parte illius noctis et in crastinum diem perveni ad introitum horum montium per quos tribus diebus secutus sum, nulla semita sive via

cognita, usque ad quaedam prata, quae nescio ad quamdam partem horum montium sunt, ibique quaesivi a quibusdam pecuariis ubi esset asperrima pars huius regionis. Illi dixerunt mihi ad hanc partem. Tunc ad illam iter feci cupiens vitam meam finire sed, cum ad has asperitates perveni, mula mea nescio utrum ex lassitudine de via an ex fame cecidit mortua in terram et secundum quod mihi videtur, quia noluit amplius onus tam inutile super se ferre. Et, nemine adiuvante, steti, lassus ex natura, cruciatus fame et quidem nesciens quid faciendum esset. Nescio quam multum tempus me in terra mansisse. Postea vero surrexi, nulla fame premente, atque iuxta me vidi quosdam caprarios qui, mea opinione, procul dubio dederunt medelam penuriae meae, quia illi narraverunt mihi quo modo invenerunt me et immo verba incongruentia aberrationesque, quae eis dixi quibus ostendi me non esse compotem mentis; et aliquando etiam sensi me non habere mentem sanam, sed debilem infirmamque quaproter mille dementias perfeci, scindo vestes meas, ambulo per solitudines clamando magna voce, maledicendo fortunae meae et repetendo dilectum nomen inimicae meae et denique nihil cupiendo nisi vitam amittere magnis vocibus; et cum denuo compos mentis sum, lassus et contusus maneo et fere nec possum moveri. Cubiculum meum est foramen cuiusdam suberis, quod vix potest corpus meum habere. Bubulci et caprarii, qui per hanc regionem ambulant, moti caritate, favent mihi et cibos in viis relinqunt atque in rupibus, ubi putant me posse transire; et quamvis non sim compos mentis necessitas naturalis impellit me ad victum cupiendum atque allicit desiderium edendi et voluntatem accipiendi. At aliquando etiam dicunt mihi, cum tunc praeditus sim mente sana, me ad vias pervenire et violenter ab eis rapere cibos, quamquam pastores libenter dant mihi, qui ad hoc refugium veniunt e loco eorum. Hoc modo transeo miserrimam atque extremam vitam meam donec coelum faxit ad finem eius pervenire sive ad finem meae memoriae si non amplius meminerim formositatis ac proditionis Luscindae atque iniuriae domini Ferdinandi. Et si coelum hoc facit, vita mea nullo modo amissa, cogitationes meas dirigam ad meliorem partem et utinam habeant misericordiam animi mei, quia in me non sunt vires nec virtutes ad hoc corpus ferendum ex his angustiis quas libenter pati volui. Haec est, domini mei, saeva historia infortunii mei; dicite mihi si haec aliis verbis et sensibus enarrare potui, quam quae audivistis a me, sed ne defatigaretis ad mihi suadendum sive ad consilium dandum quod vere oportet facere ad meam medelam secundum optimum consilium vestrum. Quia erit mihi ut medicatio cuiusdam medici illustris quam aegrotus nullo modo accipere vult. Nullam volo salutem absque Luscinda, et si illa voluit alterius esse, cum esset sive debuit esse mea, etiam eligo infortunium, quamvis prospera fortuna mihi destinata esset. Illa voluit, sua mutatione, perditionem meam. Et sic volo, me neglecto, voluntatem eius adimplere atque hoc erit exemplum iis qui futuri erunt, quia mihi defuit quod aliis miseris superest, quibus est tamquam consolatio, quae non potest nancisci, sed in me est causa maiorum afflictionum et malorum quae, mea sententia, nec cum morte finientur.

Hic Cardenius longam et infortunatam concionem finivit atque historiam amoris sui. Et cum parochus parabat se ipsum ad eum consolandum en vox ad aures suas pervenit, quae moestis sonis dicebat, quod in quarta parte huius narrationis dicetur et in hoc loco sapiens atque accuratissimus historiographus Cide Hamete Benengeli partem tertiam finivit.

Capitulum 28. Ubi agitur de novis rebus gestis, quae parocho tonsorique evenerunt in ipsis Montibus Fuscis

Beatissima ac felicissima fuerunt tempora, quibus natus est audacissimus eques dominus Quixotus a Manica, quoniam honoratam voluntatem habuit resuscitandi et ad mundum revocandum illam fere mortuam ordinationem equitatus itinerantis, vi cuius nunc, nostra aetate egena laetis oblectamentis, gaudemus non tantum dulcedine illius verae historiae, sed fabulis rebusque gestis; quae aliquo modo non sunt minus iucundae atque artificiosae quam ipsa historia; quae prosequens filum carminatum, detortum et convolvum, uno verbo, filum elaboratum accurate huius narrationis, exponit quod accidit parocho cum voluit consolari Cardenium, sed hoc impedivit quaedam vox praedita magna tristitia, quae ad aures eius pervenit et sic loquebatur:

–Eheu, Deus meus! Num fieri potest me locum idoneum invenire, qui serviat ad absconditam sepulturam huius molesti corporis, quod tam aegre fero? Sic erit si solitudo horum montium non mentitur mihi. Me misellam! et quam placibilis erit comitatus harum rupium virgultorumque ad desiderium meum nanciscendum, quia praebebunt mihi occasionem communicandi infortunium meum coelo ope querelarum mearum, nam nemo est in terris, qui possit consilium mihi dare in dubitationibus meis nec allevamentum in querelis nec medelam in adversitatibus!

His argumentis auditis et perceptis, parochus et qui cum eo erant surrexerunt ad quaerendum eum, qui talia dixerat, quia eis videbatur eum prope esse. Et nondum viginti gressus ambulaverunt, en post rupem viderunt iuvenem, qui ad pedem fraxini sedebat, amictus ut agricola, sed habebat vultum pronum, quia pedes lavabat in rivo, qui ibi decurrebat, et tunc non potuerunt eum bene videre. Illi autem magno silentio appropinquaverunt atque iuvenis, attentus ad lotionem pedum suorum, non animadvertit eos ad eum venire et quidem pedes eius similes erant duobus frustis candidi crystalli, qui inter lapides illius rivi nati essent. Mirabantur candorem ac puchritudinem horum pedum atque eis videbantur non esse apti ad asperas glebas conculcandas nec ad ambulandum post aratrum bovesque, sicut per vestes talis domini videbatur.

Et cum viderunt eum eos non audivisse, parochus qui eos praecedebat signum fecit eis ad sese abscondendum post quaedam frusta rupis, quae ibi erant atque hoc modo fecerunt omnes, et puerum accurate inspexerunt. Hic autem duplex parvum pallium induebat accinctum ad corpus suum cum manutergio albo. Etiam femoralia induebat et tibialia ex panno fusco et super caput suum pilleum fuscum. Ille autem habebat tibialia levata usque ad dimidiam partem cruris, quod ex candido alabastro videbatur. Et, pulchris pedibus lotis, eos detersit quodam panno quod sub pilleo eduxit; et cum voluit pannum auferre porrexit faciem suam et qui inspiciebant eum quidem viderunt imparem formositatem eius et quidem fuit talis ut Cardenius dixit parocho submissa voce:

–Haec, cum non sit Luscinda non potest humana esse, sed divina.

Puer autem, pilleo remoto, agitavit caput ad utramque partem et capilli inceperunt se expandi, qui radiis solis invideri possent. His rebus perspectis, pro certo

intellexerunt illum agricolam non esse nisi mulierem, et quidem speciosam quam non umquam viderunt hucusque oculi amborum atque immo oculi Cardenii nisi hic antea inspexerit et novisset Luscindam. Sed postea etiam dixit tantummodo pulchritudinem Luscindae posse contendere cum illa. Longi et flavi capilli non tantum dorsum operuerunt, sed totam eam et soli pedes ex corpore eius videbantur; tot ac tanti erant. Ceterum eos pectinavit manibus, et si pedes iuxta aquam similes erant frustis crystalli, manus inter capillos similes erant frustis niveis compressis; atque haec omnia augebant desiderium cognoscendi eam, quam hoc modo illi tres intuiti erant.

Quamobrem statuerunt se ostendere ei, et, motu ad surgendum facto, pulchra puella caput levavit et, capillis ambabus manibus ante oculos remotis, conspexit eos qui rumorem fecerunt; et simul atque eos vidit surrexit pedibus et, nulla mora facta, et capillis expansis, ac pedibus nudis, subito accepit quasdam vestes, quas apud se habebat et voluit induere dum incepit suam fugam, sed praedita fuit magna turbatione ac trepidatione. Attamen non plus quam sex gressus illinc profecta est, quia pedes eius non potuerunt asperitates lapidum tolerare et cecidit in terram. Tres eorum, his rebus conspectis, ad eam pervenerunt, tamen parochus primus fuit qui ei dixit:

–Consiste, domina, quaecumque sis; quia quos hic vides tantum volunt te adiuvare. Non oportet ergo te hanc molestam fugam conari, quia nec pedes tui hoc tolerant nec nos pati possumus.

Illa, his verbis auditis, nullum responsum dedit, quia stupefacta atque attonita erat. Ad eam illi autem pervenerunt et parochus manum eius tenens haec prosecutus est dicens:

–Quod vestis tua, domina, a nobis celat, capilli tui notum faciunt nobis: signa tam aperta et quidem magni momenti sunt cuiusdam causae, qua tua formositas voluit hunc habitum indignum induere et ad hanc solitudinem pervenire atque haec reapse tamen prospera fortuna fuit nos invenire te ad medelam faciendam sive ad consilium tibi dandum atque adversa curanda, quia nulla adversitas, quamvis proxima morti sit, defatigabit tibi ad consilium spernendum, dum vita adhuc sit, quod bona voluntate patienti datur. Quapropter, domina sive domine, sive quidquid velis esse, relinque turbationem tuam in conspectu nostro atque enarra nobis tuam prosperam sive adversam fortunam. Apud nos certe invenies sive in unoquoque nostrum vel in omnibus nostris, qui ad infortunium tuum iuvandum promptus sit.

His argumentis a parocho prolatis, ficta puella, his vestibus amicta, mirabatur inspiciendo omnes et nec labia sua movebat nec verbum dicebat, sed tamquam quidam rusticus mansit cui mirae res ostenduntur. Iterum iterumque parochus alia huiusmodi dixit ei ad eamdem rem nanciscendam, illa autem, profundo suspirio elapso, silentium suum rupit dicens:

–Ita ut solitudo horum montium non celavit me, et soluti capilli mei noluerunt linguam meam mentiri, inaniter possum negare quod nullo modo credere potestis nisi per urbanitatem et nihil aliud. His praelibatis, dico, o domini, me vobis gratias agere propter propositum vestrum, vi cuius conor adimplere vestra desideria in omnibus requisitis, at puto hanc narrationem infortunii mei inficere vos tum miseratione tum angore atque aliter nullam medelam invenietis ad medendum nec consolationem ad curandum. Sed ne vacillet honor meus in cogitationibus vestris et

propterea quod iam nostis me esse mulierem, iuvenem et solam et quidem amictam his vestibus et his omnibus rebus unaquaeque earum potest honestam credibilitatem in terram ruere, vobis dicam quae celare volui si vere possem.

Haec omnia dixit, nulla mora praetermissa, quae tam pulchra mulier videbatur ac tam celeri lingua necnon et suavi voce loquebatur, sed non minus de prudentia illius mirabantur quam de venustate. Et denuo ei ostenderunt desiderium iuvandi eam eamque rogaverunt ut adimpleret quod promitteret eis. Illa autem, rogativis praetermissis, capillos suos collegit atque in sedile super petram sese accommodavit, dum illi tres circumdederunt eam, cupientes lacrimas eius detinere, quae ad oculos veniebant; atque illa quieta et clara voce incepit historiam vitae suae hoc modo narrare:

–In hac Baetica regione, est locus qui nomen accepit a quodam duce, ex his qui magni in Hispania nuncupantur. Hic autem duos filios habet: maior natu heres status illius est atque ut videtur praeditus morigeratis moribus, minor natu autem nescio a quo heres sit nisi ex proditione Vellidi ac mendaciis Galalonis. Parentes mei vero subditi sunt huius domini et quidem humiles genere, sed tam dives ut si bona naturae similia essent bonis fortunae eorum nec illi quid haberent ad desiderandum nec ego timerem videndi me in hoc infortunio quo sum; et quidem infortunata sum, quia illi non nati sunt nobiles. Verum tamen est eos non tam humiles esse ut pudeat eos huius condicionis nec tam excelsi ut auferant infortunium cogitationum mearum, quia proveniunt ex hoc humili genere. Illi autem agricolae sunt, gens simplex, at sine permixtione ullo sanguine male accepto, et ut dici solet, christiani veteres sunt et quidem tam divites ac magnifico modo se agendi ita ut fere pervenerint ad nomen fidalgorum necnon equitum. Tamen maxima divitia eorum fuit me habere ut filiam de quo tam multum gloriabantur; sic et quia nullam aliam habebant ut heredem ego fui eis, qui erant parentes et valde affectuosi, egomet eram filia atque inter magis muneratas a parentibus. Ego eram autem speculum quo illi inspiciebant sese et baculus senectutis eorum ac finis ad quem tendebant omnia desideria eorum, quae non diversa erant a coelo et etiam mea erant aequaliter valde bona. Et sic ut ego eram domina animorum eorum domina eram divitiarum. Famuli vero acceptabantur sive dimittebantur meo consilio; rationem egomet faciebam de omnibus quae seminabantur et de messibus quae colligebantur; molae oleariae, torcularia vini, copia armentorum ac pecorum necnon et alvearium apum. Denique ex omnibus quae dives agricola, ut pater meus, haberet et habebat ego computum et rationem faciebam atque eram tamquam villicus eorum atque ipsa domina et hoc tanta sollicitudine mea et iucundo affectu eorum, ut non possim verbis excellere. Tempora quibus poteram otio vacare, servatis servandis, agebam cum praefectis, villicis et operariis eosque oblectabam exercitiis, quae licita et necessaria sunt virginibus, tamquam illa quae agunt de acu et pulvino, et multoties de colu atque aliquando ad animum oblectandum haec relinquebam et legebam libros pios, sive pulsabam harpam, quia teste experientia, musica componit animos dissolutos necnon et mitigat labores, qui ex animo oriuntur. Haec fuit vita, cui operam navabam domi parentum meorum quam tam accurate narravi, et non propter ostentationem meam neque quia dives sim, sed ut videatis quam sine culpa mea ex illo statu felicitatis, quo eram, ad hoc infortunium perveni. Et hoc modo vitam vixi in hoc statu rerum atque omnino clausa tamquam

si in quodam monasterio essem, ita ut nemo posset me videre nisi famuli domus, quia tantum aderam Missae primo mane et quidem comitata a matre mea aliisque famulabus dum ego cooperta ac pudica eram ut neo quidem oculis meis possem videre terram, qua pedes mei ambulabant, tamen desiderium sive otium quae oculos habent, quibus non aequabuntur oculi lincis, viderunt me et quidem in sollicitudine domini Ferdinandi, nam hoc est nomen filii minoris natu ducis de quo vobis locuta sum.

Vix ac nomen domini Ferdinandi dixit illa quae fabulam narrabat, Cardenius palluit atque incepit sudare praeditus magna turbatione et parochus tonsorque, qui hoc viderunt timuerunt hanc esse irruptionem morbi illius, de quo audiverunt qui aliquando ei eveniebat. Sed Cardenius nihil fecit nisi sudare et quietus manere, attente inspiciens rusticam et cogitans quaenam illa esset, quae non animadvertit motus Cardenii et prosecuta est historiam suam dicens:

–Et cum vidit me, secundum quod postea ipse dixit, captus est meo amore, sicut aperte ostendit mihi. Sed ut breviter finiam hanc fabellam infortunii mei praetermittam diligentias, quas dominus Ferdinandus fecit ad suam voluntatem mihi ostendendam. Ope pecuniae seduxit omnem gentem domus meae et dedit munera ac beneficia propinquis meis. Omnes dies erant festivi atque oblectamenta in mea via; per noctes musica sonabat, ita ut nemo posset dormire. Schedulae quae, nemine sciente, ad manus meas perveniebant multae erant plenaeque scriptis amorosis et desideriis, ubi plura erant promissa atque iuramenta quam litterae. His omnibus rebus peractis, ille nullo modo mollificabat animum meum, sed immo irritabat me tamquam si inimicus mortalis meus esset atque omnes res, quas faciebat ad adducendam me ad voluntatem suam, obtinebant effectum contrarium; et non quia mihi male videretur amabilitas domini Ferdinandi, neque sollicitudines eius nimis essent, quia eodem tempore dabant mihi magnum contentum videri me amatam esse a tam nobili equite et non aegre ferebam laudationes erga me in scriptis eius, nam mulieres, quamvis simus foedae, mea sententia, gaudemus audiendo nos pulchras vocari. Tamen, his omnibus rebus peractis, mea honestas obstabat et continua consilia parentum meorum, quae mihi dabant, nam illi aperte cognoscebant voluntatem domini Ferdinandi propterea quod ille non curabat ut omnes homines eam cognoscerent. Parentes mei dicebant honorem famamque eorum esse in sola virtute ac bonitate mea, quare oportebat ut animadverterem inaequalitatem inter dominum Ferdinandum et me ipsam, quare possem etiam cognoscere cogitationes eius esse ad obtinendam voluptatem eius, quamvis alia dixerit mihi, quam ad meam propriam utilitatem; et si vere vellem obiectiones facere ei ut hanc iniustam petitionem relinqueret, parentes mei libenter proposuerunt mihi ut cuidam nuberem, quem magis vellem ego, sive inter nobiliores loci nostri sive circumvicinos oppidanos nostros, quia omne spectandum esset ex magnis bonis eorum atque ex bona fama mea. Ego autem roborabam meam integritatem his promissionibus ac veritate, quam mihi dicebant et numquam volui domino Ferdinando responsum dare, quo possem ei ostendere, quamvis procul esset, spem nanciscendi desiderium eius. Haec pudicitia mea, quam ille haberet ut despectum, fortasse auxit appetitum lascivum eius, quia sic volo voluntatem eius vocare, quam mihi ostendebat; nam si illa esset ut oportet nullam necessitatem haberem nunc narrandi vobis, quia neque esset occasio de hoc loquendi.

Denique ad dominum Ferdinandum pervenit nuntius ut parentes mei vellent me nubere cuidam et hoc ad auferendam spem illius ducendi me uxorem sive ut possem melius me servare et protegere ab eo atque haec suspicio fuit causa ut faceret quod nunc audietis. Et ecce quadam nocte cum essem in cubiculo meo cum virgine, quae serviebat mihi, et quidem, ianua clausa, propter metum ne acciderit quadam negligentia quin honestas mea esset in periculo et, nescio quomodo id potuit accidere, et praeter has omnes praeventiones meas et in solitudine illius silentii atque in illo claustro, en Ferdinandum inveni coram me; cuius visione turbata fui magnopere, ita ut amisi visum oculorum meorum et lingua mea muta omnino fuit. Et sic non potui voces dare nec credo eum permittere me eas dare, quia ad me venit atque apprehendit me suis bracchiis (quia sicut dixi non fuerunt mihi vires ad me defendendam propter turbationem meam) et incepit talia argumenta mihi dicere et nescio quomodo mendacium habeat talem sollertiam ut verum videatur. Et traditor fecit ut lacrimae confirmarent verba eius et suspiria voluntatem eius. Et me misellam! sola fui inter meos et nulla fuit experientia mea in similibus occasionibus atque incepi, et nescio quomodo, credendo mendacia eius vera esse, quamvis lacrimae et suspiria eius non moverent me ad commiserationem. Tamen, prima perturbatione elapsa, sensus meos amissos denuo recuperavi, et maiore robore animi quam quod potui credere, dixi ei: «Si essem inter bracchia feri leonis sicut sum in tuis bracchiis, domine, atque ad liberandam me deberem facere quod esset contra honestatem meam, sic facerem tamquam mutare quod iam evenit et factum est. Sic si vere habes corpus meum accinctum tuis bracchiis ego autem habeo animum meum ligatum bonis propositis, quae diversa sunt a tuis sicut videbis si vere, me invita, vis violenter ulterius procedere cum tuis desideriis. Ego subdita tua sum, sed minime serva; et nobilitas tui sanguinis nullum imperium habet ad inhonorandam me et pro nihilo ad humilitatem meam conculcandam; et tam multum glorior ut rustica et filia agricolûm quam tu ut dominus atque eques. Robora ac divitiae tuae nihil facient mihi neque verba tua seducent me nec suspiria lacrimaeque servient ad emolliendam me. Si quaedam ex iis, quae dixi, viderem in eo, quem parentes mei eligerent ut maritum mihi ad voluntatem eorum adaptarem meam voluntatem ut conveniret ei; ita ut manerem cum honore, quamvis essem sine gaudio et libenter tibi darem quod coacte a me quaeris. Haec omnia dixi tibi, quia nemo potest me accipere nisi maritus meus legitimus esset.» «Si nil aliud quam hoc quaeris, pulcherrima Dorothea» (quia hoc est nomen huius infortunatae), dixit perfidus eques, «en hic do tibi manum meam ac polliceor tibi ac spero fore ut sim maritus tuus et testes huius veritatis sint coeli a quibus nihil absconditur necnon haec imago Dominae Nostrae, quam hic habes».

Cum Cardenius audivit dicere eam nuncupari Dorotheam, denuo turbatus est et confirmavit ut veram suam primam opinionem, tamen noluit interrumpere cursum fabellae ad videndum quid esset, quamvis ille fere iam sciret; sed dixit:

–Dorothea est nomen tuum, domina? Aliam autem cognovi cuius infortunium simile tuo est. Prosequere, quia tempus veniet quo tibi dicam quae pavefaciant tibi et eodem modo commoveant te.

Dorothea animadvertit argumenta Cardenii et vestem inauditam eius et rogavit eum ut ei diceret, quid cognosceret de suis negotiis, quia si fortuna quid boni reliquerit

ei hoc erat animus ad toleranda adversa, quae ei advenerant nam, sua opinione, nullum esset tam malum quam hoc infortunium eius.

–Nil praetermittam dicendi tibi, domina –respondit Cardenius–, et tibi dicam quod arbitror si verum est quod imaginor, tamen nullius utilitatis est te hoc scire.

–Verumtamen –respondit Dorothea– quod in fabella mea accidit est dominum Ferdinandum accepisse imaginem, quae in illo cubiculo meo erat eamque posuit ut testem nuptiarum nostrarum. Et quidem verbis sollemnibus atque iureiurando inusitato pollicitus est fieri maritus meus, tamen atque ante quam finiret dicendi, ei dixi ut animadverteret quid diceret et perpenderet indignationem quam pater eius haberet cum videret eum maritum esse cuiusdam rusticae, subditae illius; ne obcaecaretur pulchritudine mea, quia non erat talis ad disculpandum errorem eius et si vere bonum mihi vellet facere melius esset ut relinqueret me secundum qualitatem status mei; quia numquam conubia inaequalia perdurant multum nec tam magnum gaudium afferunt sicut inceperunt. Haec argumenta dixi ei et multa alia quorum non memini; sed non fuerunt bona ita ut ille nollet suam voluntatem prosequi, tamquam qui non vult solvere sumptus et minime curat de pretio. Ego autem ad hanc occasionem mecum locuta sum et dixi mihi: «Utique, non ero prima quae ope nuptiarum ascendat in magnam nobilitatem neque dominus Ferdinandus erit primus cui pulchritudo sive caeca voluptas impellat eum ad inaequalem societatem facere suae nobilitati. Et si ego non muto consuetudines hominum, bonum erit accedere ad fortunam meam, donec voluntas eius sit tamquam desiderium quod mihi ostendit, denique ducet me uxorem coram Deo. Et si aliter volo eum dimittere inanem, ille non faciet quod debeat et violenter mecum operam navabit et egomet inhonorata ero atque absque ulla excusatione. Et quis potest scire quomodo huc perveni? Sive quomodo potero parentibus meis suadere atque aliis, nempe hunc equitem, me omnino invita, intravisse in cubiculum meum?» Has omnes quaestiones uno ictu solvi meis cogitationibus et praesertim impulerunt me ad acceptandam perditionem meam, propter ius iurandum domini Ferdinandi, testes quos statuerat ac lacrimas quas effusit et tandem propter dispositionem atque amabilitatem suam, quibus comitabatur ad verum amorem ostendendum, et quibus posset aliud cor tam liberum ac pudicum oppugnare tamquam meum. Vocavi famulam meam ut in terris illos testes coelestes comiteretur. Dominus Ferdinandus denuo iteravit et confirmavit iusiurandum suum; atque alios novos sanctos addidit ut testes ad praecedentes; mille maledictiones sibi dedit si non adimpleret quae pollicitus erat; oculi eius umectaverunt lacrimis et suspiria auxit; atque arcte amplexus est me inter bracchia sua ex quibus numquam reliquit me. Et his verbis dictis atque his rebus peractis, virgo mea exivit de cubiculo meo atque ego amisi meam virginitatem, et ille traditor ac perfidus factus est. Dies crastinus post noctem infortunii mei adveniebat, sed non tam festinanter, mea sententia, sicut ipse dominus Ferdinandus desiderabat; quia, voluptate eius pacata, maximum desiderium fuit ei recedendi de illo loco in quo id habuit. Atque hoc dico, quia dominus Ferdinandus festinavit ad discedendum a me ac per diligentiam virginis meae atque illa ipsa fuit, quae eum illuc adduxerat et ante quam lucesceret iam vidit se in via. Et cum valedixit mihi, quamvis esset non tam arcte ac vehementer quam cum ad me venit, dixit mihi ut secura manerem de fide eius et de iureiurando vero ac solido eius; et ad maiorem confirmationem sui verbi extraxit anulum ex suo digito

eumque introduxit in meum. Certe profectus est et nescio utrum tristis an laeta mansi; tamen haec possum vere dicere: mansi turbata ac meditabunda et fere non compos mei propter hunc novum statum rerum et nullo modo cogitavi vituperandi meam virginem propter proditionem adducendi dominum Ferdinandum ad cubiculum meum, quia nondum statui credere utrum hoc bonum esset an malum quod mihi acciderat. Domino Ferdinando dixi, cum ille proficisceretur, se posse venire ad me videndam noctibus subsequentibus, quia iam eram uxor eius, donec ad tempus ut hoc palam omnibus pervulgaretur. Tamen non venit ad me, nisi proxima nocte ventura, nec eum potui in via videre neque in ecclesia ultra mensem atque inaniter defatigavi me ad eum sollicitandum, quia nescivi utrum esset in illo pago necne et plerosque dies ad venationem veniebat, qua exercitatione valde studiosus ac pronus erat. Nunc bene scio hos dies et has horas infaustas necnon ominosas fuisse mihi; atque his diebus incepi dubitandi de eo et immo fidelitatem domini Ferdinandi abiuravi in me; et quoque virgo mea tunc audivit reprehensionem meam propter audaciam suam quod antea nondum audiverat; et etiam scio quam difficile fuit mihi lacrimas vitare expressionemque vultus mei celare ne parentes mei quaererent a me causam huius infelicitatis meae et obstringerent me ad mendacium dicendum. Tamen tempus advenit et prudentia mea finivit necnon et verecundia mea, quia amisi patientiam et secretae cogitationes meae palam egressae sunt. Atque hoc quia intra paucos dies in urbe proxima illinc dominus Ferdinandus duceret uxorem virginem pulcherrimam in extremo venustatis ac filia parentum nobilium, quamvis non esset tam dives ut dos perveniret ad has nuptias faciendas. Fertum est illam esse Luscindam nomine et alia quae in nuptiis acciderunt, quae omnia digna erant maximae admirationis.

Cum Cardenius audivit nomen Luscindae nihil aliud fecit nisi umeros contrahere, momordit sua labia, supercilia curvavit et paulatim ex suis oculis duos fontes lacrimarum effudit. Tamen Dorothea prosecuta est suam narrationem, dicens:

–Hic tristis nuntius ad aures meas venit, sed in loco congelandi cor meum, his verbis auditis, accendit iracundiam atque indignationem meam et parum fuit ut egrederer per vias clamando tum perfidiam tum proditionem, quam ille fecerat mihi. Tamen tunc furia mea temperata est cogitando illa nocte facere quod quidem feci; et hoc fuit hanc vestem induere, quam dedit mihi quidam ex his qui vocantur iuvenes pastores in domo agricolûm, quia famulus erat patris mei, cui omne infortunium meum patefeci et quem rogavi ut comiteretur me ad urbem ubi intellexi inimicum meum esse. Ille autem, desiderio atque audacia mea vituperata, cum videret me solidam in meo consilio esse, paratus fuit ad me comitandam usque ad finem huius mundi. Statim introduxi in pulvinar ex linteo quamdam vestem muliebrem, necnon et quaedam monilia et pecuniam propter quod mihi accidere posset. Atque in silentio illius noctis et, perfida virgine mea nesciente, egressa sum ex domo mea comitata a famulo meo et affecta multis cogitationibus, iter feci ad illam urbem ad quam volitabam cum desiderio perveniendi, quia iam non potui impedire quod credebam factum, saltem ut dominus Ferdinandus diceret mihi quomodo conscientia sua potuit hoc consilium dare ad agendum hoc modo mecum. Duobus diebus et dimidio elapsis,

perveni quo volebam, introivi in urbem et quaesivi ubi erat domus parentum Luscindae et primus vir a quo haec quaesivi respondit mihi plus quam quod audire volui. Ille dixit mihi ubi erat domus et omnia quae acciderant in nuptiis filiae, quod tam apertum omnibus erat, quia homines ad haec audienda congregabantur. Etiam dixit mihi ut ipsa nocte, qua dominus Ferdinandus duxit Luscindam uxorem, consensu sponsae ritualiter prolato, illa statim ac profunde languit exanimis et cum advenit sponsus ad pectus aperiendum ut melius posset respirare invenit schedulam scriptam eiusdem scripturae Luscindae, qua dicebat eam non posse uxorem esse domini Ferdinandi, quia iam erat uxor Cardenii, qui secundum quod vir dixit mihi erat eques valde nobilis eiusdem urbis, et si ipsa dedit domino Ferdinando verbum «volo» hoc fecit ad oboediendum parentibus suis. Breviter, talia argumenta dixit esse in illa schedula et sic habuit voluntatem interficiendi se ipsam, caeremonia nuptiarum finita; atque hoc confirmavit pugio quem invenerunt nescio ubi, sed inter vestes eius. Cum haec videret dominus Ferdinandus putavit Luscindam eum decepisse atque illusisse eumque pro nihilo habuisse, quare donec esset in languore exanimis eam percutere voluit et quidem cum ipso pugione eius quem invenerat atque ita faceret si parentes eius hoc non impedirent et omnes circumstantes non ei obstarent. Dixerunt tamen dominum Ferdinandum abesse ab urbe et Luscindam nondum reversam esse a suo paroxysmo et turbatione usque in crastinum diem, quo suis parentibus narravit eam vere uxorem Cardenii esse, de quo iam dixi, et qui secundum fertur etiam adfuit ad nuptias, sed cum eam videret nuptam, quod ille numquam crediderit, desperatus reliquit urbem, sed antea scripsit litteras quibus exponebat iniuriam quam Luscinda ei faciebat et quare egrediebatur, ubi nemo posset eum videre. Haec omnia palam sunt atque aperta omnibus in illa urbe omnesque de eo loquuntur potissimum cum noverint Luscindam domum parentum suorum deseruisse et etiam urbem, eamque non invenerunt per totum diem et quidem nesciebant quid faciendum erat ad eam inveniendam. His rebus cognitis, dederunt mihi novam spem et putavi melius esse non invenire dominum Ferdinandum quam eum nuptum habere et tunc credidi portam mei desiderii non omnino clausam fuisse ad meam medelam, et sic putavi fortasse coelum impedimentum posuisse in secundo matrimonio eius ita ut ad primum perveniret et cogitaret quod debebat facere ut christifidelis, qui magis deberet suum animum curare quam respectus humanos servare. Haec omnia revolvebam in mente mea et sedabar, quamvis essem sine vera consolatione, et conabar longam et tenuem spem ad vitam meam tenendam a qua abhorreo. Cum essem in illa urbe, Ferdinando non invento, ad aures meas pervenit proeconium vi cuius magna remuneratio offerebatur illi, qui inveniret me et dabant signa mea, nempe aetatem ac vestem quam induebam. Etiam audivi dicere puerum, qui mecum venerat, ipsum me eduxisse e domo parentum meorum, quod male affecit me, quia vidi honorem meum cadere cum tali comitatu atque indigno viro. Ut primum audivi praeconium profecta sum ex illa urbe cum famulo meo, qui vere titubabat in fide promissa mihi et illa nocte propter metum introiimus in silvam densam huius montis, ne invenirent nos. Sed ut dicitur adversa alliciunt adversa et finis cuiusdam infortunii est initium alterius et quidem maioris, sic evenit mihi, quia ille bonus famulus meus, usque tunc temporis fidelis et securus, cum vidit me in illa solitudine esse et cupidus suae versutiae magis quam meae venustatis voluit occasionem capere, quae ei praebebant haec loca deserta

atque affectus nullo pudore et etiam minore timore Dei me sollicitavit ad voluptatem, sed cum vidit me cum foedis verbis respondisse turpibus propositis eius, rogationibus relictis, impulit me violenter suis viribus. Attamen coelum quod raro vel numquam iusta consilia derelinquit favit meis et taliter ut meis paucis viribus et minimo labore potui eum per praerupta montium eiicere et nescio quo modo eum reliqui sive mortuum an vivum. Postea vero festinavi in turbatione et lassitudine mea atque intravi per hos montes et nullum designium habui et nullas cogitationes quam me abscondere et fugere a patre meo atque ab eis, qui ex parte eius quaerebant me. Praedita hoc desiderio nescio quot menses intravi huc, ubi inveni pecuarium, qui me habuit tamquam pastorem ad quemdam locum hic in penetralibus horum montium eique servivi ut puer pastorum toto tempore, curans semper capillos meos celare, sed nunc, me invita, illi develaverunt me. Quare omnis sollertia mea inanis fuit et nullius utilitatis, quia etiam dominus meus cognovit me virum non esse et etiam habuit ipsam concupiscentiam quam famulus meus; sed fortuna non semper dat medelam laboribus nec inveni praerupta montium de qua dominum disponere ut ille caderet tamquam inveni cum famulo meo et sic putavi melius esset eum relinquere et me abscondere denuo inter asperitates, quam probare cum eo vires sive excusationes meas. Sic iterum intravi in densas silvas et petivi locum, ubi possem coelum rogare meis suspiriis et lacrimis ad infortunium meum lamentandum ita ut coelum misereatur mei et det mihi sollertiam atque auxilium ad superandum sive ad vitam meam relinquendam inter has solitudines et nulla memoria erit huius moestae puellae, quae tam sine culpa sua praebuit subiectum ad loquendum de ea in sua regione et in terris alienigenis.

Capitulum 29. Ubi de prudentia pulchrae Dorotheae agitur et de aliis rebus magni oblectamenti et gaudii

–Haec est, o domini, vera historia tragoediae vitae meae; videte ergo et iudicate nunc utrum suspiria quae audivistis, verba quae auscultastis et lacrimae, quas oculi mei effundebant, debebant immo maiore abundantia sese ostendere necne; et, infortunio meo considerato, videbitis consolationem meam inanem esse, quia medela ei non fieri potest. Quaeso tamen vos (quod perfacile erit vobis) consilium mihi dare, nempe ubi possim vitam meam habere et quidem absque ullo timore et turbatione, ne inveniant me, qui vere me quaerunt. Et quamvis intelligam parentes meos habere magnam dilectionem erga me, quapropter credo eos semper paratos esse ad me recipiendam, tamen talis est verecundia mea in hoc statu rerum ad perveniendum ante conspectum eorum ut existimem melius esse me ab eis omnino discedere quam vultus eorum inspicere, quia illi videbunt me omnino esse alienam ab honestate quam vere semper debui habere.

Illa autem, his verbis prolatis, tacuit et facies eius erubuit, quare ostendit sensum clarum et pudorem animi. Et qui eam audierunt tam magnam misericordiam erga

eam senserunt atque etiam admirationem de infortunio eius. Et quamvis parochus vellet eam subito consolari et consilium ei dare Cardenius praecedit ei et primus *fuit qui locutus est cum ea dicens:*

–Denique, domina, nonne tu es pulchra Dorothea, filia unica divitis Clenardi?

Dorothea mirabatur cur nomen patris sui audiret et etiam videndo humilitatem illius hominis, qui eum nominaverat quia, sicut dictum est, Cardenius amictus erat veste miserrima, sed sic ei dixit:

–Sed quisnam es tu, frater, qui nosti nomen patris mei? Quia ego hucusque, ni fallor, numquam in tota narratione fabellae mei infortuni umquam id nominavi.

–Ego sum, domina –respondit Cardenius–, ille praeditus nulla fortuna, de quo narravisti Luscindam dixisse se uxorem illius fuisse. Infelicissimus Cardenius ego sum, et in hoc misero statu me habeo, quia impulit me ipse qui impulit te in his adiunctis rerum quibus tu es. Et sum ruptus, nudus, absque ulla humana consolatione, et quod peius est, nec compos mentis, quia tantum cum coelum faxit habeo mentem sanam et per breve intervallum temporis. Ego sum, Dorothea, qui fuit praesens ad iniurias domini Ferdinandi et qui exspectavit ad audiendum illud «volo» uxoris quod Luscinda pronuntiavit. Ego sum qui indigens animo ad videndum quid esset languor Luscindae neque quid scriptum erat in illa schedula inventa in sinu eius, quia animus meus non potuit talem cruciatum pati et tot calamitates una videre; et sic reliqui domum et patientiam et epistulam quam dedi hospiti meo quem rogavi ut mitteret in manum Luscindae, et hoc modo ad has solitudines veni, cum desiderio finiendi vitam, a qua ex illo momento abhorrui tamquam ab inimica mortali mea. Tamen fortuna noluit a me hanc auferre et tantum sanum iudicium meum abstulit, forsitan ut exspectarem bonam fortunam inveniendi te; quia si verum est, ut patet, quae narrasti, adhuc coelum poterit meliorem fortunam tribuere nobis in infortuniis nostris, quam nos credimus. Quoniam si Luscinda vero non potest nubere domino Ferdinando, quia mea est, nec dominus Ferdinandus eam ducere potest uxorem, quia tuus ille est, quod illa tam clare exposuit, bene possumus exspectare coelum nobis tribuere quod nostrum est. Quia hoc fieri potest ut coelum restituat nos ad coniuges nostros. Et si vere haec consolatio est nobis et praecise orta non ex remota spe nec in vana mente, quaeso te, domina, ut aliam resolutionem accipias in tuis cogitationibus honoratis, quia egomet in meis sic faciam ad parandam meliorem fortunam; et iuro tibi, per fidem equitis et christifidelis, me numquam derelinquere te donec videam te uxorem domini Ferdinandi, sed si, nulla argumentatione accepta, ille renuit faciendo quod debeat, cum eo proelium singulare constituam, secundum meam libertatem equitis propter iniustitiam eius erga te, et vindictam meam faciam, spretis contumeliis meis, quae ad coelum remittam ita ut tantum possim operam navare tibi et tuae ultioni.

His verbis dictis a Cardenio, Dorothea vere mirata est et nesciebat quomodo ei gratias agere propter tam magnam diligentiam eius quare voluit et pedes eius accipere ad osculandos, quod Cardenius nullo modo permisit. Licentiatus autem respondit nomine amborum et quidem probavit sermonem Cardenii. Sed rogavit eos ut peterent cum eo pagum eius, ubi possent res necessarias comparare. Et tunc illinc possent sive dominum Ferdinandum quaerere vel Dorotheam ad parentes eius adducere sive

facere quidquid eis convenientius esset. Cardenius Dorotheaque ei gratias egerunt et acceperunt consilium oblatum. Tonsor autem, his omnibus auditis, tacebat et cum eis locutus est bona verba, quibus obtulit se ipsum, optima voluntate tamquam parochus fecit, ad omnia bona paranda eis.

Et breviter narravit causam quae eos illuc duxit propter dementiam inauditam domini Quixoti et quomodo illi tunc exspectabant reditum armigeri eius, qui ad eum quaerendum ivit. Cardenius autem meminerat, tamquam per somnium, illius proelii cum domino Quixoto et etiam haec omnia eis narravit, sed non potuit describere causam illius noxae.

Tunc audiverunt voces et cognoverunt Sanctium Pansam eas dare, quia hic eos non invenit, nempe in ipso loco ubi reliquit eos, quapropter magnis vocibus eos vocabat. Ad eum pervenerunt et quaesiverunt de salute domini Quixoti, et ille dixit eis quomodo invenit eum fere nudum atque amictum subucula, flaccidum, pallidum et mortuum fame, sed suspirantem pro sua domina Dulcinea; et etiam ille dixit ei mandatum Dulcineae ut hunc locum relinqueret et veniret ad urbem Toboso, ubi ipsa exspectaret eum. Sed ille respondit se paratum esse ad demorandam hanc visitationem, donec faceret dignas res gestas, quibus talem beneficium mereretur. Tamen Sanctius timuit, si hoc ita fieret et multa alia praetermitteret, magnum periculum esset ei ne perveniret ad dignitatem imperatoris quod debebat sive archiepiscopi quod minimum erat ei. Quare debebant cogitare quid faciendum erat ad opportune educendum eum illinc.

Licentiatus respondit ei ne timeret, quia illi eum adducturi erant, quamvis omnino invitus esset. Tunc ipse narravit Cardenio et Dorotheae consilium quod fecerunt ad educendum dominum Quixotum sive ad ferendum eum domum. Quibus verbis Dorothea obtulit se ad agendam personam illius moestissimae virginis et, sua sententia, melius quam ipse tonsor, praesertim quia erant sibi vestes ad id faciendum naturaliter, quia ipsa bene ageret suam repraesentationem ad bonum propositum obtinendum, quia multos libros equitatus ipsa legerat et noverat bene modum agendi virginum miserarum cum rogarent equites itinerantes de quadam necessitate.

–Tunc nihil amplius requiritur –inquit parochus– quam operam navare; et bona fortuna erit mecum, quia sponte etiam tibi ianua tuae medelae aperta est et nobis offertur quod nobis necesse est.

Dorothea extraxit ex suo pulvinare totam stolam cuiusdam pretiosae telae et velum coloris viridis atque ex capsula accepit torquem aliasque gemmas et uno ictu sese ornavit convenienter ita ut videretur illustris domina. Haec omnia et etiam alia eduxit domo sua ad quamdam occasionem, sed hucusque nulla evenit ei ut illis uteretur. Magna urbanitas, elegantia ac speciositas Dorotheae omnibus valde placuit et eodem tempore omnes putaverunt dominum Ferdinandum virum parvi intellectus fuisse, quia talem formositatem spernebat.

Sed plus quam omnes Sanctius Pansa miratus est, quia ei videbatur –sicut hoc verum erat– in omnibus diebus vitae suae numquam vidisse pulchram creaturam huiuscemodi; et vehementer a parocho quaesivit ut ei diceret quaenam esset illa formosa domina et quid est quod in illis regionibus remotis quaereret.

–Haec pulchra domina –respondit parochus–, Sancti frater, est, tamquam si nihil diceretur de ea, heres illius magni regni Micomiconi et quidem per lineam rectam

viri, quae venit ad dominum tuum quaerendum ita ut beneficium flagitet ab eo, scilicet ut iniuriam vindicet sive iniustitiam factam a perfido gigante; et propter famam optimi equitis quam habet dominus tuus per totum mundum cognitum, et ex Guinea venit haec principessa ad eum videndum.

–Beatus quaesitus et felix inventus –dixit his argumentis Sanctius Pansa–, praesertim si dominus meus hanc iniuriam prospera fortuna solvit et hanc iniustitiam reparat et hunc gigantem, filium moechae, quem tu dicis, interficit: et certe eum necabit nisi phantasma sit, quia dominus meus in phantasmata nullam habet virtutem. Sed tantum rogo te inter alia, domine licentiate, et hoc est ut dominus meus nullo modo velit fieri archiepiscopus, quod ego vere timeo, et sic des ei consilium ut hanc principessam ducat uxorem et tunc non fieri potest ut accipiat sacras ordinationes archiepiscopales, et facilius ad suum imperium veniat, atque ego ad mea desideria, quia bene de his cogitavi et vidi non bonum dominum meum archiepiscopum esse, quia ego inutilis sum pro ministerio Ecclesiae, quia cum uxore sum et aliter deberem dispensationes quaerere ita ut possim habere utilitatem Ecclesiae et sicut est mihi uxor et liberi hoc esset ad numquam finiendum. Hoc modo, domine, oportet ut dominus meus hanc dominam ducat uxorem cuius nomen nondum novi, quare non eam vocabo nomine eius.

–Cognominatur –respondit parochus– principessa Micomicona, quia regnum eius est Micomicon, et oportet eam sic vocari.

–In hoc nullum est dubium –respondit Sanctius–; quia vidi multos habere cognomen et genus illius loci in quo nati sunt, et sic vocantur Petrus Complutensis (de Alcalá), Ioannes ab Idubeda (de Ubeda), Didacus a Vallisoleto (Valladolid) et idem erit in Guinea, ubi reginae accipiunt nomina regnorum suorum.

–Hoc ita erit –ait parochus–; et quod pertinet ad nuptias faciendas tui domini iam faciam quidquid possim.

Et, his verbis auditis, valde laetus mansit Sanctius et parochus eodem modo miratus est de illius simplicitate et quomodo easdem stultitias haberet in mente quas dominus eius habebat, vi cuius et absque dubio ille cogitabat eum futurum imperatorem esse.

Dorothea tunc temporis ascendit in mulam parochi et tonsor paravit barbam ad faciem suam cum illa cauda bovina, atque iusserunt Sanctio ut eos ad dominum Quixotum adduceret, eumque monuerunt ut nullo modo develaret licentiatum sive tonsorem, quia de his rebus pendebat omne illud negotium ita ut dominus fieret imperator. Cardenius autem parochusque noluerunt comitari eos ne dominus Quixotus meminisset illius rixae quam habuit cum Cardenio, at quod pertinebat ad parochum, quia non necesse erat praesentia eius apud eum. Et hoc modo siverunt eos praecedere eis dum illi eos sequebantur pedibus et quidem paulatim. Parochus autem Dorotheam monuit quid ipsa factura esset, cui illa respondit ut nullam curam de eo haberet, quia ipsa omnia accurate noverat secundum quod libri equitatus postulabant et describebant.

Iter fecerunt per tres partes leucae cum viderunt dominum Quixotum inter asperas rupes vestitum, sed non armatum et ubi primum Dorothea viderit eum, et a Sanctio convenienter informata esset, nempe illum dominum Quixotum fuisse, illa incitavit mulam calcaribus eamque tonsor bene barbatus secutus est. Et cum ad dominum Quixotum pervenerunt, armiger de mula descendit et venit ad accipiendam

Dorotheam suis bracchiis, quae festinanter descendit et flexit genua in conspectu domini Quixoti; quamvis hic conaretur ad eam levandam, sed inaniter atque illa, genibus flexis, hoc modo locuta est cum eo:

–Hinc non surgam, clarissime ac strenue eques! donec tu, magnanimus atque urbanissimus dominus, tribuas mihi donum quod vere redundabit in honorem gloriamque tuam et propter me, afflictam et offensam virginem quam sol numquam vidit. Si virtus fortis bracchii tui convenit vocibus immortalis famae, compulsus eris ad favendum huic infaustae dominae, quae ex remotis regionibus huc venit quaerens odorem tui illustris nominis ad adversae fortunae succurrendum.

–Nullum verbum respondebo tibi, formosa domina –respondit dominus Quixotus–, nec quid audiam de tua petitione, donec de terra surgas.

–Nullo modo surgam, o domine –respondit afflicta virgo–, nisi primum et propter urbanitatem tuam mihi donum requisitum tribuas.

–Tibi tribuo petitionem tuam et quidem concedo tibi quod a me quaeris –respondit dominus Quixotus–, ita ut non sit in damnum neque in dedecus mei regis, meae patriae nec illius quae clavim cordis mei meaeque libertatis habet.

–Nullo modo erit in damnum neque in dedecus de his quos dicis, o optime domine –obiecit dolorosa virgo.

Et, his verbis prolatis, Sanctius Pansa venit ad aures domini sui et demissa voce susurravit ei:

–Bene poteris, domine, concedere ei donum, quod illa quaerit a te, quae non est alia res, nisi gigantem interficere, et illa, quae haec a te quaerit, est altissima principessa Micomicona, regina magni regni Micomiconi Aethiopiae.

–Quaecumque sit –respondit dominus Quixotus–, quia ego faciam quod oportet et quod conscientia mea moneat me secundum quod professus sum et quo fungor.

Et vertens se ad virginem ait ei:

–Tu, o formosissima domina, surge quoniam ego tribuam tibi quodcumque donum a me quaeras.

–Quod egomet quaero est –ait virgo– te venire mecum quo ego adducam te atque ut pollicearis mihi te nullas alias res gestas inchoare nec quamdam petitionem donec vindices me a quodam traditore, qui contra omne ius divinum humanumque regnum meum usurpavit.

–Dico me certe hoc tibi promittere –respondit dominus Quixotus–, atque hoc modo potes, domina, ex hoc et in futurum molestam melancholiam avertere, ita ut tua languida spes accipiat vires et robora; quia, Deo iuvante et bracchio meo, confestim videbis te restitutam in tuo regno et sedentem super thronum tui veteris ac magni regni prae omnibus ignavis, qui id refutare vellent. Et festinemus ad operam navandam, quoniam in maxima demora est maximum periculum.

Afflicta virgo conata est magna obstinatione manus eius osculari; tamen dominus Quixotus, qui semper erat urbanus et politus numquam ei hoc permisit facere; at eam levavit eamque amplexus est urbaniter et Sanctio iussit ut cingeret Rocinantem atque arma ei daret. Sanctius accepit arma, quae pendebant de arbore tamquam trophaeum, et accipiens cingulas uno ictu armavit dominum suum, qui cum videret se armatum haec dixit:

–Procedamus hinc in nomine Dei, ad hanc magnam dominam fovendam.

Tonsor autem, genibus flexis, conabatur risum vitare et etiam curabat ne barba a vultu suo caderet, quia si hoc fieret scopus eorum nullo modo adimpleretur; et dono quaesito concesso, et domino Quixoto ad id perficiendum parato, tonsor surrexit et altera manu accepit dominam suam et inter ambos eam in mulam extulerunt. Tunc dominus Quixotus ascendit in Rocinantem et tonsor in iumentum suum dum Sanctius stabat pedibus et denuo deploravit amissionem asini, qui illo momento ei valde necessarium erat; tamen haec omnia ferebat magno gaudio, quia ei videbatur dominum eius esse in via idonea ut fieret imperator, et absque dubio duceret illam principessam uxorem et saltem esset rex Micomiconi. Tantummodo angebatur hoc regnum esse in regione nigrorum et populi et subditi omnes etiam nigri essent; nihilominus in suis cogitationibus bonum remedium invenit, haec dicens intra se:

–Quid mihi si subditi mei nigri sunt? Nonne possum cum eis navem onerare eosque ad Hispaniam adducere ad eos vendendos et mihi solvent pretium pro numerata pecunia, qua potero titulum sive officium comparare ita ut possim vivere in quiete omnes dies vitae meae. Aliter quid faciendum sit? Non oportet dormire, sed sollers esse atque ingenium habere ad parandas res et vendere triginta sive decem milia subditorum in ictu oculi. Et iuro per Deum me eos confestim vendituros esse et quidem parvum una cum magno sive sicut id possim facere et, quamvis nigri illi sint, eos albos sive aureos ut pecuniam faciam. Venite ergo ad me, quia ego stultus sum et lambo digitos meos!

Et, his rebus perpensis, sollicitus contentusque progrediebatur et oblitus est omnino iter faciendi pedibus.

Cardenius et parochus occulti inter quasdam rupes haec inspiciebant at nesciebant quid facturi erant ad eos comitandos; sed parochus, qui rapido invenit consilium, noverat quid faciendum esset ad nanciscendum quod volebat et sic ope forficis, quam in quadam capsula habebat, festinanter totondit barbam Cardenii eumque induit parva tunica fusca eique dedit pallium nigrum dum ipse mansit tantum amictus femoralibus et thorace, sed Cardenius videbatur omnino alius vir, ita ut nec cognosceret se ipsum si haberet speculum ad sese videndum. His rebus peractis, quamvis alii ulterius properassent, dum hi mutabant vestes, tamen hi ad viam regiam exierunt et quidem alios praecesserunt, quia propter densa virgulta equites non poterant festinare tamquam qui iter faciebant pedibus. Et profecto exspectaverunt eos in planicie ad exitum montium et simul ac dominus Quixotus exivit et comites eius, tunc parochus inspexit eum per longam moram, tamquam si eum vere recognosceret. Et tunc, eo accurate conspecto, et bracchiis apertis, ad eum venit et quidem dicens magnis vocibus:

–Benedictus et bene acceptus sit dominus Quixotus a Manica, oppidanus meus, speculum equitatus, flos praestantiae, praesidium remediumque indigentibus et immo cremum equitum itinerantium.

Et, his verbis prolatis, amplexus est genu sinistrum domini Quixoti, qui vere turbatus erat de his, quae videbat et audiebat et quidem de his, quae ille vir faciebat eumque intuitus est magna attentione et denique eum recognovit et miratus est videndi eum et statim voluit descendere de equo; sed parochus non permisit quare dominus Quixotus ait ei:

–Sedeas, domine licentiate, quoniam non oportet me super equum esse dum tu, reverendissime, maneas pedibus.

–Nullo modo hoc permittam –ait parochus–: tu, o domine excellentissime, manebis super equum, nam si super equum es maximas res gestas et praeclara facta facies, quae nostra aetate digna erunt videndi; et quod pertinet ad me, ut indignus sacerdos, sufficit ut ascendam in dorsum cuiusdam mulae horum dominorum, qui iter faciunt tecum si hoc non molestum est eis. Atque etiam credam me in equum Pegasum ascendere sive cebram vel equum fortem in quem illustris maurus Muzaraque ascendit et qui adhuc incantatus manet in magno colle Zulema, haud procul a magno Compluto.

–Non tam multa cogitavi, o domine licentiate –respondit dominus Quixotus–; sed scio meam dominam principessam propter desiderium meum velle iubere armigero suo ut det tibi sellam mulae et ille a tergo se accommodabit si hoc illa patitur.

–Certe patietur, secundum quod credo –respondit principessa–; et etiam scio non necesse est meo armigero haec iubere, quia ille tam urbanus est et aulicus ut non consentiat ecclesiasticum ambulare pedibus dum possit vehi equo.

–Hoc ita est –respondit tonsor.

Et confestim descendit de mula atque invitavit parochum super sellam, quam ille, precationibus spretis, subito accepit. Sed male evenit ei, quia cum tonsor ascenderet in dorsum mulae, quae erat locata, quod idem est ac dicere eam pessimam esse, crura posteriora levavit et duos calces dedit in aerem, sed si hos in pectus magistri Nicolai dedisset sive in caput eius ad diabolum esset adventus maledictus illius ad dominum Quixotum iuvandum. Tamen propter turbationem ille tantum cecidit in terram et, nulla cura habita, barbae ceciderunt deorsum; et cum non haberet eas nihil aliud fecit quam faciem suam tegere ambabus manibus et deploravit se dentes perdidisse. Dominus Quixotus simul ac vidit has barbas cadere de maxillis armigeri et quidem sine sanguine dixit:

–Per Deum! hoc est magnum miraculum! Barbas abstulit a vultu suo tamquam si eas raderet!

Parochus autem, hoc periculo conspecto, putavit omnen suam inventionem develari et accepit barbas easque tulit ad locum ubi magister Nicolaus iacebat et eas ei posuit murmurans nonnulla verba super eum, quae dixit formulam idoneam esse ad barbas inhaerendas, sicut postea viderent. Et, barbis positis, seiunxit se ab eo et armiger apparuit barbatus et sanus ut antea, quare dominus Quixotus valde miratus est de his quapropter rogavit ut parochus hanc formulam doceret eum quam primum; quia ille credebat ipsam non tantum ad barbas inhaerendas, sed etiam ad alias res perficiendas, quia si barbae erradicatae erant caro vulnerata et macerata esset et si omnia sanabantur magni effectus ac signum erat.

–Hoc ita est –ait parochus et ei promisit formulam eum docere in prima occasione opportuna.

Tunc convenerunt ut parochus ascenderet in mulam et per intervalla illi tres ascenderent unusquisque sua vice et ut pervenirent ad cauponam, quae illinc circiter duas leucas aberat. Hoc modo tres erant equites, scilicet dominus Quixotus, principessa et parochus et tres qui pedibus ambulabant, Cardenius, tonsor ac Sanctius Pansa. Dominus Quixotus autem dixit virgini:

–Magnifica domina, iter facias ad tuum libitum.

Sed, ante quam illa responsum daret ei, dixit licentiatus:

–Ad quodnam regnum vis tu, domina mea, iter facere? Nonne ad regnum Micomiconi? Cum hoc ita sit sive parum scio egomet de regnis.

Illa autem quae curabat de omnibus, intellexit se debuisse huic rei annuere et sic dixit:

–Certe, domine; ad hoc regnum viam meam pergo.

–Si hoc ita est –inquit parochus–, oportet per medium pagum meum transire et illinc iter accipies Carthaginem Novam (Cartagena) ex qua cursum navigabis bona fortuna; et si ventus prosperus sit et mare quietum atque absque procellis, per novem annos plus minusve pervenies in conspectum magni lacus nomine Meona, dico Meotides, qui distat iter centum dierum ad hanc partem illius regni tui, magnifica domina.

–Tu erras, domine –ait illa–, quia illinc nondum duos annos quibus profecta sum et numquam fuit mihi bona tempestas et nihilominus perveni ad videndum quod tam magni momenti erat mihi, nempe dominum Quixotum a Manica, cuius nuntii ad aures meas venerunt ubi primum pedes posuerim in Hispania et qui moverunt me ad eum petendum ita ut commendarem iustitiam meam urbanitati eius necnon et virtuti invencibilis bracchii eius.

–Sufficit! Cessent laudationes erga me –ait dominus Quixotus in hoc statu rerum– quoniam ego sum inimicus omni generi adulationis; et quamvis haec talis non sit, similes sermones offendunt castas aures meas. Quod tantum scire possum, o domina mea, atque utrum cuiusdam momenti egomet sim necne nescio ego, sed in servitium tuum me committam usque ad vitam amittendam. Et his rebus ad opportunitatem temporis relictis, o domine licentiate, quaeso ut mihi dicas causam quae impulit te ad huc perveniendum sine famulis et tam celeriter de quo vere expaveo.

–Haec breviter dicam –respondit parochus–, quoniam tu cognoscis me et magistrum Nicolaum, nostrum amicum, ac nostrum tonsorem oppidanum, nos iter Hispalim (Sevilla) fecisse ad quamdam pecuniam recipiendam, quam misit mihi propinquus meus, qui iam diu ad Indias profectus erat et non pauca erant, quia fere sexaginta milia ponderum quae vere magni ponderis sunt. Tamen hesterno die iter faciendo per haec loca quattuor grassatores in nos irruerunt atque omnia a nobis abstulerunt immo et barbas; et tali modo ut tonsor usus sit barbis fictis et etiam hunc hominem iuvenem, qui hic est –indicans Cardenium–, reliquerunt ut novum. Et quaestio huius rei et quidem vox populi est per haec loca praedatores illos esse damnatos ad triremes, quos strenuus eques liberavit in hac regione prae ductore et custodibus; omnes illos liberavit, sed fortasse et absque dubio ille non erat compos mentis et nullo sano iudicio praeditus, quia aliter esset subdolus tamquam illi, nempe absque bono animo et conscientia, nam voluit lupum inter oves liberare et vulpem inter gallinas et muscam inter mel. Iustitiam voluit defraudare, contra regem, dominum suum naturalem, quia contra iusta mandata eius egit. Et a triremibus rapuit pedes, nempe remiges, et Sanctam Fraternitatem perturbavit, quae per longos annos dormiebat. Et denique voluit praeclarum factum facere, quo perderet suum animum et non lucraretur corpus eius.

Sanctius enim parocho tonsorique narravit res gestas damnatorum ad triremes, quas dominus eius finivit magna gloria sua, quare parochus manu forte contra eum haec dicebat ad videndum, quid dominus Quixotus faceret sive diceret, hic autem palluit ad omne verbum et non audebat dicere se liberatorem illius bonae plebeculae fuisse.

–Illi autem sunt qui rapuerunt nos. Faxit Deus per misericordiam suam ignoscere ei, qui non permisit eos ad debitum cruciatum eorum pervenire.

Capitulum 30. Ubi agitur de iucundo artificio et modo, quo eques noster captus amore ereptus est de sua asperrima poenitentia quam ipse sibi assumpserat

Vix ac parochus finivit, haec autem dixit Sanctius:

–Secundum me, domine licentiate, qui hoc facinus perpetravit fuit dominus meus, et quidem, hoc vere cognito, quia bene ei animadverti ne hoc quidem faceret et recte iudicaret propterea quod magnum peccatum erat eos liberare, nam omnes erant damnati ut magni subdoli.

–Stulte –inquit ad hanc occasionem dominus Quixotus–, nullo modo pertinet ad equites itinerantes scire si afflicti, damnati oppressique, qui inveniuntur per vias in hoc cruciatu sunt propter culpas sive per gratias suas. Tantum oportet eos iuvare tamquam miseros in conspectu illius adversitatis et non propter scelus eorum. Ego inveni catenam virorum moestorum et infortunatorum eisque feci quod mea ordinatio equitatus a me poscit et non pertinet ad me quid hoc vere sit. Et qui haec male intellexit, domino licentiato excepto et suo ecclesiastico munere secluso, et sic dico eum parum novisse de rebus huius equitatus, immo eum mentiri tamquam filius moechae et spurius atque haec meo gladio faciam eum confiteri et longiore argumentatione.

Et, his verbis dictis, firmiter fulcimentum pedum calcavit galeamque induit, quia illam pelvim tonsoris, quam pro galea Mambrini habebat, ex sella pendebat et nondum ex adversitate damnatorum reparaverat.

Dorothea quae erat prudens et nimis faceta, quoniam indolem ac parvitatem animi domini Quixoti noverat quem omnes ridebant, nisi Sanctius Pansa, noluit alia facere et cum eum vidit et quidem valde iratum ei dixit:

–Domine eques, memento illius doni quod mihi pollicitus es secundum quod non poteris aliis rebus gestis vacare, quamvis instantes illae sint, quapropter mitiga animum tuum, nam si dominus licentiatus sciret damnatos liberari per hoc invictum bracchium, tria puncta poneret ad os suum et immo ter quoque linguam suam morderet potius quam verbum dicere quod redoleret adversus te.

–Haec bene ego iuro –ait parochus– et etiam meum mystacem raderem.

–Ego autem tacebo, domina mea –inquit dominus Quixotus–, atque iustam iracundiam sedabo, quae iam levatur in pectore meo et quietus ac pacificus ero donec adimpleam donum promissum, sed ad adimplendum bonum desiderium meum quaeso te mihi dicere, si hoc non tibi noceat, causam huius doloris atque afflictionis et quot et qui sunt illi a quibus faciam debitam, opportunam plenamque vindictam.

–Haec faciam libenter –respondit Dorothea–, si tolerabis miserias atque infortunia audire.

–Certe possum ea tolerare –respondit dominus Quixotus.

Cui Dorothea respondit:

–Hoc modo attendite ad me vos omnes:

Vix atque haec verba dixit, Cardenius et tonsor iuxta eam sederunt, cupientes audiendi fabulam fictam prudentis Dorotheae atque idem fecit Sanctius, qui tamquam

dominus eius vere seductus erat. Illa autem commode super sellam sedit, tussivit paulisper atque alia signa praeliminaria fecit et postea ac praedita magna elegantia incepit dicendo hoc modo:

–Imprimis volo vos scire me nuncupari ...

Tunc demorata est parumper, quia omnino oblita est nominis quod parochus dederat ei; tamen ille venit ad eam succurrendam, quia sensit quod evenit ei et sic dixit:

–Non est res mirandi, excellentissima domina mea, te turbari in narratione infortunii tui. Hae calamitates, ut saepe accidit, ab illis miseris memoriam auferunt ita ut nec immo meminerint nominum suorum, tamquam accidit tibi, quae oblita es nominis principessae Micomiconae, legalis heredis magni regni Micomiconi; atque hoc iuvamine, praeclara domina, facile potes tua memoria suffulci quae velis enarrare.

–Hoc verum est –respondit virgo–, et ex hoc et in futurum non necesse erit suffulci alia re; atque ad bonum portum ducam meam historiam. Et nunc prosequar: Pater meus est rex, nomine Tinacrius Sapientissimus, quia valde doctus fuit de re magica et ope huius artis novit matrem meam, quae vocabatur Xaramilla (Jaramilla), morituram esse ante quam ille atque ex hoc etiam ille debebat ex hac vita transire, quapropter orba fui a parentibus meis, nempe a patre et matre. Tamen ille dicebat hoc non tantum defatigari ei quam negotium cuiusdam immanis gigantis, nomine Pandafilandus Fuscae Visionis (de la Fosca Vista), dominus magnae insulae, quae fere regno nostro vicina est, qui oculos rectos habet in locis eorum, sed visionem eius e contrario fit tamquam si strabicus esset et hoc quidem facit ad metum timoremque inferendum in eos quos inspicit, quia malignus vere est. Et sic secundum quod egomet dico, cum ille cognovit me orbam esse a parentibus meis, voluit regnum meum oppugnare magno exercitu suo atque omnia a me auferre, immo nec parvum pagum voluit relinquere mihi, ubi possem secedere. Tamen hanc magnam calamitatem possem ego excusare si vellem ei nubere. Nihilominus, sua opinione, numquam credidit me hoc voluisse facere propter inaequale matrimonium. Atque in hoc omnem veritatem dixit, quia numquam volui nubere illi giganti nec alii, quamvis etiam ingens et furiosus esset. Pater meus etiam dixit, eo mortuo, et nulla mora facta, cum viderem Pandafilandum transire per regnum meum nullo modo coner id defendendum, sed permittam gigantem libere per illud transire ad mortem meam vitandam et completam destructionem fidelium subditorum meorum. Quia secundum patrem meum non fieri potest ut me protegam a diabolico robore huius gigantis; sed continuo et cum quibusdam subditis meis iter faciam ad Hispanias, ubi inveniam, procul dubio, medelam ad omnia adversa mea cum quaeram equitem itinerantem, cuius fama extenditur per totum regnum et nomen eius est dominus Azotus, sive dominus Gigotus.

–Dominum Quixotum diceret, domina –dixit ad hanc occasionem Sanctius Pansa–, sive alias Equitem Tristis Figurae.

–Hoc ita verum est –ait Dorothea–. Et etiam dixit: eum altum corporis esse, flaccidum facie atque ad dextrum latus eius, sub umero eius, naevum habere, cum aliquis capillis crassis tamquam porcinis.

His verbis auditis, dominus Quixotus, ait ad armigerum suum:

–Sancti, adiuva me ad vestes denudandas; quia volo confestim videre utrum ego sim ille eques de quo sapiens rex prophetizavit necne.

–Quare vis denudari? –dixit Dorothea.

–Ad videndum utrum habeam hunc naevum, quem pater tuus dixit me habere necne –respondit dominus Quixotus.

–Non oportet deponere vestes –dixit Sanctius–, quia vere scio ego te hunc naevum habere in media spina dorsi quod signum est viri fortis.

–Hoc sufficit mihi –ait Dorothea–; quia cum amicis non oportet parvitates videre et idem est si hoc signum est in umero sive iuxta spinam dorsi atque ubi illud sit, haec est ipsa caro et fortasse pater meus profecto divinavit; et ego quoque scopum meum attigi, quia domino Quixoto commendavi me per quem pater meus dixit, quia signa faciei conveniunt cum bona fama huius equitis, et non tantum in Hispania, sed in tota Manica, quoniam cum egressa sum e navi in urbe Ossuna audivi narrare praeclara facta eius et cor meum dixit mihi hunc eumdem fuisse quem egomet petebam.

–Sed quomodo potuisti egredi e navi in urbe Ossuna, domina mea –quaesivit dominus Quixotus–, si ibi non est portus maris?

Sed antequam Dorothea respondisset, parochus apprehendit eam sua manu atque ait:

–Domina principessa voluit dicere postea quam egressa fuerit e navi in urbe Malaca (Málaga), et fuit Ossunae ubi primo audivit de te.

–Hoc volui dicere –dixit Dorothea.

–Atque hoc ita ad bonam viam pervenit –inquit parochus– sed prosequaris ulterius, o regina.

–Nihil est amplius dicendi –respondit Dorothea–, sed denique prospera fortuna mea fuit me dominum Quixotum invenisse atque iam credo me denuo reginam esse in toto regno meo, quoniam ille propter suam urbanitatem et magnificentiam, quidem pollicitus est mecum venire quonam vellem eum adducere et hoc erit in conspectu Pandafilandi Fuscae Visionis et quidem ita ut interficiat eum et restituat me ad regnum meum quod ille violenter usurpavit a me. Et omnia erunt secundum quae bonus pater meus, Tinacrius Sapientissimus, prophetizavit mihi, qui etiam dixit et scripsit et quidem litteris chaldaeis et graecis, quas ego non possum legere et si hic eques huius prophetiae, capite gigantis amputato, vult me ducere uxorem legitimam ego libentissime me darem pro uxore eius legitima eique darem possessionem mei regni eodem tempore quam me ipsam.

–Quid hoc tibi videtur, Sancti amice? –ait ad hanc occasionem dominus Quixotus–. Nonne audis de quo agitur? Nonne iam dixi tibi? Vide utrum iam sit nobis regnum ad imperandum et reginam ad ducendam uxorem necne.

–Haec iuro ego –dixit Sanctius– et moechus sit qui nollet eam ducere uxorem, capite domini Pandafilati amputato! Num mala haec regina est? Utinam pulices mei lecti tam optimae essent!

Atque, his verbis prolatis, Sanctius binos gyros fecit in altum aerem pedibus ut signum magni gaudii ac laetitiae et venit ad apprehendendas habenas mulae

Dorotheae quam detinuit et, genibus flexis, in conspectu eius ab ea quaesivit manus ad deosculandas atque in signum se eam ut reginam et dominam accipere. Quisnam circumstantium teneret risum, dementia domini conspecta et simplicitate famuli detectata? Profecto Dorothea manus suas ei dedit et pollicita est eum magnum dominum in suo regno facturam esse, cum coelum permitteret eam denuo id habere atque eo gaudere. Sanctius ei gratias egit et talibus verbis quibus denuo omnes de eo riserunt.

–Haec est –prosecuta est Dorothea–, historia mea; nihilominus oportet vobis dicere ex hominibus, qui comitati sunt me ex regno meo tantum manet hoc tempore hic barbatus armiger, quoniam omnes in magna procella maris submerserunt in conspectu portus, atque ille et ego super binas trabes ope cuiusdam miraculi pervenimus ad litus seorsum; quia omnia hic tamquam signum ac mysterium est, nempe cursus vitae meae sicut fortasse animadvertistis. Et si nonnulla dixi nimis explicita sive non tam accurata, culpa mea est, secundum quod licentiatus dixit imprimis de hac fabella mea: quoniam labores mei continui et insoliti memoriam auferunt ab iis qui eos patiuntur.

–Sed nullo modo meam auferent, o altissima ac magnanima domina! –inquit dominus Quixotus–, omnes labores quos transibo in tuo ministerio, quamvis magni et numquam cogniti sint; quare denuo polliceor tibi donum et iuro me tecum usque ad finem huius mundi perventurum esse, donec cum immani inimico tuo contendam. Cui credo me amputaturum esse superbum caput eius, Deo iuvante et bracchio meo, vi huius ... et nolo dicere boni gladii, propter Ginesium de Pasamonte, qui meum gladium abstulit.

Haec autem dixit fere cum susurru vocis et inter dentes et postea prosecutus est dicens:

–Et, capite eius amputato, et te reposita in throno regni, facies quidquid velles de te ipsa; quoniam donec voluntas mea pertineat ad illam dominam de qua mens mea capta est amore ... et nihil amplius dicam, nam non fieri potest ut aliam ducam uxorem, nec nominetur, quamvis haec avis Phoenix esset!

Tam male evenit Sanctio dominum eius nullo modo voluisse eam ducere uxorem ac praeditus magna displicentia levavit vocem prorumpens:

–Vae mihi! iuro et periuro per me! te, domine Quixote, non habere sanam mentem. Quomodo enim fieri potest ut haesites ad hanc praeclaram principessam ducendam uxorem? Num putasti fortunam oblaturam esse tibi similem propositionem in omnibus angulis? Num domina mea Dulcinea formosior est? Minime! nec immo dimidiam partem huius principessae et etiam dicam nec digna est ut solvat corigiam calceamenti huius praesentis dominae. Insuper maledicta sit hora qua comitatus, quem exspecto adipiscam, si tu vis quae non fieri possint. Ducas enim eam uxorem, domine, et quidem confestim et vadas tunc ad diabolum atque hoc regnum accipias, quod ad manus tuas venit et quidem ut dicitur *de vobis vobis*, nempe, ut ita dicam, gratis et amore et dum ita sis rex facias me ipsum marchionem sive praefectum et postea omnia alia diabolus ferat secum.

Dominus Quixotus non potuit has blasphemias contra suam dominam Dulcineam audire et amplius non potuit sustinere et, nullo verbo ac monito prolato, lanceam

levavit et binos ictus Sanctio dedit eumque in terram eiecit, sed si Dorothea non intercederet ut manum detineret, absque dubio, subito eum interficeret.

–Num credis –dixit, longa mora elapsa–, rustice vilis, te semper habere occasionem ad manum in interstitio femorum meorum ponere ita ut haec omnia sint te errare et me semper tibi parcere? Nil amplius de his cogitabis, subdolus excommunicatus, quia procul dubio sic eris, quoniam haec lingua tua locuta est contra famam optimae Dulcineae. Nonne scis tu, agrestis servus, baiulus et malignus, me non posse nec pulicem necare nisi esset per virtutem, quam illa infundit in bracchium meum? Dic ergo mihi, callide, qui habes linguam viperinam, quisnam hoc regnum lucratus est et quisnam amputavit caput huius gigantis et fecit te marchionem esse, quoniam haec omnia ut iudicata et quidem ut facta iam habeo, nisi per virtutem huius Dulcineae ope cuius bracchium meum fuit instrumentum horum praeclarorum factorum? Ipsa pugnat mecum et vincit mecum atque egomet vivo et moveo in ea et sic habeo vitam et existentiam meam. O fili moechae, tu subdolus quam ingratus es et quidem vidisti te ex pulvere terrae surrexisse ad titulum domini et ad operam bonam, hoc modo convenis maledicendo ei, quae haec tam bona tribuit tibi!

Sanctius quamvis contusus esset haec omnia, quae dominus eius ei dixit, bene audivit et ex terra surrexit quadam celeritate et se collocavit a tergo iumenti Dorotheae atque illinc suo domino haec dixit:

–Dicas enim, domine; si tu nullo modo statuis hanc magnam principessam ducere uxorem, ut patet, regnum non erit tuum et hoc modo quae beneficia potes mihi tribuere? De hoc vere lamentor; duc ergo hanc reginam uxorem atque aliam post aliam, quia haec est hic et nunc tamquam pluvia quae de coelo deorsum descendit et postea venies ad dominam meam Dulcineam, quia fuerunt in mundo reges, qui plures amasias habuerunt. Nolo de formositate loqui, quia ut verum dicam, ambae pulchrae sunt, et ego dominam Dulcineam numquam vidi.

–Quomodo ergo numquam eam vidisti, tu blasphemus traditor? –ait dominus Quixotus–. Nonne legatum ex ea mihi duxisti?

–Volo dicere me eam non vidisse pedetentim –dixit Sanctius– ut possem venustatem eius et qualitates corporis accurate perspicere; sed saltem omnia ad molem bene mihi videbantur.

–Nunc ego parcam tibi –inquit dominus Quixotus– atque ignosce mihi indignationem meam erga te; quoniam primi motus non sunt in manibus hominum.

–Iam video –respondit Sanctius– et sic in me primus motus semper est desiderium loquendi et nullo modo possum vitare quod ad linguam meam venit.

–Ceterum –inquit dominus Quixotus–, vide, Sancti, quod loqueris, quoniam toties venit amphora ad fontem ... et nil amplius tibi dicam.

–Nunc autem –respondit Sanctius–, Deus est in coelo et laqueos atque insidias hominum videt et diiudicabit quis peius fecit: ego male loquendo, tu autem, domine, id faciendo.

–Nihil amplius de hoc agatur –ait Dorothea–; accede, Sancti, et manum tui domini deosculare atque ab eo veniam quaere et ex hoc et in futurum attende melius laudes et vituperia tua et nihil mali de tua domina Tobosa proferas quam nondum novi nisi ad ei serviendum, sed confide Deo et tibi non deficiet regnum, ubi vivas tamquam princeps.

Sanctius autem, prono capite, manum domini sui quaesivit, qui ei eam reverenter porrexit; et hanc manum deosculatus est eique benedixit dominus dicens ut paululum properarent ac secederent seorsum ad nonnulla inter se tractanda et quidem quae magni momenti essent. Sic fecit Sanctius coram eis et dominus Quixotus dixit ei:

–Ex hoc cum venisti nondum habui occasionem nec tempus quaerendi a te nonnulla de tua legatione quam tulisti et responsum quod adduxisti; et nunc quia fortuna nobis tempus et locum dat non negabis quam magnam fortunam dabis mihi his bonis nuntiis tuis.

–Tu potes a me quaerere quidquid velis –respondit Sanctius–; et bonum exitum unicuique dabo tamquam fuit introitus meus. Sed etiam a te quaero, domine mi, ex hoc et in futurum, ne sis tam cupidus vindicandi a me.

–Cur dicis hoc, Sancti? –ait dominus Quixotus.

–Haec autem dico –respondit– quia hos ictus quos nuper recepi magis fuerunt propter rixam quam inter nos diabolus incitavit et non propter quae dixi contra meam dominam Dulcineam, quam vere amo et veneror tamquam reliquias, quamvis in ea nihil sit huiusmodi, sed tantum, quia ad te pertinet.

–Noli denuo ad hos sermones venire, Sancti, per vitam tuam –inquit dominus Quixotus–, qui vere dolent mihi. Tunc iam peperci tibi et secundum quod dicitur: novo peccato, nova poenitentia.

Interea, viatorem viderunt qui iter faciebat per ipsam viam qua illi et hic asino vehebatur, sed cum pervenit ad eos ille videbatur zingarus esse. Tamen Sanctius Pansa ut primum asinos videbat eos attente inspiciebat et vix ac vidit virum eum cognovit atque en hic erat Ginesius de Pasamonte et ex ungue ad leonem pervenit et per zingarum novit asinum suum, ut verum erat, quia asinus eius erat ille super quem Pasamonte sedebat. Hic autem ne eum recognoscerent et ad asinum vendendum induit vestes zingarorum, quorum lingua et etiam multis aliis loquebatur tamquam si esset sermo patrius eius. Sanctius eum vidit et statim cognovit; atque ut primum ac vidit eum et cognoscit magnis vocibus clamavit ei dicens:

–Latro, Ginesille! Relinque hic dotem meam, solve vitam meam, noli quietem meam rapere, relinque asinum meum, solve munus meum! Et fuge, moeche, discede hinc, latro, et relinque quae non ad te pertinent nec tua sunt!

Non necesse erat tam multa verba dicere nec vituperia, nam ad primum Ginesius de asino descendit et cucurrit magno cursu et confestim discessit ab omnibus seorsum.

Sanctius ad asinum pervenit eumque amplexus est et dixit:

–Quomodo vales, amice mi, asinus oculorum meorum ac sodalis meus?

Et his verbis osculatus est eum et permulcebat tamquam si homo esset. Asinus tacebat eumque sinebat ut, nullo verbo prolato, Sanctius blandiretur ei. Tunc omnes ad eum venerunt et congratulati sunt ei propter asinum inventum, praesertim dominus Quixotus, qui ei dixit se nullo modo annullare schedulam donationis de tribus asinis. Sanctius ei gratias egit.

* * *

Ceterum dum ambo iter faciebant loquendo de his argumentis, dixit parochus Dorotheae eam valde prudentem fuisse tum in fabella tum in brevitate narrationis et quoque in fictione et similitudine librorum equitatus. Illa autem dixit se multoties vacavisse lectioni horum librorum; tamen nesciebat ubi erant provinciae et portus maris, quare sic dixit ad sensum se Ossunae e navi egressam fuisse.

–Sic ego intellexi –ait parochus– quare adveni ad hoc reparandum ita ut omnia correcta essent. Sed nonne mirum videndi est equitem infelicem credidisse has omnes inventiones ac mendacia et quidem tantum, quia sic et hoc modo loquendi in libris hae *stultitiae describuntur*?

–Hoc certum est –dixit Cardenius– et tam rara atque inaudita dementia, quia numquam huiusmodi vidi, quare nescio utrum aliam similem invenire possent mendaciter an ingenuus accutus imaginetur.

–Sed etiam dicendum est –ait parochus–: hunc fidalgum praeter simplicitates huius dementiae si cum eo agunt de aliis rebus ratiocinatur optimis argumentis atque ostendit intellectum clarum ac serenum in omnibus; quare si non agitur de equitatu nemo eum iudicabit ut dementem, sed ut verum compotem mentis.

Dominus Quixotus, his colloquiis peractis, prosecutus est suo sermone et sic Sanctio dixit:

–Pansa amice, parvis rebus in quaestionibus rixarum nostrarum relictis, dic mihi nunc, nulla indignatione habita, ubinam, quomodo et quando invenisti Dulcineam? Quid ergo faciebat? Quid ei dixisti? Quid respondit tibi? Quisnam erat conspectus illius faciei cum legeret litteras meas? Quis enim eas transcripsit tibi? Et omnia quae vidisti quae essent cuiusdam momenti et quod dignum est cognoscendi, interrogandi et gaudendi, nulla insolita expressione addita sive verbo, nec ad complacendum mihi, nec alia ex parte ut praetermittas quin ea audiam.

–Domine –respondit Sanctius–, ad verum dicendum nemo transcripsit epistulam, quia nullam epistulam mecum duxi.

–Hoc verum est –*inquit* dominus Quixotus–, *quoniam codicillum, ubi scripsi* litteras, apud me inveni, post egressum tuum, quare valde contristatus sum; et nescivi quid facturus eras cum litteras nullo modo invenires et semper credidi te reversurum esse ad me, his non inventis.

–Hoc facerem si non tradidissem memoriae cum tu eam mihi legisti, ita ut dixi cuidam sacristae qui eam verbatim ex intellectu et quidem accurate transcripsit. Atque ille dixit numquam in sua vita legisse epistulam tam formosam quam illam, quamvis legeret multas epistulas excommunionis.

–Habesne illam adhuc in tua memoria, Sancti? –dixit dominus Quixotus.

–Non habeo, domine –respondit Sanctius–, quia ut primum atque eam dedi, putavi eam nullius utilitatis esse et festinavi ad eam obliviscendam. Ex ea tantum memini illius *subiugata*, dico *sublimis domina* et ultima verba: *Tuus usque ad mortem, Eques Tristis Figurae*. Et inter has duas res dixi plus quam trecentos animos et mel meum et cor sive corculum meum.

Capitulum 31. De sapidis ac facetis argumentis, quae inter dominum Quixotum et armigerum Sanctium Pansam agebantur, cum aliis rebus gestis

–Hoc non displicet mihi; sed prosequere ulterius –ait dominus Quixotus–. Tunc pervenisti et quid faciebat illa regina pulchritudinis? Absque dubio vidisti eam torquem connectare margaritis sive suere acu et filo aureo titulum novum super pallium et praecise mihi, nempe huic suo capto equiti.

–Non eam inveni –respondit Sanctius– nisi cum cribraret duo iugera tritici in area domus suae.

–Tunc potes credere –inquit dominus Quixotus– granula tritici fuisse granula margaritarum tacta manibus eius. Vidistine, amice, utrum triticum fuisse candidum an fuscum?

–Non erat nisi rubeum –respondit Sanctius.

–Nunc autem ego dico tibi –inquit dominus Quixotus– frumentum cribratum manibus eius dare panem candidum excellentem, procul dubio. Sed prosequere ultra: ad eam litteras dedisti, nonne litteras osculata est? sive posuit super caput suum? vel fecit quamdam caeremoniam dignam talium litterarum, quid ergo fecit?

–Cum epistulam ad eam dare volui –respondit Sanctius– illa erat in motu cribrationis tritici quod erat in cribro et dixit mihi: «Relinque, amice, hanc epistulam super hunc saccum; quia nequeo eam legere donec finiam cribrationem omnium quae hic sunt».

–Prudens domina! –dixit dominus Quixotus–. Hoc erat ad litteras pedetentim legere et frui eas legendo. Prosequere, Sancti. Et dum erat in hoc negotio de quo locuta est tecum? Quid de me a te quaesivit? Et tu, quid ei respondisti? Fini atque enarra mihi haec omnia; ne remaneat in atramentario nec minimum verbum.

–Illa nihil a me quaesivit –dixit Sanctius–; ego autem dixi quomodo tu ad ei serviendum poenitentiam faciebas et quidem nudo pectore sursum atque inter hos montes tamquam si esses silvester, dormiens super terram, comedens et accumbens mensae nullo modo paratae, nec barbam pectinavisti, flens ac maledicendo tuae fortunae.

–Male dixisti me maledicere fortunae meae –ait dominus Quixotus–; quoniam potius ei benedico et benedicam omnes dies vitae meae, propterea quod meritus sum tam altam dominam habere sicut est Dulcinea a Toboso.

–Tam alta est –respondit Sanctius– atque immo altior est me palmo.

–Quomodo hoc fieri potest, Sancti? –dixit dominus Quixotus–. Num dimensus es cum ea?

–Hoc modo dimensus sum –respondit Sanctius–: quia ad eam iuvandam veni ita ut saccum tritici super asinum poneret et tunc iuxta eam steti et vere vidi eam altiorem palmo fuisse quam ego.

–Tunc estne verum –obiecit dominus Quixotus– hanc altitudinem comitari eam atque ornare mille beneficiis animi? Sed non negabis, Sancti, aliam rem: cum ad eam pervenisti, nonne odoratus es odorem sabaeum, fragantiam aromaticam et

quidem nescio quid boni quod nequeo nominare? Dico exhalationem tamquam si esses in taberna cuiusdam opificis chirothecarum?

–Quod tantum possum dicere est me percepisse quemdam odoratum virilem et fortasse erat propter magnum exercitium eius atque illa transpirabat nimis.

–Nullo modo hoc esset sic, sed fortasse coryzam habebas sive te ipsum olfecisti, quoniam bene scio quomodo illa rosa inter spinas odoratur, illud lilium vallium, liquidum ambarum.

–Omnia fieri possunt –respondit Sanctius–; quia multoties ex meo corpore exit odoratus talis, sed tunc credidi ex corpore dominae Dulcineae exiisse; tamen quid mirum est si diabolus ipsi diabolo similis videatur?

–Bene –prosecutus est dominus Quixotus– et triticum suum mundavit ut mitteret ad molas. Quid ergo fecit illa cum legeret litteras?

–Epistulam –dixit Sanctius– non legit, quia dixit se nescire legere nec scribere, sed eam scidit in parvula fragmenta, quia noluit eam dare ad legendum ne alii scirent in illo pago secreta eius amoris et satis erat ei quod ei verbaliter dixi de tuo amore erga eam et de insolita poenitentia quam faciebas propter amorem eius. Et denique dixit mihi ut tibi dicerem eam manus tuas osculari, quia ipsa desiderium habebat videndi te potius quam scribendi ad te. Quare rogabat et iubebat ut exires ex illis virgultis et nullam aliam stultitiam ageres atque iter faceres ad urbem Toboso, nisi aliud magni momenti surgeret, quia potissimum cupiebat videre te. Valde risit illa cum dixi ei te nuncupari *Equitem Tristis Figurae*. Ab ea quaesivi si vasconicus illius temporis venit ad eam et dixit mihi eum venisse et quidem virum valde bonum esse. Etiam quaesivi ab ea si damnati ad triremes advenerunt et mihi dixit se nondum eos vidisse.

–Hucusque omnia bene vadunt –dixit dominus Quixotus–. Sed dic mihi: quod genus gemmae dedit ad valedicendum tibi, propter nuntios quos ei dedisti? Quia mos est apud equites itinerantes et dominas itinerantes se dare armigeris, virginibus sive nanis, qui nuntios ad eos ferunt, sive a dominabus nutricibus, sive viceversa, gemmam sive lapidem pretiosum pro strenis ad gratias agendas illius legationis.

–Hoc bonum mihi videtur et boni mores sunt. Sed fortasse tantum fuit in temporibus praecedentibus, quia nunc satis est dare parum panis et casei atque hoc fuit quod domina mea dedit mihi per saeptum areae cum valedixi ei et ut id accuratius dicam caseus erat ovilis.

–Illa quidem munifica est in extremis –inquit dominus Quixotus–, et si non tibi dedit gemmam hoc est, quoniam non erat apud eam illo tempore; sed bona sunt munera etiam post Pascham, quoniam numquam est serius ad bonum faciendum atque ego eam videbo et omnia retribuet tibi. Sed nostin' de quo vere miror, Sancti? Secundum quod mihi videtur per aeres iter fecisti et itus et reditus hinc illuc non plus quam per tres dies demoratus es, et sunt plus quam triginta leucae hinc usque ad pagum Toboso. Ex quo intelligo sapientem necromanticum (qui narrat res gestas meas atque amicus meus est, quia vere ille est et quidem erit, quoniam aliter egomet non essem bonus eques itinerans) et absque dubio ille iuvavit te ad hoc iter faciendum, te omnino insciente. Quoniam sunt tales sapientes, qui equitem itinerantem accipiunt dum ille dormit in suo lecto et, nemine sciente nec modo eo facto, in crastinum diem

invenitur longius quam mille leucas distans a loco ubi pernoctavit. Et si non esset hoc modo, quomodo possent equites itinerantes succurrere ad invicem in suis periculis, quod accidit et quidem tam crebro? Quoniam aliquando accidit ut unus ex eis dimicet in montibus Armeniae cum quodam monstro sive fero dracone vel cum quodam equite et ipse peiorem partem habeat in proelio ita ut fere mortuus sit atque en eques amicus eius super nubem apparet in coelo sive super currum igneum et hic eques nuperrime erat in Anglia, sed adiuvat eum et favet ei eumque liberat quidem a morte atque ipsa nocte invenitur in suo diversorio prandendo cum amicis suis ad suum nutum; et distantia inter eos erat duo vel tria milia leucarum. Atque haec omnia fiunt per sollertiam sapientiamque horum incantatorum, qui curant de his strenuis equitibus. Et hoc modo, amice Sancti, non miror nec difficile est mihi credere tam brevi tempore te ire et redire hinc usque ad Toboso, nam secundum quod dixi quidam sapiens, te omnino insciente, adduxit te volantem.

–Fortasse sic fuit –dixit Sanctius–, quia Rocinans currebat tamquam asinus zingari cum hydrargyro in auribus suis.

–Et quam excitans hydrargyrus erat ei! –dixit dominus Quixotus– et immo legio daemonum, nam sunt homines qui iter faciunt atque alios faciunt properare, sed nullo modo fatigantur de via. Sed, his rebus seorsum relictis, quid tibi videtur de his quae mea domina mihi iubet ut veniam ad eam videndam? Quoniam, mea sententia, debeo mandatum eius adimplere, sed alia ex parte, propter donum quod pollicitus sum principessae, quae nobiscum venit, et lex equitatus urget me promissum perficere ante quam desiderium meum. Atque hoc modo ex una parte desiderium videndi dominam meam urget et instat; sed aliter incitat et vocat me fides promissa et gloria, quam nanciscar in his rebus gestis. Sed potius festinabo ad ambulandum ita ut perveniam citius dicto ubi hic gigas invenitur et tunc caput eius amputabo, principessam restituam ad solium regni eius et continuo gyrum faciam ad lumen videndum quod sensus meos illuminat, scilicet ad dominam meam et ab ea veniam quaeram propter demoram meam, quoniam omnia ad augendam gloriam famamque eius erit, nam quam lucratus sum, lucror et lucraturus sum per arma in hac vita, haec cuncta per virtutem dominae meae proveniunt et quoniam egomet ad eam pertineo.

–Vae mihi! –dixit Sanctius– amisisti sanum iudicium! Dicas ergo mihi, domine, num tam magnum laborem perficies gratis et amore ita ut non ducas uxorem quam tam optimam tibi dant et regnum pro dote et quidem reapse audivi id plus quam viginti milia leucarum in circuitu habere et locupletissimum esse in omnibus, quae necessaria sunt ad sustentaculum vitae humanae et maius est quam Lusitania et Castella simul? Taceas ergo, domine, et per misericordiam Dei vere te pudeat huius rei, quam dixisti atque accipe consilium meum, et mihi tandem ignoscas, sed principessam ducas uxorem in primo loco ubi invenias parochum, sin autem hic est licentiatus oppidanus noster, qui optime id perficiet. Atque animadverte me iam aetatem habere ad danda talia consilia tibi et quidem hoc venit tamquam anulus ad digitum, quia melior est passer in manu quam duo volitantes, et qui eligere potest et male id facit, de quo enim lamentabitur?

–Videas, Sancti –respondit dominus Quixotus–, si consilium tuum est me

principessam ducere uxorem et, gigante interfecto, ut fiam rex atque hoc modo possim tibi magno commodo beneficia facere et promissum tibi dare, nunc ego tibi dico me, nullo matrimonio facto, desiderium tuum adimpleturum esse et quidem perfacili modo. Et hoc quoniam ante proelium statuam condicionem praeviam vi cuius, si victor evado, dent mihi partem illius regni, quamvis non ducam eam uxorem et sic potero hanc partem dare cuicumque vellem. Et cum dent mihi, cuinam credis me hanc daturum esse nisi tibi?

–Hoc clarum est –respondit Sanctius–; sed videas atque eligas illam partem versus mare, quia si non laetus sum cum habitaculo saltem possem subditos nigros illius regni in naves ducere et facere quidquid iam dixi. Et ne cures hoc tempore videndi dominam meam Dulcineam, sed festina ad gigantem interficiendum et perficiamus hoc negotium; et per Deum credo hoc erit magni honoris et maximi emolumenti.

–Et ego dico tibi, Sancti –dixit dominus Quixotus–, te recte iudicare et consilium tuum accipiam atque imprimis ibo cum principessa ante quam veniam ad Dulcineam videndam. Sed cave ne quid huiuscemodi ulli dicas, nec immo illis qui nobiscum veniunt de his quae locuti sumus et quae tractavimus; quia Dulcinea est tam pudica et nullo modo vult alios cognoscere cogitationes eius, quare non erit bonum per me sive ut alter per me haec develet.

–Sed cum hoc ita sit –dixit Sanctius–, quomodo potes mittere omnes victos, vi bracchii tui ut veniant in conspectu dominae meae Dulcineae, quod idem est ac dicere te eam diligere et captum esse amore eius? Et si vere oportet ut illi veniant ante faciem Dulcineae ad genua flectenda ita ut dicant se ex tua parte venire ad ei oboediendum, quomodo celabuntur cogitationes amborum?

–O quam nescius ac simplex es tu! –ait dominus Quixotus–. Nonne vidisti haec omnia redundare in exaltatione eius? Quoniam debes scire secundum genus huius equitatus magnum honorem esse ut domina habeat multos equites itinerantes, qui ei serviant, quamvis cogitationes eorum non perveniant quam ad ei serviendum, quia illa talis est, et nullo praemio quaesito propter plura et bona desideria quam dicere eos acceptos esse ab ea ut sint equites illius.

–Hoc amore –dixit Sanctius– audivi praedicari bonum esse ad diligendum Dominum Nostrum et quidem per se ipsum et nulla spe cuiusdam gloriae considerata vel timore cuiusdam poenae. Nihilominus ego vellem amare et servire ad optima beneficia obtinenda.

–Vadat tecum diabolus! –ait dominus Quixotus–, et quot disquisitiones aliquando dicis! Mihi videtur te quandoque libris vacavisse.

–Iuro per vitam meam me nescire legere –respondit Sanctius.

Tunc temporis magister Nicolaus magnis vocibus vocavit eos ita ut moram facerent; quia volebant demorari ad aquam potandam ex quodam parvo fonte qui ibi casu erat. Dominus Quixotus stetit cum magno gaudio Sanctii, quia vere lassus erat mentiendo et fingendo tam multum et timebat quin dominus suus caperet eum verbis; sed quamvis ille sciret Dulcineam rusticam fuisse ex Toboso numquam in sua vita eam vidit.

Cardenius autem induit vestes quas Dorothea habebat cum eam invenerunt et, quamvis non bonae essent, superabant quas Cardenius reliquerat. Descenderunt de

iumentis iuxta fontem atque ex cibis, quos parochus in caupona obtinuit, omnes comederunt, quamquam parum, propter magnam famem quam habebant.

Tum casu puer venit qui iter faciebat et intuitus est omnes qui ad fontem stabant et dein in dominum Quixotum irruit atque amplexus est crura eius et incepit flere amare et quidem dicens:

–Eheu, domine mi! Nonne me recognoscis? Inspice bene me, quia ego sum Andreas, puer quem e quercu liberasti, ubi eram religatus.

Dominus Quixotus recognovit eum atque apprehendens eum sua manu vertit se ad omnes, qui ibi erant et dixit eis:

–Ut videatis vos quam magni momenti est equites itinerantes esse in mundo ad iniurias et iniustitias reparandas ab insolentibus et improbis, qui in hoc mundo vivunt. Debetis scire me nuper, cum per silvam transirem, audivi clamores et voces miserandas tamquam cuiusdam afflicti atque indigentis. Statim compulsus per officium meum ad locum accurri, ubi mihi videbatur voces miserandas audire atque en inveni hunc puerum, qui nunc est coram vobis, religatum ad quamdam quercum. Nunc autem animus meus gaudet eum videndo, quoniam ille testis erit et non sinet me a veritate avertere. Dico enim eum ad quercum religatum fuisse, nudum de medio corpore sursum et quidam rusticus, quem postea noveram dominum eius fuisse, verberabat eum habenis cuiusdam equae. Mox ac vidi eum rogavi causam saevae verberationis; et rusticus ille respondit mihi dicens se puerum verberare, quia famulus eius erat et propter quasdam negligentias, quae magis redolebant latronem quam simplicem. Quibus accusationibus hic puer dixit: «Domine, non verberat me nisi quia ab eo salarium meum requiro.» Dominus eius obiecit nescio quas loquelas atque excusationes, quae fuerunt auditae a me, sed non exauditae. Attamen et breviter, ei iussi ut solveret puerum et ab eo iusiurandum accepi ut ei solveret pecuniam debitam, argenteum super argenteum et etiam melioratos et cum suffimento. Nonne haec omnia vera sunt, Andrea, fili mi? Nonne quoque animadvertisti imperium quo haec ei iussi et humilitatem eius, qua pollicitus est oboedire mihi quaecumque monui, imposui atque iussi ei? Responde ergo; ne turbetur animus tuus nec dubites de nihilo; dic his dominis quidquid evenit tibi ut palam videatur et iudicetur quam magni momenti et utilitatis sit equites itinerantes esse per vias.

–Haec omnia quae dixisti maxima veritas est –respondit puer–; sed finis huius negotii accidit alio modo omnino diverso quam quod cogitas.

–Quomodo ergo e contrario? –obiecit dominus Quixotus–. Ergo, num ille rusticus non solvit tibi salarium tuum?

–Non tantum non solvit mihi –respondit puer–, sed simul ac transivisti silvam et soli fuimus, denuo religavit me ad ipsam quercum et me verberavit tam multis flagellis ut remansi vulneratum similem Sancto Bartholomaeo absque pelle. Atque omni ictui flagelli quem mihi dabat, salem et leporem dicebat de te ad facetum faciendum et si nullum dolorem sentirem etiam de dictis eius riderem. Profecto, domine, sed tam male vulneratus sum ut hucusque in nosocomio debui curare ictus, quos iste rusticus tunc mihi dedit. Ex his omnibus tu solus vere culpabilis es, quia si iter prorsus fecisses et ne venisses ubi nemo te vocavit nec de negotiis alienis ageres, tunc dominus meus, duodenis vel bis duodenis flagellis mihi datis, laetus fuerat, atque his perfectis, liberaret me et etiam mihi salarium debitum solveret. Sed tu inhonorasti

cum et quidem nullo proposito, et tam multa adversa ei dixisti ut ille iratus fuit et sicut non potuit a te, domine, sese vindicare in me pluviam iracundiae suae proiecit, et mihi videtur me numquam futurum esse virum validum in tota vita mea.

–Damnum fuit –inquit dominus Quixotus– quoniam properavi ad discedendum illinc et certe non debui te relinquere cum eo, donec solveret tibi debitum salarium; quia, teste experientia, scire debui nullum rusticum adimplere verba, quae pollicitus sit, praesertim si servare hoc videtur ei nullius momenti esse. Sed memento, Andrea, me etiam iuravisse si ille non tibi solveret salarium tuum me eum quaeriturum et quidem inventurum esse, quamvis in ventre balaenae absconderetur.

–Hoc verum est –dixit Andreas–, sed nullius utilitatis fuit.

–Nunc videbis utrum utile sit necne –ait dominus Quixotus.

Et, his dictis, festinavit ad surgendum et iussit Sanctio ut sellam pararet Rocinanti, qui pascebat dum illi eo tempore edebant.

Dorothea autem ab eo quaesivit quid esset quod ille conabatur facere. Ille ei respondit se petiturum esse rusticum ad eum puniendum ita ut solveret Andreae salarium usque ad ultimum teruntium et contra omnes rusticos, qui in toto mundo essent. Cui illa respondit ut animadverteret se id nullo modo posse facere, secundum promissum non introeundi alias res gestas, donec perficeret negotium eius et, hac re nota atque accepta, potius debebat animum suum pacare usque ad reditum ex regno recuperato eius.

–Hoc verum est –respondit dominus Quixotus–, et opus est ut Andreas patientiam habeat, donec revertar sicut tu, domina, dicis; quoniam ego iterum iterumque iuro et polliceor me non detineri usque ille vindicetur et salarium suum accipiat.

–Non credo amplius tale iusiurandum –dixit Andreas–; potius vellem pecuniam habere ad perveniendum Hispalim, quam omnes vindictas huius mundi; da mihi si quid habeas ita ut comedam et mecum feram et maneas cum benedictione Dei et cum omnibus equitibus itinerantibus, qui bene viatores fuerunt ad damnum tamquam quidem mihi.

Sanctius extraxit ex suis sarcinis parum panis et casei deditque puero ei dicens:

–Accipe, frater Andrea, quia omnes attingit calamitas tua.

–Quaenam pars ergo attingit te? –rogavit Andreas.

–Ista pars casei et panis quam tibi do –respondit Sanctius–, et Deus scit si vere ea egeo, quia debes scire, amice, armigeros equitum itinerantium pati magnam famem atque adversam fortunam et alias res, quae melius sentiuntur quam narrantur.

Andreas autem accepit panem suum et caseum et, nemine eum amplius iuvante, capite prono, prosecutus est iter suum. Sed etiam verum est, his rebus peractis, eum domino Quixoto dixisse:

–Per misericordiam Dei, domine eques itinerans, si denuo me invenias, quamvis videas me frangi, nullo modo venias ad succurrendum nec ad adiuvandum me, sed relinque me in meo infortunio, quod numquam tam magnum erit, quam quod eveniet mihi cum tuo iuvamine, cui Deus maledicat et omnibus equitibus itinerantibus, qui nati sunt in hoc mundo.

Dominus Quixotus voluit eum punire, sed ille cucurrit tam celeriter ut nemo auderet eum persequi. Dominus Quixotus valde erubuit propter fabellam Andreae et opus fuit omnes risum tenere ne omnino erubesceret in finem.

Capitulum 32. Ubi agitur de his quae in caupona omnibus sodalibus domini Quixoti evenerunt

Illi autem, prandio finito, paraverunt iumenta eorum et, nulla re digna mentionis facta, in crastinum diem ad cauponam pervenerunt magno cum stupore ac terrore Sanctii Pansae; et quamvis hic nollet introire in eam non potuit hoc vitare. Caupo, cauponaria, filia eorum ac Maritornes, cum viderunt dominum Quixotum, venerunt ad eum accipiendum et quidem signis magnae laetitiae. Hic autem eos accepit gravi facie ac sollemniter et eis dixit ut pararent ei meliorem lectum quam praeterita vice. Cui cauponaria respondit se sic facturam esse si potius ille solveret pecuniam, quam aliter antea fecit, quia non solvit pro sumptu suo, tunc lectum principum ei daret. Dominus Quixotus annuit ei, quare lectum paraverunt ei in ipso cubiculo, ubi antea fuit, atque ille continuo accubuit, quia valde fessus de via veniebat et corpore et mente.

Domino Quixoto in cubiculo clauso ac relicto, cauponaria impetum fecit in tonsorem et apprehendens barbam eius dixit ei:

–Per vitam meam! Ne utaris amplius cauda mea pro barba tua, quia opus est ut caudam meam restituas mihi; nam maritus meus deiectus est per terram indigens eo indigne; dico pecten eius, quod solebat suspendere de bona cauda mea.

Tonsor autem noluit caudam ei dare, quamvis illa eam fortiter apprehenderet. Tunc licentiatus dixit tonsori ut eam ei daret, quia non amplius necesse erat hac sollertia uti, sed posset palam atque aperte apparere et se ipsum ostendere et immo dicere domino Quixoto se ad illam cauponam pervenisse in fuga ad refugium obtinendum, depredatione a damnatis ad triremes habita. Et si ille quaereret armigerum illius principessae ei dicerent principessam eum misisse prae omnibus ad nuntiandum subditis regni sui, quia ipsa liberatorem omnium secum adduceret. Tonsor autem, his verbis dictis, libenter restituit caudam cauponariae eique quoque dederunt omnia, quae illa eis dederat ad liberandum dominum Quixotum. Omnes autem de venustate Dorotheae mirati sunt necnon de elegantia figurae iuvenis pastoris Cardenii. Parochus autem iussit ut coenam eis pararent de his quae in caupona essent. Caupo autem cum spe obtinendi lucrum diligenter paravit eis prandium idoneum. Domino Quixoto dormiente, arbitrati sunt nullo modo eum e somno expergefacere, quia melius esset ei tunc tempus dormiendi quam edendi.

Tempore prandii de peregrina dementia domini Quixoti locuti sunt et quidem coram caupone, cauponaria, filia eorum, Maritornes et omnibus hospitibus, necnon et de modo quo eum invenerunt. Cauponaria autem eis enarravit quod evenerat ei cum mulione. Tunc ipsa circumspexit si casu inveniret ibi Sanctium et cum eum non vidit etiam locuta est de ludo illius cum stragulo eiiciendo Sanctium in altum in area cauponae quo valde omnes gavisi sunt. Et cum parochus dixit libros equitatus eum mentem evertere ita ut amitteret sanum iudicium tunc caupo dixit:

–Nescio quomodo hoc fieri potest; quia vere et, secundum quod intelligo, non est in toto orbe terrarum lectio tam bona quam haec et hic sunt apud me duo vel tres libri huius generis inter alia scripta, qui vere mihi vitam et contentum dant et non tantum mihi, sed multis aliis mecum. Quia cum sit tempus messis hic adunantur

multi messores et, ad quietem, semper sunt qui legere sciunt et quidam eorum librum ex his accipit suis manibus et plures quam triginta sedentes circumdamus eum et attente eum auscultamus et quidem tam magno gaudio ut amittamus curas nostras de multis rebus et canitiem capillorum nostrorum. Ceterum quoad me cum audio illos equites itinerantes percutere talibus teterrimis ac furibundis ictibus, aliquando etiam vellem eadem facere et cupio tales lectiones audire per noctes et dies integros.

–Mihi accidit eadem res –dixit cauponaria–, quia nullum bonum momentum est mihi domi nisi cum auscultem illam lectionem; quia omnino stupefacta maneo et immo obliviscor increpandi tunc temporis.

–Hoc verum est –dixit Maritornes–; et profecto etiam ego gaudeo audiendo has res, quae valde pulchrae sunt, praesertim cum enarrant quamdam iuvenem puellam esse sub arbore mali aurei dum amplectitur suum equitem et eodem tempore domina nutrix confidens, quae debet curare de illa puella, plena invidia ac magna formidine iuxta eos est ad eos aliquo modo et convenienter protegendos. Et, mea opinione, haec omnia dulciora sunt melle.

–Et quid tibi videtur, iuvenis virgo? –ait parochus loquendo cum filia cauponis.

–Nescio, domine, quid debeam dicere de me –respondit illa–; nam etiam ego haec ausculto et, quamvis non bene intelligam, omnino gaudeo de his rebus audiendo ea; tamen non gaudeo de his ictibus, quibus pater meus gaudet, sed de lamentationibus, quas equites faciunt cum sint absentes a dominabus eorum et quidem aliquando impellunt me ad lacrimas effundendas, quia etiam eorum misereor.

–Ergo velles quoddam allevamentum eis dare, iuvenis virgo –dixit Dorothea–, si flerent propter te?

–Nescio quid tunc facerem –respondit puella–; tantum scio tales dominas crudeles esse in extremis, quas equites vocant tigrides leonesque et mille alias impudicitias. Et, o mi Iesu! nescio quaenam gens sit illa carens animo et conscientia, quia nolunt inspicere virum honoratum et sic ille moritur sive permittunt ut fiat amens ante quam ei succurrant. Non intelligo quare utuntur talibus subtilitatibus; quia hoc faciunt propter honorem earum, sed cur non nubunt eis cum ipsi tantum id cupiant ac desiderent et non aliter.

–Tace, puella –dixit cauponaria–, quia mihi videtur te plus aequo scire de his rebus et non decet ut virgines tam multum sciant de his nec tam multa de his loquantur.

–Hoc feci tantummodo quia hic dominus a me quaesivit –respondit illa–, quare non potui aliter facere quam ei respondere.

–Nunc autem –inquit parochus–, affer ad me, domine hospes, hos libros, quia eos videre volo.

–Libenter –ille respondit.

Et intravit in habitaculum suum ex quo eduxit parvam ac veterem sarcinam, clausam ope cuiusdam catenae. Aperuit eam et tres magnos libros invenit et nonnulla manuscripta et quidem exarata pulchris characteribus. Primum librum quem aperuit erat *Dominus Cirongilius a Thracia*; alterum *Felixmars ab Hyrcania* atque alterum *Historia Magni Ductoris* [vulgo *Gran Capitán*] *Gonzalo Hernández de Corduba, cum vita Didaci (Diego) García de Paredes*. Mox ac parochus legit duos primos titulos porrexit conspectum suum ad tonsorem eique dixit:

–Hera domus amici nostri et neptis desunt nunc nobis.

–Non desunt nobis –respondit tonsor–; quia etiam ego scio eos ad cohortem ferre sive ad caminum foci, et vere ibi bonus ignis nunc ardet.

–Ergo tu vis plures libros comburere? –dixit caupo.

–Tantummodo –inquit parochus– hos duos, nempe *Dominum Cirongilium* et *Felixmartem.*

–Num forte –dixit cauponarius– libri mei haeretici sive *phlegmatici* sunt, quia vis eos comburere?

–*Schismaticos* dices, amice –ait tonsor–; et non *phlegmaticos.*

–Hoc ita est –obiecit cauponarius–. Sed si quemdam librum comburere vis sit illa *Historia Magni Ductoris* sive illius Didaci García; quia potius permitterem comburere filium meum quam alterum ex his libris.

–Frater mi –inquit parochus–, hi duo libri mendaces et pleni stultitiis atque imperfectionibus sunt. E contrario ille *Magni Ductoris* est vera historia et praeclarum factum a Gonzalo Hernández de Corduba, qui per haec sua facta meritus est vocari per totum mundum *Magnus Ductor* quo tantum ille meritus est illustri et clara fama. Et hic Didacus García de Paredes, eques illustris, natus fuit Turri Iulia (Trujillo) in provincia Bethuriae (Extremadura), strenuissimus miles qui praeditus fuit magnis roboribus corporeis ita ut posset uno digito molam asinariam detinere et quidem motam atque in momento maximae celeritatis et etiam armatus magno gladio stetit ad introitum cuiusdam pontis et detinuit innumerum exercitum ne per illum pontem transiret. Et talia fecit quae ipse de se scripsit et quidem cum moderatione equitis atque historiographi, sed si alter de eo eadem narrasset et absque ulla motione animi, in oblivionem eiiceret omnes historias Hectoris, Achillis et Orlandi (Roldani).

–Haec enarrabis patri meo! –dixit ipse caupo–. Quid est hoc mirandi! Tantum detinere molam asinariam! Per misericordiam Dei! Tamen si legisses quae Felixmars ab Hyrcania fecerit, quia tantum ictu transverso gladii sui scidit quinque gigantes per medium corpus tamquam si facti essent fabarum, similes pusillis homunculis, quos pueri ad ludendum faciunt. Et quondam impetum fecit in potentem exercitum et quidem magis quam millionem sescenta milia militum, et omnes illi armati erant a summo usque deorsum cunctosque contudit tamquam si armenta pecorum essent. Et quid ergo dicendum est de optimo domino Cirongilio a Thracia, qui tam strenuus alacerque fuit sicut videtur in hoc libro, ubi narratur eum quondam navigavisse per quoddam flumen et en in mediis aquis surrexit serpens igneus et simul atque eum vidit eiecit se ipsum super eum atque ascendit ac sedit super dorsum squamosum et pressit guttur eius cum ambabus manibus et quidem tam magna vi ut serpens vidit se suffocari et nihil amplius facere potuit quam in profundum fluminis submergi ferens illum equitem, qui nullo modo eum reliquit! Et cum pervenerunt in altum aquarum deorsum ecce invenit aulas regias et pulchra viridaria miro visu et serpens factus est vetus senex, qui ei tam multa dixit ut nihil amplius audiendum sit. Taceas, domine, quia si haec audisses amens fieres propter gaudium. Et binos ficos obscenos dabo alterum Magno Ductori alterumque Didaco García de quibus loqueris.

Dorothea autem, his verbis auditis, ad Cardenium dixit:

–Secundum me non multum distat hospes noster ut fiat alter dominus Quixotus.

–Hoc mihi quoque videtur –respondit Cardenius–, quia, sua opinione, arbitratur omnia, quae in his libris sunt, reapse accidisse tamquam scripta sunt atque aliter non facient ei credere nec monachi discalceati.

–Videas, frater –ait denuo parochus–, numquam in mundo fuisse Felixmartem ab Hyrcania nec dominum Cirongilium a Thracia neque alios similes equites, quos libri huius equitatus describunt, quia haec omnia sunt artificia et fictio de ingeniis otiosis, qui eos scripserunt ad effectum promovendum et ad oblectamentum temporis, quia sic hoc oblectamento messores gaudent. Sed reapse iuro tibi numquam tales equites fuisse in mundo nec talia praeclara facta nec stultitias evenisse.

–Alii cani haec ossa eiicite! –respondit caupo–. Tamquam si vere nescirem quot sunt quinque et ubi premit mihi meum calceamentum! Noli alere me cum pappis puerorum, quia non amplius ingenuus sum. Num fieri potest ut credam hos libros mendaces ac stultitias esse cum imprimi possint cum licentia auctoritatis Consilii Regalis, tamquam si essent homines qui permitterent eos imprimi tot mendaciis et tot proeliis ac tam multis incantamentis, quae miro modo mentem auferunt?

–Iam tibi dixi, amice –obiecit parochus–, hoc permittitur ad nostras cogitationes otiosas oblectandas; et sic toleratur in statuta re publica esse ludos latrunculorum, pilae, ac trudiculorum, ut sint oblectamenti his qui nec desiderant nec debent nec immo possunt laborare. Et eodem modo tales libri imprimuntur arbitrando neminem ignorantem esse, qui tales libros ut veram historiam credant. Et si mihi licebit, cum indulgentia auditorii, nonnulla dicerem de his, quae hi libri equitatus debent dicere ita ut boni libri sint et tunc essent cuiusdam utilitatis et etiam contentus nonnullis. Tamen exspecto, tempore prodeunte, me haec dicturum esse cui possit medelam facere, sed interea crede, domine caupo, quod dixi tibi, atque accipe tuos libros et cura de veritatibus sive de mendaciis eorum et prosint tibi et faxit Deus ne eadem facias ut tuus hospes dominus Quixotus qui vere a recta via lapsus est.

–Nequaquam! –respondit cauponarius–; quia ego numquam ero tam demens ut fiam eques itinerans; et nunc temporis mores non ut olim fuerunt, cum dicitur hos illustres equites itinerantes ambulavisse per mundum.

In media hac locutione Sanctius apparuit et valde turbatus erat ac meditabundus de his quae audiverat, nempe nunc temporis non esse equites itinerantes necnon libros equitatus stultitias ac mendacia esse et proposuit in suo animo exspectare quid eveniret de itinere domini eius et si, exspectata felicitate, non adimpleretur, opus erat dominum suum relinquere et reverti ad suam uxorem et liberos amborum et ad consuetum laborem.

Caupo tulit secum sarcinam et libros, sed parochus dixit ei:

–Exspecta parumper, quia videre volo, quaenam sint illa manuscripta exarata tam optimis characteribus.

Hospes eduxit ea eique porrexit ad legendum et ille vidit esse octo fascicula manuscripta atque imprimis titulum magnum habebant quo legebatur: *FABELLA INVIDI MARITI IMPORTUNI*. Parochus sibimet legit tres sive quattuor lineas eius et dixit:

–Profecto non male mihi videtur titulus huius fabellae et quidem eam totam legere vellem.

Cui cauponarius respondit:

–Bene poteris tu, reverendissime, eam legere, et etiam dicam tibi quosdam hospites eam legisse et valde gavisi sunt de ea eamque a me quaesiverunt; tamen nolui eam eis dare, quia arbitratus sum reddere eam viro, qui huius sarcinae oblitus est, hic cum his libris et scriptis; et fortasse dominus eorum denuo aliquando huc veniat et quamvis tunc patiar defectionem horum librorum profecto ei eos redditurus sum; quia quamquam cauponarius etiam sum christifidelis.

–Recte iudicavisti, amice, –ait parochus–; sed si haec fabella placet mihi a te quaeso ut possim hanc transcribere.

–Libenter –respondit caupo.

Dum hi duo inter se loquebantur Cardenius accepit fabellam atque incepit eam legere et eadem quam dixit parochus videbatur ei, eumque rogavit ut palam omnibus legeret ita ut omnes eam audirent.

–Libenter legerem –ait parochus– nisi melius esset ire dormitum quam legere.

–Satis quies erit mihi –dixit Dorothea– oblectamentum lectionis cuiusdam fabellae, quia nondum est animus meus paratus nec tranquillus ut opus sit dormiendi cum vellem.

Hoc modo –inquit parochus– eam legam, saltem ad attentionem et curam huius rei adimplendam; et fortasse etiam cuiusdam gaudii erit.

Magister Nicolaus eadem ab eo quaesivit necnon et Sanctius; parochus, his argumentis auditis, putavit lectionem omnibus futuram esse magnum oblectamentum et etiam sibimet, et dixit:

–Cum hoc ita sit, attendite cuncti auribus arrectis, quia fabella hoc modo incipit.

Capitulum 33. Ubi narratur fabella INVIDI MARITI IMPORTUNI

Quondam Florentiae, in urbe locupletissima et illustri totius Italiae, in provincia quae Toscana vocatur, Anselmus Lothariusque, duo equites divites ac praestantes, vivebant et immo tam amici ad invicem erant ut propter excellentiam et antonomasiam omnium, qui eos cognoscebant *duos amicos* saepe nuncupabant. Coelibes ambo erant, unius aetatis, atque eosdem mores habebant et haec omnia iuvabant ut ostenderent univocam amicitiam. Anselmus autem, ut ita dicam, magis proclivis erat ad res amatorias quam Lotharius, hic autem affectus erat re venatoria, sed nihilominus aliquando Anselmus libenter quae sua erant relinquebat ut sequeretur quae Lotharius optabat atque eodem modo Lotharius sua desideria praetermittebat ita ut faceret favorem Anselmo. Quare sponte uno corde et una anima ambo erant ita ut nullum horologium melius iter suum adimpleretur quam illi.

Anselmus autem ardebat pulchram ac nobilem virginem eiusdem urbis, filiam optimorum parentum et ipsa taliter bona erat ut statueret, annuente Lothario, sine

quo nil solebat facere, illam a parentibus in matrimonium quaerere eamque ducere uxorem. Ille haec omnia fecit atque ipse Lotharius fuit, qui hanc legationem adimplevit et tam bene suum officium perfecit ut breviter paraverunt nuptias et possessionem quam petivit obtinuit. Et eodem modo etiam Camilla valde gavisa est nubendo Anselmo eumque nanciscendo ut maritum suum, qua de causa gratias permultas coelo egit et etiam Lothario per quem haec beneficia ei pervenerunt.

Caeremoniis matrimonialibus peractis, et quidem primis diebus post conubium, coniuges valde laeti erant atque ut omnes gaudere solebant, et Lotharius visitabat suum amicum Anselmum frequenter, etiam solito more, et quidem ad eo gaudendum eumque honorandum. Tamen Lotharius incepit visitationes suas ad domum Anselmi paulatim praetermittere, quia ei videbatur – secundum morem omnium hominum prudentium – non oportebat visitare amicos coniuges neque introire domus eorum ut antea cum nondum uxorem duxerint et coelibes essent, quamvis vera ac bona amicitia non deberet suspicionem creare de quacumque re, sed honor tam subtilis est ut offensam afferat etiam a fratribus, quid dicendum si tantum de amicis ageretur.

Anselmus vero hanc negligentiam Lotharii animadvertit et lamentabatur, propter hanc suppositam iniuriam, eique dixit si certo sciret ante matrimonium amicum eius eum derelicturum esse nullo modo uxorem duceret. Et si secundum bonam conviventiam amborum, dum ipse esset coelebs, assecuti sunt amabile nomen quo eos *duos amicos* appellarent, ab eo ipse quaerebat, quare debebant hoc iucundum nomen amittere propter hanc nimiam circumspectionem qua tam magnum honorem obtinuerunt. Qua de causa eum cogebat, si taliter inter eos hic modus loquendi licebat, ut ille denuo ageret tamquam si esset dominus domi eius, ita ut domum intraret et exiret domo ut antea, eumque certiorem fecit Camillam uxorem eius nihil aliud velle nec aliam voluntatem habere quam propriam eius et sic ut ipsa noverat modum, quo illi duo sese amabant, valde confusa erat propter hanc nuperrimam ortam negligentiam Lotharii.

Has argumentationes et alias multas Anselmus dixit Lothario ad eum alliciendum ut ad domum eius rediret more solito, quibus Lotharius prudenter ac magna cautela respondit et hoc modo Anselmus contentus fuit desiderio amici sui. In posterum mutuo statuerunt ut biduo in hebdomada et etiam diebus festivis ad convivium Lotharius cum eo veniret. Quamvis haec inter se constituerint Lotharius decrevit nihil amplius facere quam quod honori amici eius conveniret propterea quod cupiebat bonam opinionem amici quam suam propriam. Sic dicebat, et hoc modo bene iudicabat, maritus, cui coelum pulchram uxorem praebuit, tam magnam curam de amicis suis oportet facere, nempe quos amicos ad domum adducat quam etiam quaenam sint amicae, quae cum uxore loquantur, nam quod non praebetur uxoribus in plateis vel in templis sive in publicis festivitatibus vel immo in annuis conventionibus –res quae mariti numquam negaturi sunt uxoribus eorum–, accidit magna facilitate in domo cuiusdam amicae vel propinquae de qua minus suspicatur.

Etiam Lotharius loquebatur de necessitate quam mariti habebant ut unusquisque amicum bonum rogaret ad animadvertendum ei de proprio modo agendi; nam aliquando maritus propter insolitum amorem erga uxorem nec admonet eam nec ei dicit quin ei iniuriam afficiat ut illa faciat sive aliquid vitet sive relinquat, quia si id

faceret vel vitaret esset quaestio honoris vel vituperii; ex quo si haberet bonum amicum, qui ei id animadverteret magna facilitate remedium opportunum invenire posset. Sed ubinam gentium inveniatur talis verus amicus praeditus prudentia ac fidelitate sicut Lotharius hic et nunc postulabat? Nescio num talis reapse sit. Tantummodo Lotharius erat iste, qui magna cum sollicitudine et circumspectione inspiciebat honorem amici sui et propterea paulatim in dies mutuam relationem inter eos curabat minuendi et abbreviandi, ne vulgo otioso, et oculis malitiosis et errabundis, suspectae viderentur illae visitationes viri coelibis, nobilis natu ac praediti divitiis, quamvis ipse crederet se bonam famam habere, ad domum mulieris tantae pulchritudinis tamquam Camillae. Et hoc quamquam bona reputatio illius potest imponere frenum omni maledicentiae ne dubitarent tum de propria fama tum de fama amici eius. Quapropter dies conventus amborum, Lotharius navabat operam aliis occupationibus negotiisque, quae dicebat inexcusabilia esse. Hoc modo praeteribant momenta et partes omnis diei inter lamentationes et mutuas excusationes.

Olim autem accidit eis, dum deambularent in prato extra muros urbis, ut sic Anselmus Lothario has cogitationes exponeret:

–Fortasse cogites, Lothari amice, me non posse convenienter gratias agere pro beneficiis a Deo acceptis, quoniam vere Ille fecit me filium parentum meorum et etiam locupletem lautis divitiis sua magnanimitate, et dedit mihi munera naturae et fortunae, quibus omnimodo superavit me. Et super haec beneficia te dedit mihi tamquam optimum amicum et Camillam, uxorem meam, et haec duo munera praeter omnia habeo quamvis fortasse nesciam quomodo possim Ei grates agere. Nihilominus quamvis haec omnia beneficia sint mihi, egomet considero me infeliciorem omnibus hominibus in toto universo terrarum et ratio huius rei est cogitatio, quae me turbat his nuperrimis diebus, et haec est quaedam cura insolita, quae defatigat et urit me et quam vellem a me avertere, vi cuius miror et cum solus sum sentio me culpabilem et piget et pudet me huius rei atque eodem tempore nolo de eo loqui et sic celare volo meas cogitationes, sed non possum id facere et hoc modo secretus meus pugnat tamquam si cunctis hominibus dicere vellem. Et ut ita sit, oportet me tibi id primum dicere ut possis servare in archivo arcanorum tuorum, ante quam palam aperiatur, nam credo ab angore meo me breviter liberari posse tuo iuvamine, ut verus amicus et ope tuae diligentiae ad me consolandum. Et laetitia ad me veniet propter tuam optimam sollicitudinem sicut nunc displicentia advenit ad me propter amentiam meam.

Lotharius, his argumentis ab Anselmo expositis, suspensus ac stupefactus omnino mansit et nesciebat quonam ille perventurus esset hac introductione ac praeambulo tam longinquo, donec sua mente evolveret quod desiderium esset, quod tam multum defatigabat amicum eius et sic a veritate procul aberat. Atque ad longum suspensum vitandum dixit ei eum magnum aggravium amicitiae eius facere si non subito cogitationes suas directe diceret quin per ambages circumiret; nam pro certo haberet se bene dispositum esse ad pollicendum sive ad consilia vel remedia danda ita ut adimplerentur.

–Hoc verum est –respondit Anselmus–, et hac fiducia te faciam certiorem, amice Lothari, et tibi dicam desiderium quod defatigat me, scilicet utrum Camilla, uxor mea, tam bona sit ac perfecta sicut nunc egomet de ea cogito necne. Et non possum

hanc veritatem recognoscere, nisi faciam temptationem et videam eam et quidem tali modo ut ipsa possit ostendere bonitatem suam sicut ignis probat qualitatem auri. Nam ego credo, amice mi, mulierem non bonam esse nisi sollicitetur et tantum fortem esse si non flectetur promissionibus, muneribus et lacrimis et etiam continuis inconstantiis amantium. Quaenam ergo mulier –inquiebat ille– aestimabitur ut bona si nemo eam temptavit ut sit mala? Quid ei prodest si permanet domi timorata et numquam habuit occasionem relinquendi domum, quia scit maritum eius etiam prima transgressione eam apprehensurum esse et quidem ad eam interficiendam? Hoc modo non diligam mulierem quae bona est propter timorem sive, quia non fuit ei occasio transgrediendi, sicut illa sollicitata et persecuta, quae meruit coronam victoriae. His verbis dictis atque aliis multis, quae tibi dicere possum ad meam opinionem roborandam, tibi dicam desiderium meum, scilicet ut Camilla, uxor mea, transeat per haec pericula atque in igne probetur ita ut sollicitetur ab illo, qui audeat voluptatem suam cum ea habere et cum illa obtineat palmam victoriae ex hoc proelio, ut firmiter credo, maxima fortuna ac beatitudo erit tunc mihi. Et hoc modo egomet nanciscar iterum plenitudinem fortunae, quia ad nutum meum complebitur indigentia meae cupiditatis et etiam dicam me mulierem fortem invenisse de qua Sapiens dicit «quis eam inveniret?» (Prov. 31.10) At si hoc e contrario accideret, quam quod ego exspecto propter desiderium temptandi eam, sine magno dolore erit haec tam onerosa experientia mea. Et te facio certiorem te nullo modo posse me a meo desiderio avertere, quamvis multa adversa diceres mihi ad operam navandam. Qua de causa rogo te, o carissime Lothari, ut disponas te tamquam instrumentum idoneum ad hanc operam perficiendam propter desiderium meum et tibi occasionem praebebo ut omnia facias ad sollicitandam mulierem honestam, honoratam, prudentem atque integram. Et inter alia ad hoc arduum propositum parandum est mihi resolutio, vi cuius si ipsa Camilla vinceretur a te infortunium non perveniet ad finem huius status rerum, sed tantum ad cognitionem eius secundum meam dispositionem. Hoc modo non manebo offensus, sed saltem in desiderio, et haec iniuria latebit sub virtute silentii tui, et hoc aeternum erit in his quae ad me pertinent sicut silentium mortis. Quaproter si vere vis me veram vitam habere intrabis in hanc disputationem de re amorosa et quidem non pigre nec timorate, sed alacriter et vehementer tamquam desiderium meum poscit atque ut fidelitas nostrae amicitiae asseverat me.

Lotharius, his argumentis ab Anselmo dictis, attenter exaudivit et quidem auribus arrectis, sed os suum non aperuit donec ad finem perveniret atque illa sunt quae hic scribuntur et cum vidit eum nihil amplius addidisse, tunc stupefactus inspexit eum per quamdam moram, tamquam si aliquid videret quod numquam intuitus esset et de quo vere mirabatur magnopere et maximo pavore eique dixit:

–Nullo modo possum credere, Anselme amice, tua verba ad me vera esse, et non iocus. Nam si vera essent minime assentirer te ulterius progredi quin tuam longam concionem exaudirem. Procul dubio existimo te non satis cognoscere me sive me non intelligere te. Sed hoc non fiere potest, nam bene scio te esse Anselmum ac tu bene cognoscis me Lotharium esse; difficultas totius huius rei manet, quoniam ego puto te non esse solitum Anselmum quem noveram atque ego non sum Lotharius, qui debui esse, nam verba quae mihi dixisti non sunt illius Anselmi amici mei neque

quae quaeris quaerenda sunt ab illo Lothario quem tu bene noveras. Et propterea quod boni amici probandi sunt erga amicos, se bonos esse ita ut eis valeant, tamquam dixit poeta *usque ad aras*, et his verbis voluit significare ille sperabat fore ut nemo uteretur amicitia in rebus contra Deum. Et si gentilis sic arbitratus est de amicitia, nonne melius est quod christifidelis sentiat ut nulla causa humana velit amittere amicitiam divinam? Et si amicus vectem iactat et tam longe, quaestionibus coelorum remotis, ita ut possit succurrere amico, et non propter illa quae sunt parva sive minoris momenti, sed propter ea quae pendent de honore et vita amici eius. Tunc dicas mihi, carissime Anselme: Quid ex duabus rebus habes in periculo ita ut audeam facere ad tuum placitum quod secundum me tam detestabile est tamquam quod a me quaeris? Nullam bonam rem, mea sententia, sed e contrario a me quaeris ut auferam tuum honorem vitamque atque eodem modo etiam vitam meam amittam. Nam si conor tuum honorem auferre, ut patet, etiam aufero tuam vitam, nam homo sine honore peior est quam mortuus, et si ego sum instrumentum damni tui, ut tu ipse vis, nonne egomet amittam meum honorem et eodem tempore etiam sine vita maneam? Ausculta me, amice Anselme, atque habeas patientiam et ne respondeas quin antea finiam quod tibi dicendum est de tua petitione; et iam habebis tempus ad respondendum atque ego audiam te.

–Hoc mihi placet –inquit Anselmus–; dic ergo quidquid velis.

Et Lotharius prosecutus est dicens:

–Mihi videtur, o Anselme! te habere intellectum tamquam mauri semper habuerunt, quibus nullo modo fieri potest ut intelligant errorem sectae eorum ope argumentorum Sanctae Scripturae, neque cum argumentis quibus speculatio intellectus adimpleatur neque quae habeant fundamenta in articulis fidei, sed oportet ut videant exempla palpabilia ac simplicia et valde intelligibilia, quae certe ostendant more mathematico quod nullo modo negandum est, ut ita dicam: «Si ex duobus partibus aequalibus extrahimus partes aequales, quae manent etiam aequales partes sunt»; et si hoc non intelligunt verbis, quia vere nec intelligunt, ostendere debemus manibus atque ante oculos eorum ponere et immo tunc nemo poterit probare eos de veritatibus meae sacrae religionis. Et fortasse etiam idem erit tecum, quia desiderium quod ortum est in te, progreditur extra viam tali modo ut reiiciat quidquid iustum sit, quare mihi videtur tempus amittere si tecum de hoc loquor ita ut intelligas tuam simplicitatem. Nam hucusque nullum aliud nomen ei dabo et nescio si debeo te relinquere in tua aberratione propter tuum adversum desiderium. Tamen hoc non faciam propter amicitiam quam habeo erga te, quae non sinet me relinquere te in hoc periculo amittendi te. Atque ut hoc aperte videas, dic mihi, Anselme, nonne speras fore ut sollicitem mulierem pudicam, ut persuadeam honestae, ut alliciam innocentem atque ut serviam prudenti? Certe haec a me quaesivisti. Tunc si vere scis te habere uxorem pudicam, honestam, innocentem ac prudentem, quid ergo ab ea quaeris? Et si vere cogitas eam contra omnes oppugnationes meas victricem esse, quia sic erit absque ullo dubio, quas qualificationes tunc dabis ei, quae sint maioris momenti, quam quas nunc illa habet? Sive tu non vere credis eam esse tamquam de ea dixisti, vel nullo modo scis quid quaeras. Et si vere non credis eam esse sicut dixisti, quare vis hanc experientiam facere? Et si illa mala est, fac cum illa sicut velis. Tamen si illa bona est, ut dixisti, inopportunum erit periculum facere huius

veritatis, quia, hac probatione peracta, quid erit ex illa primigena aestimatione? Quapropter aperta dementia est hanc experientiam facere, nam ex ipsa tantum erit damnum et nulla utilitas atque haec argumentatio non est nisi iudicium temerarium et praesertim, quia haec omnia non necessaria sunt, nec ab ullo requiruntur. Et res difficiles temptandae sunt sive propter Deum sive propter mundum vel ab ambobus: sancti fecerunt quae ardua erant propter Deum et sic habuerunt vitam angelorum in humanis corporibus; illi autem qui transiierunt per tot aequora ac diversitates climatum necnon et gentium ad nanciscenda bona fortunae, quae dicunt, propter respectum huius mundi haec fecerunt. Sed quae propter Deum ac per mundum una temptantur ea sunt quae milites strenui fecerunt, qui cum viderunt murum apertum a latere inimicorum per explosionem tormenti bellici, omni timore remoto, ac, nullo ratiocinio facto, atque omni periculo spreto, moti alis proprii desiderii ad fidem defendendam sive ad nationem protegendam vel ad dimicandum pro rege, proiiciunt se intrepide et audacter in permultis periculis mortis, quae eos exspectant. Sed quod tu temptare vis nec dabit tibi gloriam Dei nec bona fortunae nec immo famam inter homines; quia si saltem exeas ex his periculis secundum desiderium tuum, nullo modo eris felicior nec ditior nec honorabilior quam nunc tu ipse es. Et si non hanc prosperam fortunam habebis tunc videbis te in maxima miseria, quae imaginari possit, nam nulla utilitas erit tibi putando neminem cognoscere adversitatem tuam ex hac experientia et sufficiens erit tibi ut ipse cognoscas quodcumque accidit tibi. Et ad hanc veritatem confirmandam tibi dicam carmen quod composuit clarus poeta Ludovicus Tansilus in fine primae partis *Lacrimarum Sancti Petri* quod sic dicit:

Dolor auget, quoque crescit modestia
in Petro cum alba lux luceat omnibus,
quamvis neminem videat in molestia
de ipso, quia hic peccavit in milibus
et magnanimum pectus fit ut bestia,
donec iam cogitet de rebus talibus.
Pudet eum, quia vere ipse veretur,
alter coelum et terram intueretur.

Et dolorem tuum non minues, quamvis eum abscondas; potius plorabis continuo et si non lacrimis oculorum saltem lacrimis sanguinis cordis tui. Sicut ille simplex doctor eas flebat de quo noster poeta narrat eum comprobationem poculi fecisse, quam cautus Reinaldus magna prudentia recusavit. Et quamvis haec sit quaedam fictio poetica in se habet secreta moralia digna ut animadvertant et intelligant, sed praesertim ut imitentur. Et potissimum atque, his a te auditis, ut intelligas quam magnum errorem patrare vis. Dic mihi, Anselme, si coelum vel prospera fortuna dat tibi adamantem pretiosissimum de cuius qualitate ac pondere omnes gemmarii, qui eum vident contenti mirantur et cuncti una voce atque eadem opinione dicent eum propter pondus, qualitatem ac bonitatem pervenire ad limen quo natura de talibus lapidibus attingere potest, et etiam ipse tu haec credes, nemine discrepante, num

iustum esset ut desiderares illum adamantem ponere inter acmonem ferrarii et malleum ibique tuis viribus probare utrum tam durus esset ac praestans ut de eo dicunt necne? Insuper atque, his rebus ita peractis, et quidem, hoc lapide bene probato, num augeret suum pretium sive famam, hoc periculo facto? Et si casu rumperetur, nonne haec omnia amitterentur? Profecto atque omnes crederent illum dominum vere simplicem esse et fatuum. Tunc, Anselme amice, animadverte Camillam esse adamantem petiosissimum tam in tua aestimatione quam in aestimatione aliorum et non est rationabile eam in periculo et probatione ponere, etsi sua fortitudine salvetur semper adesset periculum frangendi et quamvis ipsa sua integritate maneat non augeret suam aestimationem et pretium quod nunc ipsa habet, sin autem si vere caderet et non resisteret, considera hic et nunc quomodo sine ea esses et quas lamentationes faceres de te ipso, quia fuisti causa illius perditionis et etiam tuae. Vide nullam gemmam esse in mundo tanti pretii quam mulier casta et honorata omnisque honor mulierum consistit in bona opinione quam de eis habeant. Et si uxor tua talem honorem habet et summitatem omnis bonitatis attigit, cur vis hanc veritatem in temptatione sive in dubio ponere? Vide, amice, mulierem animal imperfectum esse et non opus est ut obstacula ei statuas ita ut ea offendat et cadat; sed potius para ei viam expeditam et remove ab ea obstacula omnis generis ut illa possit celeriter currere atque obtinere perfectionem qua careat, nempe ut sit valde honesta. Naturalistae narrant mustellam animal esse quod pellem candidissimam habet et cum id venari volunt venatores hoc artificio utuntur: cum cognoscant regiones quibus hoc animal transiturum esse has partes intercludunt luto ac limo et, magnis vocibus allatis, mustellam expavescunt ita ut ad illas regiones perveniat. Tamen mustella mox ac venit manet immobilis atque eam prendere possunt et capere, propterea quod non vult transire per caenum et lutum quin perdat ac maculet albitiem suam, quia diligit hanc potius quam libertatem ac vitam. Mulier casta honestaque est similis mustellae et virtus honestatis candidior quam alba ac limpida nix est. Et si quis vult tamquam mustella ut illa hanc qualitatem non amittat, sed custodiat et servet, oportet ut agat diversimode quam cum mustella et non ponat ante oculos eius caenum munerum et ministeriorum amantium inopportunorum ne fortasse illa careat tanta virtute ac vi naturali ad dimicandum a semetipsa ut possit obstacula superare. Melius est obstacula a conspectu eius removere atque ante faciem eius ostendere munditiam virtutis et pulchritudinis quam bona fama includit. Bona mulier etiam est tamquam lucidum et clarum speculum vitreum quod facillime obscuratur cum halitus vel vapor id tangit. Atque honesta mulier tractanda est tamquam reliquiae: oportet eas venerari, sed non manibus tangere. Et bona mulier custodienda atque aestimanda est sicut servatur viridarium venustum plenum floribus rosisque, cuius dominus non permittit neminem ibi intrare nec manibus tangere; satis est ut a longe id inspiciat et per cancellos ferreos gaudeat fragrantia ac formositate eius. Et denique tibi volo carmen dicere quod ad meam memoriam venit, quod audivi in quadam hodierna comoedia, et potissimum agit de his, quae nunc tractamus, atque ad hanc rem pertinet. Prudens senex consilium dabat altero, patri cuiusdam virginis, ut eam recolleret, custodiret et clauderet atque inter alia haec ei dixit:

En mulier est nimis fragilis
non debemus eam probare
sed ut crystallum curare
ne frangatur cui sit similis.

Et si facilius haec frangitur,
non opus est ammittendi
cum periculo frangendi
quod non optime reponitur.

Et in hoc consilio erunt
qui hac ratione nituntur
nam si Danaae inveniuntur
etiam aureae pluviae fuerunt.

Quaecumque dixi, o Anselme! hucusque tantum fuit, quia haec ad te pertinebant; nunc autem opus est ut audias quod proprius me attingat; et ignosce mihi si longam moram protraho argumenta mea; sed omnia necessaria sunt in hoc labyrintho in quem introiisti atque ex quo vis me te educere. Tu habes me tamquam bonum amicum et quidem hunc honorem a me nunc cupis auferre, quod contra omnem amicitiam est; et non tantum hoc, sed immo conaris ut honorem tuum a te eripiam. Apertum est te velle ut auferam a te tuum honorem, nam cum Camilla animadvertat me eam sollicitare, sicut a me quaeris, profecto me habebit ut virum absque honore et malignum, quia cupio et facio rem tam contrariam ad tuam debitam amicitiam. Verumtamen atque absque dubio est te velle me honorem a te auferre, quia cum Camilla videat me eam sollicitare, statim putabit me aliquam imperfectionem vidisse in ea, vi cuius ausus sum nefastum desiderium meum ei ostendere et hoc modo credat se inhonoratam esse atque hoc etiam pertinet ad te, quia agitur de honore illius. Hinc oritur quod communiter fertur de marito uxoris adulterae, et quidem, ipso nesciente, cum nulla occasio ab ipso data sit ut uxor eius adultera fiat, atque hoc sine negligentia sive cautela ad hanc calamitatem, omnino eum vocant et nuncupant sordido nomine contemptus ac vilipendii in loco videndi eum cum misericordia debita, quia haec calamitas ad eum pervenit non propter eum, sed propter pessimam uxorem. Et vere causa est quare maritus inhonoratus a sua mala uxore, eo quidem nesciente, nec culpam ipse habeat nec ullam partem nec occasionem ei dederit ut haec sic fiat. Sed ne defatigeris audiendi me, quia haec omnia ad tuam utilitatem sunt. Cum Deus creavit Adamum patrem nostrum primigenum in paradiso terrenali, dicit Sacra Scriptura Deum immisisse soporem in Adamum et cum obdormisset tulit unam de costis eius de sinistro latere et ex qua Deus formavit Evam nostram matrem primigenam; et simul atque Adamus expergefactus intuitus est eam et dixit: «Hoc est caro de carne mea et os ex ossibus meis.» Et Deus dixit: «Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et erunt duo in carne una». Tunc autem institutum est divinum sacramentum matrimonii et talibus ligaminibus, quae sola mors ea deligare potest. Et hoc miraculosum sacramentum talem virtutem ac robur habet ut

duo entia diversa unam ipsam carnem efficiant et immo adhuc facit in optimis coniugibus, qui quamquam duos animos habent tantum ipsa una voluntas est eis. Hinc autem provenit ut caro uxoris ipsa res sit ac mariti et etiam maculae, quae in ipsa cadunt, sive defectus uxoris redundant in carnem mariti, nulla occasione ab eo ad damnum data. Et sic ut dolor pedis sive cuiusdam membri corporis humani sentit totum corpus, quia omnia una caro sunt et caput sentit damnum ex talo tibiae, quod minime provocavit, sic maritus particeps est indigentiae honoris uxoris, quamvis non sit causa eius, quia una res cum ea ipse est. Et sic ut honores sive inhonores mulieris ex carne et sanguine oriuntur atque iidem sunt malae mulieris huiuscemodi atque opus est ut maritus particeps sit in eis, quamvis inhonoratus ipse sit, eo omnino insciente. Vide ergo, o Anselme! ad quam magnum periculum te ipsum committas turbando quietem qua tua bona uxor vivit. Animadverte ergo quod potes lucrari, quod parvi momenti est et quod possis perdere quod tam magni momenti erit et haec in hoc loco relinquam, quia desunt mihi verba ad amplius exprimendum. Sed si omnia quae dixi non satis sunt ut adversum ac periculosum propositum tuum vitem, oportet te aliud instrumentum, nempe alium virum, quaerere ad ignominiam et infortunium tuum machinandum; egomet nullo modo ero, quamvis amittam amicitiam tuam, quae mihi videtur maximum bonum quod imaginari valeo.

His verbis dictis, tacuit prudens Lotharius et Anselmus quoque mansit meditabundus conturbatusque et, longa mora elapsa, nec verbum respondere potuit. Tamen denique ait:

–Magna quidem attentione auvidi, ut iam vidisti, carissime Lothari, quaecumque dixisti mihi et ope horum argumentorum, exemplorum ac similitudinum vidi magnam prudentiam quam vere habes immo et veram amicitiam erga me. Eodem modo video si non sequor tuum consilium me currere fugiendo a bono et petendo malum. His praelibatis, profecto considerabis me eodem morbo laboravisse de quo dicunt habere nonnullas mulieres, quae terram, gypsum et carbonem comedere cupiunt aliaque immo quae sordidiora videndi sunt potius quam ad edendum, atque opus est cuiusdam artificii ut vere sanem ego. Sed hoc facile est, praesertim cum incipies, quamvis leviter ac ficte, sollicitando Camillam, quae non tam debilis erit ut imprimis cum sua honestate ad terram perveniat. Et, hoc initio praelato, contentus ero et tu adimplebis quod nostrae amicitiae debeas, quibus mihi vitam restitues et suadebis me honorem habere. Hoc autem facies et quidem propter hanc causam, nempe quia vidisti me vere obstinatum esse ad hoc periculum faciendum et tu nullo modo potes permittere ut alius vir hoc dicat, vi cuius perderem omnem honorem quem tu vis me nullo modo amittere, etsi honor tuus non maneat in aestimatione Camillae in ipso loco propter sollicitationem quam facies ei, sed breviter illa haec omnia intelliget cum inveniamus exspectatam integritatem eius incolumem mansisse eique omnem veritatem totius huius nostri artificii exponamus; tunc etiam pristinum tuum honorem recuperabis. Cumque haec sint tibi parvi periculi et mihi magni contentus, quaeso ne avertas tuum iuvamen mihi, quamvis nonnulla inconvenientia invenias, et ubi primum incipias hoc negotium, hoc accipiam ut finitum.

Lotharius, resoluta voluntate Anselmi conspecta, nescivit alia exempla adducere atque alia argumenta exponere ne ille sequeretur suum designium. Et cum crederet

periculum maius ei minari statuit placere ei et facere quidquid ab eo quaereret, cum voluntate ducendi omne negotium ad plenum delectamentum Anselmi, cogitationibus Camillae nullo modo perspectis. Et tunc Lotharius dixit Anselmo ut nemini cogitationes suas exponeret propter quod ipse sumeret sua propria manu hoc negotium et paratus erat ad id faciendum sicut ille vellet. Anselmus eum arcte atque amabiliter amplexus est eique gratias egit propter decisionem eius, tamquam si magnum beneficium ei vere faceret. Atque inter ambos pactum statuerunt ut in crastinum diem haec omnia inciperent. Ille autem dabit Lothario occasionem ac tempus ita ut solus esset ad loquendum cum Camilla necnon et pecunias gemmasque daturus esset ei ad munera facienda Camillae. Consilium quoque dedit ei, nempe ut musicam pulsaret necnon et carmina scriberet in laudem Camillae, sed si amicus nollet hunc laborem suscipere tunc Anselmus nomine eius ea faceret. Lotharius, his omnibus verbis prolatis, paratus erat ad omnia facienda, quamvis alia voluntate quam Anselmus arbitraretur.

Hoc consilio facto, ambo ad domum Anselmi reversi sunt, ubi Camillam intranquillam invenerut exspectantem maritum, quia praecise illo die plus aequo demoratus erat.

Lotharius domum suam petivit atque Anselmus in sua mansit et quidem laetus, quamvis Lotharius meditabundus haec omnia in sua mente evolveret, quia nesciebat quid faciendum erat ad hoc negotium inopportunum superandum. Illa nocte cogitavit de modo quo facilius posset Anselmum decipere, nullo detrimento ac nulla iniuria Camillae facta. Crastino die Lotharius cum amico suo prandium edit et Camilla eum bene recepit, quae eum bene accipiebat eique libenter favebat, propter amicitiam mariti erga eum.

Prandio autem finito, et mappis ac reliquis mensae remotis, tunc Anselmus rogavit Lotharium ut maneret cum uxore eius dum ipse necessarium negotium solveret atque intra horam ac dimidiam reversurus esset. Camilla rogavit Anselmum ne exiret et Lotharius sua vice eum comitari voluit, sed haec fuerunt inaniter. Anselmus tamen quaesivit a Lothario ut maneret cum uxore eius, quoniam res maximi momenti erat ei, quare hic debebat manere usque ad reditum eius. Etiam ille monuit Camillam ut nullo modo relinqueret Lotharium solum, donec ille reverteretur domum. Profecto bene finxit necessitatem sive stultitiam absentiae ita ut nemo crederet eam fictam esse. Tunc Anselmus profectus est et soli accubiti mensae manserunt Camilla Lothariusque, quia reliqui illius domus ad prandium egressi erant. Lotharius invenit se molestum in loco illius ficti certaminis ab amico et coram inimico, qui tantum sua pulchritudine cohortem equitatus armati vincere posset: quare multo magis Lotharius eam timebat.

Attamen quod ipse fecit fuit cubitum bracchii sui super bracchium sellae ponere et palmam manus ad genam suam, et, venia a Camilla quaesita, propter inurbanitatem suam, ei dixit se voluisse parum quiescere dum Anselmus reverteretur. Camilla autem proposuit ei ut melius esset ei quiescere super lectum quam super sellam et sic rogavit eum ut intraret in cubiculum. Lotharius autem renuit id facere atque ibi obdormivit usque ad reditum Anselmi, qui cum inveniret Camillam in suo cubiculo et Lotharium dormientem, credidit, longa mora facta, ambos tempus habuisse tum loquendi tum

dormiendi atque inaniter exspectavit Lotharium expergefieri ut egrederetur foras ad eum interrogandum de fortuna habita.

Omnia fuerunt ut Anselmus voluit. Scilicet Lotharius expergefactus est, atque ambo foras exierunt et ab eo quaesivit quod voluit. Lotharius autem respondit ei dicens se non putavisse bonum esse tam celeriter prima vice haec omnia palam ea ostendere. Quare nihil aliud fecit quam laudare pulchritudinem Camillae, quia in tota urbe de nihilo aliud agebatur quam de formositate ac de prudentia eius atque hoc videbatur ei bonum initium ad voluntatem illius alliciendam atque ad eam disponendam ut iterum iterumque auscultaret eum cum gaudio. Hoc est verum artificium daemonis ad decipiendos homines, qui nimis curant de se ipsis; tunc hic fit angelus lucis, quamvis angelus tenebrarum sit, et bonis modis fictis, denique ostendit quis vere sit et suas proprias qualitates; et voluntatem suam obtinet nisi imprimis dolus develetur. Hoc bene placuit Anselmo et putavit eamdem occasionem quotidie dare suo amico, quamvis ipse non exiret de sua domo, sed vacaret talibus rebus ne Camilla noverit artificium suum.

Et multis diebus elapsis, Lotharius nec verbum ait Camillae, at Anselmo dicebat se cum illa locutum fuisse, sed nullum signum invenisse apud eam conniventiae cum ipso, nec ullam umbram spei; potius contra eum minas iactabat se locuturam esse cum suo marito nisi averteret a suo perverso desiderio.

–Hoc bonum est –ait Anselmus–. Hucusque Camilla restitit verbis; nunc autem opus est ut obstet operibus; cras tibi dabo duo milia aureorum ut possis ei offerre atque ad dandos eos aliosque tales ut gemmas ei emas ad eam fovendam; quia mulieres cupidae sunt potissimum cum sint pulchrae et hoc, quamvis castae etiam sint, volunt induere eleganter et sese ostendere exornatas; si illa obstat temptationi, contentus ero et nullam aliam molestiam afficiam tibi.

Lotharius respondit ei se iam incepisse atque usque ad finem negotium perventurum, quamvis fessus ac victus esset. Alio die accepit quattuor milia aureorum, quibus etiam quattuor milia perturbationum, propterea quod nesciebat quid dicere ad ulterius mentiendum; tamen statuit dicere Camillam integram fuisse ante omnia dona, munera ac promissa tamquam fuit antea omnibus verbis, quare non oportebat amplius sese defatigare, quia omnia inaniter facta erant.

Tamen casu per aliam viam res acciderunt et sic evenit ut Anselmus, Lothario et Camilla solis relictis, sese abscondit in suo habitaculo et per foramen pessuli ianuae intus inspexit et auscultavit et sic occultus mansit ultra dimidiam horam et en vidit Lotharium, qui nec verbum dixit Camillae nec quidem ei loqueretur dum esset ibi per saeculum, quare intellexit quidquid amicus ei dixit responsa ficta ac mendacia esse. Et ad ea probanda ex suo habitaculo exivit et, Lothario vocato, eum rogavit quid novi esset et quid haberet Camilla in suo animo. Lotharius respondit dicens se noluisse ultra procedere in illo negotio, quia Camilla respondebat magna asperitate et amare ita ut nollet verbum aliud exponere ei.

–O Lothari! –ait Anselmus– Lothari, Lothari, et quam male convenis meis desideriis ad te oblatis! Per foramen huius clavis inspexi te et vidi te nullum verbum Camillae dixisse, quare intelligo fortasse te numquam cum ea locutum fuisse; et si hoc ita est, quod absque dubio sic erit, cur decipis me? sive, cur vis ope tuae machinationis auferre a me instrumentum ad desiderium meum nanciscendum?

Nihil amplius dixit Anselmus, sed hoc satis fuit Lothario ut paveret, quare mansit vere perturbatus; et erubuit propterea quod ille eum invenit mendacem, quare iuravit Anselmo se ex hoc et in futurum omnia facturum esse ad ei favendum et nullo modo ad mentiendum quod ipse posset videre si eum suo proprio studio inspiceret. Tamen hoc non necesse erat, quia ipse tantum quaerebat, nulla diligentia habita, desiderium suum nancisci, omni suspicione remota. Profecto Anselmus credidit ei atque ad melius faciendum et idoneum commodum decrevit iter facere octo diebus et sic petivit domum cuiusdam amici in pago non procul ab illa urbe; cum quo amico antea concertavit ut vocaret Anselmum ita ut reapse Camilla putaret hanc occasionem veram fuisse.

Miserrime atque inconsulte Anselme! Quid facis? Quid vere conaris? Quid tu ipse statuis? Animadverte te haec omnia contra te ipsum facere et te quaerere tuam ignominiam ac perditionem. Bona est uxor tua Camilla; quieto ac placido modo eam possides, nemo turbat desiderium tuum; cogitationes eius non perveniunt ultra parietes domus tuae; quia tu es coelum eius in terris, scopus desideriorum eius, adimpletio omnium cupiditatum et mensura illius voluntatis, quae modulatur secundum tuam et quidem decreto coeli. Nunc autem si hic fons honoris, formositatis, honestatis ac recollectionis animi dat tibi omnes divitias, quas vero habet et desideras, nullo labore praetermisso, cur vis terram deorsum amplius fodere atque alias venas huius fontis ad novum incognitumque thesaurum quaerendum? Nonne hoc erit cum periculo ut haec omnia tua bona in terram ruant, quia sustentantur debili natura, quae viribus caret? Vide autem ut ad impossibilia nemo teneatur, quare opus est ut denegetur ei quod iustum est, secundum quod dixit vates:

Vitam in morte ego quaero
in carcere libertatem,
in fallace veritatem,
egressum in claustro vero
et in morbo sanitatem.

Sed fortuna mea faciet
a qua omnia sic inspiciet
et cum coelo statuero
si impossibilia offero
quod fieri potest deficiet.

Hoc modo Anselmus in crastinum diem ad pagum profectus est, Camilla relicta sub protectione Lotharii tempore absentiae eius. Et quidem iussit Camillae ut ad prandium quotidie invitaret Lotharium et de eo curaret tamquam si maritus eius esset. Camilla valde afflicta est, sed ut uxor prudens atque honorata adimplevit mandatum mariti cui dixit ut animadverteret non esse bonum, eo absente, ut alius sellam mensae illius acciperet, nisi id faceret, quia non erat ei fiducia eam domum bene administrare posse et tunc temporis esset ad experientiam faciendam ita ut posset videre quomodo ipsa ad talia et immo ad maiora etiam parata esset. Tamen, prono capite, nihil aliud erat Camillae quam oboedire Anselmo; atque, omnino ea invita, haec adimplevit.

Anselmus profectus est et in crastinum diem Lotharius venit ad domum eius et Camilla eum amabiliter et honesto modo recepit. Tamen haec numquam fuit, ubi Lotharius cum ea solus esset, sed potius cum suis famulis famulabusque circumdata erat, praesertim cum quadam virgine nomine Leonela, quam multum diligebat, quia ambae una in domo parentum Camillae creverunt a tenera infantia, et cum Anselmus Camillam duceret uxorem, Camilla illam secum duxit ad novam domum. Tribus diebus elapsis, Lotharius Camillae nihil autem dixit, quamvis bene posset facere, praesertim, mappis remotis, cum omnes ad prandium festinarent, quia sic eis Camilla iussit. Atque etiam iussit Leonelae ut ederet ante quam ipsa Camilla comederet ita ut numquam eam solam cum Lothario relinqueret; tamen Leonela curabat de aliis rebus et urgebat de his horis ad voluptates suas exercendas ac mandatum Camillae non semper accurate adimplebat; sed potius eos duos solos relinquebat tamquam si hoc esset mandatum illius. Attamen conspectus honestae Camillae, auctoritas faciei, serenitas figurae tam magni ponderis ac momenti erat ut frenum poneret linguae Lotharii.

Tamen effectus virtutum Camillae ad silentium imponendum linguae Lotharii redundavit in maius damnum amborum, quia si lingua tacebat cogitationes discurrebant intus per mentem atque erat ei locum contemplandi omnes qualitates singillatim illius bonitatis ac formositatis Camillae, quae idoneae erant ad statuam marmoream alliciendam ad amorem et multo magis ad captandum cor humanum.

Lotharius autem inspiciebat eam in illo loco ac spatio, ubi locuturus erat cum ea et cogitabat de ea quam digna erat diligendi atque haec consideratio incepit oppugnare reverentiam debitam amico eius Anselmo, et milies voluit ab urbe discedere ac proficisci ad locum, ubi Anselmus nullo modo eum iterum videre posset nec ille amplius Camillam videret; tamen cupiditas videndi eam detinebat eum et id impediebat facere. Conabatur ille ac secum contendebat ad vitandum contentum quo fruitus erat videndo Camillam. Vocabat se malum amicum necnon et pessimum christianum atque inculpabat se illius aberrationis. Ponderavit suum modum agendi atque Anselmi et in his omnibus perveniebat ad iudicandam dementiam et excessum fiduciae Anselmi tamquam peiorem quam suam parvam fidelitatem, quapropter si excusationem apud Deum inveniret tamquam coram hominibus, nullam poenam timeret pro sua culpa.

Profecto, pulchritudo ac bonitas Camillae una cum occasione quam inscitus maritus dederat manibus eius, fidelitatem Lotharii per terram diruerunt. Et, nullis aliis rebus conspectis, quam quae ad desiderium eius pertinebant, post triduum absentiae Anselmi, quibus diebus secum continuo dimicabat et quidem contra suam propriam voluntatem, tandem incepit blandiri Camillae verbis et tanta turbatione atque amorosis argumentis, quibus Camilla absorta mansit ac nihil aliud fecit nisi surgere e loco, ubi sedebat et, nullo verbo prolato, petivit habitaculum suum. Tamen Lotharius non detinuit se nec amisit suam spem, quae semper ex amore oritur et potissimum quia Camillam dilexit. Haec autem, cum vidit in Lothario quod numquam ab eo exspectaverat, nesciebat quid faciendum erat. Quare arbitrata est non bonum esse ei denuo occasionem praebere loquendi cum ea, ac statuit mittere schedulam ad Anselmum ope famuli eius, ubi haec scripsit.

Capitulum 34. Ubi prosequitur fabella invidi mariti importuni

Ut fertur male videtur exercitus absque imperatore et castellum sine praefecto, haec autem dico, quia peius mihi videtur mulier nupta iuvenisque sine marito eius, quamvis ille vacet iustis negotiis et redere non possit. Tam male fero tuam absentiam ut nullo modo tolerare possim, quare si non festinas ad revertendum, quam primum petam domum parentum meorum, quamvis domus tua maneat sine ulla custodia; quia quam mihi reliquisti sub hac protectione, credo magis esse ad contentum eius quam ad tutamentum quod ad te pertinet. Si vere prudens es nihil amplius tibi dicam, quia nec quidem debeo.

Anselmus autem, his litteris acceptis, intellexit Lotharium incepisse negotium et Camillam sua ex parte respondisse sicut ipse desiderabat; ac praeditus magna laetitia huius nuntii responsum dedit Camillae et quidem talibus verbis ut illa nullum mutamentum domus faceret, quia ipse breviter ad eam perventurus erat. Camilla valde mirata est de hoc responso, quapropter magis turbata est quam antea fuit, et non ausa est manere domi nec transire ad domum parentum suorum, quia si manebat domi erat in magno periculo suae honestatis et si petebat domum parentum contra mandatum mariti agebat.

Denique illa statuit facere quod vere peius erat, nempe domi manere et nullo modo vitare praesentiam Lotharii, ne famuli eius loquerentur de ea et etiam poenituit eam scribendi marito timens quin crederet Lotharium in ea procacitatem videre, ita ut ille motus fuerat ad non servandum debitum decorem ei. Tamen suis propriis viribus confidens, etiam confidit Deo et suis bonis cogitationibus, quibus conabatur resistere et quidem tacendo quodcumque Lotharius ei diceret. Et nullo modo Anselmo denuo animadverteret sive daret rationem de his rebus ne ille molestias sive incommoditates haberet.

Et immo voluit invenire excusationem pro Lothario erga Anselmum cum hic eam rogaret quaenam esset causa scribendi illam schedulam. Tunc praedita his cogitationibus, quae magis ad honestatem quam ad utilitatem pertinebant per totum diem illa auscultavit Lotharium, qui corroboravit argumentationes suas atque in finem firmitas Camillae incepit minuere, et etiam honestas eius difficile tulit ad nullam commiserationem amoris ostendendam, quam lacrimae atque argumentationes Lotharii in animo eius suscitabant. Lotharius autem haec omnia animadvertit atque ex his omnibus ardebat amore.

Tandem ei bene videbatur opus esse propter absentiam Anselmi atque idoneitatem loci ac temporis ad oppugnandam fortitudinem Camillae et celebravit magnis laudibus praesumptionem illius formositatis, quia nihil est quod expugnet turres vanitatis mulierum pulchrarum quam ipsa vanitas in linguis adulationis. Profecto, ille fodit rupem illius fortitudinis, et talibus verbis, ut quamvis Camilla ex metallo aeneo esset ad terram rueret. Lotharius flevit, rogavit, obtulit, adulavit, certavit finxitque et talibus affectionibus ac modis fictis ut omnem pudicitiam Camillae oppugnaret et quidem vicit quod minus de eo cogitaret magisque cupiebat.

Camilla succubuit, Camilla submisit; et quid multum est ut amicitia Lotharii non

maneret erecta? Clarum exemplum vi cuius ostenditur amorem tantum vincitur fugiendo et nullum inimicum tam fortem oppugnare suis propriis viribus, quia tantum vires divinae possunt vincere humanas. Leonela tantum cognovit fragilitatem dominae suae, quia ambo mali amici atque hi novi amantes hanc non potuerunt ab ea celare. Lotharius autem noluit dicere Camillae consilium Anselmi neque eum ei dedisse occasionem perveniendi ad illum locum, ne parvi faceret amorem eius neque illa cogitaret eum eam sollicitavisse non sponte, sed coacte et motum illa machinatione.

Anselmus, paucis diebus elapsis, domum reversus est et non vidit quod ei deerat et quidem hoc erat quod tam parvi fecerat et tantum aestimabat. Ad Lotharium autem venit eumque domi invenit; ambo amplexi sunt mutuo atque alter alterum interrogavit de nuntiis de vita sive de morte.

–Nuntios quos dabo tibi, o carissime Anselme –inquit Lotharius–, sunt te habere uxorem exemplarem coronamque omnium optimarum mulierum. Verba quae dixi Camillae ventus foras attulit; dona quae ei feci pro nihilo illa aestimavit; munera mea non accepit; lacrimas meas irrisit. Breviter, Camilla est autem compendium omnis pulchritudinis, archivus ubi sedet honestas et ubi pudicitia et circumspectio habitant, atque omnes virtutes quae possunt honoratam mulierem laudabilem ac fortunatam efficere. Accipe iterum iterumque pecuniam tuam, amice, hic eam habeo nil ab ea tangere debui, quia firmitas Camillae non obsidetur rebus tam vilibus tamquam muneribus sive promissis. Laetare, Anselme, et ne quaeras alias probationes facere quam quas hucusque fecisti, quia pede sicco transivisti mare atque omnes difficultates ac suspiciones removisti, quae mulieribus sunt, ne intres in profundum pelagus aliorum inconvenientium nec velis experientiam facere cum alio naviculario de bonitate ac fortitudine navis quam coelum dedit tibi pro fortuna ad mare huius mundi transiendum, crede potius te ad securum portum pervenisse, accipe ancoras bonae considerationis et mane donec veniant ad debitum quaerendum, quia non est nobilitas humana, quae ex hoc excusetur.

Anselmus, his argumentis expositis, laetissimus fuit et sic omnia credidit tamquam si ab oraculo ea dicta fuerint. Tamen rogavit eum ut pergeret, quamvis tantum propter studium et oblectamentum et ex hoc ulterius nullam utilitatem afferret firmibus diligentiis, tamquam antea fecit. Et sic voluit ut Lotharius scriberet carmen laudatorium cuidam, nomine Chlori, et ipse conaretur exprimere Camillae eum ardere quamdam dominam cui tale nomen dederit ad eam celebrandam pro honestate debita. Et si Lotharius nollet hos versus scribere, ipse eos faceret.

–Non necesse est haec res –dixit Lotharius–, quia musae non sunt inimicae meae quin aliquando etiam ad me veniant. Dic ergo Camillae quod de amoribus meis fictis dixisti atque ego faciam carmina sicut possem, quamvis non tam optima ut subiectum mereatur.

Hoc consilio statuto, sic manserunt ambo inter se, scilicet maritus importunus atque amicus traditor; Anselmus autem cum domum rediit rogavit Camillam ut diceret ei quod forte iam mirata esset, quia nondum ab ea quaesiverat, nempe ut daret ei occasionem dicendi cur scripsit illam schedulam quam ad eum misit. Camilla respondit ei dicens se credidisse Lotharium eam inspicere maiore procacitate quam cum Anselmus esset domi; tamen ipsa putavit has fuisse tantum cogitationes eius et

quidem errorem, quia Lotharius ab ea fugiebat nec ad eam solam veniebat. Anselmus corroboravit illam suspicionem, quia bene sciebat Lotharium captum esse amore cuiusdam virginis principalis illius urbis, quam celebrabat sub nomine Chlori et quamvis non esset captus amore non timendum erat ex veritate Lotharii atque ex magna amicitia inter ambos. Et si Lotharius secreto modo non animadverteret Camillae illos amores fictos omnino esse, illa caderet in desperata rete zelotypiae, sed ipsa, hac re cognita, obstaculum transivit sine ulla turbatione.

Crastino die, cum tres recumberent mensae, Anselmus rogavit Lotharium ut ei diceret utrum aliquid scripsisset suae amatae Chlori necne; et sicut Camilla hanc Chlorim non cognosceret ille posset dicere de illa quidquid vellet.

–Quamvis eam cognosceret –respondit Lotharius–, nihil de ea celarem, quia cum amans laudat dominam suam ut pulchram et putat eam crudelem esse nullum opprobium ei facit bonae famae illius. Sed quidquid sit, quod vere dicere possum est me heri fecisse sonetum de ingratitudine huius Chlori et sic dicit:

SONETUM

In hoc silentio noctis dum mortales
Laeto in somno vacant grato more,
Laevo hoc modo sum cum meo dolore
Illum ad Chlori meam do et tales.

Cum sol ostendit mihi inter has sales
Ex portis roseis Orientis favore
Suspiria foras eiiciam amore
Ut priscas noxias quae sunt inaequales.

Multum sol micans ex throno stellato
Nuntius ad terram radios igneos mittit,
Auget iam planctus et mitto vagitus.

Taetra hac nocte maerore turbato,
Utinam numquam videam, ut qui sitit,
Surdum sit coelum, Chlori deest auditus.

Bene videbatur sonetum Camillae, tamen melius Anselmo, qui id laudavit ac dixit nimis crudelem fuisse dominam, quae nullo modo retribuebat amanti in his apertis veritatibus. Cui Camilla dixit:

–Ergo omnia quae dicunt poetae vera sunt?

–Quatenus poetae illi non dicunt –respondit Lotharius–; sed quatenus capti amore certe veritatem exprimunt et plus etiam dicerent.

–In hoc non est dubium –obiecit Anselmus, qui voluit sustinere et confirmare

argumenta Lothari cum Camilla, quae tam insciens erat de artificio Anselmi quam capta amore erga Lotharium.

Quapropter et quia cupiebat desideria illius cognoscere necnon et scripta quae de illa agebantur, quamvis ipsa cognosceret se ipsam veram Chlori esse, Lotharium rogavit ut ei diceret aliud sonetum sive alia carmina:

–Certe est mihi –respondit Lotharius–; sed non est tam bonum quam primum, sive saltem minus malum. Tamen hoc poteris diiudicare quia hic est:

SONETUM

Hanc mortem quaero dum maneo neglectus,
Id verum est, hos tuos pedes videre,
Sed, o ingrata pulchra, certo ac vere,
Peream si poena non essem electus

Ad hanc regionem oblivionis vectus.
Non opus est munus gloriae habere
Ubinam possem te inspicere et flere
Sculptum tuum vultum vicinum ad pectus.

Gaudio reliquias servo ad casum durum,
Ecce minatur tristem certationem
Nunc quae rigore ipso roboratur.

Et, vae ei nautae! per coelum obscurum
Redit ad mare et dubiam regionem.
En hic nec stella nec portus vocatur.

Etiam Anselmus hoc secundum sonetum laudavit sicut fecerat cum primo atque hoc modo gradatim anulum super anulum efficiebat catenam, qua nectabat ignominiam suam, tamen cum Lotharius plus eum inhonorabat tunc ipse sentiebat se honorabiliorem. Quapropter omnes gradus quos Camilla descendebat in profundum contemptum illa ascendebat in opinione mariti in summam virtutem ac bonam famam.

Quondam cum sola esset Camilla cum sua virgine dixit ei:

–Pudet me videndi quia parvi feci me ante oculos Lotharii cui dedi totam possessionem meae voluntatis. Timeo ne credat me nimis festinanter victam esse et non conata sum ei amplius resistere.

–Nullo modo huius actionis poeniteas, domina mea –respondit Leonela; quia causa huius promptitudinis non minuit quod offertur si hoc vere bonum est, quare ut dignum aestimandi. Atque immo etiam dicitur ut bis det qui statim dat.

–Certe –inquit Camilla–, sed etiam dicitur ut parvi fiat quod pro nihilo aestimabitur.

–Nihilominus hoc non pertinet ad te –respondit Leonela–, quia amor, secundum quod fertur, aliquando volat atque aliquando ambulat; cum quodam currit et cum alio paulatim procedit; nonnullos refrigerat aliosque inflammat; nonnullos vulnerat aliosque interficit; modo incipit cursum desideriorum suorum sive modo atque in illo momento finit ea; mane obsidet castellum et nocte hoc expugnat, quia non est fortitudo quae possit ei resistere. Et cum hoc ita sit, de quo miraris? sive, quid ergo times si haec omnia etiam Lothario acciderunt, quia accepit amorem ut instrumentum ad expugnandam absentiam domini mei? Et reapse opus erat ut adimpleret quod amor decreverat, nulla occasione Anselmo rediendi data, quin sua praesentia opera imperfecta manserit. Quia amor nullum famulum tam bonum habet quam opportunam occasionem: propterea quod praesertim in initio occasio ad omnia bona est. Atque haec omnia egomet cognosco et propria experientia mea et non quidem ex auditu, et aliquando iam dicam tibi, domina, me esse ex carne atque ex iuveni sanguine. Potissimum, domina Camilla, quia non statim tradidisti temetipsam ei, sed cum videres omnem animum Lotharii in oculis eius esse, in suspiriis, argumentis et promissis atque in muneribus eius et in eo et in virtutibus eius vidisti Lotharium dignum amandi. Et cum hoc ita sit, cave ne veniant ad tuam phantasiam scrupulosae fastidiosaeque cogitationes, sed sine Lotharium diligere te tamquam tu eum ardes amore. Et fruere hoc gaudio et hoc oblectamento, quia cecidisti in laqueo amoris, qui fulcit te fortitudine atque aestimatione. Et en ipse habet non tantum quattuor «s» quae veri amantes debent habere [«quia sapiens, solus, sollicitus secretusque» secundum fertur in *Lacrimis Angelicae*, ubi dicitur: *Caecus erit fidelis captus amore / non dicitur ut prudens sit in sua lege / ex quattuor «s» dicunt eum praeditum esse / sapiens, solus, sollicitus secretusque]*, sed totum alphabetum integrum; et quidem attende mihi et videbis quomodo tibi dicam de memoria. Ille est secundum quod ego eum video et mihi videtur: amans, bonus, carus, dives, eques, fidelis, gratus, honoratus, illustris, liberalis, munificus, nobilis, observans, praecipuus, quaesitor, reverens, illae «s» quae dicuntur, et postea tacitus, verus, «x» non convenit, quia littera aspera est; «y» iam dicta est; et «z» zelator tui honoris.

Risit Camilla de Alphabeto suae virginis eamque habuit ut expertiorem in rebus amoris quam dixerat. Atque ita confessa est Camillae eique develavit se habuisse amores cum iuveni viro, qui erat vir bonus natu, eiusdem urbis; his auditis, Camilla valde turbata est timens hanc esse viam qua ipsa afficeret periculum honori suo. Rogavit Leonelam ut diceret ei si haec transivissent ulterius nempe ex verbis in facta. Haec autem respondit Camillae et magna procacitate hoc ita esse. Quia certum est inverecundias dominarum auferre pudorem famularum, quae cum vident dominas lapsas esse minime curant ut ipsae claudicent nec timent alios haec cognoscere.

Camilla nihil aliter facere potuit nisi rogare Leonelam ut nullum nuntium de ipsa diceret amanti suo, ita ut res huius negotii manerent in secreto ne ea cognosceret Anselmus nec immo Lotharius. Leonela respondit se sic facturam esse; sed modus promittendi infudit quemdam timorem Camillae et quidem ne amitteret honorem suum. Quoniam nimis audax atque impudica Leonela, statu insolito dominae eius conspecto, ausa est domum introducere amantem suum, quia arbitrata est dominam suam nullo modo revelaturam esse eum; hoc damnum enim consequuntur peccata

dominarum: vi quorum dominae fiunt servae famularum suarum et coactae sunt ad occultandas impudicitias ac vilitates earum. Et sic accidit Camillae et quamvis semel ac multoties videret Leonelam fuisse cum suo amante in cubiculo domus eius nec ausa est eam reprehendere, sed immo iuvavit ut eum, omnibus impedimentis remotis, intus in cubiculo suo haberet ne maritus eius eum videret.

Tamen vitare non potuit ut quondam Lotharius intueretur eum exeuntem ante diluculum; atque imprimis eum non recognovit et sic Lotharius putavit hoc phantasma esse; sed cum vidit eum ambulantem et quidem sese cooperire pallio paulatim et caute, reliquit has cogitationes aliasque habuit, quae potuerunt perditionem eius efficere, nisi Camilla id provideret. Ita Lotharius putavit illum virum quem vidit exeuntem et quidem hora intempestiva ex domo Anselmi non intravit propter Leonelam, nec huius virginis tunc meminerat. Tantum credidit Camillam eodem modo tamquam cum eo etiam cum alio convenisse atque eadem facilitate sese ipsam obtulit, et si lasciva fuit cum Lothario etiam sic fuit cum altero. Et perversitas mulieris haec adducit secum: quia perdit honorem cum ipso cui se tradidit, qui eam rogavit persuasitque, immo ille credit illam maiore facilitate aliis sese tradidisse. Et hoc modo perfacile accipit quamcumque suspicionem de ea. Et tunc et continuo Lotharius amisit bonum sensum atque ex memoria omnia argumenta egressa sunt et, nullo bono consilio accepto, antequam Anselmus surgeret, irrequietus ac praeditus magna zelotypia, quae cor suum rodebat et anxius vindicandi sese de Camilla, quae nihil in eum fecit, ad Anselmum pervenit eique dixit:

–Anselme, oportet te haec scire, quia per longam moram ego pugno mecum ne quid tibi dicam de his rebus, et non fieri potest nec iustum est ut a te haec abscondam. Scito ergo, Anselme, fortitudinem Camillae oppugnatam esse et subiectam mihi in omnibus; si moram feci ad hanc veritatem nuntiandam tibi tantum fuit ut possem videre utrum illa ex sua levitate faceret ad probandum me an ad veros amores agendos quos tua venia cum illa incepi. Etiam credidi eam, si esset quam ambo nos putavimus, iam tibi ostenderet sollicitudinem meam; sed, hac longa mora elapsa, credo veras esse promissiones quas mihi fecit ita ut, cum denuo absens sis, loqueretur mecum in habitaculo secreto ubi gemmae custodiantur –et hoc verum erat, quia ibi solebat Camilla cum eo loqui–; tamen nolo te properare ad vindictam faciendam, quia peccatum nondum factum est, sed saltem ope cogitationum et semper fieri potest ut Camilla mutet consilium et fore ut oriretur poenitentia. Et ita ut consilia mea semper servasti in toto sive in parte, ausculta auribus arrectis aliud consilium, nempe ut absque dolo et circumspectione quod tibi magis conveniat ad nutum tuum facias. Finge vel simula te iter facere per biduum vel triduum, sicut aliter semper fecisti, et fac ut in tuo habitaculo secreto maneas, quia stragula quae ibi sunt et aliae res possunt celare te et dabunt tibi commodum magnum et tunc autem potes videre tuis propriis oculis et egomet per meos quidquid Camilla facere vult; et si illa culpabilis est, quod fieri potest, quamvis non omnino exspectetur, poteris ut carnifex vindicare infamiam tuam ope silentii ac prudentiae.

His argumentis expositis, Anselmus valde miratus est ac nimis turbatus, quia audivit quae nullo modo putavit audire, et quia credebat Camillam invictam fuisse contra fictas aggressiones Lotharii atque incipiebat gaudendo hac victoria. Ipse tacitus per longam moram mansit atque inspiciens terram oculis fixis et postea haec dixit:

–Lothari, omnia fecisti sicut de tua amicitia exspectavi, et nunc tua consilia etiam sequar; tamen fac quidquid velis et serva secretum conveniens propter hanc occasionem inopinatam.

Lotharius ei pollicitus est et, eo relicto, poenituit omnino horum quae dixerat Anselmo, quia ipsi videbatur se stulte egisse et ipse posset sese vindicare a Camilla, sed alia via et non tam crudeliter sive inhonesto modo. Maledicebat intellectui suo, vituperabat suam subitaneam voluntatem ac nesciebat quid faciendum esset ad haec omnia detinenda sive ad exitum aequum atque opportunum inveniendum. Demumque putavit Camillae consulere et ipso die invenit occasionem loquendi cum ea, et tunc ipsa ei dixit:

–Scito, amice Lothari, me magnam poenam habere in corde, quae id premit et pectus meum videtur explodere, et vere mirum est hoc non reapse accidere; et haec omnia quia impudentia Leonelae auxerunt et pervenerunt usque ad introducendum amantem eius omni nocte in hanc domum et hic manet usque ad diluculum et haec omnia contra honorem meum sunt, si casu quis eum videret ad horas tam intempestivas exire ex domo mea. Et quod magis fastidit me est me nihil posse facere ad puniendam sive increpandam eam; quia illa facta est confidens mea in nostra re amatoria, quare frenum posuit ori meo ad sua propria ignoranda vel occultanda; et hinc timeo quid adversi oriturum sit nobis.

Imprimis, cum Camilla haec diceret, Lotharius putavit hoc artificium esse ad decipiendum eum ita ut crederet virum, quem ipse vidit exeuntem, pertinere ad Leonelam, et non Camillae fuisse; sed cum videret eam flentem amare et afflictam immo ad medelam quaerendam ab eo, tunc credidit hoc verum esse et in hoc statu rerum magnopere turbatus est atque omnium cogitationum eius vere eum poenituit. Nihilominus respondit Camillae nullam poenam habere; quoniam ille remedium poneret ad detinendam insolentiam Leonelae. Eodem modo ei enarravit quidquid fecit et quidem motus propter furiosam zelotypiam quae Anselmo dixit, et quomodo inter duos convenerunt sese abscondere in habitaculo secreto ad inspiciendum quaenam esset fidelitas Camillae erga Anselmum. Tunc veniam ab ea quaesivit ex hac dementia sua et voluit consilium Camillae ad medelam inveniendam ita ut exirent ex illo labyrintho, quem ipse suis stultis verbis machinatus erat.

His verbis Lotharii auditis, Camilla valde perturbata mansit et immo stomachata, quare multis argumentis eum vituperavit et adversas cogitationes eius reprehendit et subitaneam adversamque voluntatem quam habuit. Et ut mulier praedita est ingenio ad bonum sive ad malum et quidem melius quam quidam vir, quamvis non habeat facilitatem exponendi argumenta rerum, confestim invenit Camilla quomodo possent solvere hoc difficile negotium, quod videbatur non fieri posse. Et sic dixit Lothario ut iuvaret Anselmum ad sese abscondendum in crastinum diem ubi dicebat, quia ex hac occultatione illa posset magnum commodum obtinere ambobus ex hoc et in futurum ita ut gauderent absque ullo metu. Tamen Camilla non declaravit Lothario omnes suas cogitationes, sed animadvertit ei, Anselmo abscondito, ut ille veniret cum Leonela vocaret eum et etiam ille debebat respondere quodcumque ipsa ab eo quaereret, tamquam si ille nesciret Anselmum ibi eum audire. Lotharius voluit ut Camilla ei omnem propositum suum ei declararet ut melius posset ille servare quae necessaria erant.

–Dico –inquit Camilla– nihil amplius est servandi nisi respondere secundum

quaestiones meas –quia noluit Camilla ei dicere quae cupiebat facere, timens ne averteret ab ea quod tam bonum illi videbatur atque alia faceret, quae non tam bona essent.

His rebus peractis, Lotharius profectus est atque Anselmus in crastinum diem et, cum excusatione visitandi amicum in pago, egressus est et postea reversus est et clam sese abscondit in habitaculo secreto, ut dictum est; quod facile et commode facere potuit, quia Camilla Leonelaque libentissime ei opportunitatem dederunt.

Anselmus mansit absconditus et praeditus quadam formidine cum exspectatione videndi suis propriis oculis intimam partem suae ignominiae, quia summum bonum suum, quod apud suam carissimam Camillam habebat, amittendum erat. Cum Camilla Leonelaque certiores essent Anselmum absconditum esse, tunc in habitaculum secretum introiierunt atque ut primum Camilla intravit magnum suspirium haec fecit et dixit:

–Eheu, Leonela amica! ante quam meum consilium adimpleam, et quod nolo tibi dicere, ne hoc a me impedias, nonne melius est ut accipias pugionem Anselmi, quem a te quaesivi, et perfores hoc infame pectus meum? Sed ne facias haec; quia non bonum est tantummodo me poenam ferre pro aliena culpa. Primo vellem scire quid viderunt audaces inhonestique oculi Lotharii in me, quia causa fuit quare ausus est ad pessimum desiderium patefacere et quidem in contemptum sui amici et magnae infamiae meae. Veni ad hanc fenestram, o Leonela, et voca eum; quia absque dubio erit in via sperans fore ut suum malum consilium perficiat. Sed antea crudelem atque honoratam vindictam meam adimplebo.

–O domina mea! –respondit cauta ac sollers Leonela–. Quid ergo vis hoc pugione facere, utrum vitam tuam an Lotharii auferre? Uterque ex his duobus rebus redundabit in amissionem honoris tui famaeque. Nonne melius esset occultare ignominiam tuam et non permittere hunc virum domum intrare ut ambas nos solas inveniat? Videas, domina, mulieres debiles esse et ille autem est vir atque alacer; sed ita ut veniat praeditus malo consilio et motus caeca voluptate fortasse ante quam tuum desiderium efficias ille adimplet quod peius erit quam tuam vitam perdere. Maledico domino meo Anselmo, qui tam multa huic scelerato in sua domo permisit! Et si eum vere interficis, quia secundum me est quod facere vis, quid ergo faciemus de eo cum mortuus sit?

–Quid ergo, amica? –respondit Camilla–. Sinemus ut Anselmus eum sepeliat, quia iustum est ut quietem habeat propter laborem susceptum et ponat suam infamiam sub terra. Voca eum, et perfice hoc; quia totum tempus quo demoror ad vindictam faciendam a mea iniuria, mihi videtur offendere fidelitati debitae meo marito.

Haec omnia auscultabat Anselmus atque omni verbo quod Camilla dicebat cogitationes eius mutabantur. Sed cum audivit eam paratam esse ad Lotharium interficiendum statim voluit exire ex loco abscondito et develare se ipsum, ne illa talia faceret. Tamen commoratus est desiderio videndi finem huius honestae ac praestantis resolutionis. Sed etiam posset exire ad tempus vitandi necem amici si hoc necesse esset.

Camilla autem languit et fere cecidit exanimis, sed eiecit se super lectum, qui ibi erat. Leonela incepit flere amare dicens:

–Eheu, quam magnum infortunium si haec misella moritur hic inter bracchia mea, flos honestatis totius huius mundi, corona bonarum mulierum, exemplum castitatis...!

Et etiam alia his similia, quae si quis audiret crederet eam dolendam ac

fidelissimam virginem huius mundi atque hanc dominam eius aliam novam et persecutam Penelopem esse. Et ubi primum Camilla ex sua inanitione animi reversa sit, tunc dixit:

–Cur non ibis, Leonela, ad vocandum fidelissimum amicum quem umquam sol vidit sive nox cooperuit? Perfice, curre, incita, deambula, ne pereat ignis indignationis meae et tantum ad minas maledictionesque perveniat haec iusta ultio quam exspecto.

–Eum certe vocabo, domina mea –dixit Leonela–; sed da mihi antea hunc pugionem, ne facias, me absente, flere omnes qui diligunt te per totam vitam.

–Vade secura, Leonela amica, atque hoc quidem non faciam –respondit Camilla–, quia, quamvis audax ac simplex sim, secundum te ad honorem meum custodiendum non ero tamquam illa Lucretia de qua dicitur eam seipsam interfecisse, nullo quidem errore peracto, et auctore illius adversitatis nullo modo interfecto. Moriar egomet, sed si vere morior oportet ut vindicem me et complaceam cui dedit mihi occasionem ad hunc locum perveniendi ad flendum propter procacitates eius atque absque ulla culpa mea.

Multum rogavit Leonelam ante quam exiret ad vocandum Lotharium, sed denique exivit et dum reversa erat, Camilla haec verba intra se dicebat:

–Adiuvet me Deus! Nonne melius esset ut valedicerem Lothario seorsum sicut pluries feci, quam eum ponere in occasione ut inhonestam et malam me habeat? Et hoc quamvis tantum sit in hoc tempore ad decipiendum eum? Melius esset absque dubio ut egomet nullam vindictam facerem nec honor mariti mei haberet retributionem, atque aequo modo posset ille exire ex hoc loco et quidem pedetentim, ubi malae cogitationes in eum introiierunt. Solvat traditor cum sua vita quod cupivit lascivo desiderio. Cognoscat mundus, si fortasse umquam scire potest Camillam non tantum servavisse fidelitatem marito, sed etiam eum vindicavit ab illo qui ausus est offendere eum. Nihilominus melius esset Anselmum de his certiorem facere; tamen haec iam ei nuntiavi ope illius schedulae quam misi ad eum in pago, et si ipse noluit medelam ponere ad damnum expressum hoc forte fuit, quia nimis bonus et credulus erat et noluit sive non potuit videre in corde sui amici Lotharii cogitationes esse huiuscemodi in suam honestatem, nec egomet haec credere potui post multos dies, nec ipsa umquam crederem, nisi insolentia eius ad summum perveniret et munera et promissa eius ac lacrimae copiosissimae haec non mihi manifestarent. Sed cur ego nunc has argumentationes facio? Num praestans resolutio eget aliquo consilio? Minime! Foras traditores! Recedite a me! ite retro! Hic vindicta ultioque! Introeat falsus, veniat, ad me perveniat, moriatur et finiat vitam suam atque eveniat quidquid sit! Immaculata intravi in possessionem illius, quem coelum dedit mihi; et munda ac limpida ex eo evadam, saltem ad summum, exibo lota meo casto sanguine atque ex impuro sanguine falsi amici, quem umquam amicitia eum viderit.

Illa autem, his verbis prolatis, et pugione nudo in manu, per habitaculum ambulabat et quidem gressibus disparibus atque inaequalibus et talibus gesticulationibus corporeis, quibus ostenderet indigentiam sanae mentis ita ut videretur non delicata mulier, sed sceleratus sicarius.

Haec omnia Anselmus inspiciebat, occultus a tergo stragulorum parietis, et de his omnibus mirabatur, quia ei videbatur satis esse quod inspexit ad suspiciones solvendas. Et voluit Lotharium nullo modo advenisse ne quid mali ei acciderit. Et, cum putaret

bonum esse sese ostendere atque exire ad uxorem amplectendam eamque ab errore liberandam, commoratus est, quia en Leonela advenit tenens Lotharium sua manu et, ubi primum Camilla eum viderit, fecit lineam in terra ope pugionis coram ea eique dixit:

–Lothari, animadverte quod dicam tibi: si fortasse audes hanc lineam transire, nisi tantum ad eam pervenire, statim ut id videam, eo ipso momento pectus meum perfodiam hoc pugione quem in mea manu habeo. Et ante quam mihi verbum respondeas, volo ut haec audias; et tantum deinde quidquid velis respondebis mihi. Primo volo, Lothari, ut dicas mihi si vere cognoscis maritum meum, Anselmum, et quam opinionem eiusdem habes; atque in secundo loco etiam vellem scire si vere cognoscis me. Noli ergo turbari et responde mihi, nec multum cogites quid respondendi debeas, quoniam non sunt difficultates quas a te quaero.

Lotharius non erat tam ignorans ut ex primo momento, quo fecit Anselmum sese abscondere, non perveniret ad ea quae factura esset; et hoc modo respondit voluntati eius prudenter et ad tempus ut ambo mendacium pro veritate manifestarent. Et sic respondit Camillae, dicens:

–Numquam potui credere te me vocare ad ea quaerenda, quae tam extra voluntatem meam sunt, quare ad te huc veni. Si vero haec facis ad demorandam promissam voluptatem, a longe potes hanc vere demorari, quae nunc spes mea proxima est nanciscendi. Tamen ne aliter dicas me non respondisse quaestionibus tuis, dicam tibi vere me cognoscere Anselmum atque ambo ad invicem cognoscimus et quidem a tenera infantia; et nolo dicere quod tu ipsa scis de nostra amicitia ne sim testis infamiae quam amor impellit ut ei faciam, et quidem haec est fortis disculpatio maioris erroris. Te autem cognosco ac magni facio tamquam ille te ipsam; aliter non facerem, si non haberes tam magnas qualitates virtutesque, quare contra leges sanctas verae amicitiae et contra quod vere debeo dimicavi atque has leges fregi violavique propter influxum amoris, qui fuit inimicus meus.

–Si haec confiteris –respondit Camilla–, o inimice mortalis omnis rei, quae vere amanda sit, quomodo audes apparere ante conspectum mulieris, quae est speculum, ubi videtur ille, et quam tu ipse debes inspicere ad videndam occasionem huius infamiae? Sed iam intelligo, me misellam! et sic credo fortasse vidisti in me quamdam procacitatem quam nolo vocare inhonestatem, quia non ex deliberata voluntate mea processit, sed ex quadam negligentia, quia aliquando mulieres praetermittunt nimiam curam de quadam re atque inscienter se ostendunt vel agunt. Sin autem, dic mihi, o traditor! quando respondi tuis suplicationibus quodam verbo sive signo quod suscitaret in te minimam umbram spei ad tua nefasta desideria adimplenda? Quando, ergo, tua copiosa promissa ac plura munera oblata accepta fuerunt a me? Sed quia videtur mihi neminem posse diu perseverare in voluntate amorosa, nisi haec sustentetur aliqua spe, etiam volo tribuere mihi culpam tuae importunitatis, ex qua haec negligentia mea orta sit et vere volo me punire propter poenam quam culpa tua meretur. Atque ut vere videas me tam inhumanam fuisse mecum, etiam debui esse tecum, volui te testem esse ad sacrificium quod faciam propter honorem laesum honorabilis mariti mei, cui maximam iniuriam affecisti atque ego etiam id feci propter parvam diligentiam meam, quia non fugi occasionem, si qua dedi tibi ad fovendam ac probandam tuam adversam voluntatem. Iterum iterumque dico suspicionem cuiusdam negligentiae meae genuisse

has adversas cogitationes tuas atque haec negligentia valde defatigat me et quam magis desidero eam punire meis propriis manibus, quia si alius carnifex puniret me palam facerem culpam meam; sed ante quam haec evadat volo ope meae mortis interficere me et mecum foras ferre virum, qui hunc statum rerum creavit et suscitavit meum desiderium vindictae quam exspecto facere ad nutum meum, et quidem ad videndam poenam quam inflexibilis iustitia posuit mihi.

Atque, his verbis dictis, ac magno robore magnaque celeritate impetum fecit in Lotharium, pugione nudo, cum desiderio fodiendi pugionem in pectus eius quapropter ille dubitavit utrum irruptio eius falsa an vera esset, et debuit totis suis viribus ac magna sollertia sua impedire quominus Camilla eum vulneraret. Haec autem tam vivaciter fingebat insolitum mendacium ac deceptionem atque ad simulationem augendam voluit suo sanguine haec omnia depingere, et cum videret se non posse Lotharium vulnerare, sive fingens se id non posse facere, dixit:

–Si fortuna noluit me desiderium meum omnino nancisci, certe non erit tam potens ut partim id non perficiam.

Et tunc conata est pugionem solvere, quem Lotharius apprehendit, sed cuspidem eius duxit ad seipsam atque axillam vulneravit, saltem leviter, non vero profunde, in latere sinistro, prope umerum et postea cecidit in terram tamquam languida atque exanimis.

Et Leonela et Lotharius, maxime turbati ac mirati de tali statu rerum, dubitabant de veritate huius rei. Camilla in terra iacente, madefacta erat suo sanguine. Lotharius ad eam accurrit magna celeritate, pavidus et absque halitu ad pugionem extrahendum, sed, parvo vulnere conspecto, amisit timorem suum quem habuit et denuo miratus est de sollertia, prudentia ac de magna sagacitate pulchrae Camillae. Atque ad melius perficiendum quod ad eum pertinebat super corpus Camillae longam tristemque lamentationem fecit, tamquam si illa defuncta esset, et multas maledictiones in seipsum fecit et non tantum ei, sed in illum qui causam posuit ut ad illum locum perveniret. Et cum ipse bene sciebat amicum suum Anselmum eum audire talia proferebat ad commiserationem excitandam tum erga eum tum erga Camillam, quamvis hanc diiudicarent mortuam esse.

Leonela autem accepit eam posuitque super lectum, et rogavit Lotharium ut secreto quaereret quemdam, qui Camillam sanaret. Necnon et consilium ab eo quaesivit quid dicendum erat Anselmo de vulnere dominae eius, si casu ille ad domum veniret ante quam domina sanaretur. Ille autem respondit ut diceret quidquid vellet, quia ipse non erat in momento opportuno ad danda consilia quae cuiusdam utilitatis essent: tantum dixit ut conaretur sanguinem retinere, quia ille profecturus erat ad regionem, ubi nemo videret eum. Et, magno dolore ac sensu, domum reliquit, sed cum solum se vidit et ubi nemo eum vidit, signum crucis pluries super se fecit ac miratus est de sollertia Camillae et de idoneis gestibus Leonelae. Atque ipse suo animo considerabat Anselmum credidisse se aliam uxorem habere tamquam Portiam et eodem modo cupiebat cum eo loqui ad mutuo mendacium celebrandum pro veritate ficta quam numquam posset imaginari.

Leonela tandem repressit fluxum sanguinis dominae suae, qui vere tantum erat ad mendacium perficiendum et vulnus pauco vino abluit ac fascia colligavit quam melius facere potuit, dum tales argumentationes dicebat ut Anselmus putaret eam exemplar honestatis.

Ad verba Leonelae pervenerunt verba Camillae, quibus se ipsam ignavam vocabat et parvi animi, quia defuit ei in momento opportunissimo ad auferendam vitam suam, a qua omnino abhorrebat. Et consilium a virgine sua quaerebat utrum nuntium daret marito totius huius negotii necne. Leonela dixit ei ne faceret quin Anselmus esset in obligatione sese vindicandi a Lothario quod esset in periculo Camillae. Et bona uxor deberet non praebere occasionem increpandi, sed auferendi causas ad id faciendum.

Camilla respondit ei dicens hoc consilium bonum esse in extremis atque ut ipsa id sequeretur; tamen etiam opus erat quid dicendum esset Anselmo ad causam illius vulneris explanandam, cum ipse videret vulnus suis oculis, cui Leonela respondit se, neque per iocum sive per facetum, posse mentiri.

–Ego etiam, o soror –obiecit Camilla–, quid possum de hoc scire, quia nec ad vitam sustentandam potuissem mendacium proferre? Et si ex hoc non possumus melius exire oportet ut ei nudam veritatem exprimamus, quam ope mendacii quidquid sit facere.

–Ne doleas, domina; quia ex hoc et in crastinum –respondit Leonela– ego cogitabo quid dicendum sit ei et fortasse vulnus in hoc loco potes celare, eo non inspiciente, quia coelum aliquando etiam fovet nostra ac tam honorata desideria. Quiesce ergo, o domina mea, et cura sedandi animum tuum, ne dominus meus inveniat te aliquantulum perturbatam et relinque cetera in manibus meis atque in manibus Dei, qui semper adiuvat bona desideria.

Anselmus auribus arrectis haec omnia auscultabat et vidit agere tragoediam mortis honoris eius; quam illae dramatis personae repraesentabant et quidem videbatur quod finxerunt pro ipsa veritate. Attamen valde cupiebat Anselmus ut vesper diei fieret ad exiendum domo atque ad bonum amicum Lotharium petendum necnon ad ei congratulandum de pretiosa margarita quam invenerat in revelatione honestatis Camillae. Ambae locum et occasionem fecerunt ut Anselmus e loco abscondito exiret et ille statim profectus est et Lotharium petivit. Atque, eo autem invento, innumeri fuerunt amplexus quos ille Lothario dedit et quae ei dixit suo magno gaudio et laudes in honorem Camillae. Haec omnia audivit Lotharius sed, nullis signis gaudii ex parte eius ostensis, quia arbitrabatur amicum suum deceptum fuisse et quam iniuste ille eum vere laeserat. Anselmus autem videbat Lotharium non multum laetari, tamen putabat causam fuisse quia reliquit Camillam vulneratam et propter quaestionem de damno eius reparando.

Nihilominus atque inter alia, ille dixit ei ne doleret de hoc facto Camillae, quia procul dubio, vulnus esset parvum propterea quod convenerunt ad id celandum; quare non erat quid timendi nisi gaudendi in futurum cum eo. Quia propter sollertiam eius pervenit ad summam felicitatem quam desiderare posset, et, sua sententia, oblectamentum eorum esset versus et carmina in honorem et laudem Camillae ita ut memoria eius aeterna esset per saecula ventura. Lotharius autem laudavit consilium eius et, dixit, ut eum sua ex parte ad talem aedificium struendum iuvaret.

Anselmus, his rebus peractis, fuit vir deceptissimus totius huius mundi: ipse autem ad domum suam omnem perditionem famae introduxit pro instrumento gloriae quod arbitratus erat. Camilla recepit eum torva facie quamvis laeto animo. Haec fallacia per quosdam dies permansit, donec post aliquos menses Fortuna rotam suam volvit et malitia egressa est foras, quae tanto artificio hucusque celabatur atque Anselmus vitam suam amisit propter hoc importunum atque insolitum studium atque curiositatem.

Capitulum 35. Ubi agitur de fero et immani proelio quod dominus Quixotus habuit cum quibusdam coriis vini rubri et finitur fabella invidi mariti importuni

Non multum reliquit ad legendam illam fabellam cum Sanctius Pansa exivit ex cubiculo, ubi dominus Quixotus quiescebat, et quidem omnino turbatus ac dicens magnis vocibus:

–Venite, domini, festinate ad dominum meum iuvandum, quia invenitur in teterrimo proelio, quod oculi mei numquam viderunt. Per misericordiam Dei! Et dico eum dedisse magnum ictum gladii giganti inimico principessae Micomiconae, quo caput ei amputavit, sicut scinderet raphanum!

–Quid ergo dicis, frater? –ait parochus, interrumpens lectionem reliquae partis illius fabellae–. Esne compos mentis, Sancti? Quomodo, per omnes diabolos! hoc fieri potest si gigans distans ac procul est hinc duo milia leucarum?

Tunc magnum strepitum audiierunt in cubiculo eius, ubi dominus Quixotus dicebat magnis vocibus:

–Siste, latro, malefice, ignave; hic te habeo et nil tibi valebit ensis arabicus tuus!

Et videbatur autem eum magnos ictus dare per parietes. Dixitque Sanctius:

–Non debetis hic consistere, sed introite ad proelium pacandum vel ad dominum meum iuvandum, quamvis hoc iam non necesse sit, quia absque dubio, gigas mortuus est, atque iam dedit Deo rationem suae malae vitae; nam egomet vidi sanguinem currere per terram et caput amputatum cecidit ad latus et magnitudo eius erat tamquam magnum corium vini.

–Ita interficiant me miserum! –dixit tunc caupo– nisi dominus Quixotus sive dominus diabolus non perforavit gladio nonnulla coria vini rubri, quae ad caput lecti plena erant, et vinum effusum est quod huic bono viro sanguis videbatur.

Ille autem, his verbis dictis, intravit in cubiculum et omnes post eum et en invenerunt dominum Quixotum indutum insolitis vestibus huius mundi. Amictus erat subucula, quae non tam longa erat ut coxas eius cooperiret atque a tergo brevior erat sex digitis. Crura eius valde longa flaccidaque erant ac pilosa et non nimis limpida; caput cooperiebat parvulo pilleo rubro, oleoso, qui ad eumdem cauponem pertinebat. Ad bracchium sinistrum suum tenebat stragulum lecti, quod Sanctius multum timebat et bene ille sciebat quare, et dextera manu gladium nudum habebat, quo ictus dabat ubique et loquebatur tamquam si vere cum quodam gigante pugnaret. Et verum est dicendi eum non habere oculos apertos, quia dormiebat sive somniabat se esse in proelio cum gigante et tam profundae erant cogitationes ad has res gestas perficiendas ut quidem somniaret se iam pervenisse ad regnum Micomicon, atque esse in proelio cum suo inimico. Et tot multos ictus gladii dabat in coria vini, credens se in gigantem impetum facere, ita ut totum cubiculum plenum esset vino. Caupo autem, his rebus conspectis, tam multum iratus est ut irrueret in dominum Quixotum et tot ictus pugnis et colaphos incepit ei dare et nisi Cardenius et parochus eum non detinerent, citius dicto bellum gigantis finiret. Tamen miser eques, his omnibus rebus peractis, non experrectus est e somno, donec tonsor adduxit urnam aquae frigidae

ex puteo atque in corpus eius uno ictu eiecit, vi cuius dominus Quixotus subito expergefactus est, tamen inscitus erat de modo quo sese inveniebat.

Dorothea, cum vidit eum paene amictum esse, noluit intrare ad proelium videndum inter suum adiutorem atque adversarium.

Sanctius quaerebat caput gigantis per terram, sed cum non invenit, dixit:

–Ego equidem scio omnia in hac domo per modum incantamenti esse; quia altera vice in hoc ipso loco mihi plures alapas et colaphos dederunt, sed nullo modo vidi eum qui me percutiebat et neminem postea inspexi. Nunc autem hoc caput non videtur, quod vidi amputare et quidem meis propriis oculis et sanguinem fluentem currebat ex hoc corpore tamquam ex fonte.

–Quem sanguinem et quem fontem dicis, inimice Dei atque omnium sanctorum? –dixit cauponarius–. Nonne vides, latro, sanguinem et fontem non esse nisi coria vini, quae hic perforata sunt et vinum rubrum quod hoc cubiculum inundat et utinam in infernis videam animum natantem illius, qui ea perforavit!

–Nihil autem scio ego –respondit Sanctius–; tantummodo est me miserrimum futurum esse et praecise, quia non inveni caput hoc, quapropter perdam comitatum meum, tamquam sal evanescit in aqua.

Peior erat Sanctius expergefactus quam dominus eius dormiens; taliter eum tenebant promissa facta a domino eius. Caupo vero desperatus erat videndi lentitudinem illius armigeri ac maleficium domini eius. Et iurabat hoc non futurum esse tamquam praeterita vice, qua ambo profecti sunt, nulla pecunia pro hospitalitate soluta, et quia nunc privilegia illius equitatus nihil proficerent nisi haec omnia solverent et etiam immo pretium reparationis ex coriis perforatis.

Parochus suis manibus tenebat dominum Quixotum, qui arbitrabatur se iam finiisse has res gestas et coram principessa Micomicona esse, quare coram parocho flexit genua dicens:

–Bene poteris tu, alta atque illustris domina, vivere ex hoc securior ne haec maledicta creatura afficiat tibi malum atque egomet etiam ex hoc liberus sum a promisso verbo, quod dedi nam, Deo iuvante et auxilio illius dominae per quam vivo ac respiro, haec tam bene adimplevi.

–Nonne ego haec dixi? –ait Sanctius, his verbis auditis–. Utique, ego non eram ebrius: videte utrum dominus meus iam posuerit in sale hunc gigantem necne! Veri sunt tauri; et comitatus meus ad me perveniet!

Quis non rideret ante stultitias amborum, domini famulique? Cuncti ridebant praeter cauponem, qui semetipsum dabat ad Satanam. Sed tandem tantum fecerunt tonsor, Cardenius ac parochus, atque hi omnes et quidem non parvo labore potuerunt dominum Quixotum in lectum eiicere, qui confestim dormivit fessus magna lassitudine. Eumque reliquerunt dormientem et ad atrium cauponae venerunt ad Sanctium Pansam consolandum propter caput gigantis amissum, quamvis plura facerent ad cauponem placandum, qui desperatus erat propter coria sua perforata. Cauponaria autem haec dicebat magnis vocibus et clamoribus:

–Maledicta fuit illa hora, qua hic eques itinerans in domum meam intravit, utinam oculi mei eum numquam vidissent, quia tam carus atque onerosus est mihi. Praeterita vice non solvit hospitalitatem unius noctis, pro coena, lecto, hordeo ac palea ei et

armigero suo, necnon equo et asino, quia dixit se equitem itinerantem esse, cui Deus maledicat ei omnibusque equitibus qui in mundo sunt, atque ille dixit se nullo modo compulsum esse ad solvendum, quia hoc sic erat in decretis huius equitatus itinerantis. Nunc autem et propter eum, hic alter dominus venit abstulitque caudam meam et restituit eam duobus teruntiis damni ac fere absque capillis et quae non amplius serviet ad usum mei mariti. Et denique atque ad finem totius huius negotii venit ad coria mea perforanda et ad vinum effundendum et quidem utinam sanguinem eius videam ego effusum! Et nihilominus ne credant ut ille non soluturum esse mihi expensas per ossa et reliquias patris mei et per saeculum matris meae et quidem quadrantem super quadrantem atque omnem pecuniam, aliter non vocarer sicut nuncupor nec filia matris meae essem!

Haec vel alia argumenta dixit cauponaria praedita magna iracundia eamque iuvabat bona famula Maritornes. Filia eius autem tacebat atque aliquando subridebat. Parochus omnes pacavit et pollicitus est quam melius posset eis solvere tum pro coriis tum pro vino effuso et praesertim damnum caudae de qua tantum faciebant. Dorothea Sanctium consolata est eique dixit si hoc bene probatur et verum est, nempe dominum eius haec patravisse et giganti caput amputavisse, ut ipsa polliceretur dare ei optimum comitatum, cum denuo pacifica in suo regno esset. Sanctius autem, his verbis auditis, vere pacatus est et principessae pro certo asseruit se vidisse caput amputatum illius gigantis, et quidem habebat barbam, quae usque ad dimidium corpus perveniebat; sed si hoc non apparebat eis hoc erat, quia in illa caupona omnia per modum incantamenti erant, quod iam antea prima vice expertus erat. Dorothea dixit se haec omnia credere et ne doleretur, quia omnia erunt ad bonum atque evenient ad contentum eorum.

Parochus, omnibus demum pacatis, voluit lectionem fabellae finire, quia vidit parum ex ea reliquisse. Cardenius, Dorothea et reliqui etiam eum rogaverunt ut eam finiret. Ille autem omnibus voluit placere atque ipse gavisus est lectione eius et sic prosecutus est historiam quae hoc modo dicebat:

«Et evenit propter contentum, quem Anselmus habebat, de probitate Camillae, se vitam placidam et tranquillam vivere. Camilla autem sua sollertia ac versutia ostendebat Lothario vultum torvum asperumque ita ut Anselmus arbitraretur ipsam e contrario voluntatem habuisse. Atque ad haec confirmanda Lotharius veniam quaesivit ab Anselmo ne domum eius rediret, quia aperte ostendebat displicentiam, qua sua praesentia Camilla eum recipiebat. Tamen deceptus Anselmus dixit Lothario ut ille haec nullo modo faceret. Anselmus autem, his rebus peractis, suam propriam infamiam machinabatur, quamvis crederet magnum gaudium habere.

Nihilominus audacia Leonelae ad summum pervenit cum videret se ipsam protectam ac notam suis dissolutis rebus amorosis esse. Atque hoc ad talem extremum produxit ut, nulla re conspecta, putavit dominam eius in omnibus eam protegere eique animadvertebat quae facienda erat ne suspicionem haberet ac nullam curam. Attamen quadam nocte Anselmus audivit gressus in cubiculo Leonelae et voluit intrare ad videndum quis ibi esset, sed sensit ianuam clausam coram seipso, quod ei auxit voluntatem aperiendi. Denique tanto robore et impetu conatus est ianuam aperire ut introiret et tunc vidit virum egredientem per fenestram ad viam. Continuo festinavit

ad eum apprehendendum sive ad eum cognoscendum, sed neuter potuit facere, quia Leonela amplexa est eum ei dicens:

–Velis mitigari, domine mi, et ne perturberis, neque persequaris eum, qui hinc egressus est, quia ille ad me pertinet et tam multum, quia ipse maritus meus est.

Anselmus haec noluit credere; sed obcaecatus iracundia pugionem apprehendit et voluit Leonelam vulnerare, ab ea flagitans ut ei omnem veritatem diceret, sin autem eam interficeret. Illa commota compulsaque metu ei respondit:

–Ne interficias me, domine, quia talia dicam tibi, quae maioris momenti sunt, quae possis fingere animo.

–Dic ea statim –dixit Anselmus–; aliter mortua es.

–Nunc hoc non fieri potest –dixit Leonela–, quia magnopere turbata sum; relinque me usque ad mane et tunc dicam tibi quod vere miraberis audiendo. Et vere qui per hanc fenestram egressus huius urbis est, qui etiam mihi pollicitus est ducendi me uxorem.

His verbis pacatus est Anselmus et voluit terminum petitum exspectare, et quidem non arbitrabatur quid contra Camillam audire, nam vere fidissima coniux erat ac maxime ei confidebat. Hoc modo e cubiculo egressus est atque in eo occlusit Leonelam eique dixit se non relicturum eam donec ei diceret quae dicenda essent.

Tunc venit ad Camillam eique dixit quaecumque evenit cum virgine eius et verbum quod ei dedit dicendi magnas res, quae etiam erant magni momenti. Non opus est dicere Camillam turbari et tam multum perturbata erat, ut crederet quae Leonela dicenda esset Anselmo omnia de parva fiducia eius esse, et non potuit amplius demorari ad videndum utrum hoc verum esset necne. Et sic cum vere credidit Anselmum profunde dormire, illa ipsa nocte gemmas suas collegit ac pecuniam et, nemine audiente, domo profecta est et ad domum Lotharii pervenit, cui omnia nuntiavit, quae sibimet evenerant; atque ab eo quaesivit ut ambo discederent ad locum ubi securi ab Anselmo essent. Lotharius valde perturbatus fuit hac confusione quam Camilla ei immisit et nesciebat quid ei respondere nec immo quid faciendum erat.

Denique arbitratus est Camillam ad monasterium adducere, cuius abbatissa soror Lotharii erat. Camilla autem consensit his omnibus et Lotharius festinavit ad eam ibi adducendam dum ipse ab urbe discederet, nemine huius negotii sciente.

Anselmus autem, mane facto, nondum animadvertit Camillam abesse a latere eius, sed cum magno desiderio cognoscendi quid Leonela ei diceret, surrexit e lecto et venit ad cubiculum ubi eam occluserat. Aperuit ianuam atque introivit, sed Leonelam non invenit; tantummodo sindones lecti nectas per fenestram, quod signum erat eam ibi descendisse et profectam esse. Tunc ad Camillam reversus est, sed eam non invenit in lecto nec in tota domo, quare miratus ac stupefactus est. Famulos domus rogavit de ea, sed nemo ei quid dicere potuit.

Et casu autem, dum quaereret Camillam, vidit arcas apertas ex quibus gemmae aberant, quare putavit causam infortunii sui non esse Leonelam. Atque hoc modo et paene amictus ut erat ad amicum suum Lotharium pervenit ad ei suam afflictionem nuntiandam. Sed eum quoque non invenit et famuli eius dixerunt eum nocte domo egressum fuisse omnesque pecunias secum duxisse, quare Anselmus sanam mentem suam fere amisit. Atque ad haec omnia finienda cum domum reverteretur nullos famulos nec famulas invenit, sed domum desertam, relictam solamque.

Nesciebat quid putare, quid dicere nec quid facere et paulatim iudicium suum ad eum pervenit. Seipsum videbat uno ictu sine uxore, absque amicis ac desertus a coelo, qui eum operiebat, atque insuper sine honore, quia in absentia Camillae vidit suam propriam perditionem.

Denique autem et, longa mora elapsa, conatus est ad pagum cuiusdam amici pervenire, ubi hanc infamiam machinatus erat. Portas domus suae clausit, ascendit in equum suum et fessus animo iter fecit; tamen cum nondum dimidiam viam fecerat et oppressus suis nefastis cogitationibus de equo descendit eumque ad arborem ligavit ad cuius truncum sedit; et exhalans tenera et acerba suspiria ibi mansit fere ad noctem; tunc vidit virum venientem super equum ex urbe et, cum eum salutaret, eum rogavit de nuntiis qui Florentiae essent. Cives ille ei respondit:

–Nuntii vere insoliti sunt, qui umquam his diebus audiuntur; quia palam dicitur Lotharium, ille qui fuit magnus amicus divitis Anselmi, qui vivebat in oppido Sancti Ioannis, hac nocte adduxit secum Camillam, coniugem Anselmi; hic autem nullibi apparet. Haec omnia dixit quaedam famula Camillae, quam die hesterno gubernator invenit cum descenderet domo Anselmi per fenestram ope cuiusdam sindonis. Profecto, nescio accurate quomodo hoc negotium evenit; tantum scio omnem urbem mirari de hoc evento, quia nemo poterat hoc exspectare propter magnam amicitiam illorum duorum de quibus dicebatur tam magnam esse ut eos semper *duos amicos* nuncuparent.

–Num forte cognoscitur –inquit Anselmus–, quonam iter faciunt Lotharius et Camilla?

–Nequaquam! –dixit cives–, quia gubernator magnam diligentiam adhibuit ad eos quaerendos.

–Ad Deum vadas, domine –ait Anselmus.

–Cum Deo maneas –respondit cives ille et profectus est.

Anselmus autem, his afflictis nuntiis auditis, non tantum fere amisit mentem suam, sed etiam vitam. Surrexit sicut potuit et ad domum illius amici pervenit, qui nondum cognoverat infortunium eius; sed cum videret eum venientem pallidum, consumptum et siccum, arbitratus est eum quodam gravi morbo laborare. Anselmus eum rogavit ut in lectum eum adducerent et dederint ei instrumenta ad scribendum. Hoc ita fecerunt eumque reliquerunt in lecto et solum, quia sic ille voluit, et etiam ianuam clauserunt. Cumque solum se invenit cogitationes eius eum oppresserunt et quidem cognovit se vitam amittere et sic exposuit scripto nuntium causae insolitae mortis suae; atque incepit scribendo, sed, antequam finiret omnia quae voluit, halitus ei defecit et vitam reliquit in manibus doloris, quem importunum desiderium eius affecit.

Cumque dominus domus videret iam serius esse atque Anselmum nondum eum vocare, decrevit introire in cubiculum ad indispositionem cognoscendam, tamen invenit eum accubitum deorsum, dimidium corpus in lecto atque aliud dimidium super repositorium ad scribendum super quod erat cum scripto aperto dum calamum in manu habebat. Hospes ad eum venit, imprimis vocavit eum atque apprehendens manum eius invenit eum frigidum et vidit eum iam mortuum esse. Miratus atque afflictus est magnopere et vocavit homines illius domus ita ut viderent hoc

infortunium quod evenit Anselmo. Tandem legit scriptum quod ille propria manu scripserat et sic dicebat:

Stultum atque importunum desiderium vitam meam abstulit. Si nuntii meae mortis ad aures Camillae perveniunt, illa debet scire me ei ignoscere, quia nullo modo ipsa potuit miracula facere nec egomet volui eam ea efficere, quia tantum egomet fui machinator ignominiae meae et non oportet ...

Hucusque scripsit Anselmus, sed non potuit hanc sententiam finire, quia vita ab eo finivit. In crastinum diem amicus nuntiavit mortem eius propinquis Anselmi, qui iam infortunium eius cognoscebant et etiam monasterium ubi Camilla erat et fere in termino comitandi maritum suum ex hoc necessario itinere vitae, et non propter nuntios mortui mariti, sed propter amicum absentem. Fertur eam, quamvis videret se viduam, noluisse a monasterio discedere nec professionem monachae facere, donec ei pervenerunt nuntii Lotharii, qui mortuus erat in quodam proelio quod fecit *monsiur* sive dominus Lautrec versus Magnum Ductorem, Gonzalo Fernández de Corduba in regno Neapolis, quo serius poenitens amicus advenit. Camilla autem, hac re demum cognita, fecit professionem religiosam in monasterio et brevibus diebus vitam suam finivit magna tristitia ac melancholia. Hic fuit finis omnium, et quidem ortus est ex initio omnino inusitato.»

–Haec fabella –dixit parochus– bene mihi videtur; tamen non possum credere hanc veram esse; et si haec ficta est auctor finxit male, quia raro imaginatur maritum tam stultum fuisse, ut faceret experientiam tam damnosam sicut Anselmus fecit. Si hoc esset inter amantem et dominam eius, hoc fieri potest; sed inter maritum et uxorem vix fieri posset, tamen modus narrandi fabulam non displicet mihi.

Capitulum 36. Ubi agitur de inauditis rebus gestis, quae in caupona acciderunt

Tunc autem cauponarius, qui ad portam cauponae erat, dixit:

–Haec quae advenit est pulchra turma hospitum: si forte hi apud nos detinentur vere gaudebimus.

–Quaenam gens est haec? –dixit Cardenius.

–Quattuor homines –respondit caupo– veniunt super equos cum brevibus calcaribus [vulgo *a la jineta*] armati lanceis et scutis atque omnes larvati vultu sunt cum velamentis atris. Iuxta eos venit mulier induta colore albo super sellam equi, cuius facies etiam larvata est et duo pedisequi veniunt.

–Suntne illi tam proximi a nobis? –quaesivit parochus.

–Tam prope sunt –respondit caupo– ut iam adveniant.

Dorothea, his rebus auditis, faciem suam cooperuit, et Cardenius intravit in cubiculum domini Quixoti; sed fere nec tempus habuerunt ad id faciendum, cum illi, de quibus cauponarius dixit, introiierunt in cauponam. Illi quattuor descenderunt

de equis, et quidem omnes erant elegantes figurae ac venusti corpore et venerunt ad adiuvandam mulierem, quae sedebat in sella equi. Quidam ex eis eam accepit suis bracchiis eamque accommodavit super sellam, quae ad introitum cubiculi Cardenii erat, ubi Cardenius sese abscondit. Et omni tempore nec illa nec alii velamentum a facie abstulerunt nec verbum inter se dixerunt; tantummodo mulier cum sedit super sellam exhalavit profundum suspirium et bracchia inertia deorsum demisit, tamquam si esset infirma et languida. Pedisequi equos ad stabulum adduxerunt.

Parochus, his rebus conspectis, scire voluit quinam essent viri illi talibus vestibus ac silentio et ad pedisequos venit et quemdam eorum rogavit quod ab eis quaesiverat, qui ei respondit:

–Per Deum! domine, non possum tibi dicere quosnam homines esse; tamen dicam tibi eos praecipuos esse, potissimum qui illam dominam suis bracchiis accipit quam vidisti; atque hoc dico quia omnes eum honorant et nihil faciunt nisi quod ille imperat eisque iubet.

–Atque haec domina, quaenam sit? –quaesivit parochus.

–Minime hoc tibi dicere possum –respondit pedisequus–, quia toto itinere faciem eius non vidi; suspiria permulta ex ea audivi et gemitus exhalare et videtur in unoquoque eorum eam animum exspirare velle. Sed non mirum est nos nescire nisi quae diximus tibi, quia tantum per biduum eos comitamur; et hoc quia invenerunt nos in via et rogaverunt ac persuaserunt nobis ut cum eis iter faceremus usque ad Baeticam regionem, et polliciti sunt nobis bonum salarium.

–Num audivisti nomina eorum? –quaesivit parochus.

–Non, certe –respondit pedisequus–, quia omnes iter faciunt magno silentio, quod vere mirum in modum est, et non auditur inter eos nisi haec suspiria et gemitus huius miserae dominae, quae movet nos ad commiserationem; et absque dubio credimus eam invitam iter facere quocumque ipsa vadat; et secundum quod colligitur per vestem illa monacha est sive fore ut sit, quod certius erit, sed eodem modo patet eam professionem monachalem non multum diligere, quare tristis est ut aperte videtur.

–Omnia fieri possunt –dixit parochus.

Atque ille, his rebus relictis, ad Dorotheam venit, quae cum audiret larvatam mulierem suspirium exhalare, mota naturali commiseratione, ad eam venit eique dixit:

–Num laboras quadam infirmitate, domina mea? Vide si haec est de his, quas mulieres propter experientiam et consuetudinem adiuvare possunt ad curandum, nam ego mea ex parte parata sum mea voluntate ad tibi serviendum.

Illa domina dolorosa tacebat; et, quamvis Dorothea denuo cum ea locuta esset de suo iuvamine, iterum mansit illa domina suo silentio donec eques ille larvatus, de quo pedisequus dixerat omnes ei oboedire, ait Dorotheae:

–Ne inaniter te defatiges, domina, neque velis quid huic dominae offerre, quia secundum consuetudinem suam nec gratias aget pro qualibet re quam ei faciant, nec opus est credere eam responsuram esse, nisi velis quoddam mendacium ex ore eius audire.

–Numquam hoc dixi –ait ad hanc opportunitatem illa quae hucusque mansit tacita–; insuper et quia semper veritatem dixi et nullum mendacium, invenio me

nunc affectam tam magno infortunio. Atque huius rei volo te testem esse, quoniam veritas mea facit te falsum ac mendacem.

Cardenius haec argumenta audivit clara ac distincta voce et cum haec audiret, propterea quod tantum ianua cubiculi domini Quixoti erat inter eos et simul atque haec audivit magna voce clamavit:

–Adiuvet me Deus! Quid est quod audio? Quaenam vox ad aures meas pervenit?

Illa domina, his vocibus auditis, caput suum volvit valde perturbata et cum non vidit eum, qui has proferebat surrexit ac voluit introire in cubiculum. Et cum eques hoc vidit eam detinuit nec permisit eam gressum prorsus facere. Illa autem, mota magna perturbatione amisit larvam, qua cooperiebat faciem suam, et continuo develavit vultum imparem speciositatis ac mirum, quamvis pallidum pavidumque esset et quidem oculis suis ubique inspiciebat atque enixe et similis erat ac non compos mentis. Et Dorothea omnesque qui eam conspiciebant moti erant magna commiseratione erga eam. Eques apprehendit eam magno robore a tergo et cum eam teneret non potuit suam propriam larvam super vultum reponere, quae in terram cecidit. Et cum Dorothea, quae amplexa est illam dominam, oculos suos porrexit, vidit eum, qui etiam illam dominam amplectebatur, esse maritum suum, nempe dominum Ferdinandum; et simul atque eum vidit proiecit ex intimo pectore suo longum ac tristissimum *heu*! et statim exanimis et inconscienter a tergo cecidit. Et si tonsor illo tempore non esset iuxta eam, ad eam suis bracchiis recipiendam, ipsa in terram cecidisset.

Tunc parochus festinavit ad adiuvandum ac velamentum vultus ab ea removit ita ut posset aquam in faciem eius aspergere et cum dominus Ferdinandus eam vidit, statim cognovit, quia ille erat qui aliam dominam amplectebatur atque ipse, Dorothea conspecta, tamquam mortuus mansit propter suum pavorem. Tamen eodem tempore apprehendebat Luscindam, quae conabatur surgere ex bracchiis eius; et ipsa etiam cognovit suspirium Cardenii, qui eodem modo eam quoque recognovit. Cardenius audivit gemitus quos Dorothea prorupit cum exanimis caderet et credidit eam fuisse suam Luscindam, quare properavit ad exiendum ex cubiculo motus pavore atque imprimis vidit dominum Ferdinandum, qui amplectebatur Luscindam. Etiam dominus Ferdinandus confestim cognovit Cardenium et omnes tres, Luscinda, Cardenius et Dorothea taciti manserunt ac suspensi, quia nesciebant quid evenit eis.

Omnes conticuerunt atque inspiciebant se mutuo: Dorothea dominum Ferdinandum, dominus Ferdinandus Cardenium, Cardenius autem Luscindam Luscindaque Cardenium. Tamen qui primus silentium rupit fuit Luscinda loquens cum domino Ferdinando et quidem hoc modo:

–Relinque me, domine Ferdinande, propter reverentiam debitam tibi, quamvis non per aliam considerationem id facias, sine me pervenire ad murum, cuius hedera sum, ad eum venire ex quo importunitates tuae non potuerunt me eripere nec minae tuae nec tua promissa nec tua munera. Animadverte quomodo coelum per vias incognitas nobis maritum meum coram me posuit. Et bene potes scire per mille experientias molestas tantum mortem posse eum a mea memoria delere. Atque hae clarae exprobationes sint tibi ut fiat, nisi aliter facias, amor in rabiem, voluntas in despectum et cum eo finias vitam meam; sed si ad ministerium mei mariti vitam

meam ponam hoc bonum mihi erit; et fortasse cum mea morte perficiam fidem quam habui erga eum usque ad finem vitae meae.

Interea Dorothea facta est compos sui et, his argumentis Luscindae auditis, cognovit quaenam ipsa esset; et cum dominus Ferdinandus ipsam nullo modo relinqueret ex suis bracchiis nec responderet ad has argumentationes, conata est, si fieri posset, surgere et flexit genua ante eum et multas ac pulchras lacrimas effundens, sic incepit dicere:

–Domine mi, si radii huius solis, qui, inter bracchia tua eclipsatum habes, non auferunt atque obscurant lumen oculorum tuorum tunc iam videbis ipsam Dorotheam esse infortunatam miseramque, quae nunc ad pedes tuos flectit genua, donec tu id velis. Ego sum illa humilis rustica, quam tu, sive per tuam bonitatem sive per tuam voluptatem, voluisti augere ad altitudinem ita ut posset esse tua. Ego sum illa quae, clausa in limitibus honestatis, vixit vitam laetam donec audiret voces tuae importunitatis et, ut videtur, iustos atque amorosos sensus, et tunc ianuam pudicitiae aperuit et claves suae libertatis tradidit tibi, sed hoc munus non gratum fuit tibi sicut aperte videtur propter modum quo me vides nunc atque in quo loco me invenis et huiusmodi temetipsum video. Sed ne credas me huc ad te venire post gressus meae infamiae nisi per dolorem et sensum videndi me omnino oblitam esse a te. Tu voluisti me tuam esse atque hoc desiderasti tali modo, quamvis nunc hoc non amplius velis, sed nullo modo fieri potest te non esse meum. Vide, domine mi, atque accepta imparem voluntatem meam tamquam remunerationem pro pulchritudine ac nobilitate illius quam nunc praefers mihi. Tu non eris Luscindae, quia meus es nec illa potest esse tua, quia Cardenii est. Ac facilius erit tibi, si hoc vere vides, tuam voluntatem reducere ad diligendam illam, quae vere diligit te et non illam, quae abhorret tibi et non diligit te. Tu negligentiam meam sollicitasti; rogasti integritatem meam; non ignorabas qualitatem meam; et bene scis quomodo me totam tradidi tibi, nempe tuae voluntati; quapropter nullo modo potes dicere te ope frustrationis decipi. Et si hoc ita est, quod verum est, et tu etiam eques et christifidelis es, cur demoraris faciendi me fortunatam in fine, sicut me fecisti in initio? Et si non diliges me propter me ipsam, quae tua uxor vera ac legitima sum, saltem dilige me atque admitte me ut servam; et si in tua potestate ero me sentiam felicem fortunatamque. Ne permittas ut sim a te destituta ac derelicta, ita ut omnes loquantur de me ac de infortunio meo; ne facias parentes meos malam senectutem habere, quia non merentur propter fidelia ministeria eorum ut boni subditi tui, qui semper pro te fecerunt. Et si forte credis te sanguinem tuum delere, quia eum cum meo sanguine permiscuisti, considera perpaucas nobilitates esse in mundo, quae non per has vias transierunt; et nobilitas quae ex muliere provenit non est quae ad illustrem descendentiam venit; praesertim quamvis vera nobilitas in virtute sit, et si haec deficit tibi et non vis mihi dare quod mihi iuste ac merito debes, nobilior ero quam tu ipse. Denique, domine, quod in finem dicam tibi hoc est, velis nolis, ego tua uxor sum; et testes sunt verba tua, quae non debent mendacia esse si vere gloriaris de hac nobilitate, qua spernis me. Signum manus tuae testis est et testis est coelum, quod tu vocasti, cum pollicitus sis mihi. Et cum haec omnia desint tibi, tua ipsa conscientia non deficiet tibi vocibus tacendo in mediis laetitiis tuis, atque ad hanc veritatem veniet quam iam dixi tibi et quidem turbando tua meliora desideria et contentus.

His aliisque argumentis prolatis, Dorothea expressit magnam afflictionem suam et etiam multis lacrimis ita ut ipsi qui dominum Ferdinandum comitabantur et cuncti circumstantes eam lacrimis comitarentur. Dominus Ferdinandus eam audivit, sed tacuit nec verbum dixit usque ad finem illius concionis atque illa incepit tot suspiria singultusque exhalare ad omnes commovendos nisi cor aeneum haberent ante ostentationem tam magni doloris. Luscinda eam inspiciebat et valde commiserta est afflictionis eius ac mirata est prudentiam et pulchritudinem eius; et quamvis voluerit ad eam pervenire et nonnulla verba consolationis ei dicere bracchia Ferdinandi non permittebant hoc facere, quia eam enixe apprehendebant. Hic autem praeditus magna turbatione attente inspexit Dorotheam et, longa mora elapsa, relinquens Luscindam dixit:

–Vicisti, pulchra Dorothea, vicisti; quia non fieri potest ut animus meus tot veritates tuas una recuset.

Dominus Ferdinandus reliquit Luscindam et haec fere cecidit in terram ope languoris, qui tenebat eam. Tamen Cardenius erat iuxta eam a tergo domini Ferdinandi ne hic eum cognosceret, et, omni timore remoto, atque omni periculo recognoscendi neglecto, properavit ad Luscindam iuvandam eamque in suis bracchiis apprehendens dixit ei:

–Clementi coelo placuit et id vere voluit te quamdam quietem habere, fidelis, stabilis ac pulchra domina mea, et nullibi hanc securiorem habebis quam in bracchiis meis, quae nunc te recipiunt sicut olim receperunt te, cum fortuna voluit ut possem te vocare meam.

Luscinda, his argumentis auditis, infixit oculos suos in Cardenium atque, eo recognito, primo per vocem et postea vero secura hac visione eumdem esse, amisso omni sensu, et, nullo honesto respectu servato, sua bracchia ad collum Cardenii eiecit et, posita sua facie iuxta faciem eius, ei dixit:

–Tu certe es, domne mi, verus dominus huius captivae tuae, quamvis fortuna adversa id impediat et minas faciant huic vitae quae in tua sustentatur.

Hoc spectaculum mirum fuit domino Ferdinando cunctisque circumstantibus, qui mirati sunt de hoc evento numquam cognito. Dorotheae autem videbatur dominum Ferdinandum amittere colorem faciei gesticulationesque facere tamquam si vellet sese vindicare a Cardenio, quia vidit manum super gladium eius; et simul ac de hoc cogitavit et citius dicto amplexa est genua eius, atque ea osculata est, eumque opressum habuit ita ut non posset moveri et cum profusis lacrimis ad eum ait:

–Quid ergo cogitas facere, o refugium meum, in hoc inopinato statu rerum? En ad pedes tuam uxorem habes atque illa, quam velles ut esset tua uxor, est in manibus mariti sui. Vide utrum hoc bene sit necne, o domine Ferdinande, sive utrum possis evadere quod coelum statuit an conveniat tibi extollere ad tuam altitudinem illam quae, omni obstaculo remoto, et, veritate ac firmitate eius confirmata, ante te est et super faciem ac pectus sui veri mariti effudit lacrimas amorosas. Per commiserationem Dei rogo te et per quem tu vere es, obsecro te, ut haec cognitio accepta ne augeat iracundiam tuam, sed e contrario eam minuat et taliter ut praeditus quiete ac tranquillitate permittas hos duos amantes habere absque ullo impedimento tuo totum tempus, quod coelum eis det atque in hoc ostendes magnanimitatem tui illustris

nobilisque pectoris et mundus quoque videbit apud te vim ratiocinandi fortiorem esse quam tuam propriam voluptatem.

His verbis prolatis, Cardenius amplectebatur Luscindam, sed oculos non avertebat a domino Ferdinando cum desiderio videndi eum motum facere adversum se ipsum ut defenderet se et etiam ad offendendum si posset, quamvis esset cum periculo vitae suae. Ad hunc statum rerum pervenerunt amici domini Ferdinandi necnon et parochus et tonsor, qui ad omnia circumstantes erant, et etiam bonus Sanctius Pansa adfuit, et omnes dominum Ferdinandum circumierunt eumque rogaverunt ut conspiceret lacrimas Dorotheae et cum verum esset quod ipsa dixit, quod ipsi sic credebant, ne permitteret eam defraudari in sua spe. Necnon ut consideraret, non praecise casu ut videbatur, sed propter providentiam coeli, omnes ad hunc locum convenire, ubi nemo id potuit cogitare. Et ut ille animadverteret –inquit parochus– tantum mortem posse seiungere Luscindam a Cardenio et quamvis gladius acutus eos scinderet illi haberent hanc mortem ut felicissimam atque in hoc statu irrevocabili rerum sapientis erat magnanimitatem ostendere, quamvis invitus esset et propter suam voluntatem permittere illos duos gaudere felicitate a coelo concessa. Atque eodem modo ille posset formositatem Dorotheae videre, quae nemini secunda erat et coniungeret pulchritudinem cum humilitate eius et tam magnum amorem erga eum atque insuper eum equitem et christifidelem fuisse, quare non posset aliter facere quam verbum quod pollicitus erat adimplere et hoc modo persolveret cum Deo et complaceret omnibus prudentibus, qui sciunt et cognoscunt privilegium pulchritudinis, quamvis in subiecto humili sit, si vere una cum honestate potest ascendere ad quamcumque altitudinem sine damno illius, qui extollet atque aequiparat seipsum. Et cum leges voluptatis fortissimae sint omni peccato secluso, non damnatur qui eas sequitur.

His argumentis et rationibus prolatis, validus animus domini Ferdinandi –denique sanguine illustri condito– mollitus ac victus est a veritate, quam non potuit denegare quamvis vellet; tunc signum fecit approbationis huic prudenti propositioni et inclinavit se atque amplexus est Dorotheam dicens ei:

–Surge, domina mea; quia non est iustum ut flectat genua illa, quam in meo animo habeo; et si hucusque nondum dedi signum huius rei, quam dico, hoc fuit per designium coeli ut possim videre tuam magnam fiduciam, qua diligis me ita ut possim te diligere sicut mereris. Tamen rogo te ne reprehendas me propter malam condicionem meam et magnam negligentiam, quoniam ipsa occasio, quae impulit me ad te accipiendam tamquam meam, detinuit me ut essem tuus. Atque ut hoc verum sit, inspice oculos laetae Luscindae, quibus videbis excusationem omnibus erroribus meis et si ipsa invenit quod exspectabat atque obtinuit, ego quoque inveni in te quod oportet mihi. Vivat illa secura ac laeta per longos felicesque annos cum suo Cardenio atque egomet coelum rogabo ut permittat mihi ipsam felicitatem ad vivendum cum mea Dorothea.

Et dominus Ferdinandus, his verbis dictis, eam denuo amplexus est ac vultum suum iuxta faciem eius iunxit et tali affectatione ut lacrimae ostenderent signa amoris ac poenitentiae. Non sic fecerunt Luscinda et Cardenius et immo circumstantes, qui multas lacrimas effuderunt nonnulli propter contentum proprium, alii autem propter laetitiam aliorum et videbatur eventum grave omnibus accidisse. Etiam Sanctius

Pansa flevit, quamvis postea diceret se ploravisse, quia vidit Dorotheam non fuisse reginam Micomiconam quam credebat, de qua tam multa beneficia exspectabat. Per longam moram perduravit planctus atque admiratio omnium, postea Cardenius et Luscinda flexerunt genua ante dominum Ferdinandum eique gratias egerunt propter beneficium acceptum ab eo et quidem urbanis argumentis; quibus dominus Ferdinandus nescivit quid respondendum erat; tamen eos extulit e terra atque amplexus est cum signis magni amoris atque urbanitatis.

Tunc a Dorothea quaesivit quomodo ad hunc locum tam remotum a suo proprio pervenerat. Illa autem brevibus ac prudentibus argumentis haec omnia narravit quod iam antea Cardenio dixit, quod multum placuit domino Ferdinando atque omnibus, qui cum eo erant, qui volebant ut haec historia diutius produceretur, quia vere Dorothea faceta erat in narratione sui infortunii. His rebus peractis, dominus Ferdinandus dixit quod in urbe ei accidit postquam schedulam in sinu Luscindae inveniret, ubi exponebatur eam uxorem Cardenii fuisse quapropter non poterat uxorem eius esse. Ille dixit se voluisse eam interficere et quidem adimplevisset si parentes eius ne impedirent. Tunc domo profectus est omnino desperatus ac praeditus pudore cum voluntate faciendi vindictam tempore opportuno, sed in crastinum diem novit Luscindam domo parentum suorum abfuisse et, nemine sciente, post aliquos menses cognovit eam in quodam monasterio fuisse et quidem cum voluntate ibi manendi per totam vitam nisi posset una cum Cardenio vivere. Tunc et cum illis tribus equitibus quos elegit ad locum venit ubi ipsa erat, sed cum illa noluit loqui, timens ne maiorem custodiam ponerent in illo monasterio; et sic exspectans ut porta illius esset aperta duos equites reliquit ad portam servandam et cum alio equite introivit quaerens Luscindam, quam in claustro invenerunt loquentem cum quadam monacha; atque apprehendens eam, nulla optione ei data, secum adduxit eam ad locum, ubi paraverunt omnia ad eam adducendam. Et haec omnia bene potuerunt facere, quia monasterium erat in campo procul a pago. Etiam dixit Luscindam amissise omnes sensus cum se vidit in manibus eius et cum reversa in se esset nihil fecit nisi flere et anhelare suspiria nec verbum dixit; et hoc modo comitati silentio ac lacrimis ad illam cauponam pervenerunt, sed ei hoc erat ad coelum venire, ubi omnia infortunia huius mundi evanuerunt.

Capitulum 37. Ubi prosequitur historia illustris principessae Micomiconae cum aliis rebus gestis facetis

Sanctius, his omnibus auditis, praeditus erat magno dolore sui animi videns spem sui tituli evanesci in fumum ac deleri et pulchram principessam Micomiconam fieri Dorotheam et gigantem dominum Ferdinandum; donec dominus eius, de his rebus omnino nesciens, dormiebat profundo somno. Dorothea autem non potuit credere utrum bonum nuperrimum acceptum verum esset an somnium. Cardenius etiam erat in eisdem cogitationibus et Luscinda eadem cogitabat. Dominus Ferdinandus vero gratias egit

coelo propter acceptum beneficium, quia ex hoc implicato labyrintho extraxerat eum, ubi periculum habebat amittendi tum honorem tum vitam; sed denique omnes qui in illa caupona erant laeti gaudebant illo prospero evento, qui tam diversos status rerum habuit.

Parochus autem omnia in suo loco posuit, quia prudens erat atque unicuique dabat congratulationem debitam; tamen cauponaria magis magisque gavisa est propter promissum quod Cardenius et parochus ei fecerunt solvendi sumptum et damnum ei factum a domino Quixoto. Tantummodo Sanctius, ut iam dictum est, afflictus erat, infortunatus ac tristis; et praeditus hoc melancholico vultu intravit ad dominum suum, qui vix atque expergefactus erat ei dixit:

–Bene potes, domine Tristis Figurae, dormire quidquid velis, nulla cura interficiendi gigantem habita nec reponendi principessam in regno illius, quia omnia peracta et conclusa sunt.

–Hoc bene credo ego –respondit dominus Quixotus–, quia cum gigante fuit mihi immane proelium, quod habebo omnibus diebus vitae meae, sed ictu averso caput eius in terram eieci et tam multum sanguinem effudit ut rivi currerent per terram tamquam si aquae essent.

–Tamquam si essent rivi ex vino rubro, melius potes dicere –respondit Sanctius–; quia debes scire, nisi nondum hoc scias, caput gigantis mortui esse corium perforatum et sanguinem sena magna pondera [*arrobas*] vini rubri, quae habebat in ventre eius; et caput eius est moecha, quae peperit me atque omnia Satan ferat secum.

–Quid ergo dicis tu, amens? –obiecit dominus Quixotus–. Esne tu compos mentis?

–Surge, domine –dixit Sanctius–, et videbis optimum laborem perfectum et quod pro eo oportet solvere, et videbis reginam factam dominam Dorotheam nomine et alias res gestas, quas si intelligis dignae sunt mirandi.

–Non miror de his omnibus rebus –obiecit dominus Quixotus–, quia si huius meministi, praeterita vice qua hic fuimus, iam tibi dixi hic omnia per modum incantamenti accidisse et nunc forte idem sit.

–Haec omnia crederem –respondit Sanctius–, si etiam ludus stragulorum mecum in altum huiusmodi esset; sed non fuit nisi vere atque in veritate; et cauponarium vidi, qui est hic hodie atque ipse tenebat extremum straguli et me impellebat sursum in coelum magno robore ac facetiis et tanto risu quam robore; et ubi homines cognoscuntur, secundum me, hoc non est incantamentum, nisi contusio atque adversa fortuna.

–Nunc autem, Deus providebit –inquit dominus Quixotus–; affer mihi vestes meas, quoniam volo eas induere atque exire foras ad videndas res gestas et transformationes de quibus loqueris.

Sanctius ei dedit vestes et dum eas induebat, parochus domino Ferdinando atque omnibus reliquis narravit dementiam domini Quixoti atque artificium, vi cuius eum de illa Rupe Pauperi extraxerunt, ubi imaginabatur esse propter despectum dominae suae. Etiam narravit eis fere omnes res gestas quas Sanctius ei narraverat de quibus valde mirati sunt et riserunt, quia eis videbatur quod omnibus aliis, nempe hoc esse genus dementiae valde inauditum, quod numquam mens insana cogitare posset. Atque ulterius dixit parochus, nam prospera fortuna dominae Dorotheae impediebat prorsus proficisci: opus erat alias res gestas invenire ita ut eum ad pagum eius adducerent. Cardenius obtulit seipsum in his quae inceperat et Luscinda ageret dramatis personam Dorotheae.

–Non ita –inquit dominus Ferdinandus–, non erit hoc modo; et volo ut ipsa Dorothea prosequatur suam inventionem; et cum hoc non procul hinc sit, egomet valde gaudebo medela totius huius negotii.

–Tantum abest binos dies hinc.

–Quamvis longius esset vellem libentissime iter facere tantum ad bonam operam navandam.

Tunc egressus est dominus Quixotus, armatus omnibus suis armis, induens super caput galeam Mambrini, quamvis concussa esset, apprehendens scutum suum atque innixus trunco sive lancea. Dominus Ferdinandus miratus est et etiam reliqui de insolito aspectu domini Quixoti, videns vultum eius longum ut iter dimidiae leucae, flaccidum pallidumque, inaequalitatem armorum et gressus graves eius. Siluerunt omnes exspectantes quid ille diceret; qui gravi voce ac serenitate, oculis in pulchram Dorotheam fixis, dixit:

–Cognovi, formosa domina, ab hoc armigero meo te ad nihilum redigi et peculiaritatem tuam deleri, quia ex regina ac magna domina, quae solita eras reversa es in virginem vulgarem. Si hoc factum est secundum mandatum patris tui necromantici, quia timuit me nullum iuvamen rectum daturum esse tibi, ego dico eum nescivisse nec scire de celebratione Missae nec dimidiam partem et parum versari in rebus gestis equitatus; quia si ille eas legeret attente atque accurate ac pedetentim sicut egomet feci, absque dubio inveniret multos alios equites tamquam ego, immo ac minoris famae quam meae, qui res gestas difficiliores adimpleverunt, et non est magni momenti gigantem interficere, quamvis superbus ille sit; quoniam abhinc non multum tempus ego cum illo fui ... sed volo tacere ne dicant me mentiri; sed tempore prodeunte, develator omnium rerum haec dicet cum minus haec exspectemus.

–Tu vidisti duo coria et non gigantem –dixit ad hanc opportunitatem caupo.

Dominus Ferdinandus iussit ut ille taceret et non interrumperet concionem domini Quixoti ullo modo: et dominus Quixotus prosecutus est dicens:

–Denique dico, enim, alta atque exheredata domina, si propter ea, quae dixi, pater tuus fecit hanc metamorphosim in te ne ei credas; quia non est periculum in tota terra quo gladius meus non aperiat viam, ope cuius ponam caput inimici tui in terra et tunc tibi dabo coronam tui regni super caput tuum et quidem intra paucos dies.

Nihil amplius dixit dominus Quixotus atque exspectavit responsum principessae, quae cum iam noverat desiderium domini Ferdinandi prosequendi ulterius in illa deceptione, donec dominum Quixotum adducerent ad locum eius, magno sale et lepore et gravitate ei respondit:

–Quicumque tibi dixerit, strenue Eques Tristis Figurae, me mutavisse in me ipsa non dixit tibi veritatem, quia ipsa sum ego quam heri, nudius tertius et quam hodie sum. Verum est nonnullos status rerum mutavisse in me, quia dederunt meliorem fortunam quam desiderarem mihi, sed omni modo ipsa sum quae antea eram et easdem cogitationes habeo, ad utendum strenuum atque insuperabile robor tui bracchii, quas semper habui. Hoc modo, domine mi, velis per magnanimitatem tuam restituere honorem patri meo, qui genuit me, eumque habeas ut hominem prudentem circumspectumque, quia sua scientia invenit viam facilem ac veram ad infortunio meo succurrendum et si non esset propter te, domine, numquam possem invenire

fortunam quam nunc habeo; atque in hoc est tam magna veritas ut hic et nunc testes huius rei sint omnes circumstantes. Quod nunc autem oportet est ut cras iter faciamus, quia hodie parum possumus facere et reliqua huius prosperae fortunae offeram ac relinquam in manibus Dei atque in virtute tui animi.

His verbis dictis a Dorothea, dominus Quixotus vertit se ad Sanctium et valde iratus ad eum ait:

–Nunc ego dico tibi, Sanctuele, te maximum subdolum esse in tota Hispania. Dic mihi, latro vagabundus, non mihi nuperrime dixisti hanc principessam mutari in virginem, nomine Dorotheam, necnon ut caput gigantis, quod vere amputavi, erat moecha, quae peperit te et etiam alias stultitias, quae vere perturbaverunt me maxima confusione totius vitae meae? Et iuro ...! –atque inspexit coelum et dentes pressit– me dilaniare te ita ut ponam salem in mente omnium armigerorum equitum itinerantium, qui vere mentiuntur in hoc mundo, ex hoc atque in futurum!

–Velis mitigari, domine mi –respondit Sanctius–; et fieri potest me quidem decipi quoad mutationem dominae principessae Micomiconae; sed quoad caput gigantis vel ad perforationem coriorum vel sanguinem esse vinum rubrum non decipior, et iuro per Deum, quia coria vini ibi sunt perforata ad caput lecti tui et vinum convertit cubiculum in lacum, aliter iam videbis, quia ad frigenda ova bene videbis; nempe hoc videbis sine dubio cum caupo quaerat solutionem pecuniariam pro damno facto ex his omnibus. Insuper si haec domina est nunc ut antea fuit, valde gaudio in meo corde, quia quaedam pars est mihi in toto hoc negotio tamquam unicuique filio vicini.

–Et nunc ego dico tibi, Sancti –inquit dominus Quixotus–, te stolidum esse, et parce mihi et sufficit hoc.

–Satis est –ait dominus Ferdinandus–, et ne loquatur amplius de hac re; atque ita ut domina principessa dicit nos iter facere in crastinum diem, quia nunc serius est ad id faciendum, ita sit atque hac nocte possumus iucundo ac mutuo colloquio manere usque ad venturum diem, ubi omnes comitabimur dominum Quixotum, quia testes esse volumus strenuarum atque inauditarum rerum gestarum, quas facturus est in decursu huius magni negotii, quod ipse super se perpendit.

–Egomet sum qui serviam vobis et comitabor vos –respondit dominus Quixotus–, et gratias ago vobis propter beneficium acceptum et bonam reputationem quam habetis de me et certe curabo ut vera sit, aliter offeram vitam meam atque etiam amplius si fieri posset.

Multa quidem verba urbanitatis ac multa desideria ad invicem inserviendum inter dominum Quixotum et dominum Ferdinandum locuta fuerunt; sed his omnibus quidam viator silentium posuit, qui tunc temporis intravit in cauponam, qui per vestes suas ostendit eum christianum fuisse, qui ex terra maurorum venit, quia induebat chlamydem manicatam ex tela caerulea, cum brevi gremio, cum mediis manicis et sine collo; femoralia erant ex ipsa tela caerulea, cum pilleo eiusdem coloris; calceos induebat mauriscos coloris dactylis et gladium mauriscum cum quodam balteo, quod pectus cooperiebat. A tergo eius et super iumentum intravit mulier amicta more maurisco, vultu celato et capite cooperto velo; etiam induebat pilleum sericum ac pallium quod a summis umeris usque ad pedes deorsum cooperiebat eam.

Vir erat robustus atque elegantis figurae, aetatis plus quam quadraginta annos natus, aliquantulum subniger vultus, mystaces longi et barba bene condita; breviter

ostendebat praestantiam corpoream specialem et si bene indutus esset eum diiudicarent ut virum nobilem natu et bonum genere.

Ille quaesivit cubiculum cum introiierit at ei dixerunt in illa caupona id non esse, quare valde afflictus est et ad illam mulierem amictam tamquam mauram venit quam demisit de iumento suis bracchiis. Luscinda, Dorothea, cauponaria, filia eius ac Maritornes illam mauram circumierunt et quidem mirabantur de vestibus insolitis numquam conspectis. Et Dorothea quae semper fuit iucunda, prudens et cauta credidit non tantum eam, sed etiam illum, qui eam adduxit, affligi ex penuria cubiculorum, et sic dixit ei:

–Ne doleas, domina mea, quia hic sit indigentia commoditatis, sed in cauponis hoc raro invenitur, tamen si vis nobiscum accumbere –et indicavit Luscindam– fortasse hoc modo invenies meliorem acceptationem quam aliter in decursu itineris tui.

Nihil respondit mulier velata nec signum fecit surgendi ex illo loco ubi sedebat et, manibus decussis ante pectus positis, caput suum inclinavit et corpus flexit ad gratias agendas. Ope huius silentii imaginabantur eam mauram fuisse, quia fortasse nesciebat loqui christiano sermone. Tunc advenit captivus, qui eo tempore cum aliis rebus occupatus erat, sed cum vidit omnes circumdare eam, quae cum eo venerat atque ipsa vero tacere omnibus quae dixerant ei, ait eis:

–Dominae meae, haec virgo vix intelligit linguam meam nec alia loquitur nisi lingua suae regionis, quare non potest responsum dare nec respondet his quae ab ea quaesivistis.

–Nihil ab ea quaeritur –respondit Luscinda– tantummodo volumus ut consentiat pernoctare nobiscum, nempe cum nostro comitatu et sic habeat partem ubi nos erimus, eique faciemus munus cuiusdam commoditatis cum voluntate serviendi omnibus alienigenis, qui hanc necessitatem requirunt, potissimum cum sit mulier cui hoc facimus.

–In nomine eius et quidem meo –respondit captivus– deosculor manus tuas, domina mea, et magni facio hoc beneficium oblatum, praesertim in hac occasione ac tali statu rerum ut mihi videtur atque hoc vere magnum est nobis.

–Dic mihi, domine –inquit Dorothea–: utrum haec domina sit christifidelis an maura? Quia indumentum et silentium impellunt nos ad credendum quod nolumus eam fuisse.

–Maura est in vestibus atque in corpore; sed in animo magna christiana est, quia multa desideria habet perveniendi ad hanc fidem.

–Ergo nondum baptizata est? –obiecit Luscinda.

–Nondum fuit ei occasio baptizandi –respondit captivus– cum egressa sit ex Algeria, sua patria ac terra, sed hucusque nondum fuit in periculo proximae mortis ad eam instanter baptizandam antequam cognosceret omnes caeremonias, quae nostra Sancta Mater Ecclesia praecipit nobis; sed, Deo iuvante, cito baptizabitur secundum formalitates suae nobilitatis, quae maior est quam, quae vestimenta eius ac mea ostendunt.

His argumentis expositis, omnes voluerunt scire quaenam esset illa maura et etiam captivus ille; tamen nemo tunc ausus est ea quaerere, quia intellexerunt in illa occasione maioris momenti esse inveniendi locum ad pernoctandum quam ad indagandum de vitis eorum. Dorothea autem eam apprehendit sua manu eamque adduxit ad sedendum iuxta seipsam eamque rogavit ut velum ex sua facie auferret. Illa autem inspexit captivum tamquam si ab eo quaereret quid faciendum esset. Ille autem arabico sermone dixit eos ab ea quaerere ut velum auferret ex suo vultu et ut ita faceret, quod ipsa fecit et tunc develavit faciem valde pulchram quam Dorothea pulchriorem credidit quam

faciem Lüscindae ac Luscinda putavit eam formosiorem esse quam faciem Dorotheae atque omnes circumstantes hoc cognoverunt, quia si quaedam facies posset comparari illis duabus haec esset facies illius maurae. Etiam nonnulli crediderunt faciem maurae praestantiorem esse illis duabus. Atque ita ut formositas habeat peculiare privilegium ad animos reconciliandos necnon ad voluntates alliciendas cuncti habuerunt desiderium serviendi ac blandiendi pulchrae maurae.

Dominus Ferdinandus quaesivit a captivo quomodo nuncupabatur maura, qui respondit ei *Lalla* Zoraida; et cum ipsa haec audivit atque intellexit quod christianus quaereret citissime dixit valde afflicta ac faceta:

–Non Zoraida, Maria, Maria! –exprimens se Mariam vocari et non Zoraidam.

Haec verba et magna affectatio, qua maura haec dixit, fecerunt nonnullos auscultantes lacrimas effundere, praesertim mulieres, quae ex natura tenerae ac misericordes sunt. Luscinda autem eam amplexa est magno amore ei dicens:

–Ita, ita, Maria, Maria.

Cui maura respondit:

–Ita, ita, Maria; Zoraida *ma kan shi* [arabice]! –quod vult dicere *non*.

His rebus peractis, et vespere autem facto, caupo magnum prandium paravit quam melius posset secundum mandatum eorum, qui cum domino Ferdinando veniebant. Et, tempore opportuno, omnes longae mensae famulorum accubuerunt, quia nec rotunda nec quadrata erat eis in caupona et caput illius mensae dederunt domino Quixoto, quamvis ille recusaret atque ipse iuxta dominam Micomiconam esset, propterea quod adiutor eius erat. Postea vero sederunt Luscinda et Zoraida, et coram eis dominus Ferdinandus et Cardenius, deinde captivus et reliqui equites atque iuxta dominas parochus tonsorque. Et hoc modo omnes contenti coenam comederunt praesertim cum viderunt dominum Quixotum, prandio neglecto, motum alio spiritu, qui impulit eum ad loquendum, sicut fecit in coena cum illis caprariis, et sic incepit dicere:

–Vere, si bene hoc consideratur, o domini mei, magna atque inaudita vident, qui funguntur institutione equitatus itinerantis. Sin autem quis viventium esset in hoc mundo et, si nunc introiret per portam huius castelli et videret nos, posset credere nos esse qui nos vere sumus? Quis posset dicere hanc dominam, quae iuxta me sedet, esse magnam reginam quam omnes nos cognoscimus, et etiam me esse Equitem Tristis Figurae de quo os famae fertur? Nunc autem non amplius dubitandum est, quia haec ars et exercitium excedit omnia alia, quae homines sibi excogitaverunt, quoniam magis aestimanda est, ubi maiora pericula sunt. Recedant illi qui dicunt litteras antecedere armis; eis autem dico ego, et quicumque illi sint, eos nescire quid dicant. Quia argumenta quae solent adducere et quae magis conantur probare sunt labores spirituales antecedere laboribus corporeis, et etiam arma tantum corpore exercitari, tamquam si hoc esset officium cuiusdam baiuli in operis suis; cui necesse sint tanta robora; et tamquam si quod arma vocamus nos, qui hanc professionem habemus, non essent actus fortitudinis, qui requirunt magnum intellectum ad perficiendum vel si animus militis, qui ducit exercitum sive defensionem cuiusdam urbis quam obsidunt, non tantum adimpleat mente sed corpore. Sin autem quomodo quis poterit solis viribus corporeis develare consilium inimici, designia, stratagemata, difficultates ac praevenire damna imminentia; quia hi omnes sunt actus intellectus quibus corpus nullam partem habet.

Hoc modo arma requirunt mentem tamquam litterae, tamen videamus utrum homo qui vacat litteris laboret magis quam qui vacat armis necne. Et hoc videbitur propter finalitatem ad quam unusquisque progreditur, quia illa voluntas magis aestimanda est quae nobiliorem finem habet. Scopus litterarum ... et nolo de divinis loqui quorum scopus est animos hominum in coelum ducere ac dirigere; et talis finis nullo alio aequabitur: dico tantum de litteris humanis, cuius finis est ponere iustitiam distributivam in suo loco ad dandum unicuique quod suum est atque intelligere et facere ut leges serventur. Finis magnanimus, altus ac dignus magnae laudationis, sed haec non tam magna est sicut meretur, qui armis servit, quorum finis et scopus est pax, quod est maximum bonum, quod homines in hac vita desiderare possunt. Quare primus bonus nuntius, quem homines habuerunt *in hoc mundo, fuit cum angeli eis dederunt in illa nocte, quae fuit dies noster* cum cantarunt in aeris: «Gloria sit in excelsis et pax in terra hominibus bonae voluntatis»; et salutationem quam optimus magister terrae et coeli docuit suos discipulos fuit eis dicere cum introiissent quamdam domum ut dicerent: «Pax huic domui»; et multoties eis dixit: «Meam pacem do vobis; mea pax sit vobiscum», tamquam gemma ac pignus datum et relictum ex tali manu; gemma sine qua numquam posset esse in terra sive in coelo ullum bonum. Haec pax est verus scopus belli, atque in hoc loco idem est dicere arma sive bellum. Hac veritate praesuposita, finis belli est pax atque hic antecedit ad finem litterarum. Veniamus nunc ad labores hominis litterarum et ad labores hominis armorum et videamus quinam maiores sint.

Tali modo ac talibus bonis argumentis prosequebatur sua concione dominus Quixotus ut nullus eorum eum haberet ut dementem. Insuper et quia fere omnes equites erant, ad quos exercitatio armorum pertinebat, omnes auscultabant magno gaudio; et sic *ille prosecutus est dicens:*

–Dico enim, labores scholastici hos esse: imprimis et praecipua paupertas, et non quia omnes pauperes vere sint, sed ad hunc casum extremum ponendum quod vere potest esse; et si dixi eum laborare paupertate, mihi videtur eum habere adversam fortunam, quia qui pauper est nihil boni habet. Haec paupertas qua laborat tum fame tum frigore tum nuditate tum his omnibus; tamen cum his omnibus non est tanta paupertas ut ille non comedat dumtaxat parum et serius solito sit, quamvis sint reliqua ex prandio divitum, quia maxima miseria scholastici est «ambulare ad offam», neque eis deest foculus, sive caminus foci et si non satis calefit eos saltem minorat frigidum eorum, denique, nocte dormiunt sub tecto. Nolo autem ad alia minuta pervenire, nempe si subuculae deficiunt eis, sive si non supersunt calcei, parcitas ac vestes paucis pellibus, neque edere possunt ad satietatem dum prospera fortuna eis offert convivium. Per hanc viam quam depinxi asperam ac difficilem, offendendo hic in via, sive cadendo ibi, perveniunt *ubi illi volunt. Et cum scopum eorum obtinent,* et multos eorum vidimus qui Syrtes transierunt et per has Scyllas et Charybdes tamquam in quodam volatu ad prosperam fortunam pervenerunt, et quidem dico eos iubere, imperare, gubernare mundum ex solio, et fames eorum mutata est in satietatem, frigus *in refrigerium,* nuditas in ostentationem, dormire super stoream in quiescendum super subtilia lintea ac textum sericum, quod est praemium eis iuste debitum pro virtute eorum. Tamen si facimus comparationem inter labores eorum et labores militis bellatoris postponuntur illi his in multis sicut nunc vobis dicam.

Capitulum 38. Ubi agitur de singulari concione, quam dominus Quixotus fecit de armis et de litteris

Dominus Quixotus prosecutus est dicens:

–Si incipimus cum scholastico in paupertate et suis opportunitatibus, videamus utrum miles ditior sit necne. Et sic videbimus neminem esse pauperiorem in eadem paupertate, quoniam imprimis ad suum miserum salarium attinebitur, quod advenit ei sero sive non pervenit umquam sive ad quod ipse suis manibus apprehendere possit, sed magno periculo suae vìtae suaeque conscientiae. Aliquando denudatio eius tam magna est ut debeat induere thoracem apertum pro ficta ostentatione et pro subucula atque in medio hieme ex inclementiis coeli praeservatur, cum sit in planitie campi, solo halitu ex ore suo, qui exit ex loco vacuo et, secundum me, debet exire frigidus, contra omnem legem naturae. Sed exspectate ut veniat nox ad has molestias restaurandas in lecto exoptato, qui, et non ex culpa eius, erit nimis angustus; quia in terra mensurabit omnes pedes amplitudinis, quos ipse vellet et revolvere in ea ad nutum suum, absque timore ut lintea contrahantur. Veniat cum his omnibus ad diem atque ad horam accipiendi gradum exercitii: perveniat ad diem proelii et tunc ei ponunt bullam super caput, quae erit fascia super vulnera pilae catapultariae, quae perforavit tempora capitis vel bracchium vel crus conculcavit per totam vitam. Et si hoc non acciderit, quoniam coelum misericors de eo curet et sanus vivusque maneat, fortasse in ipsa paupertate sit quam antea atque oportet ut eveniat aliud proelium, aliud bellum et in omnibus victor sit; sed haec miracula raro accidunt. Tamen dicite mihi, domini, si fortasse vidistis hoc: nonne pauciores sunt, qui in bello honorantur quam qui in bello moriuntur? Absque dubio respondebitis non esse comparationem, quia mortui innumeri sunt et vivi, qui praemio honorantur numerantur tantum tribus sive paucis numeris. Hoc est e contrario apud iurisperitos quoad salarium et nolo dicere de muneribus, nam omnes habent magnum oblectamentum. Sic quamvis labor militis maior sit praemium minor est. Tamen his respondendum est facilius esse honorare duo milia iurisperitorum quam triginta milia militum, quoniam illos honorant ex officiis datis, quae oportet dari illi professioni et hos, nempe milites, tantum possunt honorare cum ipsa pecunia domini cui serviunt; et hoc non fieri potest atque innititur mea ratione. Sed, his rebus seiunctis, quae vere sunt tamquam labyrinthus difficilis exitus, perveniamus ad superioritatem armorum super litteras, quod hucusque ad dilucidandum est secundum rationes quas unusquisque secum adducit; inter has quas enumeravi, litterae dicunt arma nullo modo sustentari sola et sine litteris et quia bella etiam habent leges et subiecta eis sunt, et leges sub legisperitis sunt. Huic arma respondent et dicunt leges sine armis nullo modo sustentari, quia res publicae armis defenduntur, regna servantur, urbes conservantur, viae custodiuntur, maria aperta sunt absque piratis, et denique si non esset propter arma res publicae, regna, monarchiae, urbes, viae maris ac terrae essent sub confusione quam bellum ferret per totum tempus et daret facultatem ad utenda privilegia ac robora. Etiam apertum est quod magis constat magis aestimatur et debet aestimari. Pervenire ad eminentiam in campo litterarum longam moram requirit et

vigilias, famem, denudationem, languores capitis, indigestiones stomachi aliaque ad ea pertinentia, quae partim iam dixi. Sed ut quidam suis viribus fiat bonus miles non tantum requirit quam scholastico, sed immo nullam comparationem habet cum eo, quia etiam est in periculo amittendi propriam vitam. Et quaenam necessitas sive paupertas defatigabit scholasticum tamquam militem cum hic sit in suo loco debito, cum eum obsiderint sive sit in custodia vel in observatione inimici, sive in defensione cuiusdam arcis, quamvis sciat inimicum aliquid facturum esse ad explodendum in eum et nihil potest facere nec fugere a periculo quod ei prope minatur? Tantummodo ille potest nuntiare ductori suo quae videt ita ut ille possit remedium ponere, ope cuiusdam explosionis contrariae, sed miles manebit in suo loco, quamvis timeat atque exspectet quoddam adversum, hoc est ascendere in altum sine alis vel descendere deorsum in profundum absque sua voluntate. Et si hoc periculum videtur parvum, videamus quid sit cum duae longae naves, *galeras*, impetum faciunt prora huius in proram alterius et hoc in medio amplo mari, ubi insertae altera in alteram manent et militibus non est magnum locum ad ingrediendum quam quod pedes habent super angostum armamentum prorae et coram se omnes inimicos, qui eum interficere volunt ope artis tormentorum explosionis, qui non distant a corpore eius plus quam lancea et timet quin pedes sui vacillent et cadant in profundum sinum Neptuni et interea atque impavido animo propter honorem, qui incitat eum, fit scopus sclopetorum inimici et tamen conatur in navem adversam introire strenue dimicando. Et immo et magis mirandi est cum quis miles cadat in loco ex quo non denuo resurgat usque ad finem huius mundi, atque alter venit ad locum eius occupandum et nulla mora elapsa est ad tempus mortis alterius: maxima virtus atque audacia, quae inveniri potest in omni statu rerum bellicarum. Benedicta sint illa saecula quibus non erant talia diabolica tormenta bellica ad glandes explodendas et, mea sententia, inventori harum rerum in infernis dabitur praemium propter suam diabolicam inventionem, vi cuius infame et ignavum bracchium potest vitam tollere a strenuo equite, qui dimicat in medio proelio praeditus fortitudine virtuteque, quae inflammat atque incitat fortes strenuosque animos et pectora eorum et tunc atque improviso venit glans sclopeti quam explodit, qui forte fugit motus metu fulgoris explosionis ignis illius tormenti bellici maledicti et confestim scindit cogitationes et vitam illius, qui merebatur longa saecula vivere. Et, his rebus consideratis, fere temptatus sum dicendi me dolere, quia hanc professionem equitis itinerantis accepi in aetate tam detestabili cum sit haec qua vivimus, quoniam etsi nullum periculum afficiat mihi metum, timeo quin pulvis explosionis et plumbum auferant a me opportunitatem ut meam famam inveniam ita ut sim notus propter virtutem mei bracchii et mei gladii in toto orbe terrarum. Sed faciat coelum quidquid velit si vere adimpleo quod conor facere, quamvis pericula maiora sint mihi hoc tempore quam fuerunt equitibus itinerantibus in saeculis praecedentibus.

Hoc longum prooemium dixit dominus Quixotus dum omnes coenabant, ille autem oblitus est comedendi, quamvis Sanctius Pansa saepe diceret ei ut ederet; quia postea iam esset ei opportunitas loquendi quidquid vellet. Qui audiebant eum moti erant commiseratione videndi virum, qui ut videbatur praeditus erat optimo intellectu ac bona mente in omnibus de quibus loquebatur, sed tam amens erat cum ageretur de

maledicto equitatu eius. Parochus dixit eum recte iudicare in his quae dixerat de armis atque ipse quamvis legisperitus ac scholasticus eadem putaret.

Coena finita, et mappis remotis, cauponaria, filia eius et Maritornes paraverunt cubiculum domini Quixoti a Manica, ubi statuerunt ut mulieres solae pernoctarent. Dominus Ferdinandus rogavit captivum ut narraret cursum suae vitae, quia ei videbatur eum valde peregrinum esse et dignum audiendi, secundum quod ostenderat et cum esset una cum Zoraida. Quibus captivus respondit dicens se libenter atque iucundo animo facturum esse, tamen timebat narrationem non tam magnum gaudium eis afficere quam quod desiderarent; nihilominus paratus erat ad omnia narranda eique oboediendum. Parochus et circumstantes gratias ei egerunt atque iterum iterumque eum rogaverunt ut narraret eis. Ille autem, omnibus exspectantibus, dixit non necesse erat tot rogationes facere, quia mandatum eorum tam magni momenti erat.

–Tunc attendite vos et audietis concionem veram, ubi nullum mendacium perveniet, quamvis magno artificio factum sit.

His verbis prolatis, omnes sese accommodaverunt et, auribus arrectis, fecerunt magnum silentium; ille autem cum videret omnes tacere exspectantes eum narraturum esse quidquid vellet, iucunda ac serena voce incepit hoc modo dicere:

Capitulum 39. Ubi captivus vitam et res gestas suas narrat

Genus meum ortum est in montibus regionis Legionis (León), ubi natura benignior et iucundior fuit quam ipsa fortuna, quamvis pater meus adipisceretur famam viri divitis inter illos pauperes pagos et vere dives esset si vellet conservare divitias suas et non praecise eas dilapidare. Tamen famam habebat dilapidandi munifice sua bona et hoc ei provenit, quia antea fuit miles tempore suae iuventutis. Quia exercitus est schola, ubi miser vir fit munificus et munificus prodigus et sic nonnulli milites miseri sunt et fiunt ut monstra, quae raro videntur. Pater autem meus transivit lineam munificentiae et pervenit ad prodigalitatem, quod non est bonum marito, qui quosdam liberos habet et qui aliquando heredes erunt nominis eius et bonorum. Pater meus tres habuit liberos omnes filios atque omnes tres erant in aetate eligendi officium. Cum pater vidit se non posse contra suam condicionem agere, voluit causam vitare illius prodigalitatis et seiungere se a divitiis suis, sine quibus nec ipse Alexander posset esse munificus.

Et quodam die nos omnes tres vocavit ad se in uno habitaculo et nobis dixit argumenta similia tamquam haec, quae nunc vobis dicam: «Fili mei, ut intelligatis me vos diligere satis est dicere vos filios meos esse; atque ad confirmandum me vos non diligere etiam sufficit vobis dicere me divitias vestras dilapidavisse et non servavisse. Nunc autem volo ut intelligatis ex hoc et in futurum me vos amare, tamquam pater, et nolo vos destruere sicut vitricus, sed volo vobis facere quod abhinc multos dies cogitavi et quidem matura dispositione. Nunc vos omnes estis in aetate

accipiendi officium sive eligendi exercitium tale ut proficiat atque honoretur vobis cum seniores sitis. Quare cogitavi bona mea dividere in quattuor partes: tres dabo vobis, unicuique quod ad eum pertineat, nulla re addita, atque alia pars erit mihi ad vivendum atque alendum me omnes dies, quos coelum det mihi in hac vita. Tamen simul atque accipiatis partes vestras, vellem ut unusquisque sequatur viam suam quam dicam vobis. Est proverbium in nostra Hispania quod mihi videtur plane verum, sicut omnia proverbia sunt, quia ex ipsa experientia extracta sunt atque hoc ego vobis dicam quod sic dicit: 'Munus Ecclesiae, vel maris vel domus regalis', et hoc idem est ac dicere: «Si quis vult valere ac dives fieri, sequatur Ecclesiam sive naviget atque exerceat artem mercaturae vel intret ac serviat regibus in domibus eorum», quia dicunt «Melius est parva mica regis quam beneficium domini». Et haec dico vobis, quia volo et quidem est voluntas mea ut quidam vestrum sequatur litteras, alius artem mercaturae atque alius sequatur regem in bello, quia difficile est intrare in domum eius; et quamvis bellum non multas divitias afferat, multam famam atque utilitatem certe dabit. Intra octo dies vobis dabo vestram partem pecuniae, nulla diminutione ab ea sicut videbitis hoc modo facto. Nunc autem quaeso ut dicatis mihi si vere vultis adimplere voluntatem et consilium meum quod vobis proposui.» Et a me quaesivit ut responderem ei, quia ego eram maior natu, quare ei dixi ut nullo modo divideret sua bona, sed consumeret quae vellet secundum voluntatem suam, quoniam nos iuvenes eramus et alia lucrari possemus. Tamen et denique ei dixi me oboediturum esse suis consiliis et meum erat exercitium armorum sequi, serviendo in eo Deo ac regi meo. Alius frater eadem dixit atque elegit ad Indias transire et partem suam in mercaturis secum duxit. Minor autem nostrum et quidem prudentior, mea opinione, dixit se voluisse sequi Ecclesiam, sive venire Salmanticam ad perficienda studia, quae iam inceperat.

Et vix ac statuimus atque elegimus officia nostra, pater meus amplexus est nos omnes et maxima brevitate, quae pollicitus est fecit nobis; unicuique dedit partem eius et ni fallor fuerunt tria milia aureorum in pecunia, quia avunculus noster omnia bona eius emit et numeratam pecuniam solvit; quia ille noluit domum exire de nostra familia. Et sic uno die omnes nos valexidimus nostro bono patri, sed eodem die videbatur mihi inhumanum esse patrem meum mansisse domi, dum senex esset, cum tam paucis bonis, quare ei dedi duo milia aureorum ex meis tribus milibus, quia haec reliqua sufficiebant mihi ad necessitates militis providendas. Fratres mei moti exemplo meo eadem fecerunt et unusquisque nostrum ei dedit mille aureos. Quapropter patri meo reliquerunt quattuor milia aureorum in pecunia et tria milia alia quae erat pretium bonorum partis eius, quae noluit vendere, sed in loco eius eam habere. Et sic dico nos denique valedixisse ei et nostro avunculo, de quo locutus sum, et quidem magna afflictione ac lacrimis omnium nostrum. Ille autem rogavit nos ut ei nuntiaverimus de nostris rebus gestis tum prosperis tum adversis cum esset nobis quaedam opportunitas id faciendi. Ei vero polliciti sumus atque omnes amplexi sumus mutuo et tunc ille nobis suam benedictionem dedit. Quidam iter fecit Salmanticam, alius Hispalim, ego autem Lucentum (Alicante) ubi noveram navim genuensem esse, quae Genuam (Génova) transferebat lanam.

Abhinc viginti duos anños ex domo paterna egressus sum atque his omnibus annis

nonnullas litteras scripsi, tamen nihil de eo sive de meis fratribus quid novi. Et reliqua mea breviter dicam. Ascendi in navim Lucenti et prospero itinere Genuam perveni. Illinc Mediolanum (Milán) veni, ubi arma et atque vestimenta militis emi atque illinc volui conscribi in Pedemontio (Piamonte); sed cum iter feci Alexandriam Statilliorum (vel Pallam, id est Alexandria Italiae), nuntiaverunt mihi magnum ducem de Alba transivisse ad Flandriam (Flandes). Consilium meum mutavi et cum eo profectus sum eique servivi in expeditionibus bellicis eius. Fere adfui in morte comitum Egmont (Eguemon) atque Horns (Hornos), gradum obtinui signiferi [vulgo *alférez*] apud ductorem illustrem Caracrae (Guadalajara) Didacum de Urbina et quoddam tempus post adventum meum ad Flandriam nuntium factum est foederis quod Sanctitas Papa Pius Quintus, felicis commemorationis, cum Venetiis (Venecia) et cum Hispania fecit contra inimicum communem, quae est gens Turcarum. Qui illo tempore suis navibus inclytam insulam Cypri (Chipre) expugnaverunt, quae sub imperio venetiarum erat: deploranda atque infortunata fuit haec amissio.

Nuntiaverunt ducem huius foederis esse serenissimum dominum Ioannem ab Austria, qui frater naturalis nostri optimi regis domini Philippi est. Et nuntium huius maximae praeparationis ad bellum patefecit; haec omnia incitaverunt animum mihi et commotus fui ad me videndum in hac expeditione bellica, quae a nobis exspectanda erat. Et quamquam fuit mihi magna spes, et fere promissio certa, promovendi ad gradum ductoris [vulgo *capitán*], omnibus relictis, volui in prima occasione opportuna ire ad Italiam quod quidem feci. Et prospera fortuna mea id voluit, quia dominus Ioannes ab Austria tunc pervenit Genuam; et postea venit Neapolim (Nápoles) ad classem venetiarum congregandam sicut fecit Messanae (Mesina). Tandem dico me invenisse in illa felicissima expeditione et quidem ductor peditum factus ad quem gradum honoris magis me iuvavit prospera fortuna quam propria merita mea. Attamen illo die, qui toti Christianitati fuit tam magnae prosperitatis, quia mundus deceptus erat atque omnes nationes in errore quo erant, credentes turcas insuperabiles esse in mari, illo die, ut dixi, cum superbia othomana fracta est inter tantos fortunatos, qui ibi fuerunt –quia maior fortuna fuit christianis, qui ibi mortui sunt quam vivi ac victores qui manserunt–, tamen solus ego infortunatus fui; quia quamvis magnam coronam saeculorum romanorum exspectarem, pro corona navali eorum illa nocte, quae secuta est illum diem, obtinui catenas ad pedes et manus meas. Et hoc sic enim accidit: cum Alush Ali (Uchali), rex Algeriae audax fortunatusque pirata, impetum fecit atque expugnavit navim ductoris insulae Melitae (Malta) et tantum tres equites vivi in ea manserunt et quidem graviter vulnerati, navis ductoris Ioannis Andreae venit ad ei succurrendum in qua egomet eram cum cohorte mea et faciendo quod opus erat in illo statu rerum ascendi in navim adversariam, quae separata est a navi, quae impetum in eam fecit, et impedivit ut milites, qui a tergo meo erant, sequerentur me. Hoc modo inveni me solum inter inimicos meos, quos resistere non potui, quia tam innumeri erant; denique subiugaverunt me graviter vulneratum. Et ut notum est Alush Ali (Uchali) salvus factus est cum tota sua classe et ego veni ad captivitatem sub potestate eius, quapropter fui solus tristis inter tot laetos ac liberos, quia quindecim milia christianorum desideratam libertatem invenerunt, qui cuncti remiges erant apud classem turcarum.

Adduxerunt me Constantinopolim, ubi Magnus Sultanus Turcarum Selim designavit dominum meum ut Navarchum Totius Maris, quia in illo proelio suum debitum adimplevit, et quidem sua audacia ac fortitudine pervenit ad capiendum vexillum equitum Melitae. Secundo anno, id est septuagesimo secundo, ego fui in portu Navarino et quidem ut remex in navi praetoria trium lucernarum. Vidi et notavi occasionem amissam non apprehendendi totam classim turcarum, quia nautae atque ianissarii (vulgo *genízaros*) pro certo habuerunt se oppugnaturos esse in ipso portu, quapropter omnia disposita habebant, nempe vestimenta et *passamaques*, id est calceos eorum paratos ad fugiendum per terram absque exspectatione cuiusdam pugnae: quia tam multum timebant classem nostram. Tamen coelum aliter decrevit et non propter negligentiam illius ducis, qui nostros milites ducebat, sed propter peccata christianitatis et, quia aliquando Deus vult permittitque nos carnifices habere ad puniendos nos. Profecto Alush Ali (Uchalí) se recepit ad insulam Modon, quae iuxta Navarinum est, tunc misit milites suos ad terram atque hos portus munivit et sic mansit usque ad reditum illius domini Ioannis cum reversus esset. In hac expeditione navis nomine *Praeda (La Presa)* expugnata fuit, cuius ductor erat filius illustris Barbarossae. Hanc navim expugnavit navis ductrix Neapolis nomine *Lupa (La Loba)* vecta ab illo fulgore belli, patre militum, ab illo fortunato ac semper invicto ductore domino Alvaro de Bazán, marchione Sanctae Crucis.

Et nolo praetermittere quod accidit cum expugnarent navim *Praedam*. Filius Barbarossae erat tam crudelis ac saevus et suos captivos tam crudeliter tractabat et simul ac remiges viderunt navim *Lupam* appropinquare atque ad eos apprehendendos, cuncti uno ictu remos reliquerunt et remiges acceperunt ductorem suum, qui erat super forum puppis vociferans ut fortius omnes remigarent eumque ex scamno in scamnum eiecerunt ex puppi in proram eique tot multos morsus dederunt ita ut cum eum ad arborem navis deiecerunt ille iam tradidit animum suum in infernum: quia talis erat, ut iam dixi, crudelitas eius, qua tractabat captivos atque odium quod illi ei habebant.

Tunc reversi sumus Constantinopolim, et postero anno, id est septuagesimo tertio, notum nobis fuit dominum Ioannem Tunisiam (Túnez) expugnavisse atque abstulit illud regnum a turcis ibique reposuit Muley Ahmed atque hoc modo auferebat spem quam habuit illius possessionis Muley Hamida, crudelissimus maurus atque audacissimus in toto mundo. Magnus Sultanus Turcarum afflictus est magnopere propter hanc amissionem atque usus est sollertia sua, quae magna est apud omnes generis eius, et fecit pacem cum Venetiis, qui multo magis quam ille hanc desiderabant et postero anno, nempe septuagesimo quarto, praesidium Golettae oppugnavit et munitionem quae iuxta Tunisiam dominus Ioannes construxerat. Ego autem, hoc statu rerum, eram ad remum, nulla spe libertatis habita, nec redemptionem captivorum exspectavi, quia nolui nuntios de meo infortunio patri meo dare.

Demum Goletta deperdita est et illa munitio etiam amissa fuit. Ad expugnanda ea loca septuaginta quinque milia militum turcarum remuneratorum atque ex tota Africa plus quam quadringenti milia maurorum araborumque et haec magna copia hominum comitata erat cum plurimis instrumentis bellicis atque armis et tot multis militibus fossoribus, qui possent solis manibus et ope terrae omnem Golettam sepelire ac munitionem eius. Imprimis amissa fuit Goletta, quae usque ad id tempus ut

inexpugnabilis tenebatur, sed non amissa fuit propter defensores, qui fecerunt omnia quae potuerunt facere ad sese defendendum, sed quia, teste experientia, visa est facilitas, qua valla in arena deserti aedificabantur, quia aqua inveniebatur sub bipalmis, quamvis turcae non eam invenerint nisi sub binis ulnis. Et hoc modo cum saccis plenis arena construxerunt valla tam alta ut superarent muros illius munitionis atque explodebant de summo usque deorsum. Secundum opinionem communem, nostri non debebant se claudere in illa Goletta, sed exspectare in campo aperto oppugnationem hostium, sed qui hoc dicebant non habebant multam experientiam bellicam et loquebantur a longe de similibus eventis; quia si in tota Goletta erant tantum septem milia militum, quomodo possent tam parvo numero, quamvis strenuores essent, exire ad campum apertum contra omnes innumeros inimicos? Et quomodo non expugnabitur munitio, quae non succurritur praesertim cum permulti sint inimici atque obstinati in propria terra eorum? Attamen multis videbatur et etiam mihi, hanc fuisse gratiam peculiarem et beneficium coeli erga Hispaniam, quia permisit ut deletus esset locus ille focus pravitatis ac vorax tamquam spongia vel tinea magnae copiae pecuniae, quae absque ulla utilitate deperdebatur atque hoc tantum ad memoriam felicissimam invicti Caroli Quinti, qui eam expugnavit tamquam si voluisset sempiternam facere, quae vere est atque erit, et petrae illae hoc sustentabunt. Etiam perdiderunt munitionem illam et quidem turcae eam expugnaverunt pedetentim, quia milites qui defendebant eam pugnaverunt strenue ac fortiter et plus quam viginti quinque milia inimicorum interfecerunt in viginti duobus oppugnationibus quibus impetum in eos fecerunt. Nullum sanum captivaverunt inter trecentos, qui vivi ibi manserunt, quod aperte et clare ostendit strenuitatem ac virtutem illorum et quam bene munitionem illam defenderunt et custodierunt. Munitio parva sive turris, quae erat in medio lacu, sub potestate domini Ioannis Zanoguera, equitis valentini ac militis clari, expugnata est sub condicionibus. Dominum Petrum Puertocarrero, ducem Golettae captivaverunt, qui omnia fecit ad eam defendendam; et tam afflictus erat hac expugnatione ut mortuus est cum captivus iter faceret Constantinopolim. Etiam captivaverunt ducem munitionis, qui nuncupabatur Gabriel (Gabrio) Cervellón, eques Mediolani (Milán), magnus militaris machinator ac miles strenuissimus. In his duabus munitionibus mortui sunt multi viri magnae virtutis inter quos erat Pagan Doria (de Oria), eques Congregationis Sancti Ioannis, nimis magnanimus qui suam magnam liberalitatem ostendit cum fratre suo claro Ioanni de Andrea Doria; et quod fecit mortem eius commiseratiorem, fuit eum mortuum fuisse ad manus arabum, quibus confidit munitionem cum vidit eam amissam esse atque illi arabes libenter sese obtulerunt ad eum adducendum indutum more arabico ad Tabarcam, qui est parvus portus sive refugium quod in illo litore maris habent genuenses, qui exercitantur in arte piscatoria coralli. Arabes amputaverunt caput eius atque id adduxerunt duci exercitus turcarum, qui adimplevit proverbium hispanicum, quod dicit: «Quamvis traditio placeat, traditor displicet»; et sic dicitur eum iussisse suspendi laqueo eos, qui hoc munus adimpleverunt atque hoc praecise, quia non adduxerunt eum vivum. Inter christianos qui in munitione illa amissi sunt erat dominus Petrus de Aguilar, natus nescio ubi in regione Baetica, qui fuit signifer in ipsa munitione, miles magnae virtutis ac singularis intellectus;

habebat peculiarem dexteritatem in arte dicta poetica. Et hoc dico quia fortuna eius duxit eum ad navim meam atque ad scamnum meum et servus fuit navicularii mei; atque ante quam profecti essemus ex illo portu hic eques bina soneta fecit ad modum epitaphii, alterum pro Goletta alterumque pro munitione. Et vere ea vobis dicam, quia tradidi memoriae et credo ea futura esse magis gaudii quam molestiae.

Cum captivus diceret nomen domini Petri de Aguilar, dominus Ferdinandus inspexit comites suos atque omnes tres riserunt et cum loqueretur de illis sonetis quidam ex eis dixit:

–Ante quam prorsus sequaris, quaeso ut dicas mihi quid fuit de illo domino Petro de Aguilar de quo dixisti.

–Quod tantum scio –respondit captivus– est eum, duobus annis elapsis, quibus fuit Constantinopoli, fugisse indutum veste albanica [litt. *arnaute*, id est, albanicus] cum quodam graeco exploratore, sed nescio utrum pervenerit ad libertatem necne, quamvis credam eum eam certe obtinuisse, quia anno elapso vidi graecum denuo Constantinopoli, sed non potui de exitu illius itineris ab eo quaerere.

–Profecto sic fuit –respondit eques–, quia hic dominus Petrus est frater meus et nunc est domi in oppido nostro, sanus, dives et duxit uxorem et quidem tres liberos habet.

–Gratias Deo –dixit captivus– per omnia beneficia, quae ei fecit; quia non est in terra, mea opinione, contentus similis libertati amissae.

–Et immo –obiecit eques–, etiam ego cognosco haec soneta quae frater meus fecit.

–Dicas ea, domine –inquit captivus–, quia melius ea cognosces quam egomet.

–Quod mihi perplacet –respondit eques–; sonetum Golettae sic dicebat:

Capitulum 40. Ubi prosequitur historia captivi

SONETUM

Beati sunt animi a mortali velo
qui libertatis bonum invenerunt
ex terra humili qua surrexerunt
optima petunt a tam alto coelo.

Ardentes ira honore et zelo
miram corpoream vim iam exercuerunt,
proximum mare ad terram venerunt
a vestro sanguine ex alieno telo.

Potius est virtus elapsa in occasu
in lassis bracchiis quibus iam morietur
et ad victoriam quae ferunt sit victa.

Et in hoc lapsu tristi, et in hoc casu
inter parietem ferrumque obtinetur
fama et gloria a Deo relicta.

–Praecise hoc modo id cognosco –dixit captivus.
–Et sonetum illius munitionis, nisi male eius memini –ait eques– dicit:

SONETUM

Inter hanc terram inanem oblitam
harum glebarum, ubique contusi,
milites mille in agro difusi,
qui ascenderunt ad meliorem vitam

primo in vanum hanc vim infinitam
nixam bracchiorum bonorum illusi,
qui tantum pauci et omnino delusi
gladius acutus occidit invitam.

Haec terra semper est nobis querela,
quia plena tot rebus gestis et fletu
ex praecedentibus saeculis nobis.

Non ex suo sinu tam duro, ut medela,
animae ascendunt, amisso omni metu,
haec strenua corpora defuerunt vobis.

Haec carmina eis valde placuerunt et captivus valde gavisus fuit his nuntiis, quos ei de sodale eius dederunt ac prosequens suam fabellam dixit:

–Goletta ac munitione expugnatis, turcae iusserunt demoliri Golettam, quia non fuit ulla necessitas demoliendi munitionem iam destructam, sed ad maiorem brevitatem faciendam et cum minori labore perfoderunt Golettam per tres partes; tamen non potuerunt explodere partes, quae videbantur minus fortes atque hae erant muri veteres. Nihilominus reliqua pars ex nova munitione, quam El Fratin aedificaverat ad terram ruit magna facilitate. Breviter, classis victrix ac plena triumpho Constantinopolim reversa est et, paucis mensibus elapsis, mortuus est patronus meus, nomine Alush Ali quem vocaverunt *Uchali Fartax*, quod sermone turcico vult dicere *desertor fidei porriginosus*, quia vere sic erat atque apud turcas mos est vocandi homines propter quoddam vitium quod habeant sive quamdam virtutem, qua praediti sint. Et hoc quia inter eos non sunt plura cognomina, quae ex genere domus othomanae proveniant, reliqua autem nomina et cognomina accipiunt ex quodam vitio corporeo sive ex virtutibus animi. Hic Porriginosus remigavit cum esset servus illius Summi Domini (Sultani) per quattuordecim annos et cum esset

ultra triginta et quattuor annos natus apostatavit causa furoris, quia quidam turcarum colaphum ei dedit cum esset ad remum remigans atque ad vindictam faciendam suam fidem deseruit, sed tanta virtute praeditus fuit ita ut, omnibus turpibus dolis ac machinationibus spretis, quibus communiter vicini Magni Domini Turcarum utuntur ad ascendendum in aula regia, cito factus est rex Algeriae et postea navarchus maris quod idem est atque esse tertius in munere illius imperii. Natus erat in Calabria atque erat vir bonus, loquendo de moralitate eius, et captivos tractabat valde bene atque habebat tria milia horum, quos post mortem eius distribuerunt secundum scripserat in suo testamento inter Summum Dominum, qui est etiam filius et heres omnium, qui moriuntur, et includitur inter filios illius defuncti et inter desertores fidei eius. Et sic fui egomet in partitione cuiusdam desertoris fidei Venetiarum, quem Alush Ali captivavit cum hic esset tirunculus cuiusdam navis; atque Alush Ali eum tam multum ardebat ut annumeraret eum inter amatissimos ephebos suos; sed postea factus est crudelissìmus desertor fidei, quem nunquam vidimus. Nuncupabatur Hassan Aga (Azan) et factus est ditissimus et etiam rex Algeriae, cum quo veni ego ex urbe Constantinopoli, aliquo modo contentus, quia propìor Hispaniam eram, quamvis nemini voluerim nuntiare meum infortunium, tamen ad videndum utrum fortuna prosperior esset mihi Algeriae an Constantinopoli, ubi milies conatus sum fugam meam faciendam, sed omnino inaniter atque absque ulla fortuna. Tamen Algeriae exspectabam alias vias quaerere ad nanciscendum quod vere cupiebam, quia spes obtinendi libertatem numquam deseruit me, sed in his quae machinabar, cogitabam atque operam navabam exitus non conveniebat desiderio meo. Postea vero et, nulla mora elapsa, aliam spem quaerebam sive imaginabar ad sustentandum me, quamvis haec debilis ac flaccida esset fugiendi. His rebus peractis, oblectabam vitam meam, clausus in carcere sive in domo quam turcae vocant *balneum*, vulgo *baño* [arabice *hammam*], ubi claudunt captivos christianos, tum illos qui ad regem pertinent tum privatos et locum quem vocant *horreum*, vulgo *almacén* [ex arabico *al–mahsen*], ubi sunt *captivi concilii*, qui laborant in operibus publicis illius urbis atque in aliis negotiis officiisque. His captivis valde difficilis fit libertas, propterea quod illi pertinent ad concilium urbis et non ad quemlibet patronum privatum; hoc modo non possunt agere de redemptione eorum cum quodam viro pro pecunia, quamvis aliquo modo hoc fieri posset. Ad haec balnea (*baños*), ut dixi, privati patroni illius urbis captivos suos adducunt, praesertim illos exspectantes redemptionem pro pecunia et ibi manent securi atque in otio donec obtinent redemptionem eorum. Etiam captivi qui ad regem pertinent non exeunt ad laborem faciendum cum reliquis vinctis damnatis, nisi illa redemptio pecuniaria nimis demoretur. Tunc etiam laborant et lignum afferunt, qui non est parvus labor ita ut scribant enixe ad urgendam libertatem.

Ego pertinebam ad illos, qui redemptionem exspectabant; et cum cognoscerent me ductorem fuisse, annumeraverunt me inter equites, quamvis dicerem me parvam possibilitatem habere et carere bonis fortunae, sed haec verba mea pro nihilo fecerunt. Mihi posuerunt catenam magis pro signo redemptionis quam ad me custodiendum et hac catena et hoc modo vitam oblectabam in illo balneo una cum multis aliis equitibus et nobilibus, signatis pro redemptione. Et quamvis fames ac nuditas aliquando defatigarent nos et fere semper, nulla res dolebat nobis quam audire et

videre ubique crudelitates quibus patronus meus cum christifidelibus utebatur. Omni die suspendebat quemdam de patibulo, sive cuipiam transfodebat corpus stipite vel palo, vel aures scindebat alteri et hoc per res nullius momenti sive pro nihilo atque hoc bene sciebant turcae eum id fecisse ad nutum suum et quia ex sua condicione vere saevus homicida erat totius generis humani. Tantummodo liberavit sese cum eo miles hispanus vocatus de Saavedra nomine, qui multa fecit ad libertatem nanciscendam et quem illae gentes traderent memoriae per multos annos, quem numquam percussit ligno nec iussit ut eum percuterent nec ei verbum offensivum umquam dixit, et hoc quamvis multa ille faceret quibus credidimus eum damnaturum esse perforatione ope pali per minimas res quas fecit; atque ipse hoc multoties putavit. Et si tempus id permitteret mihi haec etiam dicerem vobis ad oblectamentum atque ad mirandum et quidem melius esset quam narratio meae propriae historiae.

Nunc autem dico, fenestras domus cuiusdam nobilis mauri divitis esse supra consaeptum carceris nostrae et mauri habent has fenestras, quae potius videntur foramina quam verae fenestrae, quia has cooperiunt densis atque angustis transennis. Sed accidit ut quodam die cum essem in solario nostrae carceris cum tribus sodalibus, et quidem certantes inter nos saliendo cum nostris catenis ad tempus oblectandum, tamen cum soli reliqui essemus, omnibus christianis in operibus laborantibus, porrexi oculos et en vidi cannam, per illas transennas fere clausas fenestrarum, de quibus iam dixi, ex cuius extremitate pendebat linteum ligatum. Haec canna autem movebatur tamquam si signa nobis faceret ut eam apprehenderemus. Hoc quidem vidimus et quidam nostrum sub canna stetit ad videndum utrum relinquerent quae in canna esset an ad videndum quid facerent. Tamen simul atque ille pervenit levaverunt cannam eamque ad ambo latera moverunt, tamquam si negarent cum capite. Christianus reversus est et denuo moverunt cannulam cum eisdem signis ut antea. Tandem alter nostrum advenit et iterum eadem fecerunt sicut cum primo. Denique tertius advenit et ei fecerunt tamquan primo et altero. His rebus conspectis egomet etiam volui fortunam meam temptare atque hoc modo veni sub illa canna et vix ac perveni deposuerunt eam et cecidit ad pedes meos in balneo (*baño*). Tunc festinavi ad linteum solvendum et en vidi nodum et intus erant decem *zianis* sive nummos arabicos ex auro minoris pretii, quibus mauri utuntur et unusquisque aequivalebat decem semiunciis nostris. Non necesse est vobis dicere quam multum placuit mihi hoc inventum, ut patet, et quidem miratus sum cogitando, undenam illud munus proveniret, praesertim mihi, quia noluerunt cannam relinquere nisi mihi quod aperte erat ac dicere tantum mihi hoc fieri. Quare accepi pecuniam meam, fregi cannam et reversus sum ad solarium, inspexi fenestram et vidi per eam manum candidissimam, quae aperiebatur et claudebatur subito. His signis intelleximus sive imaginati sumus quamdam mulierem esse, quae in illa domo vivebat et nobis fecit beneficium hoc et, capite prono, flexo corpore ac bracchiis super pectus positis, ad gratias agendas ei fecimus et *salamat* [ex arabico salutationes, hispanice *zalemas*] more arabico. Paulo postea per fenestram nobis crucem parvam factam cannis ostenderunt et continuo eam intus introduxerunt. Hoc signum confirmavit nobis quamdam captivam christifidelem esse in illa domo et haec ipsa erat quae nobis munus dedit; tamen candor manus atque armillae non aperte solutionem dabant nobis, quia putavimus eam christianam desertricem fidei esse, quam

patroni eius solent eas pro legitimis uxoribus habere atque immo praeferunt aliis ex natione eorum. In nostris argumentis procul eramus a veritate huius rei atque omne oblectamentum noster erat ex hoc et in futurum inspicere illam fenestram, ubi apparuit nobis Stella Polaris ope illius cannae; et quindecim diebus elapsis, eam non denuo vidimus nec manum nec aliud signum. Tamen hoc tempore voluimus scire, quis viveret in illa domo vel utrum christiana desertrix fidei esset necne, sed nemo nobis quid de ea dixit nisi ibi maurum divitem ac nobilem habitare nomine Hadji Murad (Aga, sive Agi Morato), praesidem *al-Batae* (*La Pata*) quod est officium magni momenti. Sed, nemine sciente de illis nummis, haec canna intempestive denuo videbatur et linteum aliud habebat et alium nodum in eo et quidem maiorem et hoc fuit cum nemo esset in illo balneo (*baño*), ut praecedenti vice, et nos soli essemus. Ipsam temptationem fecimus atque unusquisque nostrum venit sub canna et omnes autem praecederunt me, tamen nulli canna cecidit praeter me, quia cum perveni ego tunc illa cecidit deorsum. Nodum solvi et quadraginta aureos hispanicos inveni et schedulam scriptam arabico sermone et post scriptum erat crux magna. Crucem osculatus sum, accepi aureos et reversus sum ad solarium, fecimus *salamat* [salutationes] et manus apparuit nobis, signum feci legendi schedulam et fenestram clauserunt. His rebus peractis, valde turbati fuimus et laeti, sed nemo nostrum cognoscebat linguam arabicam, et magnum desiderium erat nobis intelligendi quod scriptum esset, sed maior difficultas erat inveniendi quis id legeret. Denique statui ut confiderem cuidam desertori fidei Murciae, qui vere magnus amicus meus erat et etiam permutavit mecum sua negotia, quibus obstrictus erat ad secretum servandum; quia aliquando desertores fidei cum cupiunt reverti ad terram christianorum egent testimoniis captivorum notabilium, quibus nuntium dent hunc desertorem fidei virum bonum fuisse et semper christifidelibus bonum fecisse et ille etiam voluit prima occasione opportuna fugere. Nonnulli hoc faciunt moti bona fide ac bona voluntate; alii autem e contrario utuntur his scriptis forte dolo et sollertia et veniunt ad terram christianorum ad spoliandum et rapiendum et si demum capturantur per haec testimonia exprimunt desiderium eorum, quod erat manendi in terra christianorum, quare cum iis turcis in ipsa expeditione veniebant. His rebus factis, evadunt primum impetum et cum Ecclesia quaerunt reconciliationem, nullo damno accepto, et cum inveniant occasionem propitiam revertuntur in Barbariam ut antea. Alii autem haec scripta habent et bono fine utuntur atque in terra christianorum reapse remanent. Unus ex his desertoribus fidei erat amicus meus, qui testimonia habebat omnium nostrorum, quibus hoc affirmabatur et si vero mauri apud eum haec scripta invenissent, male evenisset ei atque eum vivum combussissent. Notum fuit mihi eum cognovisse linguam arabicam tum loquendo tum scribendo, sed ante quam cum eo loquerer ei dixi ut legeret mihi illam schedulam quam inveni casu in foramine cellae meae. Ille autem aperuit schedulam, inspexit eam, struxit et murmuravit inter dentes suos. Tunc rogavi eum si vere intelligeret. Ille dixit mihi se valde bene intellexisse et si vellem ille posset mihi verbatim dicere et ad id faciendum melius esset ut darem ei atramentum et calamum. Ei dedimus quod petivit et pedetentim vertit id et cum finivit dixit: Omne quod hic est scriptum hispanice dicit quod est scriptum arabicum et ubi dicitur *Lalla Mariam* hoc vult dicere *Domina Nostra Virgo Maria* et sic dicebat:

Cum puella essem, pater meus habebat servam, quae in mea lingua docuit me orationem ['sala'] christianam et etiam multa dixit mihi de «Lalla Mariam». Christiana illa mortua est et scio eam non ad ignem, sed ad «Allah» venire, quia postea eam bis vidi et mihi dixit ut pervenirem ad terram christianorum ad «Lalla Mariam» videndam, quae multum diligebat me. Nescio quomodo possum ire; multos christianos vidi per hanc fenestram et nullus mihi videbatur eques praeter te. Ego sum valde formosa atque iuvenis, magnam copiam pecuniae habeo ad mecum ferendam. Videas si potes eadem facere, quomodo illic eamus ibique eris maritus meus si vere vis, aliter nihil erit mihi, quia «Lalla Mariam» dabit mihi quemdam ut ducat me uxorem. Egomet haec scripsi; cave a quo hoc des ad legendum: ne fidas cuilibet mauro, quia omnes sunt mendaces ['marfuces']. Hoc valde perturbat me et vellem te non loqui de his cum quolibet, quia si pater meus hoc novisset eiiceret me in puteum et cooperiret me lapidibus. In canna ponam filum: alliga ei responsum tuum; si nemo potest tibi arabico sermone scribere dic mihi per signa tua et «Lalla Mariam» faciet ut intelligam te. Illa atque Allah custodient te et haec crux quam ego multoties amplector; sicut illa captiva mihi iussit facere.

Considerate, domini mei, si erat nobis causa ad mirandum atque ad gaudendum argumentis huius scripti; et per nostram laetitiam ille desertor fidei intellexit nos non praecise invenisse casu illam schedulam, sed eam scriptam esse propter nos; et sic rogavit nos ut ei diceremus si hoc verum esset quod ipse suspicabatur et bonum esset etiam ei confidere atque ut ei diceremus, quia ipse vitam suam in periculum poneret pro nostra libertate. Et ille, his verbis dictis, ex pectore suo extraxit crucem metallicam et multis cum lacrimis iuravit per Deum, quem illa imago repraesentabat, quem ille quamquam peccator atque indignus fideliter credebat et volebat nobis servare fidelitatem et secretum in omnibus quibus vellemus ei develare, quia ei videbatur et fere vaticinabatur per hoc scriptum se et cunctos nos libertatem consecuturos esse ac videre quod tam multum desiderabat, nempe ad sinum Sanctae Matris Ecclesiae suae reverti, cuius erat membrum putridum quare separatus erat ac remotus propter suam ignorantiam et peccatum. Haec dixit ille desertor fidei multis lacrimis ac signis poenitentiae atque omnes nos ei consensimus eique omnem veritatem huius eventi diximus, nulla re excepta. Tunc ei fenestram ostendimus per quam canna nobis apparuit atque ille connotavit domum et voluit accuratissime nobis dicere, quisnam viveret ibi. Etiam convenimus bonum esse responsum dare schedulae illius maurae et sic, nos habere qui sciret scribere, et statim desertor fidei scripsit argumenta, quae ei iussi et quae nunc etiam possum dicere accuratis verbis, quia nondum ex mea memoria amissa sunt nec perdam in omnes dies vitae meae. Atque en responsum quod dedimus maurae:

Verus «Allah» custodiat te, o domina mea, atque illa benedicta «Mariam», quae est vera mater Dei, et est quae posuit in corde tuo ut eas ad terram christianorum, quia diligit te. Roga eam ut dicat tibi quomodo possis haec opera perficere; quia illa tam bona est atque adimplebit omnia. Mea ex parte et ex omnibus his christianis, qui mecum sunt, possum tibi dicere me paratum esse ad omnia facienda etiam usque ad mortem. Scribe denuo ad me et nuntia mihi omnia, quae velis facere atque ego semper respondebo tibi. Magnus «Allah» dedit nobis captivum christifidelem qui

scit scribere ac loqui tuo sermone sicut videbis per hanc schedulam. Hoc modo et omni metu spreto, potes nobis nuntium dare de omni re quam velis. Quoad dictum tuum cum pervenias ad terram christianorum ut sis uxor mea ego hic et nunc polliceor tibi tamquam bonus christifidelis; et oportet te scire christianos adimplere quae polliceantur et quidem melius quam mauri. «Allah» et «Mariam» mater eius custodiant te, o domina mea.

Hac schedula scripta ac plicata, biduum demoratus sum donec balneum *(baño)* esset solum ut solebat et tunc exivi ad solarium, gressu solito, ad cannam videndam utrum appareret necne et statim illa apparuit. Simul atque eam vidi ei ostendi meam schedulam ita ut intelligeret et filum poneret, sed hoc iam veniebat in cacumine cannae, ad quam ligavi schedulam et confestim apparuit Stella Polaris nostra cum vexillo albo pacis illius nodi. Eum siverunt cadere atque ego accepi et inveni in linteo magnam copiam pecuniae in nummis argenteis aureisque, plus quam quinquaginta aurei, qui plus quam quingenties duplicaverunt et confimaverunt spem nanciscendi libertatem nostram. Illa nocte desertor fidei reversus est ad nos et dixit nobis se cognovisse in illa domo vivere ipsum maurum, nomine Hadji Murad (Agi Morato), ditissimum in extremis, qui habebat filiam, heredem omnium bonorum suorum et secundum ferebatur in tota urbe, erat pulcherrima mulier in tota Barbaria; multi proreges qui huc venerunt, voluerunt eam ducere uxorem, sed illa numquam ulli voluit nubere; et etiam noverat eam captivam christianam habuisse, quae iam mortua erat. Haec omnia bene convenerant illis rebus, quae in schedula erant. Fecimus consilium una cum desertore fidei quo modo illa maura extrahenda erat ita ut omnes ad terram christianorum pervenire possemus, et denique statuimus opus esse exspectandi secundum nuntium Zoraidae, quae sic vocabatur illa, quae nunc vult vocari Maria, quia bene vidimus eam et non alia posset medium invenire ad omnes difficultates superandas. Desertor fidei, hoc consilio facto, dixit nos de nihilo curare; quia ipse paratus erat ad nanciscendam nobis libertatem, sin autem ad vitam suam amittendam. Quattuor diebus elapsis, balneum *(baño)* plenum fuit multis hominibus, et hoc modo per quattuor dies canna demorata est ad sese ostendendam; postremo die in solitudine illius balnei *(baño)*, apparuit linteum et quidem tam praegnans ut partum felicissimum promitteret. Canna prona erat ad me et linteum; et in eo aliam schedulam inveni et centum aureos et nulla alia pecunia. Desertor fidei ibi erat eique dedimus schedulam ad legendam in nostra cella, et sic dixit:

Nescio domine mi, quomodo quid possim facere ut eamus ad Hispaniam, neque «Lalla Mariam» dixit mihi quamquam eam rogavi; et faciendum est ut dem tibi magnam copiam pecuniae aureae; vi cuius obtineas redemptionem tuam et etiam amicorum tuorum. Oportet ut unus ex eis vadat ad Hispaniam et emat navim et ipse revertatur ad reliquos quaerendos. Illi me invenient in hortu matris meae, qui est iuxta portam «Bab Azun» (Babazón) in litore maris, ubi per totam aestatem ero una cum patre meo ac famulis meis. Illinc, noctu atque absque metu, poteritis me adducere et ferre super navim; vide si vere vis meum maritum esse, quia aliter rogabo «Mariam» ut puniat te. Si non confidis cuidam tu ipse navim poteris quaerere, perfice tuam redemptionem pecuniariam et vade foras. Ego credo te reversurum esse melius quam alius, quia eques es et christianus. Conare quaerere hortum nostrum et cum

transeas ibi cognoscam balneum (baño) esse solum et desertum et tibi dabo magnam copiam pecuniae. «Allah» [Deus] curet ut valeas, domine mi.

Haec dicebat secunda schedula et cum omnes vidimus unusquisque sese obtulit ad suam propriam redemptionem ac promisit ut itus et reditus accurate fieret et etiam egomet me obtuli ad eadem facienda. Desertor fidei autem, his verbis auditis, renuit annuere et nullo modo consensit ut quidam nostrum exiret in libertate donec omnes una id faceremus, quia, teste experientia, multi hoc probaverunt, sed cum liberi sunt nolunt adimplere verba data in captivitate; quia multoties usi erant hoc remedio nonnulli nobiles captivi, ope redemptionis unius, qui iter faciebat Valentiam vel ad Maioricam cum pecunia ad navim parandam ut reverteret ad alios sodales redimendos, sed numquam revertebantur; quia dicebant, libertate obtenta, timor amittendi eam delebat ex memoria omnia promissa huius mundi. Et ad hanc veritatem confirmandam breviter narravit nobis eventum, quod acciderat nonnullis equitibus christianis et quidem insolitum in illis regionibus, ubi res magni pavoris accidunt, quae verae mirandae erant. Profecto ille dixit nobis quod faciendum erat cum pecunia et praecise hoc erat, nempe ut daremus ei omnem pecuniam ad redemptionem cuiusdam christiani et hic navim emeret Algeriae ita ut fieret mercator in urbe Tetuan atque in illo litore maris et cum esset patronus illius navis facile esset ei extrahere omnes ex illo balneo (*baño*), et omnes una adduceret in navi. Insuper si illa maura daret pecuniam ad omnes redimendos, cum illi liberi essent magna facilitate possent in medio die ascendere in navim et navigare. Difficultas alia ac maior esset tunc, quia mauri non permittunt desertores fidei emere nec habere navim, nisi magna navis longa esset ad expeditionem piraticam aptam, praesertim si hispanus esset, quia non vult eam nisi ad fugiendum ad terram christianorum. At ille desertor fidei hanc difficultatem posset superare ope cuiusdam mauri *tagarini*, qui esset sodalis eius in possessione navis atque in lucro illius mercaturae. Et hoc consilio facto, ille fieret patronus navis et omnes difficultates uno ictu evanescerent. Et quamvis omnes nos crederemus melius esse quaerere navim in Maiorica, etiam secundum opinionem illius maurae, tamen noluimus ei contradicere timentes ne patefaceret nos quin fecerimus quod ipse volebat et si develaret nos magnum periculum esset amittendi vitas nostras et praesertim si develaret negotium nostrum cum Zoraida quam omnes nos voluimus protegere, quamvis vitam libenter daremus pro ea. Sic decrevimus confidere manibus Dei atque illi desertori fidei et statim responsum dedimus Zoraidae faciendi secundum consilium eius, quoniam bonum consilium dedit tamquam si *Lalla* «Mariam» diceret et tantum de ea pendebat demorari negotium sive confestim operam navare. Iterum pollicitus sum ei ducendi eam uxorem et, balneo (*baño*) deserto, in crastino die dedit nobis pluries ope cannae ac lintei duo milia aureorum et schedulam, ubi dicebat primo die *yuma'a*, quod est feria sexta hebdomadae, sive dies Veneris, illam ituram esse in hortum patris sui, sed ante quam exiret daret nobis maiorem copiam pecuniae at si hoc non sufficeret deberemus dicere, quia illa parata erat ad dandum quaecumque ab ea quaereremus: quia pater eius ditissimus erat et nullo modo id animadverteret immo illa habebat claves omnium rerum. Desertori fidei dedimus quingentos aureos ad navim emendam. Redemptionem meam obtuli ope octingentorum aureorum, quia mercatori valentino dedi pecuniam ope cuius ille redemit me a rege et pollicitus est solvere ei hanc pecuniam cum veniret navis ex

urbe Valentia, et hoc quia si ipse solveret subito redemptionem meam rex suspicaretur eum iam habuisse pecuniam in Algeria ad suum beneficium et de hac re omnino tacuit. Patronus meus praeditus erat magna suspicione quare nolui ut darent ei pecuniam subito. Feria quinta, ante feriam sextam, qua formosa Zoraida itura erat ad hortum etiam dedit nobis alios mille aureos et certiores fecit nos de suo exitu, et rogavit me si redimerem me ut cognoscerem hortum patris eius et omni modo quaererem occasionem videndi eam. Brevibus verbis respondi ei dicens me haec omnia facturum esse et etiam ut ipsa curaret de commendando nos ad *Lalla* «Mariam» in omnibus suis precibus, quas captiva docuit eam. His rebus peractis, tres sodales mei redempti sunt ad solvendum exitum ex illo balneo (*baño*) et ne viderent me redemptum et nondum illi, quia possent perturbari et, suadente diabolo, quid facerent in periculo Zoraidae. Et hoc modo feci redemptionem eorum tamquam meam propriam et omnem copiam pecuniae dedi mercatori ut faceret maxima cum facilitate et eodem modo solveret cautionem. Tamen ei numquam dixi de negotio nostro secreto propter periculum.

Capitulum 41. Ubi adhuc prosequitur historia captivi

Nondum quindecim diebus transactis, desertor fidei iam emit valde bonam navim, qua plus quam triginta viri vehebantur. Et ad haec omnia bene paranda voluit iter facere ad Cherchell (Sargel), qui distabat triginta leucas ex Algeria ad Oranam (Orán), ubi magna negotiatio ficorum passorum est. Bis sive ter fecit hoc iter una cum mauro *tagarino*, de quo iam dixi. *Tagarini* vocantur in Barbaria mauri ex Aragonia, illi qui sunt Granatae appellantur *mudejares*; in regno Fezzano (Fez) autem *mudejares* nuncupantur *elches*, homines quibus rex utitur ad bellum faciendum. Dico enim eum transivisse sua navi et ancoras eiiciebat in quodam sinu maris, qui non amplius quam bis iactus ballistae procul erat ab hortu, ubi Zoraida eum exspectabat, ibique erat desertor fidei opportune una cum mauris, qui erant ad remum et aliquando faciebat orationem [*salá*] sive temptabat experientiam fictitiam illius negotii quod vere facturus erat. Et hoc modo veniebat ad hortum Zoraidae ad fructus quaerendos et pater eius ei dabat, quamvis nondum eum cognosceret. Ille voluit cum Zoraida loqui, ut postea ait mihi, eique dicere se eum fuisse qui, iussu meo, eam ad terram christianorum adduceret et ita ut esset laeta ac secura, sed numquam potuit cum ea loqui, quia numquam permittitur dominabus maurorum ut videant maurum nec turcas, nisi maritus sive pater eis iubeat. Tamen cum christianis captivis agunt et communicantur et plus aequo, et etiam mihi dolebat ut ille cum ea loqueretur, ne ipsa crederet hoc negotium inter desertores fidei esse. At Deus aliter haec omnia disposuit et non permisit ut bonum desiderium nostri desertoris fidei adimpleretur. Hic autem cum vidit quam faciliter iter ad Cherchell (Sargel) faceret et quam bene ancoram eiicere posset, ubi et quando vellet, et etiam sodalem *tagarinum* nullam

aliam voluntatem habere quam quae voluntas eius ei iubebat; et, me redempto, oportebat nonnullos christifideles quaerere ut remis remigarent et sic dixit mihi ut viderem quos mecum adducere vellem, praeter illos redemptos, ita ut cum eis loquerer ad proximam feriam sextam, qua exitus noster haberet locum. His rebus cognitis, cum duodecim christianis locutus sum, omnes viri strenui erant ad remigandum, qui potuerunt liberrime urbem relinquere; et hoc non facile fuit, quia illo tempore erant viginti magnae naves longae ad expeditiones piraticas faciendas et abstulerunt omnes remiges aptos ad remigandum et hi non inventuri essent nisi patronus eorum manserit et non faceret ullam expeditionem, quia reparabat parvum navigium suum. His remigibus autem dixi me noctu feriae sextae exspectaturum esse ut omnes exirent singillatim et cauto modo, atque iter facerent ad hortum Hadji Murad (Agi Morato) ibique manerent usque ad adventum meum. Unicuique iussi ut quamvis alios christianos viderent ne eis dicerent nisi me eos misisse ad exspectandum in illo loco. Hac diligentia facta, oportebat aliam quidem facere, nempe nuntiare Zoraidae quomodo erat negotium nostrum, ita ut animadverteret quid faciendum esset et ne turbaretur si subito ad eam perventuri essemus ante tempus quo ipsa imaginabatur, quo navis christianorum revertura esset. Sic enim decrevi meipsum ire ad hortum ad loquendum cum ea et hoc erat cum occasione colligendi quasdam herbas et quidem praecedenti die ante exitum meum. Ego ibi perveni et primum quem inveni fuit pater illius, qui locutus est mecum illa lingua qua captivi et mauri loquuntur per totam Barbariam et etiam Constantinopoli, quae nec arabica nec hispanica est nec ullius nationis, nisi lingua quae est admixtio omnium linguarum, qua omnes mutuo intelligimus nos, dico enim hac lingua locuti sumus et sic rogavit me quid quaererem in hortu eius et etiam a me quaesivit ad quem egomet pertinerem. Ei dixi me fuisse servum Arnaute Mami (et hoc dixi ei quia pro certo noveram hunc optimum amicum eius fuisse) et me herbas quaerere ad acetaria facienda. His quaestionibus et responsis peractis, pulchra Zoraida exivit e domo hortus et cum nullo modo maurae timent se ipsas ostendere captivis nec eos vitant, ut iam dixi, illa non curavit de se ipsa et appropinquavit ad locum ubi erat pater eius mecum. Et cum ille vidit eam appropinquavisse et quidem paulatim, eam vocavit atque iusssit ut ad seipsum veniret.

Multum erit si egomet de magna venustate carissimae meae Zoraidae loquerer necnon et de eius elegantia atque ornatu et pulchra forma, qua illa apparuit ante oculos meos; tantum dicam eam habuisse plures margaritas pendentes ex suo formoso collo, auribus et capillis quam caput eius capillos haberet. Ad pedes, qui nudi videbantur, more maurisco, ferebat duos *carcajes* (quae sic vocabantur armillae sive monilia pedum in maurisco sive arabico sermone) ex auro puro, cum adamantibus insertis et secundum quod ipsa mihi dixit, pater eius aestimabat eas pro decem milibus nummorum aureorum et monilia, quae ad manus habebat tanti pretii etiam erant. Margaritae erant innumerae et valde bonae, quia magna elegantia ac splendor maurarum est ornatus magnarum margaritarum et parvarum atque hoc modo plures sunt margaritae magnae sive parvae apud mauros quam in reliquis nationibus. Pater autem Zoraidae, secundum quod fertur, in Algeria habebat famam possidendi meliores margaritas et plus quam ducenta milia aureorum hispanicorum, ex his omnibus rebus domina erat haec, quae nunc mea domina est. Utrum ipsa tunc esset speciosa in

prosperitate ope huius ornatus necne vos potestis diiudicare etiam nunc ex vestigiis et post tam multos labores, quos passa est. Quia formositas mulierum, ut notum est, habet dies et adiuncta rerum et requirit occasiones ad augendum vel ad minuendum et secundum statum animi ascendit sive descendit et plerumque destruitur. Tamen dico eam tunc temporis paratam fuisse toto ornatu ac formosam in extremis, saltem mihi sic videbatur et nulli earum quas umquam vidi erat secunda in pulchritudine. Et secundum quod debebam facere, putavi me in conspectu cuiusdam divae coeli esse, quae ex coelo ad terram venit ad gaudium meum et ad meam medelam. Et vix atque illa advenit pater eius dixit ei in sua lingua me fuisse captivum Arnaute Mami, amici eius et quidem me venire ad quaerenda acetaria. Ipsa incepit loquendo illa admixtione linguarum, de qua iam dixi, et quaesivit utrum essem equitem necne et qualis erat causa qua nondum redemerunt me. Ei respondi me iam redemptum esse et propter pretium illa posset cognoscere quanti patronus aestimavit me, quia dedit mille et quingentos nummos *sultanios*. Cui illa respondit: «Vere si tu esses mei patris fecissem eum non daturum esse te pro duplo eius, quia vos christiani mendaces estis in his quae dicitis et sic vultis esse pauperes ad mauros decipiendos.» «–Hoc fieri potest, o domina –respondi ei–, sed cum patrono meo semper egi veraciter et hoc nunc facio atque idem faciam cum omnibus in hoc mundo.» «–Et quando ibis foras?» dixit Zoraida. «–Cras, secundum quod credo –dixi–, quia hic est navis francogallica, quae in crastinum diem iter faciet et volo in ea navigationem facere.» «–Nonne melius esset –obiecit Zoraida– exspectare ut veniant naves ex Hispania et ire cum eis et non cum francogallicis, quae non sunt vestrae?» «Non –respondi ego–, quamvis nuntii sint navim ex Hispania venire et si hoc verum est, adhuc eam exspectabo, sed melius est proficere cras, quia desiderium magnum est mihi videndi me in terra mea et cum his quos tam multum diligo, quapropter non praetermittam hanc opportunitatem quin haec demoretur.» «–Absque dubio habebis uxorem in tua terra –inquit Zoraida–, et hac de causa vis reverti domum ad eam videndam.» «–Non habeo uxorem –respondi–; sed pollicitus sum uxorem ducendam simul ac perveniam illuc.» «–Et, estne pulchra domina cui promissum tuum fecisti?», dixit Zoraida. «–Illa est tam pulchra –respondi– et ad verum dicendum de sua formositate illa videtur similis tibi.» Valde risit hoc pater eius et dixit: *U-llah!* [Per Deum!] christiane, valde formosa erit si illa similis est meae filiae, quae vere pulcherrima est in toto hoc regno. Inspice bene eam et videbis me verum dicere.» Pater Zoraidae erat interpres inter nos, quia magis sollers erat, quamvis loquebatur hoc permixto sermone, de quo iam dixi, hoc hic uti, sed sensum verborum per signa manuum ostendebat potius quam per verba. His rebus atque argumentis prolatis, advenit currens maurus et dixit magnis vocibus per muros hortus ascendisse quattuor turcas et quidem fructus accipere quamvis nondum essent maturi. Senex turbatus est, et Zoraida etiam perturbata; quia naturalis et communis est metus, quo mauri timent turcas, praesertim milites, qui vere superbi sunt atque iubent mauris, qui subditi sunt eis tamquam si servi eorum essent. Dico enim patrem eius dixisse ad Zoraidam: «–Filia, recede domum et claude te donec loquar cum his canibus; tu autem, o christiane, quaere herbas tuas et vade in pace et «Allah» adducat te ad tuam terram feliciter.» Proclinavi me et ille turcas petivit, relinquens me solum cum Zoraida, quae voluit ire sicut pater eius ei iusserat. Sed

simul atque occultavit se inter arbores illius hortus reversa est ad me, oculis lacrimosis, et mihi dixit: *–Amshí!* christiane, *amshí!*» quod vult dicere «Vade», christiane, vade!» Ego ei respondi: «–Domina, utique; sed nullo modo absque te; et quidem primo die *yuma'a* (i.e. primo die hebdomadae sive feria sexta, die Veneris) exspecta me et noli turbari cum videas nos; quia absque dubio in terram christianorum ibimus.» Haec ei dixi tali modo ut posset bene intelligere me cum omnibus argumentis inter nos; tunc illa posuit bracchium suum super collum meum atque ambulavit domum; et fortuna voluit, et potuit esse adversa si coelum non aliter decrevisset, quia nos deambulavimus, sicut iam dixi, nempe habens bracchium Zoraidae super collum meum, et pater eius qui reversus erat expellendi milites turcas vidit nos hoc modo et etiam nos vidimus eum vidisse nos, tamen Zoraida cauta ac prudens noluit bracchium suum de collo meo removere, immo propius ad me venit et posuit caput suum super pectus meum, flectens genua parumper et signum fecit languoris et egomet signum feci fulcendi eam ne caderet et hoc contra meam voluntatem. Pater eius venit currens ad nos et cum vidit filiam illo modo eam rogavit ut ei diceret quid esset sibi; sed cum illa nihil ei respondit, pater eius dixit: «–Procul dubio cum turbatione introitus horum canum languida facta es.» Et eam removit a pectore meo atque adduxit eam ad pectus suum, et illa autem suspirans et lacrimosis oculis dixit mihi iterum iterumque: «*Amshi,* christiane, *amshi.*» (Vade, christiane, vade.) Cui pater eius respondit: «Nullius momenti est ut christianus vadat, quia nihil mali fecit tibi et turcae iam profecti sunt foras. Nihil perturbet te; quia iam dixi me turcas rogavisse et quidem exierunt ex loco in quem intraverunt.» «Illi turbaverunt eam, domine, atque illa commota est sicut dixisti –dixi ego patri eius– sed, si illa vult me proficisci proficiscar, quia nolo eam turbare; mane in pace et cum tua venia revertar ad hunc hortum ad herbas quaerendas, quia nullibi sunt herbae tam bonae quam haec ad acetaria facienda.» «–Quoties velis potes huc reverti –respondit Hadji Murad (Agi Morato)–, quia filia mea non dicit haec, quia stomachabatur tecum sive cum nonnullis christianis, sed illa sperabat fore ut turcae hinc exirent et si dixit te exire hoc erat, quia iam erat tempus opportunum ut ires ad tuas herbas quaerendas.»

His rebus peractis, valedixi eis et videbatur illam esse praeditam magna anxietate, tamen secuta est patrem suum. Ego autem cum praetextu quaerendi herbas inspexi valde bene hortum: vidi introitum eius atque exitum et defensionem illius domus ad commoditatem totius nostri negotii. His rebus confectis, reversus sum et nuntiavi desertori fidei et meis sodalibus, quae acciderunt mihi, et etiam dixi quam multum desideravi ut possem gaudere pulchra Zoraida, et quidem felicitate ac sine ulla turbatione, quam fortuna offerebat mihi. Denique, tempore elapso, dies praefinitus ac desideratissimus nobis advenit secundum ordinem praestabilitum quem fecimus, magna consideratione et consilio facto, et fuit nobis prospera fortuna; quia illa feria sexta, id est in crastinum illius diei, quo cum Zoraida locutus sum in hortu, noster desertor fidei, vespere autem facto, ancoram eiecit fere in eodem loco quo erat Zoraida. Christiani autem qui remigabant iam erant parati ad tempus atque absconditi in diversis locis proximis. Omnes erant suspensi atque exultantes exspectando me et cupientes in navim ascendere, quam ante oculos habebant. Illi autem nesciebant quod desertor fidei paraverat et credebant eos navim expugnaturos esse virtute

bracchiorum suorum et quidem interficiendo mauros, qui in illa erant. Et hoc modo simul atque ostendi me et etiam sodales mei ad eos, qui sese absconderant, ad nos omnes festinaverunt. Et hoc erat cum urbs iam clausa esset et nemo in illis locis appareret. Cum omnes una congregati essemus dubitavimus quid melius esset utrum imprimis quaerere Zoraidam an expugnare mauros *bagarinos*, nempe remiges laborantes ad remum in navi. Et cum essem in hoc dubio advenit noster desertor fidei, qui rogavit nos ne demoraremur, quia iam erat hora et plerique mauri incauti ac negligentes tunc dormiebant. Ei diximus quid cogitavimus at ille respondit imprimis opus erat navim expugnare quod magna facilitate facturi essemus et postea quaerenda erat Zoraida. Quod dicebat optime videbatur omnibus et, nulla mora elapsa, atque, illo ductore itineris facto, ad navim pervenimus in quam ascendimus et ille primus fuit qui intus introivit et accipiens gladium arabicum suis manibus dixit arabice: «–Nemo vestrum moveatur hinc, quin suam vitam amittat.» Tunc temporis omnes christiani introierunt in navim et cum mauri audierunt suum ductorem loquentem hoc modo perturbati sunt ac timuerunt valde et nullus eorum ausus est arma apprehendere, quae pauca sive nulla erant eis, atque attoniti stupuerunt ac siverunt ut christiani ligarent manus eorum. Hi autem celeriter haec perfecerunt et minati sunt mauris perterritis ne vociferarent quin vitam perderent gladio.

His rebus peractis, dimidia turma nostrum mansit in custodia navis; reliqui, desertore fidei duce, introivimus in hortum Hadji Murad (Agi Morato) et bona fortuna nostra fecit ut vix ac voluimus aperire portam haec subito aperta est magna facilitate tamquam si non esset clausa; et sic et magna quiete ac silentio pervenimus domum, nemine inspiciente. Pulcherrima Zoraida autem iuxta fenestram exspectabat nos et simul ac vidit nonnullos nostrum submissa voce quaesivit a nobis si eramus *nasarani* (christiani), tamquam si quaereret nos christianos esse. Ego respondi ei nos vere esse eique dixi ut descenderet. Cum recognosceret me atque uno ictu et, nullo verbo prolato, continuo festinavit ad descendendum, aperuit portam et se ostendit nobis formosam atque indutam magno ornatu ita ut non possim eam describere. Ubi primum eam viderim accepi eam manu et incepi deosculandi manum eius, desertor fidei idem fecit et sodales mei; at reliqui qui negotium nostrum nesciebant fecerunt quod viderunt nos fecisse; fortasse eis videbatur nos gratias agere Zoraidae atque eam ut dominam nostrae libertatis fateri. Desertor fidei autem ab ea quaesivit arabico sermone utrum pater eius esset in hortu necne. Illa respondit eum ibi esse et etiam eum dormire. «–Tunc oportet eum e somno suscitare –obiecit desertor fidei–, atque eum nobiscum adducere et etiam omne quod esset cuiusdam ponderis illius venusti hortus.» «–Minime –dixit illa–, nemo audeat ullo modo patrem meum tangere, quia domi meae nihil est, quam quod egomet mecum fero, sed satis est ut vos omnes divites et contenti sitis; tamen exspectate paulisper et quidem videbitis.» Et cum haec dixit iterum introivit domum dicens se statim reverti foras; atque opus erat nos quietos esse ac taciti. Desertorem fidei rogavi ut diceret mihi quaecumque cum ipsa acciderit atque ille enarravit mihi. Ei autem dixi nihil faciendum esse cum Zoraida nisi quod ipsa quaereret; haec autem reversa est onerata cum arca plena nummis aureis et quidem tanti erant ut paene poterat arcam suis manibus ferre. Attamen adversa fortuna fecit patrem eius interdum e somno expergisci, nam audivit strepitum, qui

erat in hortu, atque apparuit per fenestram ad videndum quid hoc esset et cum cognosceret omnes christianos esse, qui ibi inveniebantur, confestim ac magnis et immanibus vocibus clamavit dicens lingua arabica: «–Christiani, christiani! Latrones, latrones!» Quibus vocibus cuncti nos perturbati fuimus maxima ac teterrima confusione. Tamen desertor fidei, periculo nostro cognito, putavit quam magni momenti esset superare hanc exortam difficultatem magna celeritate, quare ascendit in locum ubi erat Hadji Murad (Agi Morato) et una cum eo nonnulli nostrum etiam ascenderunt sursum; interea nolui Zoraidam solam relinquere, quae languida atque exanimis cecidit in bracchia mea. Breviter, qui ascenderunt magna calliditate ac sollertia in ictu oculi demiserunt Hadji Murad (Agi Morato) et quidem manibus ligatis et linteum in ore eius ne loqueretur eique minabantur ne clamaret, quominus amitteret vitam. Simul ac filia eius eum hoc modo vidit cooperuit oculos suos ne eum videret. Pater Zoraidae, hoc negotio omnino ignoto, perterritus est, quia ipsa libenter in manus nostras sese commisit. Tunc vero pedes ad fugiendum necessarii erant nobis, quare diligenter et celeriter ascendimus in navim; et qui ibi manserunt exspectabant nos timentes ne malum accideret nobis. Binis horis illius noctis elapsis, omnes iam eramus in navi et linteum ex ore patris Zoraidae necnon et ligamen manuum eius remotum est; tamen iterum desertor fidei dixit ei ne loqueretur nec quidem verbum ne amitteret vitam. Cum ille intueretur filiam suam incepit suspirare profunde et potissimum cum videret me eam arcte amplecti, illa nullo modo renitente, quia quieta erat ac nihil vitabat; tamen ille tacebat ne desertor fidei minas suas adimpleret in eum.

Nos autem, Zoraida in navi recepta, voluimus remos in aquam immittere in conspectu patris eius atque omnium maurorum, qui ibi ligati erant. Ipsa dixit desertori fidei ut diceret mihi se facere ei beneficium solvendi mauros et dare libertatem patri eius, quia antea ipsa se proiiceret in mare quam habere ante oculos suos et propter causam suam patrem suum captivum, qui eam tantum dilexit. Desertor fidei autem hanc petitionem mihi interpretatus est cui vero omnino contentus conveni. Tamen desertor fidei respondit hoc non esse conveniens, quia si illi liberarentur continuo subverterent omnem terram atque ad arma excitarent urbem, qua de causa exibunt ad eos quaerendos cum celeribus navibus ita ut terram et mare invaderent, et non fieri posset ut evaderent nec obtinerent libertatem; quapropter oportebat eos tantum liberare simul atque ad terram christianorum pervenirent. Hoc consilio unanimiter accepto, nuntiatum est Zoraidae quare sic haec facienda erant, quamvis illa haec nollet, sed etiam ipsa bene intellexit. Postea vero unusquisque remum suum accepit, silentio gaudioso ac laeta diligentia, et, commendati Deo ex toto corde, incepimus remigare ad Maioricam, quae erat proxima terra christianorum; tamen propter ventum Aquilonem qui incepit flare, mare agitabatur et non potuimus cursum ad Maioricam sequi et debuimus prosequi litora Oranae (Orán) et quidem magno dolore nostro, ne develarent nos in Cherchell (Sargel), qui in illo litore est sexaginta milliaria distans ab urbe Algeria. Etiam timuimus invenire navim onerariam [vulgo *galeota*] de his quae communiter iter faciunt cum mercaturis ad urbem Tetuan, quamvis unusquisque atque omnes una auderemus putare nos posse navim mercatoriam expugnare praeter eas, quae ad expeditiones piraticas paratae erant, et, ea expugnata, melius ac securius

iter nostrum prosequi. Zoraida vero, dum iter faciebamus, capite prono inter manus meas erat ad vitandam visionem patris. Ego autem audivi eam *Lalla* «Mariam» vocare ad nos iuvandos.

Cum navigavimus triginta milliaria et quidem mane facto, vidimus terram procul ad tres iactus ballistae, terra autem deserta erat et nemo vidit nos; at voluimus remigare nostris viribus in altum mare quod tunc temporis mitius erat et cum iter fecimus per binas leucas iusserunt ut remigarent turmatim tantum secundum quartam partem totius turmae, donec esset tempus edendi, quo navis bene instructa erat. Tamen remiges dixerunt non esse tempus quiescendi; et qui nondum remigabant alebant remigantes cibis, quia hi nullo modo voluerunt remos relinquere de manibus eorum. Sic enim fecerunt, sed ventus incepit flare atque impulit nos ad velam dare et remos relinquere et cursum versus Oranam (Orán) facere et nullum aliud iter navigare. Haec omnia magna celeritate fecerunt et per octo milliaria ad horam navigavimus velis nihil timentes, nisi aliam navim inveniremus in expeditione piratica. Esum dedimus mauris *bagarinis* et desertor fidei dixit eis nullo modo captivos esse, atque in prima occasione orta daturus esset eis libertatem. Eadem dixit patri Zoraidae, qui ei respondit: «–Nullo modo credo promissis vestrae liberalitatis et vestrae munificentiae, o christiani! quodcumque possum exspectare a vobis, et non credo vos mihi daturos esse libertatem; quia non oportet hoc periculum facere ad eam auferendam a me et continuo eam tam liberaliter mihi dare, praesertim cum cognoscatis quis ego sim et quam multum potestis lucrari pro mea redemptione. Et si nunc vultis pretium ponere hic et nunc dabo vobis quidquid a me quaeratis propter me et propter meam miseram filiam, sin autem propter eam tantum, quae est melior pars vitae meae.» Et, his verbis prolatis, incepit flere amare ita ut moveret omnes ad commiserationem atque impulit Zoraidam ad eum inspiciendum; quae cum vidit eum flentem surrexit ex pedibus meis et venit ad patrem amplectendum et posuit vultum suum iuxta vultum eius atque ambo una fleverunt profunde et nonnulli nostrum etiam comitati sumus eos lacrimis. Sed cum pater eius vidit eam amictam tam magno ornatu et tantis gemmis secum, ei dixit in sua lingua: «–Quid est hoc, filia, nonne heri, vespere facto, et ante quam haec calamitas accideret nobis vidi te amictam vestibus domesticis atque ordinariis et nunc, nulla opportunitate oblata, video te induere vestes maximo ornatu et quidem meliores vestes quas dedi tibi cum fortuna prospera erat nobis? Responde mihi quia suspensus et turbatus sum et miror de hoc infortunio quo me invenio.» Haec omnia quae maurus dixit filiae suae vertebat nobis desertor fidei, illa nullum verbum ei respondebat. Ille autem, arca gemmarum conspecta, quam ipse reliquerat Algeriae et non tulit ad hortum, praeditus magna confusione etiam quaesivit quomodo arca illa pervenit ad manus nostras et quid erat quod intus servabatur. Quibus rebus desertor fidei, nullo responso Zoraidae exspectato, respondit ei dicens: «–Noli fatigari, domine, his quaestionibus ad Zoraidam, tuam filiam, quia uno verbo haec omnia respondebo tibi et omnia explanabo; et sic oportet te scire eam christifidelem esse et illa fuit lima nostrarum catenarum et libertas captivitatis nostrae; illa hic venit sponte, libenter ac laeta, secundum quod imaginor, videndi se ipsam in hoc statu rerum, tamquam qui exit ex obscuritate in lucem, ex morte in vitam atque ex poena in gloriam.» «–Estne verum quod hic dicit, filia mea?»,

dixit maurus. «Ita est», respondit Zoraida. «–Quid ergo, –obiecit senex–, tu es christiana, atque illa quae tradidit patrem suum in manus inimicorum eius?» Cui respondit Zoraida: «–Illa quae est christifidelis, ego sum; sed non tradidi te hoc modo; quia numquam desiderium meum fuit ad afficiendum tibi malum nisi ad faciendum bonum mihi.» «–Et quid boni fecisti tibi, filia?» «–Hoc poteris quaerere a *Lalla* «Mariam»: et ipsa tibi respondebit melius quam egomet.»

His verbis auditis, et citius dicto maurus capite verso sese proiecit in mare, ubi absque dubio submergeret, nisi longa vestimenta eius impedirent atque in superficiem aquae parumper retinerent. Zoraida voces dedit ut eum ab aqua auferremus et festinanter omnes advenimus et apprehendimus pallium eius eumque fere submersum atque inanimem extraximus, quo Zoraida affecta fuit magno dolore, tamquam si mortuus esset et super eum fecit magnum ac profundum planctum. Eum posuimus deorsum et magnam copiam aquae vomuit; binis horis elapsis, compos mentis factus est cum ventus mutaret atque ad terram navigavimus, sed ope remorum potuimus vitare impetum in ipsam terram; tamen advenimus ad parvum sinum maris iuxta promontorium maris, qui a mauris vocatur *Qahba Rumía* [*Cava Rumía*, i.e. moecha christiana] atque in lingua nostra idem est ac dicere mala mulier christiana; et secundum traditionem inter mauros in illo loco sepulta est illa *Qahba* ex cuius causa Hispania amissa fuit; nam *qahba* (*cava*) in illa lingua vult dicere «mala mulier» et *rumía* «christiana» [litt. romana sive europaea et proinde christiana] et tamquam funesta fortuna ferunt ut quis ad hunc locum perveniat impulsus necessitate, quia aliter numquam huc perveniunt, tamen nobis non tantum fuit refugium, sed portus securus ad medelam nostram propter procellam maris. Custodes statuimus in terra et numquam remos e manibus nostris reliquimus; comedimus quod defector fidei nobis attulit et rogavimus Deum ac Dominam Nostram ut adiuvaret nos ac foveret nos ad optimum finem post felicem initium. Zoraida iussit nobis ut omnes mauros et patrem eius liberos relinqueremus, quia non potuit illa tolerare patrem suum ligatum ante oculos videre et etiam mauros suae terrae captivos. Ei polliciti sumus faciendi in momento opportuno exitus nostri, quia nullum periculum tunc esset liberandi eos in illo inhospito ac deserto loco. Orationes nostrae exauditae sunt a coelo, ventus prosperus nobis flavit et mare erat placidum atque hoc modo prosecuti sumus iter nostrum navigando ac laeti iterum in nostro incepto itinere.

His rebus perspectis, mauros solvimus et singillatim eos liberavimus in terra ex quo vere mirati sunt; sed cum pervenimus ad patrem Zoraidae, qui iam erat omnino compos mentis dixit: «–Cur creditis vos, christiani, hanc malam feminam gaudere mea libertate? Num putatis hoc esse propter commiserationem erga me? Minime vero! Hoc tantum facit quia ego obstaculum sum mea praesentia ad mala desideria eius efficienda, et haec est quae impulit eam ad mutandam religionem atque acceptare vestram superare nostram, sed quia scit in vestra terra maior est impudicitia et quidem liberior quam in nostra.» Et reversus est ad Zoraidam atque ego apprehendi eum et alter christianus per bracchia ne faceret quamdam insaniam tunc dixit ei: «–O infamis iuvenis ac puella male consulta! Quonam vadis, caeca atque inconsiderata, sub potestate horum canum, naturalium inimicorum nostrorum? Maledicta sit hora qua genui te ac maledicta sint omnia munera et delitiae quibus creavi te!» Sed cum

animadverti eum numquam finire festinavi ad relinquendum eum in litore atque illinc magnis vocibus ille clamabat suis maledictionibus ac lamentis, rogando Mahometum ut ab «Allah» quaereret ut destrueret, confunderet atque interficeret nos. Et cum navigavimus plenis velis non potuimus amplius audire quae dicebat, tamen vidimus signa eius et eum barbas eradicare et capillos atque eum reptare per terram; et denuo clamabat magna voce et taliter potuimus audire: «Revertere, carissima filia, revertere ad terram et omnia ignoscam tibi. Trade his viris hanc pecuniam, quae iam est eorum et revertere ad patrem tuum consolandum, qui in hac arena deserta amittet vitam si tu eum relinquis!» Zoraida, his omnibus verbis auditis, commota erat ac flebat et nescivit quid ei dicere ad respondendum, nisi: «Placeat «Allah», pater mi, quia *Lalla* «Mariam» est causa quare ego sum christiana, illa consoletur te in tua tristitia. «Allah» bene scit me non aliter posse facere quam quae feci et hi christiani nihil debent meae voluntati. Et quamvis vellem manere domi hoc non fieri potest secundum festinationem animi mei ad perficiendam hanc operam, quae mihi videtur valde bona quamvis tu, pater mi, iudices ut pessimam.» Hoc enim dixit tempore quo pater eam audivit et nos eum vidimus; ego autem consolatus sum Zoraidam atque omnes curavimus de itinere nostro, quo prosperus ventus nos iuvabat, et pro certo exspectavimus in crastinum diem ante diluculum ad litora Hispaniae perventuros esse.

Sed sic ut multoties raro vel numquam advenit bonum integrum et simplex nisi comitatum cum quadam adversitate, quae deturbet et commoveat nos, etiam fortuna nostra vel potius maledictiones, quas maurus ille prorupit contra suam filiam, quae semper vitandae sint, quamvis ex patre proveniant, et haec dico quia cum navigavimus in altum et, tribus horis nocturnis elapsis, velis plenis et remis ligatis, quia nulla necessitas erat remigandi, propter ventum prosperum, qui impellebat nos, sub luce lunae quae aperte micabat, en navis proxima ad nos cum velis quadratis et quidem plenis vento, quae voluit gyrum dare ope gubernaculi atque illi praeterierunt ante nos, quare debuimus vela nostra claudere ne impetum faceremus in illam navim, sed illi moverunt gubernaculum ita ut possemus transire. Et tunc quaesiverunt a nobis quis eramus et quonam navigabamus et unde veniebamus et hoc dixerunt nobis lingua francogallica, sed desertor fidei noster dixit: «–Nemo respondeat, quia hi absque dubio sunt piratae gallici, qui rapient omnia a nobis.» Ante hoc consilium nemo quid eis respondit; et cum transirent parum ulterius, quia illa navis erat sub latere opposito venti improviso exploserunt duo tormenta bellica et glandes venerunt cum catenis, et cum una earum illi sciderunt mediam arborem nostram, quae cecidit in mare cum velo; et continuo denuo exploserunt et glans mediam navim nostram percussit atque omnem navim aperuit, nemine autem vulnerato; tamen submersimus omnes in profundo mari et incepimus clamare magnis vocibus et quaerere auxilium ab eis et rogavimus eos ut acciperent nos, quia summergebamur. Detinuerunt se et cymbam in aquam eiecerunt et circa duodecim francogalli descenderunt omnes armati sclopetis et cordis accesis; et hoc modo ad nos pervenerunt, sed cum viderunt nos paucos esse et navim nostram submergi receperunt nos ac dixerunt nos nullam urbanitatem habere, quia non respondimus eis, qua de causa haec accidit nobis. Desertor fidei noster accipit arcam cum divitiis Zoraidae atque eiecit eam in mare, nemine inspiciente. Breviter,

omnes nos ascendimus in navim francogallorum qui, nuntiis nostris cognitis, tamquam si inimici praecipui nostri essent expoliaverunt nos ab omnibus, quae erant nobis atque a Zoraida usque *carcajes* pedum eius rapuerunt. Sed hoc non dabat mihi angorem tam magnum quam quae Zoraidae dabant propter timorem auferendi ab ea gemmam ditissimam, quam super omnes gemmas valebat atque ipsa tam multum aestimabat. Tamen desideria illius plebeculae tantum ad quaestionem pecuniariam attinebat et cupiditas eorum numquam mitigabatur; et tunc immo et vestes captivorum cupiebant rapere et a nobis auferrent si cuiusdam utilitatis eis essent. Atque inter eos fecerunt consilium, nos in mare proiicere circumvolutos uno velo navis, quia volebant negotia facere in nonnullis portibus Hispaniae fingendo se esse ex Britannia Minori et timebant puniri pro furto si ferebant nos vivos. Tamen praefectus navis, qui exspoliaverat meam carissimam Zoraidam, dixit satis esse hanc praedam facere et nolebat in ullum portum Hispaniae introire, sed per Fretum Herculeum (Gibraltar) transire et quidem nocte sive ut posset navigare ad Rupellam (La Rochela) ex qua profecti erant; et hoc modo consilium fecerunt ut darent nobis cymbam suae navis et omnia necessaria ad iter breve faciendum quod sufficiebat nobis; et hoc in crastinum diem fecerunt ante conspectum terrae Hispaniae; et nos, hac terra conspecta, obliti sumus continuo omnium nostrum laborum atque incommoditatum tamquam si numquam fuissent nobis; quia tam magnum erat gaudium nanciscendi amissam libertatem.

Et hoc accidit circa meridiem cum illi nos in cymbam eiecerunt, et nobis duos cados aquae dederunt et panem coctum et praefectus navis motus nescio quid commiserationis cum pulcherrima Zoraida introiret in cymbam dedit ei quadraginta aureos et noluit milites eius ab ea auferre has vestes quas nunc ipsa induit. Ascendimus in cymbam; ei gratias egimus propter beneficium concessum atque ostendimus nos ipsos gratos erga eos potius quam querulos; illi autem prosecuti sunt suum cursum versus Fretum Herculeum (Gibraltar); nos autem, omnibus cursibus stellarum spretis, tantum versus litus maris remigavimus et quidem magno robore adhibito, et ad occasum solis iam vere proximi eramus et pervenire potuimus ante quam nox valde atra esset; tamen illa nocte luna non apparuit et coelum videbatur atrum et in loco omnino ignoto, non nobis videbatur securum in terram exire. Tamen nonnulli nostrum voluerunt id facere, quamvis locus esset plenus rupibus et procul a quodam oppido, quia saltem hoc modo possemus evadere timorem navium piratarum provenientium ex urbe Tetuan, quae pernoctant in Barbaria et prima luce apparent in litore Hispaniae atque ordinario modo praedam apprehendunt et denuo dormiunt domi suae; sed e contrario consilium fecimus ita ut pedetentim et si placiditas maris nobis permitteret nos descendere de navi, ubi fieri posset. Sic enim fecimus atque ante dimidiam noctem pervenimus ad pedem cuiusdam alti atque immanis montis, sed non tam prope mare ut non possimus descendere commode. Impetum fecimus in arenam et egressi sumus, amplexi sumus terram lacrimis et quidem laetissimi maximo contentu, omnes gratias agentes Deo, Domino Nostro, propter magnum bonum acceptum. Eduximus de navi penarium nostrum ac posuimus super terram et ascendimus in partem illius montis, quia non potuimus credere reapse esse in terra christianorum. Primum mane factum est et,

mea opinione, serius quam quo voluimus. In montem ascendimus ad videndum oppidum si fortasse videretur sive tuguria pastorum, sed omnia inaniter, quia inspeximus et nec oppidum nec hominem nec semitam nec ullam viam vidimus. Ceterum, statuimus intrare in terram illam, quia saltem quemdam inveniremus, qui posset nobis nuntium dare de illa. Quod mihi magis vexabat erat videndi Zoraidam ambulantem pedibus in asperis terris, quamquam aliquando etiam eam super umeros meos tuli, sed eam magis fatigabat lassitudo mea quam quietis eius iuvabat ad quiescendum; et numquam voluit me hunc laborem facere, sed patienter ac laeto animo ambulabat et ego eam iuvabam mea manu. Non fecimus iter ultra quartum leucae cum ad aures nostras pervenit sonus parvi tintinnabuli, signum clarum ibi non procul esse quoddam pecus; et inspicientes magna attentione circum nos si quis appareret en vidimus ad pedem cuiusdam suberis puerum pastorem, qui magna tranquillitate atque otio excindebat lignum ope cultri. Eum vocavimus atque ille, levato capite, surrexit et, quod postea ex eo cognovimus, primos quos vidit erant desertor fidei et Zoraida et cum eos viderat indutos vestibus arabicis putavit omnes ex Barbaria esse et confestim intravit in silvam magna celeritate et clamavit magnis vocibus huius mundi dicens: «–Mauri, mauri sunt in litore maris! Mauri, mauri! Ad arma, ad arma!»

Perterriti fuimus his vocibus et nescivimus quid faciendum erat; tamen putavimus voces illius pastoris agitare omnem illam regionem atque equitatus litoris maris adveniret statim ad videndum quid hoc esset, quapropter consilium fecimus inter nos ita ut desertor fidei vestes suas turcicas denudaret atque indueret chlamidem manicatam ex captivo quam quidam nostrum ei dedit, quamvis hic remaneret amictus tantummodo sua subucula; et hoc modo, omnibus Deo commissis, iter fecimus quo vidimus pastorem euntem atque exspectantes equitatum illius litoris maris. Et cogitatio nostra non decepit nos quia, nondum duabus horis elapsis, cum ex virgultis egressi essemus circa quinquaginta equites apparuerunt ante oculos nostros, qui magna celeritate ad nos venerunt medio cursu equorum atque ubi primum eos viderimus quieti mansimus eos exspectantes. Illi autem advenerunt et confusi sunt, quia viderunt miseros christianos pro mauris quos quaerebant et quidam eorum quaesivit a nobis utrum viderimus pastorem, qui ad arma clamaverat necne. «Certe», dixi ego; et volui incipere meum eventum narrare atque unde egressi et qui nos eramus, tamen unus nostrum cognovit equitem, qui nos interrogabat et dixit ei, et non sivit me alia verba dicere: «–Gratias sint Deo, o domini mei, qui duxit nos ad hanc bonam partem! Quia ni fallor haec terra est Menoba (Vélez Málaga); et si anni captivitatis meae non laeserunt memoriam meam memini tui, o domine, qui a nobis quaeris quinam simus, tu es Petrus de Bustamante, avunculus meus.» His verbis dictis, eques descendit subito de equo et venit ad iuvenem amplectendum dicens ei: «–Sobrine animi mei ac vitae meae, iam te cognosco atque iam ploravi pro te, quia credidi te mortuum esse et soror mea, mater tua atque omnes propinqui tui, qui adhuc vivunt et placeat Deo eos longam vitam habere ad fruendum te; cognovimus te esse in Algeria et per signa tuae vestis et omnis huius sodalitatis intelligo vos obtinuisse miram libertatem.» «–Hoc ita est –respondit iuvenis–, et tempus erit nobis ad haec omnia narranda

tibi.» Postea equites intellexerunt nos christianos esse et de equis descenderunt atque unusquisque invitavit singulos nos ad vehendum ad oppidum Menobam (Vélez Málaga), quod leuca ac dimidia inde aberat. Quidam ex eis adduxerunt cymbam ad oppidum cum eis diximus, ubi eam reliquimus; alii vero in equos ascenderunt nos, et Zoraida ascendit in equum avunculi illius christiani.

Omne oppidum ad nos recipiendos egressum est; quia ex quodam viro, qui celerius properavit cognoverunt nuntium nostri adventus. Tamen non mirabantur videndo captivos vel mauros, quia homines illius regionis soliti sunt videndi hos omnes. Tamen mirati sunt videndi formositatem Zoraidae, quae illo tempore erat ad maximum sive ex lassitudine de via sive ex laetitia sese inveniendi in terra christianorum, et absque ullo timore. Et hoc dedit ei tales colores faciei et si amor non decipiebat me audeo dicere eam fuisse pulcherrimam creaturam in toto mundo; saltem quam egomet vidi. Tunc ad ecclesiam pervenimus ad Deo gratias agendas propter beneficium acceptum et ubi primum Zoraida intraverit dixit mihi ibique esse vultus similes faciei *Lalla* «Mariam». Nos ei diximus eas esse imagines illius et desertor fidei dixit quomodo ipse facere potuit quod significabant ita ut ipsa posset eas venerari tamquam si unaquaeque esset ipsa *Lalla* «Mariam», quae cum ea locuta erat. Illa quae praedita erat intellectu claro atque ingenio mentis haec omnia intellexit quae dixerunt ei de imaginibus. Illi acceperunt nos in diversis domibus totius oppidi; tamen christianus qui nobiscum venit recepit desertorem fidei et Zoraidam et meipsum in domo parentum suorum, qui mediocriter accommodati erant ex bonis fortunae atque obsecuti sunt nobis tanto amore quam proprio filio eius.

Sex dies mansimus Menobae et, his diebus elapsis, desertor fidei, nuntiis requisitis ac factis, profectus est Granatam ad convertendum se per medium Sanctae Inquisitionis ad sanctissimum gremium Ecclesiae; reliqui christiani liberati unusquisque profectus est ad locum quo quisque voluit; soli mansimus Zoraida atque egomet cum illis aureis, quae urbanitas illius francogalli dedit Zoraidae, ex quibus hoc iumentum emi quo vehitur Zoraida, cui ego sum tamquam pater atque armiger, sed nondum maritus, quia voluntatem habemus videndi utrum pater meus vivus sit an sive fratres mei habuerunt prosperiorem fortunam quam ego habui; sed propterea quod coelum dedit mihi Zoraidam tamquam sodalem meam credo nullam fortunam fore ut habeam atque aestimem maioris quam hanc quae nunc est mihi. Patientia qua Zoraida adversitates paupertatis suae fert et desiderium quod ipsa ostendit videndi se christianam est tam magnum, quapropter quidem miror et motus sum ad serviendum ei omni tempore vitae meae. Sed perturbat me desiderium videndi me cum illa atque illa ad me pertineat quia nescio utrum inveniam in terra mea locum, ubi possim eam protegere et si tempus sive mors fecerunt mutationem in bonis et vita patris mei ac fratrum meorum ut vix quidam possit me cognoscere si propinqui desunt mihi.

Nihil amplius est ut narrem vobis, o domini, de mea historia, quae si vobis iucunda fuit ac singularis diiudicate vosmetipsi vestra mente; de me tantum dicam me voluisse eam brevibus verbis enarrare, tamen ne taedium afficerem vobis nonnullos status rerum etiam omisi.

Capitulum 42. Ubi agitur de his quae in caupona acciderunt et de aliis multis rebus quae dignae sunt cognoscendi

His rebus dictis, captivus tacuit, cui dominus Ferdinandus dixit:

–Certe, domine ductor, modus quo narrasti hoc insolitum eventum fuit talis ut aequaret novitatem ac raritatem ipsius. Omne in eo est peregrinum atque inauditum et plenum rebus gestis quibus mirantur qui ea audiunt. Et taliter gavisi sumus audiendo ea ut ad crastinum diem perveniremus propter oblectamentum huius fabellae ac laeti essemus audiendi eam iterum iterumque si denuo inciperetur.

Et his verbis prolatis, Cardenius atque omnes reliqui sese obtulerunt ad serviendum ei verbis et argumentis tam iucundis ac veris ut ductor ille laetus esset videndi bonas voluntates eorum. Potissimum dominus Ferdinandus voluit eum iuvare, si ipse vellet cum eo reverti, ut frater eius, marchio, esset patrinus baptismi Zoraidae atque etiam ope pecuniae ita ut posset domum eius petere dignitate et commodo debito. Captivus laetissimo modo ei gratias permultas egit, tamen noluit ullam ex his benignis oblationibus accipere.

His rebus peractis, et vespere autem facto, cum nox esset atra, pervenit ad illam cauponam carpentum cum quibusdam equitibus. Quaesiverunt ibi pernoctare, quibus cauponaria respondit in tota caupona non esse locum vacuum.

–Quamvis hoc ita sit –inquit quidam ex equitibus qui introierunt–, non deerit domino auditori qui hic venit.

Cauponaria, nomine auditoris audito, vere turbata est et dixit:

–Domine, quod vere accidit est me non habere lectos; tamen si dominus auditor lectum secum habet, optime hoc erit; tunc ego et meus maritus possumus ex cubiculo nostro exire ad eum commodandum.

–Optime sit –dixit armiger.

Tunc temporis iam descendit de carpento vir amictus veste qua videbatur officium eius ac munus quod habebat, quia erat vestis valde longa cum manicis tessellatis, quibus videbatur eum iudicem auditorem esse, ut dixit famulus eius. Ille manu comitabatur virginem ut videbatur sedecim annos nata, amicta veste itineranti valde elegante, pulchra erat ac bonae formae atque in conspectu eius omnes vere mirati sunt et si non vidissent Dorotheam, Luscindam et Zoraidam in illa caupona putarent perdifficile esse talem formositatem videre quam illius virginis. Dominus Quixotus praesens erat cum auditor introiret una cum illa virgine et ubi primum eos viderit ait eis:

–Profecto potes intrare et commodum habere in hoc castello; quod quamvis angustum sit ac non nimis bene paratum nulla erit incommoditas nec austeritas in hoc mundo, quae non adaptetur armis litterisque, praesertim si arma et litterae ducuntur a formositate tamquam litterae tuae ducunt hanc pulchram virginem, cui omnia castella non tantum aperientur, sed potius rupes removi ac scindi et montes minui ad eam accipiendam. Introeas dico, in hunc paradisum; quoniam hic invenies stellas solesque qui comitentur coelum quod tu tecum duxisti: hic invenies arma in loco eorum ac venustatem in extremis.

Auditor mirabatur de argumentis domini Quixoti, quem attente inspexit et non minus mirabatur de figura eius quam de verbis eius. Et ille, nullis verbis ad ei respondendum inventis, conversit se ad Luscindam, Dorotheam et Zoraidam intuendas et mirandas, quae ante oculos eius erant et quae venerant ad novos hospites recipiendos secundum nuntios, quos cauponaria de eis dixit et de pulchritudine illius virginis. At dominus Ferdinandus, Cardenius parochusque urbaniter ac simplici modo salutaverunt iudicem auditorem. Reapse auditor aliquantum perturbatus erat de his quae auscultaverat, dum formosae dominae illius cauponae speciosam virginem salutaverunt.

Breviter, auditor intellexit cunctos esse nobiles natu, qui ibi erant, tamen figura, facies atque elegantia corporea domini Quixoti confundebat eum; sed, urbanis salutationibus factis, atque, accommodatione cauponae perspecta, unusquisque paravit sua propria ad pernoctandum: omnes mulieres in cubiculo de quo iam diximus, et omnes viri foris ad ianuam tamquam custodes earum. Et vere placuit auditori ut filia eius, quae erat virgo, apud dominas illas esset quod illa placido animo fecit. Et cum dimidia parte angusti lecti cauponis atque altera dimidia parte lecti quem auditor secum tulit illae sese accommodaverunt quam melius potuerunt cogitare et exspectare.

Captivus autem, auditore conspecto, valde gavisus est et cor eius saltitabat, quia credebat eum fratrem eius fuisse, qua de causa rogavit quemdam ex famulis, qui cum eo venerunt quomodo vocaretur et ex qua regione esset. Famulus repondit ei dicens eum esse licentiatum Ioannem Pérez de Viedma et etiam audivit eum ex loco montium Legionis (León) esse. Hoc testimonio atque his quae viderat firmiter confirmatus est eum fratrem eius esse, qui litteras secutus erat secundum consilium patris sui. Tunc commotus contentusque seorsum vocavit dominum Ferdinandum, Cardenium et parochum eisque narravit quod acciderat ei atque eis corroboravit eum profecto fratrem eius esse. Etiam famulus ille dixit ei eum munus auditoris habere atque ad Indias transire ad Audientiam Mexici, et etiam cognovit illam virginem esse filiam eius, ex quo partu mater mortua erat eumque ditissimum fuisse cum dote, quae remansit una cum filia in domo eius. Ab eis consilium quaesivit quomodo posset fratri suo se ipsum ostendere, fratre eius cognito, ne auditor erubesceret de paupertate eius sive utrum eum reciperet laeto animo necne.

–Egomet faciam hanc experientiam –ait parochus–; potissimum non opus est cogitandi quin valde bene recipiat te, domine ductor, quia videtur eum praeditum esse prudentia ac magna benignitate et nullo modo superbum sive arrogantem esse; et vere fortuna convenienter parabit sua facta.

–Attamen –inquit ductor–, vellem non impromptu, sed paulatim ut ille veniat ad me recognoscendum.

–Iam dixi tibi –respondit parochus– me haec omnia facturum esse ita ut omnes hac re gaudeamus.

His verbis dictis, coena parata est atque omnes hospites mensae accubuerunt praeter captivum ac dominas, quae in cubiculo earum coenaverunt. In media coena parochus autem dixit:

–Eiusdem nominis quam nomen tuum, domine auditor, fuit mihi sodalis Constantinopoli, ubi per aliquot annos mansi; sodalis ille erat inter strenuissimos

milites ac ductores omnium peditum hispanicorum. Tamen tam strenuus virtuosusque ille erat quam infortunatus.

–Et, quomodo nuncupabatur ille ductor, domine mi? –quaesivit auditor.

–Appellabatur –respondit parochus– Rodericus (Ruy) Pérez de Viedma et natus erat in quodam loco montium Legionis (León); ille narravit mihi eventum, quod accidit patri cum fratribus eius, et si haec non mihi enarrasset viro veridicus similis illi, crederem hoc tantum apologum esse de his, qui narrabantur tempore hiemale iuxta ignem in foco domestico. Ille quidem dixit mihi patrem eius distribuisse bona sua inter tres filios quos habebat eisque etiam dedisse quaedam consilia meliora quam consilia Catonis. Quapropter ego scio eum elegisse ad bellum venire et cum prospera fortuna, quia, paucis annis elapsis, et ope audaciae eius ac strenuitatis et, sola virtute ac nullo alio iuvamine cognito, pervenit ad gradum ductoris peditum et tunc in via erat nanciscendi celeriter praefecturam cohortis. At fortuna fuit adversa ei contra quod exspectaretur eamque amisit, quia perdidit libertatem in felicissimo die, quo tot multi eam recuperaverunt, scilicet in proelio Naupacti (Lepanto). Ego autem eam perdidi in Goletta et postea ac per diversas res gestas fuimus sodales Constantinopoli. Illinc ille venit ad Algeriam, ubi ei accidit insolitus casus, qui umquam in mundo fuit.

Hinc prosecutus est parochus ac breviter narravit quae ei una cum Zoraida fratri eius accidit. Has omnes res auditor arrectis auribus auscultabat, et quidem numquam fuit tam auditor stricto sensu quam tunc. Parochus pervenit ad narrationem cum francogalli exspoliaverunt christianos, qui in cymba erant, atque ad paupertatem necessitatemque, qua sodalis eius remansit ille atque illa formosa maura de quibus nihil aliud cognovit, utrum pervenerint ad Hispaniam an francogalli eos ad Galliam secum adduxerint.

Omnia quod parochus dicebat auscultabat ductor qui parum a longe absconditus erat atque omnia signa fratris sui animadvertebat. Auditor autem, narratione parochi finita, magno suspirio atque oculis lacrimosis dixit:

–Domine, utinam posses cognoscere nuntios quos mihi narravisti et quam profunde commoverunt me, quare haec debeo ostendere et quidem meis lacrimis, quae contra omnem prudentiam meam inundant oculos meos! Hic strenuus ductor, de quo locutus es, frater meus maior natu est, qui fortior ac praeditus altioribus cogitationibus quam ego atque alter frater meus minor natu. Ille elegit honoratum ac dignum exercitium belli, quae fuit una ex viis, quas pater noster proposuit nobis, secundum quod sodalis tuus dixit tibi in illo apologo, quem ab eo audivisti. Ego autem secutus sum viam litterarum, quibus Deus ac diligentia mea posuerunt me in gradu quo nunc vides me. Frater meus, minor natu nunc est in Peruvia (Perú), et quidem ditissimus, quia quod misit patri meo et mihi, adimplevit partem quam secum duxerat et immo patri meo dedit multo magis ad iuvandam prodigalitatem naturalem eius. Atque egomet potui decenter ac magna auctoritate studia mea sequi et pervenire ad gradum quo nunc ego sum. Pater meus adhuc vivit, quamvis moriatur desiderio cognoscendi nuntios de suo filio maiore natu, quapropter Deum continuis orationibus impetrat ne mors claudat oculos eius donec videat vivum filium suum. Tamen miror quomodo ille, qui semper tam prudens fuit in magnis laboribus atque afflictionibus

sive in prosperis fortunis, oblitus est omnino mittendi nuntios suos ad patrem suum. Quia si pater meus id cognosceret, sive quidam nostrum, nulla esset necessitas exspectandi miraculum illius cannae ad redemptionem eius obtinendam. Tamen nunc angor cognoscendi utrum francogalli ei libertatem dederint an si interfecerint eum ad furtum eorum celandum. Hoc faciet me prosequi iter meum absque illo contentu, quo iter incepi, sed praeditus magna melancholia ac moestitia. O bone frater mi, utinam possem scire ubi tu es nunc; ita ut possem quaerere te ac liberare te ex tuis laboribus, quamvis hoc esset pro meis! Utinam possem nuntios tuos dare nostro patri seni de te atque ei dicere te nunc vivum esse quamvis esses in profundo ergastulo Barbariae; quia illinc extraherent te divitiae eius ac divitiae fratris mei et meae! O pulchra ac munifica Zoraida, quis posset tibi reddere pro tuis beneficiis erga fratrem meum! Quisnam posset adesse ad renascendum animi tui atque ad nuptias, quae tam magno gaudio nobis essent!

Auditor, his ac similibus verbis prolatis, plenus erat commiseratione propter nuntios, quos de suo fratre audiverat, atque omnes ea audientes eum comitabantur signis affectionis.

Cum autem parochus vidit se bene obtinuisse propositum suum ac desiderium illius ductoris, noluit omnes tristes esse et continuo surrexit de mensa atque introivit in habitaculum, ubi Zoraida erat, tunc apprehendit eam sua manu et post eam etiam venerunt Luscinda, Dorothea atque ipsa filia auditoris. Ductor autem cupiebat videre quid parochus faceret, et en ille ad eum venit atque eodem modo manum eius accepit et cum utroque pervenit ante conspectum auditoris et omnium equitum atque eis dixit:

–Domine auditor, desinant lacrimae tuae atque adimpleat desiderium tuum omne bonum, quia en ante oculos tuos habes bonum fratrem tuum et tuam bonam cognatam. Hic est ductor Viedma atque haec est pulchra maura, quae tam magnum beneficium ei fecit. Francogalli, de quibus locutus sum, eos reliquerunt in hac paupertate quam potes videre ita ut possis eis ostendere munificentiam ac magnanimitatem animi tui.

Ductor autem venit ad fratrem suum amplectendum atque ille ambas manus posuit super pectus ad eum inspiciendum parum a longe; sed, eo attente recognito, arcte eum amplexus est, flens teneras lacrimas contentus, quibus circumstantes eum comitati sunt. Verba quae ad invicem fratres dixerunt, sensus quos mutuo ostenderunt vix ab ullo cogitarentur, ac multo minus describerentur. Ibi ac brevibus argumentis locuti sunt fratres illi de propriis factis eorum; illi ostenderunt bonam amicitiam amborum fratrum; ibique auditor Zoraidam amplexus est; eique divitias suas obtulit; ibi fecit ut filia sua eam etiam amplecteretur; ibi pulchra christiana ac pulcherrima maura lacrimas in omnibus renovaverunt. Ibi autem dominus Quixotus attente manebat, nullis verbis prolatis, considerando insolitas res gestas atque haec omnia tribuebat chimaeris equitatus itinerantis. Tunc autem decreverunt ut ductor Zoraidaque una cum fratre eius Hispalim (Sevilla) pervenirent ac patri eius nuntios darent de adventu ac libertate eius, ita ut posset ad nuptias adesse atque ad baptismum Zoraidae, quia non fieri posset ut auditor iter suum detineret, nam intra mensem classis profectura erat Hispali ad Novam Hispaniam et magna molestia esset ei hanc navigationem praetermittere.

Breviter, omnes contenti ac laeti erant illius prosperi eventi et, binis vigiliis nocturnis elapsis, statuerunt dormitum ire et quiescere reliquam partem illius noctis.

Dominus Quixotus sese obtulit ad castellum custodiendum ne quidam gigas sive ignavus nequam auderet impetum in eos facere, cupidus illius magni thesauri formositatis, quam illud castellum intus servabat. Qui eum cognoscebant ei gratias egerunt et quidem auditori enarraverunt inauditam ac raram indolem domini Quixoti quo magnopere gavisus est.

Tantum Sanctius Pansa desperabatur longa mora ad dormiendum, tamen solus fuit, qui inter omnes optime sese commodavit super dorsualia iumenti sui, quae ei tam cara fuerunt ut postea describetur.

Dominus Quixotus, dominabus in cubiculo earum congregatis, et, reliquis ad libitum accommodatis, foras e caupona exivit ad custodiendum castellum sicut pollicitus erat.

Et cum parum temporis esset ad diluculum, clara atque harmoniosa vox ad aures dominarum pervenit et omnes attente auribus arrectis auscultaverunt, praesertim Dorothea, quae valde experrecta erat et iuxta quam dormiebat domina Clara de Viedma quae sic nuncupabatur filia illius auditoris. Nemo imaginabatur quis esset qui tam bene cantaret, quae erat vox absque comitatu cuiusdam instrumenti. Aliquando videbatur eum in cohorte cantare, aliquando iuxta stabulum; et cum essent in hac confussione ad ianuam cubiculi venit Cardenius qui dixit:

–Si quis non dormit, auscultet; et audiet vocem cuiusdam stabularii mularum, qui certe cantat et commovet.

Cardenius, his verbis dictis, profectus est, ac Dorothea attente auscultavit atque intellexit quae cantabat et haec erant:

Capitulum 43. Ubi narratur iucunda historia stabularii cum aliis rebus gestis quae in illa caupona acciderunt

Nauta quidem sum amoris,
et per pelagus profundum
navigo absque ulla bona spe
veniendi ad portum secundum.

Quamdam stellam semper sequor
quam valde longe intuitus sum
pulchriorem et albiorem ea
numquam vidit Palinurus.

Nescio quonam adducet me,
navigo valde confusus,
animus ad eam videndam
varia attentione imbutus.

Impoenitens pudicitia,
honestas contra omnem usum,
sunt nubes, quae eam celant,
et eiiciunt extra mundum.

Clara et fulgida stella,
ad tuam lucem sum secutus
Ubi primum evanescas
ilico moriar ad punctum.

Dorothea, cantore hoc modo audito, putavit non bonum fuisse Claram hanc vocem optimam praetermittere. Eamque e somno suscitavit movens eam huc sive illuc et quidem cum experrecta esset ei dixit:

–Ignosce mihi, puellula, me te suscitare, tamen hoc facio ut possis optimam vocem quam numquam audiveris in tota tua vita.

Clara experrecta, sed aliquantulum somnolenta, imprimis non bene intellexit de quo Dorothea loqueretur cum ea, sed cum denuo hoc ab ea quaereret, atque haec iterum iterumque dixit, demum Clara valde attenta fuit verbis eius. Et simul ac primos duos versos Clara audivit, et cum cantor ultra prosequeretur, irruit in eam tremor insolitus tamquam si laboraret quodam morbo febris quartanae et tunc arcte amplexa est Dorotheam dicens ei:

–O, domina animi ac vitae meae! Cur voluisti me e somno suscitari? Quia nunc maximum bonum meae fortunae esset claudere oculos et aures meas ne videam nec audiam hunc infortunatum musicum.

–Quid est quod dicis, puellula? Vide hunc cantorem esse stabularium.

–Minime vero, quia ille est dominus plurium locorum –respondit Clara–, et talem locum habet in meo corde ac tam securum ut, eo nolente, nemo eum auferret illinc in aeternum.

Mirabatur Dorothea de bonis argumentis illius puellae, quibus quidem progrediebatur in perspicatia mentis ad teneros annos eius et sic dixit ei:

–Domina Clara, tu loqueris tali modo ut non possem te intelligere: loquere ergo clarius et dic mihi quid significet hoc quod dicis de locis ac de corde et quod de hoc musico, cuius vox tam multum te perturbat. Sed potius noli mihi quidquam de eo dicere nunc; quia ad succurrendum tibi nolo perdere occasionem audiendi vocem huius cantoris; quia mihi videtur eum ad suam cantilenam reverti et quidem novo carmine et nova modulatione.

–Profecto id sit –respondit Clara.

Sed ne audiret eum, Clara cooperuit aures suas ope manuum de quo etiam mirata est Dorothea; quae cum attenta esset ad cantilenam vidit eum prosequi hoc modo:

–Dulcis et prospera spes mea,
quae difficilia et virgulta frangendo,
prosequeris firmis in ea
via, quam ordinas tibi fingendo,

noli tu ergo languere
nec ad gressum saevae mortis manere.

Non obtinent honoratos
triumphos pigri nec optimam victoriam
nec eos invenies beatos,
quia nimis opponunt illorum gloriam
et lassi ad istud negotium
magna mollitie se praebent ad otium.

Amor ea, quae sua sunt, vendet
et cara sunt propter omnem rationem
et nullum pignus protendet
tam magni, quia libenter dat cautionem
et hoc ubique invenitur,
quia quod parvi est pro nihilo accipitur.

Amorosae contentiones
quandoque difficilia nanciscuntur
sequor meas precationes
et difficiliores adipiscuntur
quare nullo modo timeam
perdendi coelum, quamvis non possideam.

Hic vox finivit et Clara denuo incepit suis singultibus; haec omnia augebant desiderium Dorotheae cognoscendi causam illius melodici cantus ac tristis planctus. Quare iterum rogavit quid esset quod antea significavit. Tunc Clara, timens ne Luscinda eam audiret et arcte amplectens Dorotheam os suum iuxta aurem Dorotheae posuit cum qua potuit loqui, nemine audiente, et hoc modo sic ei dixit:

–Hic puer qui cantat, domina mea, est filius cuiusdam equitis, natus in regno Aragoniae, dominus duorum locorum, qui vivebat coram domo patris mei in aula regia. Et quamvis fenestrae domus patris mei coopertae sint linteis tempore hiemali ac transennis tempore aestivo, nescio quid fuit nec quod accidit, sed hic eques cupidus videndi me, profecto me vidit ac nescio utrum in ecclesia an alibi. Demumque arsit me magno amore atque hoc mihi nuntiavit ex fenestris suae domus et quidem tantis signis ac lacrimis ut eum crederem et immo diligerem, quamvis nescirem quid de me vellet. Inter illa signa ponebat manum iuxta manum, ut intelligerem se velle me ducere uxorem et quamvis etiam vellem hoc facere, quia sola sum atque orbata a matre, nesciebam quomodo de eo loqui et hoc modo sivi res transire et nihil erga eum feci nisi, patre meo absente, et, patre eius extra domum, tunc levavi parumper linteum fenestrae sive transennam et ei permisi ut totam me videret, quo tam multum gaudebat, quia videbatur amens esse. Tunc advenit tempus quo pater meus debuit proficisci quod quidem ille etiam cognovit, sed non ex me, quia numquam potui hoc ei dicere. Ille autem aegrotavit et, mea opinione, ex tristitia; quare ipso die nostrae

profectionis non potui eum videre ad valedicendum ei nec immo ope oculorum. Nihilominus, duobus diebus itineris elapsis, cum introivimus in cauponam, quae hinc diem itineris distat ad portam cauponae eum vidi et quidem vestibus stabularii, ac tam similem stabulario ut si eum non haberem in corde meo non fieri posset ut eum recognoscerem. Tamen cognovi eum, et mirata et gavisa sum; ille autem furtim inspexit me ne pater meus id animadvertat, quia semper ab eo absconditur cum praeterit nobis per vias sive per cauponas, ubi pernoctamus. Sed cum eum cognosco et scio quis sit et quare ille sic faciat propter amorem erga me; quia ambulat pedibus ac magno labore atque egomet morior ex angore et ubi ille ponit pedes ego pono oculos meos. Nescio quam voluntatem habeat de me nec quomodo potuit evadere patrem suum, qui eum insolito modo multum diligit, praesertim quoniam nullum alium heredem habet praeter eum et quia ipse vere hanc dilectionem meretur, sicut tu comprobabis cum eum videas. Et potissimum de eo dicam eum componere ex capite suo omnes cantilenas, quas ipse cantat; et de eo audivi dicere eum excellentem scholasticum ac vatem esse. Insuper: quoties eum video atque audio cantantem, affecta sum tremore et terreo timens quin pater meus eum cognoscat et veniat ad desideria nostra develanda. Numquam in vita mea locuta sum cum eo ullum verbum, tamen eum diligo et taliter ut non possim vivere sine eo. Haec sunt, domina mea, omnia quae possum tibi dicere de hoc musico, cuius vox tam multum placuit tibi; ex qua cognosces eum nullo modo esse stabularium mularum sicut tu dicis, sed dominus subditorum ac locorum, ut iam dixi tibi.

–Nihil amplius dicas, domina Clara –ait ad hanc occasionem Dorothea, dum illam milies osculabatur–; nihil amplius dices mihi, inquam, at exspecta ut dies lucescat; quia vere credo, Deo iuvante, negotia tua tali modo ad finem fortunatum perventura esse ut habeant felicem finem, quae tam honesta initia merita sunt.

–Eheu, domina! –dixit domina Clara–, quid exspectandum est, si pater eius tam ditissimus est ac praecipuus, ut putet me famulam illius filii potius quam uxorem esse? Quia inire nuptias ei furtim et sine cognitione patris mei, minime faciam propter omnia quae in mundo sunt. Tamen etiam spero fore ut ille revertatur domum et derelinquat me; et fortasse si non denuo videat me et distans a longe huius viae nostrae mitigetur angor, quo nunc laboro. Tamen et secundum me, haec medela nullius momenti erit mihi. Nescio, Mecastor! quomodo potuit hoc mihi evenire nec quo intravit amor intus in me cum tam iuvenis puella sim atque ille tam iuvenis puer, quia vere, credo nos natos eodem anno esse, et ego nondum adimplevi sedecim annos; quia secundum patrem meum die Sancti Michaelis est dies natalis meus.

Dorothea, his rebus auditis, non potuit risum tenere, quia Clara loquebatur tamquam puella, cui dixit:

–Eamus cubitum nunc, domina, reliquum huius noctis et quidem credo parum erit et tunc dies lucescet et Deus providebit et melius erit nobis, aliter male esset nobis.

Tandem illae pacaverunt atque in tota caupona magnum silentium imperavit, tantummodo non dormiebant filia cauponariae et Maritornes famula eius, quae cum cognoscerent condicionem, qua dominus Quixotus laborabat et qui erat foris ad portas cauponae armatus et vigilans ad faciendam custodiam castelli super equum, ambae decreverunt facetias ei facere, saltem propter oblectamentum atque ad stultitias eius auscultandas.

Ceterum, in tota caupona non erat fenestra, quae ad campum daret, nisi foramen palearii, quo palea intus introducebatur. Iuxta hoc foramen steterunt duae illae semivirgines et per hoc viderunt dominum Quixotum super equum, nixum sua lancea, qui aliquando suspirabat profunde ac dolenter atque unoquoque suspirio videbatur animum amittere. Et eodem modo audiverunt eum dicentem voce tenue, dulci amorosaque:

–O domina Dulcinea a Toboso, summitas omnis formositatis, finis ac perfectio prudentiae, depositum iucunditatis, thesaurus honestatis et novissime exemplum omnis quod sit beneficum, honestum ac delectabile in hoc mundo. Quid ergo nunc tu ipsa facis? Nonne cogitas de tuo captivo equite qui, sola voluntate eius, ad tam multa pericula paratus est et tantummodo ad tibi serviendum? Da mihi nuntios de illa, o tu, Diana, luminare trium vultuum! Fortasse nunc magna aemulatione de eius aspectu eam inspicis, quae deambulat per quoddam ambulacrum suorum splendidorum palatiorum, sive accumbens pectus suum ad pergolam intuitur quomodo, sua honestate et excellentia excepta, placabitur procella, qua cor meum pro ea laborat, quam magnam gloriam dabit meis poenis, quam magnam quietem curae meae ac denique quam vitam dabit morti meae et quod praemium tribuet pro meis servitiis. Et tu, o sol, qui iam parabis celeriter equos tuos ad mane diluculum etiam videbis meam dominam exientem et simul atque eam videas, rogo te ac flagito te ut eam mea ex parte salutes. Tamen cave ne ei osculum pacis super faciem des, quia tunc vere zelosus ero tui et quidem maiorem zelotypiam habebo quam tu habuisti illi ingratae et veloci propter quam tam multum sudasti per planities Thessaliae sive per ripas Penei, quia nunc non memini, ubi tunc cucurristi zelosus et captus amore.

Dominus Quixotus, his argumentis prolatis, lamentabatur, et en pervenit filia cauponariae ad eum et quidem suavi susurru ei dicens:

–O domne mi, advenias huc, si vere benevolus es.

Quibus signis dominus Quixotus vertit caput et vidit ad lucem lunae, quae tunc lucebat magna claritate se vocari per foramen illud, quod ei videbatur pulchra fenestra, et immo cum cancellis aureis, cum talia castella debeant eas habere, quia ipse imaginabatur illam cauponam castellum esse. Et tunc confestim suis insanis cogitationibus arbitratus est ut in vice praecedenti, illam formosam virginem, filiam dominae illius castelli praeditam magno amore erga eum, voluisse eum sollicitare de amoribus; et his cogitationibus noluit ostendere se ipsum impolitum atque inurbanum et habenas Rocinantis dedit et pervenit ad foramen atque, ubi primum duas puellas viderit, eis dixit:

–Me miseret, formosa domina, quia tua desidera amorosa posuisti, ubi nullo modo conveniunt tuis meritis elegantiae ac virtutis. Tamen hic miser eques non est culpabilis hoc modo agendi, quoniam non fieri potest ut diligat aliam nec suam voluntatem possit alii tradere quam illi dominae quae, cum eam viderint oculi eius, facta est domina absoluta animi eius. Quapropter ignosce mihi, o bona domina, et velis ad cubiculum tuum ire et noli ostendere mihi tua desideria quin ingratiorem me ostendam tibi. Attamen si aliam rem vis ex me qua possim tibi adimplere, amore excluso, quaere eam a me, et iuro tibi per illam absentem dulcem dilectam inimicam meam, me tibi subito daturum esse, quamvis petas a me crinem capillorum Medusae, et cuncti erant serpentes, sive si peteres a me radios solis clausos in quadam lagoena.

–Domina mea nihil de his quaerit, domine eques –dixit ad hanc occasionem Maritornes.

–Quid ergo prudens domina tua quaerit a me? –respondit dominus Quixotus.

–Illa tantum vult unam ex tuis formosis manibus –inquit Maritornes–, ad suam magnam voluptatem exonerandam, quae ad hoc foramen eam adduxit et quidem cum periculo sui honoris, quia si pater eius haec animadverteret eam scinderet frustulis et minor eorum esset auricula.

–Haec vellem videre egomet! –respondit dominus Quixotus–. Sed ille curaret quominus finem teterrimum haberet, quem fecit quidam pater huius mundi cum manus suas posuit super tenera membra suae amorosae filiae.

Maritornes quidem videbatur pro certo dominum Quixotum ei daturum esse manum quaesitam et tunc machinata est propositum suum. Descendit de foramine suo et stabulum petivit, ubi accepit capistrum iumenti Sanctii Pansae celeriterque ad foramen reversa est cum dominus Quixotus ascendit et stetit erectus super sellam Rocinantis ad illum cancellum fenestrae perveniendum, ubi imaginabatur esse virginem vulneratam amore, eique manum dedit dicens:

–Accipe, domina, hanc manum, sive ut melius dicam, hunc carnificem malefactorum totius mundi; accipe hanc manum, dico, quam nulla mulier umquam tetigit neque illa quae completam possessionem habet totius mei corporis. Et non tibi eam do ut eam deosculeris, sed ut possis videre contexturam nervorum eius, nexum musculorum, amplas ac spatiosas venas; ex quibus rebus concludes quale sit robur bracchii, quod tales manus habeat.

–Nunc autem videbimus –dixit Maritornes.

Et ipsa laqueum fecit ex illo capistro, quem introduxit in manum domini Quixoti et descendens de foramine ligavit funem ad pessulum ianuae pealearii et quidem fortiter. Dominus Quixotus sensit asperitatem funis in sua manu et dixit:

–Magis mihi videtur te radere me quam blandiri manui meae. Noli eam tam violenter apprehendere, quoniam non est culpabilis illius mali quod voluntas mea afficiet tibi, nec manus meretur te vindicare ab ea omnem iracundiam tuam. Videas ergo, quaeso, quia qui vere diligit non vindicatur tam male.

Nemo autem audivit argumenta domini Quixoti, quia simul ac Maritornes ligavit eum laqueo, illa et filia cauponariae profectae sunt et difficulter tenebant risum eumque reliquerunt tali modo ut non fieri posset ut solus solveret se.

Dominus Quixotus autem, ut iam diximus, erectus stabat super sellam Rocinantis, bracchio in foramine immisso, et quidem manus ligata per funem ad pessulum ianuae et magna cura ne Rocinans moveretur a suo loco et tunc penderetur de sua manu deorsum, quare non audebat motum facere quin Rocinans amitteret patientiam et quietem suam, sed bene sperabat fore ut ille per saeculum integrum maneret in suo loco.

Breviter, cum dominus Quixotus vidit se ligatum esse, dominabus profectis, credidit haec omnia per viam incantamenti accidisse, tamquam praeterita vice cum in illo castello percussit eum maurus incantatus, scilicet mulio, et maledicebat suae parvae prudentiae et consilio, quia ausus erat denuo in illud castellum introire et hoc erat contra leges equitatus, quia si aliquando invenerint res gestas non esse prosperas hoc erat signum, nempe haec omnia alii equiti servari et non necesse erat

iterum iterumque temptare fortunam. Ceterum, suum bracchium trahebat dum conabatur sese solvere; tamen bene religatus erat ut omnis modus operandi frustra factus esset. Verum etiam est se trahere magna cura ne Rocinans moveretur a suo loco, quia quamvis ille vellet sedere super sellam hoc non fieri potuit et tantum poterat manere erectus sive manum suam eradicare.

Tunc ille voluit habere gladium Amadis, contra quem nullum incantamentum poterat quid facere; ibi maledixit suae fortunae; tunc etiam magni fecit de sua praesentia in mundo donec incantatus maneret, quia absque dubio credidit se incantatum fuisse; tunc meminerat denuo suae carissimae Dulcineae a Toboso; et incepit armigerum suum Sanctium Pansam vocare, qui in profundo somno sepultus atque accubitus super clitellas iumenti erat et nullo modo meminerat illo momento immo matris, quae eum peperit. Tunc sapientem Lirgandeum atque Alquifem ad eum iuvandum vocavit necnon et bonam amicam Urgandam ut veniret ad ei succurrendum, ac denique mane luxit ei, qui erat desperatus ac turbatus et quidem mugebat tamquam taurus, quoniam non exspectabat molestiam suam mitigari toto die, quia eam habebat ut aeternam ope illius incantamenti. Et hoc vere credebat, quia Rocinans non movebatur et putabat se hoc modo sine esu, ac potu vel dormitu permansurum esse necnon et suum equum donec adversum influxum stellarum transiret sive alius ac sapientior incantator eum ab incantamento eius extraheret.

Attamen in suis cogitationibus valde deceptus erat, quia vix ac diluculum matutinum apparuit, en quattuor equites ad cauponam advenerunt omnes bene armati suis sclopetis, quae habebant super sellas equorum. Viri isti pulsaverunt portas cauponae magnis ictibus et cum dominus Quixotus animadverteret, qui adhuc faciebat custodiam, magna ac superba voce dixit:

–Equites sive armigeri, sive quicumque sitis: non necesse est portas huius castelli pulsare; quia notum est ut ad tales horas qui intus sunt dormiunt et sic non solent munitiones aprire donec sol nondum inclinatur per totam terram. Recedite seorsum atque exspectate ad diluculum diei, et tunc videbimus utrum iustum sit eos vobis aperire necne.

–Quid ergo, per omnes diabolos, de munitione sive de hoc castello loqueris –dixit quidam ex eis– ad moram faciendam his caeremoniis? Si tu es caupo, iube ut aperiant nobis; nos viatores sumus et tantum volumus hordeum equis nostris dare atque ulterius procedere in nostro itinere, quia oportet nobis festinare.

–Num videtur vobis me similem esse cauponario? –respondit dominus Quixotus.

–Nescio cui similis sis –respondit alter–, sed video te stulte hanc cauponam vocare castellum.

–Castellum est –obiecit dominus Quixotus–, et immo inter meliora huius provinciae annumeratur; atque intus homines sunt qui sceptrum in manu et coronam super caput habuerunt.

–Melius esset e contrario –inquit viator–: nempe sceptrum super caput et coronam in manu. Et sic erit, si convenit, quia intus invenitur quaedam societas histrionum, ad quam saepe pertinent hae coronae sceptraque, quae dicis, nam in tam parva caupona, ubi tam magnum silentium servatur similis huic, non credo dignos esse huius coronae sive huiusmodi sceptri.

–Parum cognoscitis de hoc mundo –obiecit dominus Quixotus–, quoniam ignoratis res gestas, quae in equitatu itinerante accidere solent.

Sodales illi qui a domino Quixoto haec quaerebant, fatigabantur illo colloquio, quapropter denuo pulsaverunt portam et quidem magnis ictibus. Et profecto caupo experrectus est et etiam cuncti qui in illa caupona erant, quare surrexit ad quaerendum quis pulsaret. Et hoc ipso tempore accidit iumentum, ex iis quibus veniebant quattuor viatores qui pulsabant, venit ad olfaciendum Rocinantem, qui melancholicus tristisque atque auribus flaccidis erat et, nullo motu adhibito, dominum suum distensum sustinebat. Et propterea quod factus erat ex carne, quamvis videretur ligneus esse non renuit sua vice etiam olfacere quem ad eum veniebat ad blanditias ei faciendas. Et simul ac Rocinans se movit, tunc lapsi sunt pedes domini Quixoti a sella equi eumque in terram eiecerunt nisi suspenderetur a bracchio quod ei tam magnum dolorem fecit ut crederet id ab eo amputari, quia mansit prope terram quam fere cum extremitatibus pedum tangebat, sed in damnum suum, nam non potuit pedes super terram ponere et conabatur fessus et distendebatur ad id faciendum, sed omnino inaniter sicut sunt qui inveniuntur in supplicio trochleae, quia damnati tangunt et non perveniunt atque ipsi dolorem eorum augent et quidem distendendo enixe seipsos, et, spe suscepta perveniendi usque ad terram, decipiuntur ope distensionis membrorum.

Capitulum 44. Ubi prosequuntur inauditae res gestae illius cauponae

Profecto, tantae fuerunt voces quibus dominus Quixotus clamavit ut subito aperirent portas cauponae, et caupo exivit pallidus ad videndum quis tales magnas voces daret et qui foris erant eadem fecerunt. Maritornes, quae iam ipsis vocibus expergefacta erat, imaginabatur quid hoc esset atque ad palearium venit et quidem, nemine inspiciente, solvit laqueum capistri, quo dominus Quixotus suspendebatur. Hic autem continuo ad terram cecidit, cauponario ac viatoribus videntibus, et cum ad eum venirent ab eo quaesiverunt quid esset ei sive cur tales voces daret. Ille autem, nullis verbis prolatis, eruit funem e sua manu et surrexit pedibus, tunc ascendit in Rocinantem, scutum suum accepit, induxit lanceam in moram atque apprehendit sibi campum idoneum et reversus est suo celere cursu dicens:

–Quicumque diceret me incantatum fuisse iusta causa, si principessa Micomicona mihi dat suam veniam, ego eum arguam de mendacio et provocabo ad duellum in singulari proelio.

Mirati sunt novi viatores de verbis domini Quixoti, caupo autem de illa admiratione detraxit eos, dicens dominum Quixotum amentem esse, quare non oportebat de eo curare.

A caupone quaesiverunt utrum quidam puer circiter quindecim annos natus advenerit ad cauponam et quidem amictus tamquam stabularius atque eadem signa

de eo dederunt, quae amans dominae Clarae habebat. Caupo respondit dicens tam multos esse in caupona ut non posset recognoscere quem quaerebant. Tamen cum quidam eorum videret carpentum in quo venerat auditor, dixit:

–Hic erit procul dubio, quia ille sequitur hoc carpentum, secundum quod fertur; quidam nostrum maneat ad portam et reliqui intrent ad eum quaerendum et bonum esset ut quis nostrum totam cauponam circumdet ne exeat per muros cohortis.

–Sic faciemus –respondit quidam eorum.

Et introierunt duo intus, alter autem ad portam mansit, et alter circumdedit cauponam; caupo intuitus est haec omnia et quidem nesciebat quare faciebant has diligentias, sed putavit eos quaerere puerum cuius signa ei dederunt. Tunc temporis diluculum factum est; et his omnibus rebus peractis, sive per strepitum quem dominus Quixotus faciebat, cuncti autem expergefacti sunt et surrexerunt e lecto, praesertim domina Clara ac Dorothea et quidem illa turbata, quia amans eius prope erat, altera autem male pernoctavit cum desiderio videndi eum.

Cum dominus Quixotus vidit nullum ex his quattuor viatoribus suas quaestiones ei respondere, irascebat praeditus despectu furoreque et si ipse invenisset in ordinationibus sui equitatus ut eques licite posset alias res gestas suscipere cum antea pollicitus esset, verbo ac fide eius, nullas facere, donec antea perficeret promissas, tunc in omnes impetum faceret et percuteret omnes ita ut ei responsum darent, quamquam omnino inviti erant. Tamen videbatur ei nec convenire nec bonum esse alias res gestas inchoare, donec reponeret principessam in solio regni eius et sic tacuit et quietus mansit exspectando quid esset de diligentiis illorum viatorum. Unus quorum invenit quaesitum puerum et quidem dormientem iuxta quemdam stabularium, dum omnino insciens esset eos eum quaerere et multo minus ut inveniretur ab eis. Vir ille bracchium pueri apprehendit atque ei dixit:

–Certe, domine Ludovice, vestis, quam induis, bene tibi convenit et lectus, in quo te invenio, ad opulentiam qua mater tua curavit de te.

Puer defricuit somnolentos oculos suos manibus et paulatim intuitus est quem eum apprehenderat et statim cognovit eum famulum patris eius esse, quo magnopere perturbatus est, quare ei non potuit respondere verbum per quamdam moram; famulusque prosecutus est dicens ei:

–Hic nihil aliud faciendum est, domine Ludovice, quam patienter domum redire, nisi vis patrem tuum ac dominum meum iter facere ad aliam vitam, quia nihil aliud exspectandum est pro poena tuae absentiae.

–Quomodo potuit pater meus scire –ait dominus Ludovicus– me hoc iter facere atque amictum his vestibus esse?

–Scholasticus –respondit famulus– cui voluntatem tuam nuntiasti, ille fuit qui haec omnia develavit et quidem motus vi lacrimarum patris tui et simul atque hic cognovit te eum deseruisse. Sic enim pater tuus misit quattuor ex suis famulis ad quaerendum te et omnes sumus hic ad tibi serviendum, et quidem laetissimi, quo cogitare potes, propter prosperum exitum totius huius negotii, quia te adducemus ad conspectum patris tui, qui tam multum diligit te.

–Hoc erit si ego vere volo, sive si coelum hoc modo decernit –respondit dominus Ludovicus.

–Quid ergo vis facere, sive quid coelum iubeat praeter reditum tuum? Quia aliter non fieri potest.

His argumentis inter ambos dictis, stabularius iuxta quem dominus Ludovicus erat, statim surrexit et venit ad dicendum quid acciderat domino Ferdinando et Cardenio necnon et reliquis, qui iam induti erant vestibus. Quibus dixit quomodo illi puerum vocabant *dominum* et argumenta quae inter eos erant, et quomodo voluerunt eum ad domum patris reducere, ipso puero invito. His verbis auditis, atque optima voce eius cognita, omnes voluerunt scire potissimum quisnam ille esset eumque voluerunt iuvare si eum invitum adducerent; quapropter pervenerunt ad locum, ubi ille loquebatur et cum suo famulo contendebat.

Tunc temporis Dorothea reliquit cubiculum suum et post eam ac valde turbata domina Clara etiam egressa est. Dorothea vocavit Cardenium seorsus, eique breviter narravit historiam illius musici ac dominae Clarae. Cardenius autem ei dixit, quae acciderant de adventu famulorum patris eius, sed non locutus est cum ea submissa voce, quare Clara haec audivit; quibus verbis taliter commota est ut ad terram caderet, nisi Dorothea eam suis manibus amplecteretur. Cardenius dixit Dorotheae ut illae ad cubiculum earum reverterentur, quoniam ipse remedium opportunum poneret. Et illae hoc modo sic fecerunt.

Omnes quattuor qui dominum Ludovicum quaerebant erant in caupona et circumierunt eum suadentes ei ut subito veniret ad patrem consolandum. Ille autem respondit hoc non fieri posse, donec negotium suum finiret in quo erat vita, honor et animus eius. Famuli tunc prosecuti sunt dicentes nullo modo se reversuros esse domum sine eo, quapropter eum adducerent quamvis invitum.

–Hoc non facietis vos –respondit dominus Ludovicus–, nisi me mortuum adducatis.

Tunc ad hanc disputationem venerunt plerique qui in caupona erant, praesertim Cardenius, dominus Ferdinandus et sodales eius, auditor, parochus, tonsor et dominus Quixotus cui iam bene videbatur non necesse erat castellum amplius custodire. Cardenius, historia pueri nota, quaesivit a famulis eius quid moveret eos ad adducendum puerum contra voluntatem eius.

–Ecce nos volumus –respondit quidam ex illis quattuor– vitam dare patri eius, quia propter absentiam filii vita huius equitis in magno periculo est.

Quibus dominus Ludovicus dixit:

–Non opus est hic et nunc me palam exponere totum negotium meum; liber sum et revertar si hoc placet mihi, aliter nullus vestrum poterit me obstringere ad id faciendum.

–Rectum iudicium haec obtinebit de te –respondit ille vir–; et si hoc non certe sufficeret tibi, tunc opus erit ut faceremus id ad quod huc venimus.

–Videamus hic de quo agitur et quidem ex radice –ait ad hanc occasionem auditor.

Tamen ille vir qui eum cognoscit tamquam vicinum suae domus, respondit:

–Nonne cognoscis, domine auditor, hunc equitem? Hic est filius tui vicini oppidani, qui domo sua profectus est et quidem induit has indecorosas vestes propter genus eius, sicut tu ipse potes videre.

Tunc auditor intuitus est eum attente atque accuratius et eum cognovit eumque amplexus est dicens:

–Quae puerilitas est haec, domine Ludovice? Sive quaenam fuit causa ac tam gravis quapropter debuisti huc venire hoc modo atque amictus his vestibus, quod tam contra tuam qualitatem et nobilitatem est?

Lacrimae inundaverunt oculos pueri, qui non potuit ei verbum respondere. Auditor enim dixit illis quattuor viris ut pacarent se ipsos, quia omne fieret bene atque accipiens manum domini Ludovici adduxit eum seorsum eumque rogavit ut ei diceret quare sic fecisset.

Ceterum et dum has quaestiones faceret auditae sunt magnae voces ad portam cauponae et causa earum erant duo hospites qui ibi pernoctaverunt, sed cum viderunt tam magnam turbam hominum in illis negotiis, nullis expensis debitis solutis, profecti sunt. Tamen caupo qui attentus erat magis ad sua negotia quam ad res aliorum, eos ad portam cauponae apprehendit atque ab eis quaesivit pecuniam et etiam vituperavit malam voluntatem eorum et quidem talibus verbis ut eos movit ad respondendum ei ictibus pugnorum; et illi cauponarium percusserunt tantis colaphis ut ille clamaret atque auxilium flagitaret. Cauponaria et filia eius neminem meliorem quam dominum Quixotum viderunt ad eas iuvandas, cui filia cauponariae dixit:

–Velis, domine eques, per virtutem quam Deus tibi dedit, succurrere misero patri meo; quia duo nequam viri eum percutiunt tamquam triticum.

Cui dominus Quixotus respondit et quidem paulatim ac magna lentitudine:

–Formosa virgo, nunc petitio tua non habet locum, quia vetitus sum inchoandi alias res gestas, donec perficiam quas pollicitus sum meo verbo. Tamen quod facere possum ad tibi serviendum est quod tibi dicam: accurre ad patrem tuum et dic ei ut demoretur in hoc proelio sicut possit, dum obtineam veniam a principessa Micomicona et hanc ab ea quaeram ad ei succurrendum in angustia eius; et si illa dabit mihi hanc veniam pro certo de eo curabo eumque iuvabo.

–Me misellam! –dixit his verbis Maritornes, quae coram eo erat–. Ante quam hanc veniam obtineas iam erit dominus meus in alio mundo.

–Sine, domina, me hanc veniam nancisci quam dico –respondit dominus Quixotus–; et cum eam habeam parvi momenti erit utrum ille sit in alio mundo necne; nam illinc eum extraham, alio mundo contradicente; sive saltem talem vindictam faciam ab illis, qui eum illuc miserunt ut maius gaudium habeas.

Et nihil amplius dixit, sed genua flexit in conspectu Dorotheae atque ab ea quaesivit, et quidem sermone equitatus, ut illa excellentissima domina ei daret veniam ad accurrendum et succurrendum praefecto castelli, qui erat in magna vexatione. Principessa ei libenter dedit et tunc ille accepit scutum suum atque apprehendens gladium ad portam cauponae venit, ubi adhuc illi hospites vexabant cauponem; tamen simul ac pervenit stupuit et mansit quietus, quamvis Maritornes et cauponaria dicerent ei quare detineretur succurrendi domino maritoque.

–Detineo me –inquit dominus Quixotus– quia non licet mihi contra gentem ex genere armigerorum manum ad gladium ponere; tamen vocate huc meum armigerum Sanctium, quia haec defensio ac vindicta magis ad eum pertinet.

His rebus ad portam cauponae peractis, ubi ictus pugnorum et colaphi erant atque haec omnia in detrimentum cauponis et in rabiem Maritornes, cauponariae filiaeque eius, quae desperabantur videndi ignaviam domini Quixoti quapropter maritus, dominus ac pater earum non bene tractabatur.

Relinquamus cauponem hic, quia non deficiet ei qui ei succurrat; aliter disponat se ad patiendum et taceat qui audet maiora facere, quae sua robora promittunt, et revertamur retro quinquaginta gressus ad videndum quid dominus Ludovicus auditori respondit, quem reliquimus seorsum dum hic eum rogabat ut diceret ei causam adventus eius pedibus et quidem amictus vilibus vestibus. Quibus verbis puer apprehendens eum arcte manibus, ostendit ei magnum dolorem opprimere cor eius ac multas lacrimas effundens ei dixit:

–Domine mi, nescio quid tibi dicere, nisi cum coelum decerneret vicinitatem tuam atque ego viderem meam dominam Claram, tuam filiam dominamque meam, ex illo momento eam dominam feci meae voluntatis; et si tua voluntas est, vere domine et pater mi, et id non a me prohibes, hoc ipso die illa erit uxor mea. Propter eam reliqui domum patris mei, et per eam indui hanc vestem ad eam persequendam quocumque illa iret, tamquam sagitta sequitur metam suam, sive tamquam nauta Stellam Polarem. Ipsa non cognoscit ex meis desideriis nisi quod potuit intelligere per signa, quia vidit oculos meos flere a longe. Tu quidem, domine, cognoscis divitias et nobilitatem parentum meorum et me esse unicum heredem; si vere tibi videntur haec sufficere ad me faciendum omnino fortunatum, accipe me tamquam filium tuum, quia si pater meus, motus designiis alienis, nollet me hoc bonum facere, tempus fortius erit ad delendos ac mutandos status rerum quam voluntates hominum.

Puer captus amore, his verbis dictis, tacuit. Et auditor mansit suspensus, turbatus atque eodem tempore admiratus audiendo tum modum exponendi hanc quaestionem tum prudentiam, qua dominus Ludovicus develavit cogitationes suas; et eodem tempore quia nesciebat quid faciendum erat ad hanc subitaneam sententiam acceptandam in hoc rapido atque inexpectato negotio. Quapropter nihil aliud respondit nisi ut tunc placaretur et poneret moram suis famulis ita ut non adducerent eum illo die domum, sed haberent tempus ad considerandum quod melius esset. Dominus Ludovicus manus eius osculatus est necnon et lacrimas effudit quibus potuit cor marmoreum commovere et non tantum illius auditoris, qui ut vir prudens iam cognoverat quam bonae illae nuptiae essent filiae suae; et si fieri posset ille sua propria voluntate conveniret cum patre illius domini Ludovici, de quo cognoverat eum voluisse filio suo titulum nobilitatis dare.

Tunc temporis atque, hospitibus et caupone convenienter pacatis, propter persuasionem domini Quixoti et non propter minas eius, illi debitum solverunt cauponario quod ab eis quaesiverat et etiam famuli domini Ludovici exspectabant finem locutionis auditoris et resolutionem domini eorum. Sed daemon, qui numquam dormitat, iussit ut tunc temporis intraret in cauponam tonsor a quo dominus Quixotus abstulerat galeam Mambrini et Sanctius Pansa dorsualia iumenti, quae permutavit pro suis. Tonsor ille iumentum suum in stabulum vexit et vidit Sanctium Pansam, qui aliquid clitellarum reparabat et ubi primum eas viderit recognovit atque impetum fecit in Sanctium ei dicens:

–Eheu, domine latro, hic te habeo! Da mihi meam pelvim radendi et clitellas meas quas a me rapuisti!

Cum Sanctius vidit hunc subitaneum impetum et audivit vituperia dicta in eum, apprehendit clitellas una manu et cum altera alapam dedit tonsori vi cuius dentes

suos sanguine inundavit. Nihilominus tonsor non reliquit praedam quam fecerat suis clitellis, sed e contrario vocem suam auxit ita ut cuncti qui erant in caupona advenirent ad strepitum rixamque dum dicebat:

–Adiuvate me in nomine regis et iustitiae! quia non tantum rapuit a me bona mea, sed etiam vult interficere me hic latro, grassator viarum!

–Mentiris –respondit Sanctius–; ego non sum praedator viarum; quia in iusta pugna meus dominus Quixotus lucratus est hanc exspoliationem.

Dominus Quixotus erat etiam coram eo et valde contentus videndi quam bene armiger eius defendebatur atque etiam impetum faciebat et ex hoc eum habuit pro strenuo viro ac decrevit se eum facturum esse equitem itinerantem prima occasione opportuna, quoniam ei videbatur bonum et idoneum esse propter ordinationem equitatus. Inter alia quae tonsor dicebat in sermone illius rixae haec erant:

–Domini, hae clitellae meae sunt tamquam mors, quam Deo debeo, et sic eas cognosco tamquam si eas peperissem, et hic est asinus meus in stabulo, qui non sinet me mentiri; aliter ponant eas ei et videbunt utrum sint ei aptissimae necne aliter manebo ut infamis. Insuper illo die quo has abstulit etiam abstulerunt a me novam pelvim radendi ex aurichalco, qua nondum usus eram et aestimabatur pro nummo aureo.

Dominus Quixotus, his verbis dictis, non potuit amplius tolerare et disiungens illos duos seorsum, reliquit clitellas super terram, ubi manerent donec veritas manifestaretur, et dixit:

–Ut videatis clare ac manifeste errorem huius boni armigeri, quoniam hic vocat pelvim radendi hanc quae fuit, est et erit galea Mambrini, quam egomet ab eo abstuli in iusta pugna et factus sum dominus illius secundum legitimam licitamque possessionem! Quatenus ad clitellas nolo me interponere quoniam de illis armiger meus quaesivit a me veniam ad ornatum auferendum equi huius ignavi victi, quibus suum ornaret; quam veniam dedi ei atque ille accepit, quare nescio quomodo potuit transire ex ornatu in clitellas ex qua transformatione nullam rationem inveniam nisi ordinariam dicere: nempe has transformationes esse in rebus gestis equitatus; atque ad hoc corroborandum, Sancti fili, affer huc galeam quam hic bonus vir dicit eam esse pelvim.

–Dii boni! domine –dixit Sanctius–, si nullum aliud argumentum habemus nostrae affirmationis quam hoc, tua sententia, talis pelvis est galea Mambrini quam ornatum equi huius boni viri sunt clitellae!

–Fac sicut iubeo tibi –obiecit dominus Quixotus–; quoniam non omnia huius castelli erunt per viam incantamenti.

Sanctius venit ubi erat pelvis radendi atque attulit eam; et ut primum eam dominus Quixotus vidit manibus suis eam apprehendit atque ait:

–Videte quomodo potest hic armiger dicere hanc pelvim esse et non galeam sicut dico ego; et iuro per ordinationem equitatus, quo fungor, hanc eamdem galeam esse quam ab eo abstuli et nihil ei addidi nec abstuli.

–In hoc nullum est dubium –dixit ad hanc occasionem Sanctius–; quia ex illo tempore quo dominus meus hanc lucratus est tantum proelium fecit hac galea, nempe cum liberaret miseros damnatos incatenatos, et si non esset propter hanc galeam sive pelvim non esset bene ei, quia magna lapidatio accidit ei in illa occasione.

Capitulum 45. Ubi finitur investigatio dubii de galea Mambrini et clitellarum cum aliis rebus gestis, quae cum omni veritate acciderunt

–Quid vobis videtur, domini –ait tonsor–, de his, quae hi praeclari viri affirmant, quia adhuc conantur dicere hanc non esse pelvim, sed galeam?

–Et si quis haec contradiceret –inquit dominus Quixotus–, faciam ut ille dicat se mentiri, si esset eques et si armiger, eum mentiri et quidem milies.

Noster tonsor qui ad omnia praesens erat, sicut tam bene cognoscebat modum sese habendi domini Quixoti, voluit hanc stultitiam ultra exaggerare ut omnes de ea riderent et sic loquendo cum alio tonsore dixit:

–Domine tonsor, sive qui vere sis, scito me etiam esse tui officii et abhinc plus quam viginti annos me habere licentiam huius tituli et cognosco valde bene omnia utensilia tonstrinae quin deficiat mihi unum ex eis; necnon fui in mea iuventute miles quare cognosco quid sit galea et quid cassis et cassis tessellata aliaque pertinentia ad militiam, et dico, ad genera armorum militum; atque aio, meliore sententia exclusa, et semper ad meliorem intellectum perveniens hoc artefactum quod est hic coram nobis et quod hic dominus habet suis manibus non tantum non esse pelvim radendi, sed tam procul est ab ea quam color albus est a nigro et veritas a mendacio; atque egomet dico etiam eam galeam esse, quamvis non sit galea integra.

–Certe non –inquit dominus Quixotus–, quoniam deest ei dimidia pars, quae est bucula eius.

–Hoc verum est –ait parochus, qui iam intellexit voluntatem sui amici tonsoris.

Et eadem confirmavit Cardenius, dominus Ferdinandus et socii eius; et etiam auditor iuvaret, sua ex parte, in his facetiis, nisi tam meditabundus esset de negotio domini Ludovici, sed suspensus erat suis veris rebus, de quibus cogitabat et nullo modo attendebat ad illos sales et lepores eorum.

–Adiuvet me Deus! –dixit ad hanc occasionem tonsor deceptus–. Num hoc fieri potest, tot viros honoratos dicere hanc pelvim non esse nisi galeam? Hoc est mirandi ac dubitandi totius Universitatis, quamvis illa sapiens videatur. Satis est, et si haec pelvis est galea, tunc etiam clitellae hae erunt ornatus equi sicut hic vir dixit.

–Mihi videntur clitellae –dixit dominus Quixotus–; sed iam dixi me nolle interponere his rebus.

–Ut sint clitellae sive ornatus equi –ait parochus– hoc debet dominus Quixotus dicere; quia nemo tam bene cognoscit res pertinentes ad equitatum quam ille et omnes isti domini atque ego plenam praestantiam in hac re ei concedimus.

–Per Deum, domini mei –inquit dominus Quixotus–, sunt tales ac tam insolitae res, quae in hoc castello bis mihi acciderunt, cum in eo pernoctavi, ita ut non audeam quid affirmare de eo, quod in hoc castello sit atque a me quaerant, quoniam imaginor omnia hic esse per viam incantamenti. Prima vice maurus incantatus, qui in eo est, fatigavit me, et Sanctio non bene fuit cum sequacibus eius, atque hac praeterita nocte suspensus fui de bracchio meo circa duas horas, nemine sciente, quomodo potui pendere in hoc infortunio. Quapropter, secundum me, interponere me in hac re tam

magnae confusionis erit ac dare meam opinionem etiam erit iudicium temerarium. Quatenus ad hanc quam vocant pelvim et non galeam iam respondi; sed dicere utrum sint clitellae an ornatus equi, non audeo dare sententiam definitivam: hanc relinquam ad bonum sensum vestrum. Tamen si vos non estis armati equites, tamquam ego sum, fortasse non laboretis incantamentis huius loci atque habebitis mentes liberas ad diiudicandas res huius castelli ut illae verae ac reapse sint, non autem ut mihi videantur.

–De hoc non est dubium –respondit his rebus dominus Ferdinandus–, quia dominus Quixotus valde bene locutus est hodie atque ad nos pertinet dare solutionem huius rei; et ut bonum fundamentum habeatis egomet secreto recipiam suffragia horum dominorum et nuntium integrum huius deliberationis finalis dabo vobis clare et aperte.

Illis, qui cognoscebant indolem domini Quixoti, haec omnia erant causa magni risus; tamen aliis, qui omnino ignorabant, videbatur hoc maximum absurdum totius mundi, praesertim quattuor famulis domini Ludovici ac domino Ludovico plus minusve, necnon et aliis hospitibus, qui casu advenerunt ad cauponam et videbantur esse sodales Sanctae Fraternitatis, sicut reapse erant. Sed qui magis desperabatur erat tonsor ille cuius pelvis erat ante oculos suos, et facta est galea Mambrini, et etiam putabat clitellas suas facturas esse optimum ornatum equi. Et omnes una ridebant videndi quomodo dominus Ferdinandus accipiebat suffragia uniuscuiusque, loquens ad aures eorum ut dicerent secreto utrum essent clitellae an ornatus equi illud munus de quo tantum disputabant. Et dominus Ferdinandus, suffragiis acceptis de his qui cognoscebant dominum Quixotum, magna voce dixit:

–Profecto, bone vir, lassus ego sum quaerendo tot multas decisiones, quia video nullum mihi dicere, quod scire volo nempe stultitiam esse dicere has clitellas iumenti, nam ornatus equi sunt et adhuc equi boni generis; quare oportet ut patienter sustineas, quia contra tuam opinionem et contra asinum tuum hic est ornatus equi et non sunt clitellae sicut dixisti et male probasti tua ex parte.

–Nullam partem meam habeam in coelo –inquit supertonsor miserandus– si omnes vos non decipiamini, atque animus meus in conspectu Dei veniat, tamquam mihi videntur eas esse clitellas et non ornatus equi; sed leges vadunt ... et cetera; et amplius nullo modo dicam; et verum est me non esse ebrium: quia nondum ientaculum comedi nisi peccando.

Non minus incitabant ad risum stultitiae, quas tonsor dicebat quam absurda verba domini Quixoti; qui in hoc statu rerum ait:

–Hic nihil amplius est faciendi, nisi unusquisque accipiat quod suum est et cui Deus dederit, Sanctus Petrus id ei benedicat.

Unus ex quattuor famulis tamen dixit:

–Si hae non sunt facetiae, has non possum intelligere, quia quomodo fieri potest hos viros praeditos intellectu, tamquam omnes hic videntur, dicere atque affirmare hanc non esse pelvim radendi nec has clitellas, sed secundum quod asserunt et dicunt credo hoc non carere mysterio disputando de re tam adversa et quod ipsa veritas ostendit nobis et etiam teste ipsa experientia; quia iuro per Deum! –et expressit completum iuramentum– quin mihi dicant cuncti qui vivunt in hoc mundo e contrario hanc non esse pelvim tonsoris neque has clitellas asini.

–Fortasse sint cuiusdam asinae –ait parochus.

–Hoc idem est –dixit famulus–; quia quaestio non est huiusmodi, nisi utrum verae clitellae sint necne, sicut vos dicitis.

Hac disputatione et his rebus auditis, quidam qui erat sodalis Sanctae Fraternitatis intravit praeditus magna iracundia et indignatione et dixit:

–Tam clitellae sunt quam pater meus et qui aliter dicat plenus erit vino.

–Mentiris tamquam vilis ignavus –respondit dominus Quixotus. Et levavit lanceam, quam numquam ex sua manu relinquebat et conatus est ictum super caput eius dare et, si sodalis ne removeret se a suo loco, eum in terram proiiceret. Lancea autem fracta est per terram et reliqui sodales qui viderunt tam male tractare socium eorum levaverunt vocem et quaesiverunt iuvamen pro Sancta Fraternitate.

Caupo, qui erat etiam illius Fraternitatis, intravit statim ad quaerendam virgam auctoritatis et etiam gladium suum et iuxta sodales suos locum accepit. Famuli domini Ludovici circumierunt dominum Ludovicum, ne fugeret ab eis ope tumultus. Tonsor autem, cum vidit domum agitatam denuo apprehendit clitellas suas et idem fecit Sanctius. Dominus Quixotus accepit gladium atque impetum fecit in sodales. Dominus Ludovicus clamabat suos famulos ut eum relinquerent atque adiuvarent dominum Quixotum et Cardenium et dominum Ferdinandum, quia omnes iuvabant dominum Quixotum. Parochus vociferabat, cauponaria clamabat, filia eius affligebatur, Maritornes flebat, Dorothea confusa erat, Luscinda suspendebatur ac domina Clara carens viribus exanimis languebat. Tonsor percutiebat Sanctium, Sanctius percutiebat tonsorem, dominus Ludovicus, quem famulus eius ausus est apprehendere bracchio ne fugeret, dedit ei ictum pugni et dentes sanguine inundavit; auditor eum defendebat; dominus Ferdinandus conculcabat sodalem pedibus et quidem ad suum nutum, cauponarius clamabat magna voce, quaerendo iuvamen pro Sancta Fraternitate: hoc modo omnis caupona erant planctus, voces, clamores, confusiones, timores, trepidationes, infortunia, ictus gladii, colaphi, ictus fustis, calces atque effusio sanguinis. Et in medio chao huius machinae et huius labyrinthi rerum, dominus Quixotus finxit animo se uno ictu, ac velis nolis, esse in discordia campi Agramantis ac voce tonitruanti in caupona sic locutus est:

–Sistite omnes; reddite omnes gladium in vaginam; mitigamini omnes; auscultate omnes si vere cuncti vultis in vita manere.

Ad hanc magnam vocem omnes steterunt atque ille prosecutus est, dicens:

–Nonne dixi vobis hoc castellum incantatum esse? Et quidem legionem daemonum in eo habitare? In confirmatione huius rei volo vos videre vestris propriis oculis omnem discordiam campi Agramantis huc venisse ac transivisse inter nos. Videte quomodo pugnatur propter gladium, hic propter equum, ibi propter aquilam, hic propter galeam, et cuncti pugnamus et nemo comprehendit quemdam. Venias huc, quaeso, domine auditor, et tu, domine paroche, alter sit pro rege Agramante, alter autem pro rege Sobrino atque oriatur pax, quia per Deum Omnipotentem pessima malitia est viros tam nobilissimos, tamquam qui nunc hic sumus, mori propter causas omnino futiles.

Sodales Sanctae Fraternitatis non intelligebant modum loquendi domini Quixoti, sed videbant seipsos vexatos a domino Ferdinando Cardenioque atque a sociis eorum,

et nolebant placari; tonsor autem certe volebat, quia in hac rixa barbas suas inordinatas habebat et clitellas; Sanctius ad minimam vocem sui domini oboedivit subito tamquam bonus famulus; quattuor famuli domini Ludovici etiam quieti manserunt, quia pro nihilo perturbabantur. Caupo tantum cupiebat ut ille demens damnaretur propter insolentias suas, et quia semper cauponam sua praesentia perturbabat. Denique strepitus minuit ac pacavit, nihilominus clitellae tamquam ornatus equi manserunt usque ad novissimum diem, et pelvis radendi pro galea cauponaque pro castello in cogitationibus domini Quixoti.

Omnibus rebus pacatis, atque omnes amici facti sunt per persuasionem auditoris parochique tunc famuli domini Ludovici conabantur ut dominus Ludovicus cum eis domum reverteretur. Dum dominus Ludovicus cum eis huiusmodi agebat, auditor nuntiavit domino Ferdinando, Cardenio et parocho quod faciendum erat in hoc casu propter argumenta domini Ludovici, quae ille ei dixit. Denique et, consilio facto, dominus Ferdinandus dixit famulis domini Ludovici, quis ipse esset et quomodo vellet dominum Ludovicum invitare ut secum ad Baeticam regionem veniret, ubi nobilitas domini Ludovici aestimaretur a fratre eius, marchione, sicut ille merebatur, quia cognoverat dominum Ludovicum tunc temporis noluisse ullo modo ad domum patris reverti, quamvis corpus eius frustula facerent. Quattuor famuli illi intellexerunt qualitatem domini Ferdinandi atque inamovibilem voluntatem domini Ludovici, quapropter statuerunt ut tres eorum reverterentur domum ad nuntiandum patri eius quid acciderat, et alter famulus maneret ad domino Ludovico serviendum eumque nullo modo relinqueret, donec reliqui reverterentur ad eum quaerendum sive ut pater aliter eis iuberet.

Hoc modo haec magna rixa mitigata est propter auctoritatem Agramantis et prudentiam regis Sobrini, sed cum inimicus concordiae atque adversarius pacis videretur neglectus despectusque esse et parvus fructus obtentus, quamvis cunctos eos proiecisset in illum confusum labyrinthum, conatus est denuo probare fortunam suscitando novas rixas atque inquietudines.

Sodales Sanctae Fraternitatis sese pacaverunt, quia intellexerunt qualitatem eorum cum quibus pugnaverant et ex illa rixa recesserunt. Illi putaverunt hoc melius esset, quia quidquid accideret, semper peior esset eis pars illius proelii; tamen quidam eorum, qui contusus fuit ictibus calcibusque domini Ferdinandi, meminerat se habere mandatum ad quosdam delinquentes apprehendendos, et aliud habebat contra dominum Quixotum, cui Sancta Fraternitas iussit ut eum apprehenderent, propter libertatem datam damnatis ad triremes et quidem sicut Sanctius ipse recte timuit.

His rebus peractis, sodalis ille voluit comprobare utrum signa domini Quixoti ei convenerant necne atque extraxit chartam membranaceam ex sinu suo atque invenit quem quaerebat et legit paulatim, quia non erat bonus lector atque ad omne verbum oculos suos figebat in dominum Quixotum et signa descriptionis illius mandati comparabat cum facie domini Quixoti et absque dubio invenit eumdem esse de quo haec pergamena loquebatur. Et ubi primum certus factus est plicavit chartam membranaceam et sua manu sinistra accepit mandatum et dextera sua apprehendit dominum Quixotum fortiter in collo ita ut non posset halitare et magnis vocibus dixit:

–Favete Sanctae Fraternitati! Et ut verum videatis me haec quaerere, legite hoc mandatum, ubi litteraliter dicitur ut hic praedator viarum apprehendatur.

Parochus accepit mandatum et vidit verum esse quod sodalis dicebat et quomodo signa descriptionis conveniebant domino Quixoto. Hic autem indignatus est cum vidit se male tractari ab illo vili malefico et, omnibus ossibus sui corporis fressis, sicut potuit gutture apprehendit sodalem illum ambabus manibus. Et nisi sodales eius ei succurrerent, ibi vitam relinqueret, antequam dominus Quixotus suam praedam. Cauponarius autem debebat favere suis sodalibus, quod opus erat, et continuo venit ad id faciendum. Cauponaria, cum vidit maritum in novis rixis iterum magna voce clamavit, quam secutae sunt Maritornes filiaque eorum, quaerentes iuvamen a coelo et ab omnibus qui ibi erant. Sanctius cum vidit quod accidit dixit:

–Per misericordiam Dei! Quam verum est quod dominus meus dicit de incantamentis huius castelli, quia non fieri potest hic vivere per horam in quiete!

Tunc dominus Ferdinandus seiunxit sodalem dominumque Quixotum seorsum et manus eorum, quae erant altera in collo huius equitis atque altera in gutture illius sodalis et quidem arcte ad invicem se constringebant. Nihilominus sodales Sanctae Fraternitatis non cessabant quaerendi culpabilem suum atque ut eos iuvarent ad eum apprehendendum et ad plenam voluntatem suam, quia sic decebat ministerio regis ac Sanctae Fraternitatis. Atque hoc modo flagitabant auxilium ad praedatorem et grassatorem viarum semitarumque capiendum. Dominus Quixotus ridebat audiendi haec argumenta et magna tranquillitate dixit eis:

–Venite huc, plebecula nequam ac scelerata: num vocatis me praedatorem viarum, quid feci nisi dare libertatem incatenatis damnatisque ad triremes, solvere captivos, miserabilibus succurrere, erigere depressos, custodire egenos? Vae vobis! plebecula indigna ac nequam, quae propter infimum intellectum vestrum meremini coelum nullo modo vobis aperire mirabilia equitatus itinerantis ita ut numquam videatis peccatum ignorantiamque vestram, quia non venerati estis umbram, immo et auxilium, cuiusdam equitis itinerantis! Venite huc ad me, latrones in sodalitate et non quidem sodales, sed grassatores viarum cum venia Sanctae Fraternitatis. Dicite mihi: quisnam fuit ignarus, qui hoc mandatum apprehensionis fecit contra equitem tamquam me? Quisnam fuit qui, omnino ignoravit equites itinerantes exemptos esse omni iurisdictione poenali, quoniam lex eorum est gladius et forum eorum virtutes sunt et denique statuta voluntas eorum est? Quis enim fuit stolidus, et hoc denuo dico, qui nescivit neminem habuisse tam multas immunitates, et quidem plus quam cuncti fidalgi, quam quas eques itinerans obtinet die quo ordinatur eques et tradet semetipsum ad exercendum ferreum officium equitatus? Quis eques itinerans solvit in vita sua vectigal, tributum, nuptiale vectigal reginae, vectigal ex monetis, sive portorium viarum vel fluminum? Quis fuit sartor qui ab equitibus quaerat expensa sua pro vestibus factis? Quis praefectus castelli, qui eum in suo castello recipiat, fecit eum solvere sumptum? Quis rex non accubuit eum mensae? Quaenam virgo non adamavit eum ac dedit semetipsam libenter pro eo? Et, denique, quis eques itinerans fuit vel erit in hoc mundo, qui non habuit robora ad quadringentos ictus fustium dandos tot multis quadringentis sodalibus Sanctae Fraternitatis, qui ante eum se erigant?

Capitulum 46. Ubi agitur de notabilibus rebus gestis sodalium Sanctae Fraternitatis ac magnae ferocitatis nostri boni equitis domini Quixoti

His verbis a domino Quixoto prolatis, parochus suadebat sodalibus dominum Quixotum non esse compotem mentis, quod perfacile videbatur operibus et verbis eius, quapropter non opus erat hoc negotium prorsus prosequi, quoniam quamvis eum apprehenderent et eum adducerent, statim liberarent eum, quia demens erat. Cui respondit, qui mandatum habebat, dicens se non teneri ad diiudicandam dementiam eius, sed ad mandatum sui superioris perficiendum, et, eo apprehenso, eum possent liberare et quidem trecenties si vere vellent.

–Quamvis hoc ita sit –dixit parochus–, hac vice non eum adducetis nec ipse sinet vos haec adimplere, secundum quod egomet intelligo.

Profecto ac denique, parochus tam multa eis dixit, et tot multas dementias potuit dominus Quixotus facere, ita ut dementiores essent sodales Sanctae Fraternitatis quam ipse eques si non recognoscerent dominum Quixotum illo morbo vere laborare. Et hoc modo illi placati sunt necnon et pacem intercesserunt inter tonsorem et Sanctium Pansam, qui adhuc proni erant magno rancore ad illam rixam prosequendam. Tandem sodales ut ministri iustitiae mediatores causae fuerunt atque iudicaverunt ut omnes partes essent si non omnino contentae, saltem praeditae quadam compensatione, quia permutaverunt clitellas eorum, sed non corrigias nec capistrum. Et quod ad galeam Mambrini attinet, parochus, domino Quixoto nesciente, secreto modo solvit pro pelvi radendi octo argenteos et tonsor fecit schedulam huius receptionis et pollicitus est non postulandi iudicium tunc vel in aeternum, amen.

His duabus rixis pacatis, quae erant quidem maioris momenti, tantum oportebat ut tres famuli domini Ludovici reverterentur domum, donec alter maneret ad dominum Ludovicum comitandum, quonam dominus Ferdinandus vellet eum adducere. Et quidem prospera fortuna quae incepit lanceam frangere pro amantibus illius cauponae necnon et pro strenuis usque ad extremum voluit id facere hoc felici evento, quia isti famuli indulserunt omnibus, quae dominus Ludovicus voluit, quibus domina Clara valde gavisa est atque omnes, qui vultum eius viderunt, magnum gaudium habuerunt suo animo.

Zoraida autem, quamquam non omnia facta quae vidit intellexit, moerebatur sive gaudebat secundum videbat facies uniuscuiusque, praesertim vultum sui hispani in quem oculos suos semper figebat et super quem animum suum pendentem habebat. Caupo autem, cum animadverteret donationem parochi ad tonsorem, quaesivit a domino Quixoto ut solveret expensas coriorum eius et amissionis vini et quidem iuravit Rocinantem vel iumentum Sanctii non egredi ex caupona eius, donec ille solveret usque ad ultimum nummum. Parochus omnia pacavit et dominus Ferdinandus eadem solvit, quamvis auditor, bona voluntate motus, etiam paratus esset ad hanc pecuniam solvendam. Et hoc modo cuncti manserunt in pace et quiete et caupona iam non amplius videbatur ut campus Agramantis, tamquam dixerat dominus Quixotus, sed ipsa pax et quies temporis Octaviani; ex quibus fuit opinio

generalis ut gratias agerent optimae voluntati ac magnae eloquentiae domini parochi et impari munificentiae domini Ferdinandi.

Cum dominus Quixotus vidit se liberum esse ex omnibus rixis tum sui armigeri tum suarum propriarum, cogitavit bonum esse iter quod inceperat prosequi ad illas magnas res gestas perficiendas, ad quas eum vocaverant et elegerant. Quapropter ac resoluta voluntate flexit genua in conspectu Dorotheae, quae noluit ut diceret verbum, donec surgeret, et ille ei oboedivit, stetit pedibus eique dixit:

–Notum est proverbium, o formosa domina, diligentiam matrem esse prosperae fortunae, atque in multis et gravibus rebus, teste experientia, etiam probatur sollicitudinem agentis ad bonum finem ducere dubiam controversiam; attamen haec veritas in nullis aliis probatur tamquam in bello, ubi celeritas ac velocitas praecedit omnia consilia inimici victoriamque consequitur antequam adversarius defensionem suam paret. Haec autem dico, alta venustaque domina, quoniam mihi videtur moram nostram in hoc castello nullius ponderis esse et fortasse cuiusdam damni, quod aliquando videbimus. Nam quis enim potest scire utrum inimicus tuus, ille gigas, iam animadverterit et quidem per occultos sollertesque insidiatores sive exploratores me eum destructurum esse necne? Et si hic habet tempus potest munire inexpugnabile castellum sive arcem contra quam assiduitas mea ac robur bracchii mei parum sive nihil proficiet. Quare, domina mea, opus est praeveniendi, ut dixi, designia adversarii ope nostrae diligentiae ad proficiscendum hinc quam primum ad bonam fortunam; quoniam oportet ut eam consequamur sicut tu, excellentissima domina, desideras et non demorabor perveniendi ad conspectum inimici tui.

Dominus Quixotus tacuit et nil amplius dixit responsumque pulchrae principessae magna tranquillitate exspectavit; haec autem gestu nobili ac secundum modum loquendi domini Quixoti sic ei respondit:

–Gratias permultas ago tibi, o domine eques, propter desiderium quod ostendis favendi mihi in magna causa mea, quatenus eques ad quem pertinet favere orbatis indigentibusque. Placeat coelo ut tuum desiderium ac meum adimpleatur et videas in hoc mundo esse mulieres, quae vere gratias agunt. Et quoad exitum meum, id confestim faciamus, quia nullam voluntatem habeo quam facere tuam: fac mecum secundum nutum tuum; quia si quondam dedi tibi defensionem meam et tuis manibus commendavi restaurationem rei publicae meae, nihil faciam contra quod tua prudentia iubeat.

–Laus Deo! –ait dominus Quixotus–; quoniam si domina humiliabitur ante me nolo occasionem amittere extollendi eam et super solium regni eius eam reponendam. Opus est proficiscendi quam primum, quoniam hoc desiderium impulit me ad stimulum et ad iter faciendum atque ut fertur in demora est periculum. Sed ita ut nondum coelum creavit quem timerem, nec infernum vidit quod pavefaceret mihi, Sancti, para subito Rocinantem et iumentum tuum atque equum phaleratum reginae et valedicamus praefecto huius castelli atque his dominis et statim proficiscamur hinc.

Sanctius autem qui omnia attendebat dixit movens caput suum quoquoversus:

–O domine, domine, oportet etiam cogitare de omnibus, quia non semper videtur quod vere est, et haec dico cum venia harum dominarum honoratarum!

–Quid est hoc quod est et quidem non videtur? Num hoc perveniet in incommodum meum, rustice?

–Si tu irasceris –respondit Sanctius–, omnino tacebo et non dicam quod dicere debeo ut bonus armiger et sicut dicere debet bonus christifidelis domino suo.

–Dic quidquid velis –obiecit dominus Quixotus–, cum verba tua non inficiant pavorem mihi; si tu autem habes metum fac sicut tu es et si ego non habeo etiam faciam tamquam ego sum.

–Non agitur de hoc, me miserum! –respondit Sanctius–, sed pro certo et vero habeo et quidem secundum meam opinionem de hac domina, quae dicit esse regina magni regni Micomiconi et nullo modo illa magis regina est quam mater mea, quia si illa esset, quod dicit, non oscularetur quemdam, qui est in hoc coetu, cum quidam caput vertat ad latus atque in quodam angulo ad eam deosculandam.

Dorothea, his verbis Sanctii auditis, erubuit et hoc verum erat, quia maritus eius dominus Ferdinandus, aliquando ac furtim ab aliis, labiis suis acceperat partem praemii, quod suis desideriis merebatur –quod cum viderat Sanctius ei videbatur illam magis esse aulicam quam quamdam reginam tam magni regni–, et Dorothea non potuit sive noluit Sanctio verbum respondere, sed sivit eum ulterius prosequi in sermone suo et quidem dicens:

–Haec dico, domine, quia si post tam multa itinera et cursus et pernoctare multas noctes et peiores dies quidam, qui in hac caupona fruitur sua voluptate veniet ad fructum carpendum propter quem tam multos labores fecimus, non necesse est festinare ad parandum Rocinantem nec clitellas iumento ponere nec ornare equum phaleratum, sed melius esset ut maneamus tranquilli atque omnis moecha neat filum et comedamus.

Adiuvet me Deus, et quam magna fuit irritatio quam dominus Quixotus, his verbis armigeri auditis, accepit! Dico enim tam magnam fuisse ut ille voce tumultuosa ac lingua vacillante, et proiiciens ignem per oculos dixit:

–O tu vilis subdolus, maleficus, irrespetuosus, ignorans, infacundus, male loquens, audax, murmurator ac maledicens! Quomodo ausus es talia verba de his inclitis dominabus coram me dicere ac talia inhonesta atque audacias ponere tuis confusis cogitationibus? Recede a me, monstrum naturae, receptaculum mendaciorum, spelunca versutiarum, inventor pravitatum, editor stultitiarum, inimicus publici decoris debiti regibus! Apage! Vade retro! Ne appareas in conspectu meo, sub poena iracundiae meae!

Ille autem, his verbis dictis, supercilia incurvavit, buccas inflavit, quoquoversum intuitus est, magnum ictum dedit suo pede dextro in terram et, his omnibus rebus peractis, quibus ostendere voluit magnam iracundiam quam habebat in suo animo. Sanctius autem mansit vere contractus metu, ita ut illo momento gauderet si terra aperiretur et eum ipsum degluteret sub pedibus eius. Nescivit quid faciendum esset nisi dorsum volvere et vitare praesentiam irritatam domini sui. Tamen prudens Dorothea, quae tam bene cognoscebat modum faciendi domini Quixoti, ad iracundiam eius opportune temperandam dixit:

–Ne commovearis, domine Eques Tristis Figurae, propter stultitias quas tuus bonus armiger dixit; quia eas non dixit sine causa nec ex suo bono intellectu et christiana conscientia suspicatur ut ille falsum testimonium cuidam suscitet; et sic credatur, absque ullo dubio, atque eodem modo in hoc castello, ubi secundum tuam

opinionem dicis omnia accidere per modum incantamenti, et etiam fieri potest ut Sanctius videret haec diabolico modo, quae dicit eum vidisse, tam contra honorem meum.

–Per Deum Omnipotentem iuro vobis –inquit in hac opportunitate dominus Quixotus– te, excellentissima, dixisse rectam veritatem et fortasse quaedam maligna visio venit ante hunc peccatorem, Sanctium, atque efficit eum vidisse quod nullo modo fieri potest ut ipse videret alio modo praeter illa incantamenta; quia vere cognosco innocentiam ac bonitatem huius infortunati, qui numquam levaret falsum testimonium in quemdam.

–Hoc sic est atque erit –dixit dominus Ferdinandus–; quare tu, domine Quixote, debeas ei ignoscere et ad gremium tuae gratiae adducere eum, *sicut erat in principio*, id est antequam tales visiones ab eo sanum iudicium extraherent.

Dominus Quixotus respondit se ei ignoscere, et parochus a Sanctio quaesivit, qui reversus est humilis et flectens genua manum domini sui petivit et cum dominus Quixotus ei eam porrexit atque, ea osculata, benedictionem ei dedit dicens:

–Nunc cognosces, Sancti fili, verum esse quod multoties dixi tibi, nempe omnia in hoc castello esse per viam incantamenti.

–Sic enim credo egomet –dixit Sanctius–, ludo straguli mecum in altum excepto, quod vere accidit et quidem solito modo.

–Ne credas –respondit dominus Quixotus–; quia si hoc ita esset ego vindicarem te a tua iniuria.

Cuncti voluerunt scire quid esset hic ludus straguli et caupo eis enarravit, et quidem accuratissime: volatum Sanctii Pansae in altum quod valde omnes riserunt, quamvis Sanctium puderet illius, nisi dominus eius promitteret ei esse per viam incantamenti; attamen stultitia Sanctii numquam ad hunc extremum pervenit credendi non esse veritatem atque absque ulla mixtione cuiusdam fallaciae, quia revera in illum ludum straguli eum impulerunt homines ex carne et ossibus et non phantasmata cuiusdam somnii sive fictionis tamquam dominus eius credebat atque affirmabat.

Duobus diebus elapsis, hic illustris manipulus hominum in caupona erat et eis videbatur iam esse tempus idoneum proficiscendi et tunc machinati sunt artificium, vi cuius non necesse erat ut Dorothea et dominus Ferdinandus comiterentur dominum Quixotum ad oppidum eius cum voluntate liberandi reginam Micomiconam et parochus ac tonsor possent dominum Quixotum adducere sicut desiderabant ad eum curandum de dementia eius in terra eorum. Et en quod decreverunt, nempe accipere plaustrarium boum quod casu transivit per illam viam et plaustrum transformare huiusmodi: cum fustis fecerunt caveam tesselatam ad modum carceris animalium, ubi possent dominum Quixotum ample introducere. Tunc statim dominus Ferdinandus et socii eius una cum famulis domini Ludovici ac sodalibus Sanctae Fraternitatis necnon et caupone per mandatum parochi vultum eorum cooperuerunt larvis atque unusquisque induit vestes insolitas ac diversimode ita ut dominus Quixotus crederet eos alios esse quam quos antea in castello viderat.

His rebus peractis, et quidem magno silentio, introiierunt ubi dominus Quixotus dormiebat quiescens a rixis habitis eumque apprehenderunt et manus necnon et pedes eius fortiter ligaverunt et cum expergefactus est praeditus pavore, non potuit sese

movere nec aliud facere quam mirari ac suspendi videndo ante se vultus tam inauditos. Et continuo intellexit quod suae dementes cogitationes ei fingebant animo et credidit ea phantasmata illius incantati castelli esse, atque ipse procul dubio etiam incantatum esse, quia non poterat se movere vel sese defendere: et omnia quidem acciderunt tamquam parochus machinatus erat. Tantummodo Sanctius inter omnes circumstantes erat in sua propria figura naturali et suo iudicio; quamvis tam proximus esset aegrotandi eodem morbo, quo dominus eius laborabat, et quidem ille cognovit omnes, qui erant in fictis modis; tamen non ausus est os suum aperire ad eos develandos, donec videret quid esset illius apprehensionis et carceris domini eius, qui non loquebatur verbum, paratus ad videndum finem totius huius infortunii. Et hoc *sic accidit, quia hanc caveam adduxerunt ad cubiculum domini Quixoti eumque* intus introduxerunt et fixerunt ligna ope clavorum et quidem tam fortiter, ut non possent ea frangere binis ictibus.

Postea tulerunt eum super umera eorum et cum exiret de cubiculo audita est timida vox quam protulit tonsor, sed non tonsor clitellarum, sed alter tonsor qui dicebat:

–Eheu, Eques Tristis Figurae! Ne doleat tibi carcer in quo es, quia sic convenit ad rapidas res gestas conficiendas, quas aggressus es tua virtute. Hae autem finient cum furiosus leo maculatus a Manica et candida columba ab urbe Toboso una accumbant, altis cervicibus victis ad iugum nuptiale; ex quo consortio orientur impavidi catelli, qui imitabuntur bellatrices manus strenuissimi patris. Et hoc erit ante quam, qui sequitur fugitivam nympheam bis videat vultus stellarum, quae fulgurant suo rapido ac naturali cursu. Et tu, o nobilissime et oboediens armiger, qui numquam gladium in zona habuit, barbas in facie atque odoratus in naribus! Ne langueas nec tibi displiceat ferendi ante tuos oculos florem totius equitatus itinerantis; quia subito, Deo iuvante, te videbis et quidem in tam excelso loco ut ne cognoscas teipsum et promissiones non frustra evanescent, quas bonus dominus tuus tibi olim fecit. Et profecto dicam tibi ex parte sapientissimae Mentironianae salarium tibi daturum esse, sicut in opere videbis; sequere ergo gressus strenui et incantati equitis; quia sic convenit ut eatis, ubi ambo detineatis. Et mihi non licet amplius loqui, manete cum Deo; ego autem revertar, quonam ego iam bene scio.

Prophetia finita, vocem levavit et postea eam minuit et quidem tenero sonitu et qui hoc artificium cognoscebant fere crediderum hoc verum esse.

Dominus Quixotus mitigatus est audiendo hanc prophetiam, quia intellexit sensum eius et vidit iuvare eum in sancto ac debito matrimonio cum sua carissima Dulcinea a Toboso, ex cuius ventre orientur catelli, qui erunt liberi eorum ad perpetuam gloriam Manicae; et, cum haec firmiter crederet, levavit vocem et, magno suspirio prolato, dixit:

–O tu, quicumque sis, qui tam optima mihi praedixisti! Rogo te ut mea ex parte quaeras a sapiente incantatore, qui res meas habet in suo officio, ne permittat me perire in hoc carcere, ubi nunc adducunt me, donec videam has laetas et impares promissiones obtentas, quas hic mihi fecerunt. Et cum hoc ita sit enumerabo poenas mei carceris pro gloria et pro mitigatione harum catenarum, quae nunc cingunt me, atque hic lectus, ubi accumbunt me non erit mihi campus proelii, sed habeam pro suavi ac felici thalamo nuptiali. Et quatenus ad consolationem armigeri mei Sanctii

Pansae, confido ex bonitate eius atque ex modo agendi eius, eum non relicturum esse me tam in prospera quam in adversa fortuna. Quia si vere non accidit propter modicam fortunam meam sive fortunam eius ut possim ei dare illam insulam sive aliquid simile illi, quod ei pollicitus sum, saltem salarium eius non deperdetur; et in meo testamento, quod iam feci, patenter dabo ei non secundum multa ac bona servitia eius erga me, sed secundum fortunam meam.

Sanctius Pansa inclinavit se magno respectu et ambas manus eius deosculatus est, quia unam tantum difficile poterat utpote ambae ligatae erant.

Confestim ea phantasmata tulerunt caveam illam super umera eorum atque adaptaverunt super plaustrum boum.

Capitulum 47. Ubi agitur de insolito modo, quo dominus Quixotus incantatus est et de aliis celebribus rebus gestis

Cum dominus Quixotus vidit semetipsum hoc modo incarceratum et super plaustrum positum, ait:

–Multas et graves historias legi de equitibus itinerantibus, tamen numquam legi, sive vidi vel audivi eos adduci tali modo et cum gressibus, quibus haec tarda pigraque animalia progrediuntur. Illi autem vehebantur per aeres inaudita celeritate, clausi in quadam nube fusca sive obscura vel in curru igneo vel super hippogryphum vel aliam belluam similem; sed ut adducant me nunc super plaustrum boum, dii boni! hoc me confundit! Tamen fortasse equitatus atque incantamenta horum temporum sequuntur diversas vias, quam antea veteres secuti sunt. Attamen fieri potest ut egomet sim novus in exercitio equitatus itinerantis huius temporis et alia genera incantamenti inveniantur aliique modi sint vehendi ipsos incantatos. Quid tibi videtur de his, Sancti fili?

–Nescio quid mihi videatur –respondit Sanctius–, quia non tam multa legi sicut tu, domine, in scripturis itinerantibus; sed, his rebus conspectis, auderem iurare has visiones, quae hic deambulant, non esse valde catholicas.

–Catholicas? Per patrem meum! –respondit dominus Quixotus–. Quomodo erunt catholici si omnes daemones sunt, qui corpora phantastica acceperunt sibi et quidem ad me reducendum in hunc statum rerum? Et si forte de hoc dubitas, tange et palpa eos et videbis eos corpora non habere, sed aerem atque hoc tantummodo imaginem fictam esse.

–Per Deum –obiecit Sanctius–, ego iam tetigi eos et hic diabolus, qui rotundus est suis carnibus, aliamque qualitatem habet diversam ab illa, quam audivi daemones habere, quia secundum quod fertur omnes redolent sulphur atque alios pessimos odores, hic autem redolet ambarum ad dimidiam leucam.

Sanctius haec dicebat de domino Ferdinando, quia ut talis nobilis dominus sic redolebat tamquam Sanctius de eo dicebat.

–Non miraberis de hoc, Sancti amice –respondit dominus Quixotus–, quia diaboli valde sapientes sunt et quamvis hos odores habeant, illi reapse non redolent omnino, quia spiritus sunt et si vero redolent non bonos odores, sed malos ac foetidos. Et ratio huius rei haec est, quia ubicumque sint infernum secum ferunt et nullam meliorationem tormentorum habebunt, et bonus odor est res delectabilis, quae placet, quare non fieri potest eos redolere ambarum. Tamen si tibi videtur hunc daemonem redolere ambarum sive tu decipis te sive ille vult te decipere ne eum habeas tamquam daemonem.

His colloquiis inter dominum et famulum habitis, dominus Ferdinandus et Cardenius timuerunt ne Sanctius haec omnia ex sua inventione intelligeret, quia hic proximus erat ad omnia develanda, quare decreverunt proficisci quam primum. Et, cauponario vocato, ei iusserunt ut pararet sellam super Rocinantem et clitellas super asinum Sanctii, quod magna celeritate perfecit.

Parochus autem cum sodalibus Sanctae Fraternitatis convenit ut eum comitarentur usque ad locum eius et etiam proposuit eis pecuniam dare pro unoquoque die. Cardenius suspendit de sella Rocinantis scutum ex una parte et ex altera pelvim radendi et Sanctio dixit ope signorum ut ascenderet in asinum et habenas acciperet Rocinantis atque ad ambo latera plaustri statuit duos sodales cum sclopetis. Tamen ante quam plaustrum proficisceretur cauponaria, filia eius et Maritornes exierunt ad domino Quixoto valedicendum ac fingentes flere pro dolore illius infortunii; quibus dominus Quixotus dixit:

–Nolite flere, optimae dominae, quia haec omnia infortunia annexa sunt his, qui funguntur hac professione mea et si calamitates illae non afficerent animum meum numquam crederem me illustrem equitem itinerantem esse; quia equitibus parvi momenti ac minimae celebritatis numquam accidunt similes res gestae, quoniam nemo est in hoc mundo, qui meminerit eorum. Strenuis autem utique, quia habent aemulatores virtutis eorum ac validitatis, qui sunt principes aliique equites, qui curant et quidem per vias adversas illos bonos destruere. Sed, his rebus peractis, virtus est tam magni ponderis ut sola erit praeter omnem necromantiam, quam primus inventor Zoroaster cognovit, et illa virtus victrix erit contra haec omnia et dabit lucem de se in hoc mundo similem, quam ipse sol dat in coelo. Ignoscete mihi, formosae dominae, si propter negligentiam meam quamdam molestiam affeci vobis, quoniam libenter ac scienter numquam facerem ulli, quare rogate Deum ut eruat me ex hoc carcere, ubi quis maleficus incantator immisit me; et si aliquando ex hoc me liberabo non obliviscar beneficiorum, quae mihi in hoc castello fecistis, ad gratias agendas, ad vobis serviendum atque ad retribuendum ut vos meremini.

Dum dominae huius castelli in his rebus erant cum domino Quixoto, parochus tonsorque valedixerunt domino Ferdinando et sociis eius, necnon et ductori et fratri eius atque omnibus laetis dominabus, praesertim Dorotheae Luscindaeque. Omnes mutuo amplexi sunt ad invicem ac manserunt cum voluntate nuntiandi proximas res gestas futuras, et dominus Ferdinandus dixit parocho ubi posset ad eum scribere ita ut nuntios daret de domino Quixoto, quia haec erat res, qua tam multum gauderet. Et eodem modo dominus Ferdinandus nuntium daret parocho ad adimplendam voluntatem eius, tum de nuptiis suis tum de baptismo Zoraidae et de rebus, quae

pertinebant ad dominum Ludovicum et de reditu Luscindae ad domum suam. Parochus sese obtulit ad haec omnia facienda et quidem accurate. Iterum omnes mutuo amplexi sunt et denuo sese obtulerunt ad omnia facienda.

Caupo autem ad parochum venit et nonnulla scripta ei dedit dicens se in ipsa sarcina invenisse, ubi vidit *Fabellam invidi mariti importuni*, sed cum dominus sarcinae non amplius reversus erat parochus posset haec omnia secum ferre, quia ille nesciebat legere. Parochus gratias ei egit atque ea aperuit et vidit initium scriptum quod dicebat: *Fabella Rinconete et Cortadillo* et credidit agebatur de quadam fabella et si illa *Invidi mariti importuni* bona fuit etiam esset bona altera, quia fortasse omnes eiusdem auctoris essent, quapropter eam secum servavit cum desiderio legendi cum ei esset quaedam bona atque opportuna occasio.

Parochus autem ascendit in equum atque eadem fecit amicus tonsor et quidem cum suis larvis ne eos dominus Quixotus recognosceret, et a tergo plaustri iter fecerunt. Et hic erat ordo discedendi: primum plaustrum, quod bubulcus ducebat; ad duo latera eius sodales Sanctae Fraternitatis, ut iam dictum est, armati suis sclopetis; postea vero Sanctius Pansa sequebatur super asinum et manu habebat habenas Rocinantis. A retro ex his omnibus parochus et tonsor, atque ambo, facie larvata, iter faciebant super robustas mulas eorum, ut dictum est, et quidem gravi ac tranquillo modo, nec festinantes ultra quod gressus tardus boum eis permitteret. Dominus Quixotus sedebat in suo carcere, manibus ligatis, ac pedibus tensis, iuxta fustes tesselatos, magno silentio magnaque patientia similis imagini petreae et non homini ex carne.

Et hoc modo iter fecerunt fere per duas leucas, silenter ac paulatim atque usque ad vallem pervenerunt, ubi bubulco videbatur locum idoneum esse ad quiescendum atque ad pabulum bubus dandum. Hoc autem parocho dixit, tamen tonsor putavit melius esset parum prorsus iter facere, quia ipse cognoscebat vallem herbidam iacere trans collem atque immo meliorem quoad copiam herbae quam ubi bubulcus voluit sistere. Illi autem, consilio tonsoris accepto, iter ulterius parumper prosecuti sunt.

Tunc parochus vultum suum vertit et en vidit sex sive septem equites a retro, bene induti vestibus et cum optimis equis, qui celeriter iter faciebant, quia vere festinabant et non deambulabant lentitudine boum, sed tamquam qui vehebantur super mulas canonicorum ac desiderantes perveniendi ad quietem postmeridianam in caupona, quae nec leuca aberat ab illo loco. Diligentes equites advenerunt, ubi erant pigri viatores, atque urbaniter eos salutaverunt; unus ex his, qui veniebant, erat canonicus Toleti et dominus aliorum, qui eum comitabantur, et cum vidit insolitam processionem illius plaustri, et sodales Sanctae Fraternitatis, Sanctium, Rocinantem, parochum tonsoremque et dominum Quixotum quoque in illo carcere apprehensum, voluit quaerere quid hoc esset et quare illum virum hoc modo ducerent, quamquam iam credidit eum facinorosum grassatorem sive alium delinquentem esse propter insignia sodalium et cuius punitio pertineret ad Sanctam Fraternitatem. Tunc quidam sodalium a quo quaereret sic ei respondit:

–Domine, ut hic eques hoc modo iter faciat, valde bene ipse potest dicere de se, quia nos vere nescimus.

Dominus Quixotus audivit colloquium et dixit:

–Num vos, domini equites, vere cognoscitis quid sit equitatus itinerans? Quoniam si vere hunc cognoscitis de infortunio meo loquar, aliter non necesse est ut me defatigem narrando vobis quid hoc sit.

Tunc temporis parochus et tonsor venerunt et viderunt viatores loqui cum domino Quixoto a Manica atque illi voluerunt respondere, sed tali modo ut artificium suum non develarent.

Canonicus autem respondit verbis domini Quixoti:

–Verum est, frater, me plus cognoscere de libris equitatus quam de *Summa Summularum* Villalpandi. Et si tantum in his quaestionibus est difficultas, bene potes mecum loqui quidquid velis.

Tunc ad manum Dei! – obiecit dominus Quixotus–. Et cum hoc ita sit, domine eques, oportet te scire me incantatum esse in hoc carcere per invidiam ac malitiam incantatorum maleficorum; quoniam virtus vexata est a malis ac dilecta a bonis. Ego sum eques itinerans, sed non ex illis, quorum Fama numquam meminerat ad faciendam memoriam sempiternam eorum; sed e contrario de his quorum nomina erunt in templo immortalitatis ut sit exemplum et specimen saeculis proximis venturis, ubi equites itinerantes videant gressus, quos secuturi erunt si ad summum atque ad cacumen honorificum armorum pervenire volunt, atque hoc contra omnem invidiam magorum, quos Persia creavit, et contra brachmanes Indiae et quoque gymnosophistas Aethiopiae.

–Dominus Quixotus a Manica verum dicit –ait ad hanc occasionem parochus–, ille in hoc plaustro incantatus est et non propter culpam suam ac peccata, sed propter adversam voluntatem eorum, quibus virtus molesta est et firmitas odiosa. Hic est autem Eques Tristis Figurae, si fortasse iam audisti nuncupare eum, cuius magnae res gestae et facta scribenda erunt in duro aere et in aeterno marmore, quamvis invidia temptet eas obscurare ac malitia abscondere.

Canonicus autem, cum audivit captum virum loqui atque illum, qui liberus erat, et quidem hoc modo dicendi, vere miratus est ac signum crucis facere voluit, quia non potuit scire quid acciderat ei; et in ipsa admiratione erant omnes, qui cum eo veniebant. Tunc Sanctius Pansa qui appropinquaverat ad colloquium audiendum ita ut omnia coalescerent, dixit:

–Nunc, domini mei, tum habeatis bonam tum adversam voluntatem erga me pro his quae dicturus sum vobis, tamen quaestio haec est, hic dominus meus dominus Quixotus venit incantatus tamquam mater mea; nihilominus ille sanum iudicium habet, comedit ac bibit et necessitates suas evacuat ut omnes homines faciunt, et sic heri has fecit, id est ante quam eum in carcerem introducerent, tunc quomodo possum ego credere eum incantatum esse? Quia audivi dicere incantatos nec comedere nec bibere nec loqui et dominus meus, si non detinent eum, loquetur plus quam triginta mandatarii.

Et, quadam mora elapsa, inspiciens parochum, prosecutus est:

–Eheu, domine paroche, domine paroche! Num credebas me non recognoscere te? Num ergo putasti me non videre quod conatus es facere atque imaginari, quonam pergunt haec nova incantamenta? Animadverte me cognoscere te, quamvis celes vultum tuum et scito me intelligere, quamvis mendacia tua tegas. Denique, ubi regnat

invidia virtus non potest vivere, nec ubi parsimonia erit munificentia. Maledicte diabole! Si non esset propter te, reverendissime, dominus meus principessam Micomiconam duceret uxorem et egomet essem saltem comes illius regni, quia non aliter exspectandum erat ex munificentia domini mei Equitis Tristis Figurae quam ex magnitudine ministerii mei! Tamen video verum esse quod hic dicitur, nempe rotam Fortunae festinare plus quam molam asinariam et qui die hesterno erant in summis locis hodie in terra sunt. Et hoc dolet mihi propter uxorem et liberos meos, quia potuerunt videre patrem intrare per portam domus sicut gubernatorem sive proregem eumque videbunt tamquam simplicem stabularium. Haec omnia dixi tibi, domine paroche, ita ut tu, ut pater, habeas conscientiam vexationis quam dominus meus patitur et cures ne Deus in altera vita puniat te pro hoc carcere domini mei quin obliviscetur auxiliorum et bonorum, quae dominus meus posset aliis facere et non quidem faciet tempore quo apprehensus est.

–Nimium ne credas colori! –inquit in hoc statu rerum tonsor–. Num etiam tu, Sancti, es ex ipsa fraternitate domini tui? Quia cum hoc ita sit, per Deum iuro, te eum comitaturum esse in hoc carcere et quidem incantatum tamquam ille nunc est propter modum faciendi ac propter equitatum eius! Ubinam gentium praegnans es promissionibus eius et quomodo in mentem tuam intravit insula quam tam multum cupis.

–A nemine praegnans sum –respondit Sanctius–, nec sum vir qui permittat se praegnantem esse nec ab ipso rege; quia quamquam pauper etiam sum christifidelis et nemini quid debeo; et si insulas cupio, alii sunt qui etiam alia et quidem peiora cupiunt sibi; quia unusquisque filius est operum suorum; et quamvis vir sim, possum fieri papa, multo magis gubernator cuiusdam insulae, praesertim si dominus meus multas lucretur et non habeat cui eas dare. Et tu, domine tonsor, videas quomodo loqueris, quia non omne est barbas radere vel tondere et semper aliquid est inter Petrum et Petrum. Et hoc dico tibi, quia omnes nos mutuo cognoscimus et non opus est ut decipias me. Et quatenus ad incantamentum domini mei, Deus cognoscit omnem veritatem; atque hoc maneat hic inter nos, quia peius est de hac re amplius agere.

Tonsor noluit ei respondere, ne develaret suis simplicitatibus quod ipse ac parochus tam multum cupiebant celare; atque affectus hoc ipso timore parochus dixit canonico ut discederet parum ulterius ad ei dicendum mysterium illius captivi in carcere atque alia, quibus vere gauderet audiendo. Sic fecit canonicus qui una cum famulis suis properavit et parum ultra pervenit et cum parocho locutus est de omnibus, quae pertinebant ad indolem, condicionem, vitam, dementiam et consuetudines domini Quixoti, eique narravit et quidem breviter principium et causam huius dementiae necnon processum eventi usque ad voluntatem adducendi eum ad terram illius, et quidem ad medelam inveniendam sanandi dolentiam eius. Canonicus famulique eius mirati sunt audiendo hanc peregrinam historiam domini Quixoti, atque, hac audita, dixit:

–Vere, domine paroche, credo, mea sententia, istos nuncupatos libros equitatus perniciosissimos esse rei publicae. Et quamvis ego legerim, motus otio ac ficto studio, fere omnia principia eorum, qui scripti sunt, numquam potui me accommodare ad

legendos ex initio usque ad finem, quia videbantur mihi eos omnes, plus minusve, eamdem rem esse, et nihil habere hic quam alter nec iste quam alter non haberet. Et secundum quod mihi videtur hoc genus scripturae et compositionis ipsum est quam quas vocant fabulas milesias, quae sunt fabulae inusitatae et imprudentes ad oblectamentum et nullo modo ad docendum atque hoc est e contrario quod apologi morales faciunt, quia sunt cuiusdam oblectamenti atque eodem tempore etiam docent. Quoniam praecipuum studium horum librorum est delectamentum, sed nescio quomodo possunt hoc obtinere cum tam multae atque inusitatae stultitiae in eis sint; atque oblectamentum quod in animo concipitur debet esse venustas atque harmonia, quae videtur in rebus conspectis sive fictis et omnis res, quae est foeda sive inordinata, non potest nobis contentum dare. Et quaenam pulchritudo erit sive quaenam proportio ex partibus cum toto, sive ex toto cum partibus, si in libro sive in quadam fabella puer sedecim annos natus ictu gladii scindit gigantem tamquam turrim in duas partes tamquam si factus esset ex massa saccharata vel butyro? Et quomodo possunt nobis proelium describere, et exponere heroem libri obtinuisse victoriam, cum inimici sui innumeri essent et pervenirent ad millionem, quia velis nolis, et necessario opus est *ut credas illum equitem tantum robore bracchii sui haec omnia fecisse*? Et quid ergo dicendum est de facilitate, qua regina sive heres imperatrix ducitur ad bracchia cuiusdam equitis itinerantis, dum hic eques est illi reginae omnino ignotus? Quisnam enim intellectus, nisi totus barbarus atque incultus sit, potest gaudere legendo magnam turrim plenam equitibus procedere in mare tamquam si esset navis quaedam prospero vento et hodie pernoctat in Lombardia atque in crastinum invenitur in terris Presbyteri Ioannis Indiarum sive in aliis terris, quae nondum descripserat Ptolomaeus nec umquam viderat Marcus Polus. Et si respondendum est mihi homines tales libros componere ac scribere ad mendacium dicendum, hoc modo non necesse esset curare de parvitatibus sive de veritatibus eorum, tunc his vellem ego respondere mendacium melius esse cum sit similius veritati et iucundius erit cum videatur ut dubium et cum fieri posset. Et sic debent fabulae mendaces intellectui lectorum convenire ita ut quae nullo modo fieri possunt videantur ut magnae et suspendant animos, atque hi mirentur, gaudeant et oblectentur et admiratio ac laetitia ambulet eodem gressu; sed hoc non potest fieri quicumque fugit ex verisimilitudine imitationis, quae est perfectio scripturae. Numquam vidi librum equitatus qui faciat corpus fabularum cum omnibus membris suis, ita ut medium conveniat principio et finis principio medioque, sed sunt tanta membra et potius efficiunt chimaeram sive monstrum quam figuram proportionatam. Praeter haec duri sunt in modo scribendi, in facinoribus incredibiles; in amoribus lascivi, in urbanitate non urbani; in proeliis nimis longi, in argumentis stulti, in itineribus insoliti, ac denique alieni ex omni artificio prudenti, quapropter digni sunt exiliandi ex christiana re publica, quia inutiles omnino sunt.

Parochus eum magna attentione audivit eique videbatur ut vir boni intellectus, quia in omnibus recte iudicabat; et sic ei dixit se eamdem opinionem habere et propterea quod oderat libros domini Quixoti omnes combussit et quidem multi erant. Eique enarravit scrutationem factam de eis et quos in ignem damnavit et quibus vitam condonavit quod non parum risit canonicus. Et dixit, quamvis tam multa adversa horum librorum dicant, etiam in eis res bona est: fieri potest ut acutus intellectus

describat diversos status rerum, quia est in eis amplus campus, ubi calamus scribat de multiplicibus rebus, nempe de naufragiis, procellis, occursibus et proeliis. Ubi depingunt strenuum ductorem cum omnibus virtutibus necessariis, ostendendo eum prudentem ad stratagemata inimicorum suorum praevidenda necnon et sollertem oratorem ad militibus suis suadendum sive dissuadendum, maturum in consilio, celerem in executione, tam patientem in exspectatione quam audacem in aggresione; modo pingitur casus luctuosus et infaustus modo laetum atque inopinatum eventum; hic pulcherrima domina, honesta, prudens ac pudica, hic eques christianus, praestans; tum ibi ferox ac barbarus miles gloriosus, tum hic princeps urbanus, insignis prudensque. Aliquando ostendunt fidelitatem bonitatemque subditorum ac munificentiam beneficiaque dominorum. Quandoque ostendunt ipsum astrologum, vel excellentem cosmographum, quandoque musicum, vel sollertem in materiis rei publicae et aliquando immo habent occasionem ostendendi necromanticum si vellent. Ostendere possunt quoque versutias Ulyssis, pietatem Aeneae, praestantiam Achillis, infortunia Hectoris, proditiones Sinonis, amicitiam Euryali, munificentiam Alexandri, strenuitatem Caesaris, clementiam veritatemque Traiani, fidelitatem Zopyri, prudentiam Catonis; et tandem omnes qualitates quae possunt efficere perfectum heroem illustrem tum omnes in solo viro, tum has divisas in pluribus.

–Et si hoc faciunt serenitate modi dicendi atque acuta inventione, quae pergat ad veritatem quae fieri possit, tunc et absque dubio faciet compositam telam textam diversis ac formosis filis, atque his rebus peractis, ostendet talem perfectionem ac venustatem ad meliorem finem desideratum in scriptis, quod vere sit docere et oblectare eodem tempore, ut iam dixi. Quoniam modus scribendi in his libris permittit auctori ut hic sit epicus, lyricus, tragicus, comicus et poterit omnes dulces et iucundas qualitates, quae inveniuntur in versibus atque in rhetorica; quoniam epica scribi potest tum prosa tum carminibus.

Capitulum 48. Ubi canonicus prosequitur materiam librorum equitatus cum aliis rebus dignis sui ingenii

–Hoc ita est sicut dicis, domine canonice –inquit parochus–, et proinde maiorem reprehensionem merentur qui hucusque tales libros composuerunt, nulla cura facta ac nulla attentione ad bonum sensum servata, nullaque regula nec arte accepta, quibus possent illustres esse in prosa, sicut illi duo principes artis poeticae graecae ac latinae fuerunt suis carminibus.

–Saltem ego –obiecit canonicus–, quondam temptatus fui scribendi librum equitatus, sed, servatis servandis, et quidem omnibus regulis praedictis; et, ut verum dicam, plus quam centum paginas iam scripsi, atque ad experimentum faciendum utrum convenirent ad meam aestimationem necne, eas ostendi studiosis horum

librorum, sapientibus et prudentibus necnon aliis ignorantibus, qui tantum cupiunt stultitias audire, atque ex his omnibus inveni iucundam approbationem. Nihilominus nolui ultra prosequi, tum quia putavi hoc esse contra meam professionem tum quia vidi simpliciores superare prudentes et denique melius erat laudari a paucis sapientibus quam derisum esse multis ignorantibus, et nolo submittere me sub vacuo iudicio plebeculae insipientis, nam plerumque sunt qui hos libros legunt. Tamen quod maioris ponderis fuit ad vitandum totum hoc negotium a meis manibus atque a mente mea fuit argumentum quod feci mecum et obtuli ex ipsis comoediis, quae nunc temporis repraesentantur dicens: «Si hae comoediae, quas hoc tempore agunt, tum fictae tum historicae, omnes sive pleraeque sunt notae insipientiae et nullum sensum habent, tamen plebecula libenter eas inspicit et plaudit ut bonas dum tam procul a veritate sunt; et auctores qui eas scribunt et histriones qui eas repraesentant dicunt hoc bonum esse, quia sic vulgus eas vult et non aliter. Sed e contrario quae sequuntur fabulas secundum regulas artis, non erunt bonae nisi quattuor prudentibus, qui eas intelligunt dum reliqui ieiuni manent artificio eorum. Et sic putant melius est eos lucrari ad edendum cum multis spectatoribus quam tantum lucrari bonam opinionem cum perpaucis, superciliis eorum ex labore ad librum perficiendum combustis, secundum praecepta praedicta ac necessaria, quia tunc amitterent omnem laborem tamquam sartor illius proverbii qui, nullo lucro accepto, et laborem et etiam filum amittebat. Tamen aliquando conatus sum suadere auctoribus, quia illi hac sententia decipiuntur et plures spectatores allicerent et maiorem famam lucrarentur si scriberent comoedias secundum regulas artis et non secundum ineptias, tamen illi obstinati manent suis consiliis et non fieri potest ut eos educant ex illo loco.» Et nunc memini quod quondam dixi cuidam auctori pertinaci: «Dic mihi, num oblitus es quod nuper accidit, id est abhinc non multos annos, in Hispania agebantur tres tragoediae quas composuit clarus poeta horum regnorum, de quibus spectatores vere mirati sunt, gavisi ac vere omnes suspensi sunt cum eas inspicerent tum simplices tum prudentes, modo vulgus modo electi et maiorem lucrum dederunt histrionibus, qui eas agebant et quidem plus quam triginta ex melioribus quas postea fecerunt?» «Absque dubio, –respondit auctor de quo dico– tu loqueris de *Isabela*, de *Phyllide* ac de *Alexandra*.» «De his certe dico –obieci ego–, et vide utrum sequantur regulas artis an videantur non esse iucundae omnibus, his praeceptis servatis. Quare non in vulgo invenienda est penuria artis, sed in his qui nesciunt agere artificiosam comoediam. Et nullae ineptiae fuerunt in *La ingratitud vengada (Ingrata memoria vindicata)* nec eas habuit *Numantia* nec inventae sunt in *Mercatore amoroso*, nec minus in *Inimica favorabili* nec in aliis compositis a doctis poetis ad famam atque ad nomen obtinendum et etiam ad lucrum eorum, qui eas repraesentaverunt.» Et alia argumenta his addidi, quibus ille mihi videbatur confusus, quamvis minime convictus, ita ut suum erratum consilium relinqueret.

–Tu, domine canonice –dixit ad hanc opportunitatem parochus–, tetigisti materiam, quae suscitavit in me veterem rancorem contra comoedias quae nunc videntur. Atque haec similis est libris equitatus, quoniam comoedia debet esse, secundum sententiam Tullii Ciceronis, speculum totius vitae humanae, exemplum consuetudinum ac vera imago veritatis, sed quae hoc tempore repraesentantur sunt speculum stultitiae, exemplum insipientiae atque imagines lasciviae. Quoniam, quae

maior stultitia est in hac vero materia ut in prima scaena appareat infans a teneris unguiculis et in pannis atque in secunda sit vir adultus barbatus? Et quid de contradictione cum pingunt vetulum tamquam strenuum et puerum ignavum, pedisequum vero rhetoricum, ephebum consiliarium, regem ut baiulum et principessam ut ancillam? Quid ergo dicam de observantia temporum, quae fieri possunt in actibus quae aguntur, quia vidi comoediam cuius prima scaena incipit in Europa, secunda autem in Asia, tertia finitur in Africa, et si essent quattuor scaenae finiretur in America et hoc modo essent in quattuor partibus huius mundi? Et si simulatio est praecipua qualitas, quae in comoediis servanda sit, quomodo oblectatur quidam mediocriter cultus si actio occurrit tempore regis Pepini et Caroli Magni atque ipsa dramatis persona, quae agit imperatorem Heraclium, qui intrat Hierosolymam cum Cruce atque ipse est qui Domum Sanctam oppugnat tamquam si esset Godofredus de Bouillon, cum essent tot innumeri anni inter haec omnia? Quomodo potest haec comoedia institui super fictam rem, sed postea ei tribuunt veritates historiae et permiscent cum rebus, quae aliis acciderunt diversis temporibus et hoc non per modum verum atque intelligibilem, sed cum erroribus notis et omnino inexcusabilibus? Et peius est ignorantes dicere hoc esse summam perfectionem et reliqua esse superflua. Quid ergo si pervenimus ad comoedias sacras? Quot falsa miracula finguntur eis! quot apocrypha atque imperfectiones, tribuendo cuidam sancto miracula alterius! Et etiam in humanis audent miracula facere, nullo respectu et consideratione servata, quia eis videtur bonum esse ibi miraculum sive apparientiam miraculi facere, ut ipsi vocant, ita ut veniant ignorantes ad videndam et mirandam illam comoediam. Sed haec omnia sunt magnum damnum et contra omnem veritatem atque in detrimentum historiae et in opprobium ingeniorum hispanicorum, quia peregrini et advenae accuratissime servant regulas comoediae et habent nos ut barbaros atque ignorantes, videndo incongruentias ac stultitias, quas nos facimus. Et nulla excusatio erit dicendo optimum consilium esse in re publica bene ordinata ut permittant comoedias repraesentari ad delectandam communitatem ope cuiusdam honesti oblectamenti ad tristitiam tollendam, quae etiam otium gerit; et si hoc adimpletur quaedam comoedia cum sit bona sive mala non opus est leges ponere nec opprimere auctores, qui has componunt et histriones qui has agunt, ut faciant sicut debeant, quia ut iam dixi, omni modo obtinebunt quod vere conantur facere. Quibus rebus responsum darem, quia melius hunc finem obtinebunt, absque ullo dubio, cum optimis comoediis et non talibus; quia spectator si videt comoediam artificiosam perfectamque, gaudet laetis facetiis illius, doctus hac veritate, admiratus de illis rebus gestis, prudens his argumentis, expertus talibus mendaciis, sollers cum exemplis allatis, iratus contra vitium ac studiosus de virtute; quia optima comoedia hos omnes affectus suscitat in animo spectatoris, qui eas inspicit, quamvis rusticus sive ignorans ille sit, quia vere fieri potest ut aliquo modo delectetur atque oblectetur, et ei placeat comoedia, quae has qualitates habet multo magis quam illa quae his caret; quia quae nunc repraesentant plerumque carent his bonis rationibus. Et vates qui eas componunt non habent totam culpam, quoniam nonnulli eorum valde bene cognoscunt, ubi ipsi recognoscunt se errare et sciunt quid debeant facere, tamen dicunt comoedias esse mercaturam venalem sive vendibilem, et verum dicunt, atque

histriones non quidem emerent eas nisi essent huiuscemodi; quare poeta accommodat se his, quae ab eo quaerunt, quia hoc modo obtinet lucrum pro suo labore. Et hoc verum est et videtur per multas innumerasque comoedias, quas composuit felicissimus ingenius horum regnorum, magna elegantia, tantis facetiis, versibus venustis, optimis argumentis, profundis sententiis, et denique maxima arte rhetorica ac summo modo scribendi, ope cuius adimplevit totum mundum sua fama; atque ad commodandum sese ad sensum histrionum, qui eas repraesentant ad summum gradum perfectionis, ut requiritur. Alii vero componunt eas et non inspiciunt quod faciunt et, comoedia peracta, necesse est ut fugiant et abeant ab illo loco, ne puniant eos, quod multoties accidit, cum agant comoedias in offensam quorumdam regum et contra quaedam genera. Mea opinione, haec impedimenta, et multa alia quae enumerare nolo, cessarent si in Aula Regia esset quidam censor sapiens ac prudens, qui omnes comoedias perspiceret ante quam agerent eas, et non tantum quae in Aula Regia factae sunt, sed omnes quae in Hispania volunt repraesentare; sine qua approbatione, sigillo ac signo subscripto censoris nulla auctoritas permitteret ut agerent comoedias ullo loco; atque hoc modo histriones curarent mittendi comoedias ad Aulam Regiam nec certiores essent ut repraesentarent eas, et auctores earum viderent quoque et quidem maxima cura studioque quid facerent timentes quin transirent, quia ibi esset peritus intelligens ad comprobationem faciendam; et hoc modo optimae comoediae essent ad nanciscendam gloriam quae ex eis requiritur, nempe ut spectatores oblectentur tamquam gloria auctorum Hispaniae, atque utilitas et securitas histrionum bona esset ad vitandam punitionem. Et eodem modo si censores perquirerent hos libros equitatus quos componunt, absque dubio, nonnulli essent praediti magna perfectione, de qua dixisti, ornando nostram linguam iucundo ac praetioso thesauro eloquentiae, et dando occasionem ut veteres libri obscurarentur luce novorum, qui edituri essent ad honestum oblectamentum et non tantum hominibus otiosis, sed laboriosis; quia non fieri potest ut arcus voluptatum tensus sit continuo nec natura, fragilitas vel cupiditas humana sustentetur sine quadam licita refocillatione vel oblectamento. [Saltem in carminibus arabicis in Medio Aevo «arcus tensus» erat metaphora euphemistica pro «membro virili» et etiam cf. Montero, *El Latín Erótico*, ut supra, p. 81, *tendere arcum*. Adnotatio interpretis].

Canonicus parochusque, his argumentis expositis, colloquebantur, cum tonsor ad eos pervenit dixitque parocho:

–Hic est, domine licentiate, locus ubi dixi bonum esse ad nostram quietem postmeridianam necnon ad dandum tenerum copiosumque pabulum bubus.

–Ita mihi videtur –respondit parochus–, et quod ipse cupiebat facere dixit canonico, qui etiam ibi voluit cum eis manere, invitatus propter amoenitatem illius pulchrae vallis, quae coram oculis eorum apparebat. Et sic voluit gaudere illa valle et colloquio cum parocho quo multum gavisus est atque, ad cognoscenda minutatim facinora domini Quixoti, iussit ut famuli sui irent ad cauponam, quae non procul illinc erat, ad adducendum quod invenirent ut omnes ederent, quia ipse decrevit quietem postmeridianam in illo loco transire; sed quidam famulus dixit ei mulam penariam iam fuisse in caupona et valde onusta erat et nil aliud adducendum erat ex ea nisi hordeum.

–Cum hoc ita sit –inquit canonicus–, omnia iumenta illuc ferte atque adducite huc mulam penariam.

Sanctius, his rebus peractis, et cum vidit se posse cum domino suo loqui sine praesentia sive parochi vel tonsoris, de quibus valde suspicabatur, ad caveam ubi dominus eius erat venit et sic ei dixit:

–Domine, ad conscientiam meam exonerandam, tibi dicam quod de incantamento tuo agitur; et hoc est nempe ut illi duo qui huc veniunt atque habent facies larvatas sunt parochus oppidanus noster et tonsor, et, mea opinione, si hoc modo te adducunt est ex plena invidia quam habent erga te, quia eos superas in factis illustribus. Hac veritate prolata, oportet dicere te non esse incantatum, sed deceptum ac stultum. Et ad hanc rem probandam faciam tibi quaestionem et si respondes tamquam credo te responsurum esse hanc deceptionem tanges propriis tuis manibus et videbis quomodo non es incantatus, sed tantummodo non compos mentis.

–Quaere a me quidquid velis, fili Sancti –repondit dominus Quixotus–; et placebo tibi ac respondebo ad tuam voluntatem. Et de eo quod dicis ut illi qui nobiscum veniunt sunt parochus et tonsor, nostri noti oppidani, bene possunt similes esse eis; sed reapse atque effective non sunt illi ullo modo. Et quod potes credere atque intelligere si illi similes sunt eis, sicut dicis, hoc est nempe incantatores apparientiam et similitudinem eorum accepisse; quoniam incantatoribus perfacile est accipere figuram quam volunt habere atque in hoc statu rerum acceperunt figuram nostrorum amicorum ita ut tu credas quod nunc putas et ut immittant te in labyrinthum dubiorum ex quo non possis exire, quamvis filum Thesei habeas. Necnon et hoc fecerunt ita ut haesitem ego in intellectu meo et nesciam unde hoc damnum effecerunt mihi; quoniam si una ex parte tu dicis tonsorem parochumque oppidanos nostros comitari nos atque ex alia parte invenio me in hac cavea et vere de me scio robora humana, nisi essent supranaturalia, non sufficerent ad me introducendum in hunc carcerem, quid ergo dicam tibi nisi hoc incantamentum superare omnia alia, quae aliquando legi in omnibus historiis, quae agunt de equitibus itinerantibus, qui umquam incantati fuerunt? Quare bene potes procedere in pace ac tranquillitate ad credendum eos esse quos dixisti, quoniam sic sunt illi tamquam ego sim gens turcarum. Et quatenus ad quaerendum a me dicas mihi et respondebo tibi, quamvis a me quaeras ex hoc usque ad crastinum diem.

–Adiuvet me Nostra Domina! –respondit Sanctius, clamans magna voce–. Num fieri potest te tam durum cerebrum habere et carere omnino mente quin videas me omnem veritatem dicere tibi, quia si tu es in hoc carcere et hoc infortunio magis est opus malitiae quam incantamenti? Sed si hoc modo te habes, probabo quomodo reapse non es vere incantatus. Aliter, dicas mihi, atque utinam Deus extrahat te ex hac procella. Et videas te in bracchiis dominae meae Dulcineae antequam hoc exspectes ...

–Noli me coniurare amplius –inquit dominus Quixotus–, et quaere a me quidquid velis, quoniam iam dixi tibi me responsurum esse accurate.

–Hoc volo –obiecit Sanctius–; et quod cupio scire est tantum ut dicas mihi, nulla re substracta, sed veraciter sicut debet dicere qui fungitur officio armorum, tamquam tu fungeris, sub titulo equitis itinerantis ...

–Dico tibi me non mendacium dicturum esse –respondit dominus Quixotus–. Sed

finias quaerendi; quia reapse fatigas me tantis tuis praelibatis, iuramentis et circumlocutionibus, Sancti.

–Dico me securum esse de bonitate ac de veritate domini mei; et sic tantum rem a te quaero, atque hoc loquendo cum magna cautela, dicas mihi utrum in tempore cum sis in hac cavea et tua opinione volueris facere aquas maiores an minores, sicut vulgo dicitur.

–Nescio quid sit *facere aquas*, Sancti, loquere accuratius si vis ut tibi recte respondeam.

–Num fieri potest te non intelligere quid sit facere aquas minores vel maiores? Tamen in schola sic docent pueros dicere. Tunc scito me velle dicere si voluisti facere quod non excusatur.

–Iam, iam te intelligo, Sancti! Et multoties; et etiam nunc vellem hoc facere. Et adiuva me atque extrahe me ex hoc periculo quoniam non omnia nimis munda sunt!

Capitulum 49. Ubi agitur de prudente colloquio inter Sanctium Pansam et dominum Quixotum

–Iam cepi te! –dixit Sanctius–. Hoc est quod vere volui cognoscere, tamquam animum et vitam meam. Venias huc, domine mi: Num potes negare quod communiter dicitur, nempe cum quis indispositus sit: «Nescio quid habeat quidam, quia nec comedit nec bibit nec dormit neque respondet his, quae ab eo quaerunt, nonne videtur eum incantatum esse?» Unde ergo dicitur homines, qui non comedunt, nec potant, nec dormiunt, nec faciunt illa naturalia opera, quae dixi, tales incantatos esse? Non tamen illi qui faciunt quod tu vis, quia quidem bibis cum tibi dant ad bibendum et comedis cum tibi dant ad edendum et respondes cum a te aliquid quaerunt.

–Hoc verum est, Sancti –respondit dominus Quixotus–; sed iam dixi tibi multa esse genera incantamenti et fortasse in decursu temporis mutata sunt in alia genera et fieri potest nunc incantatos facere, quae egomet facio, quamquam antea numquam fecerunt. Quapropter non necesse est disputandum de moribus temporum, nec inde consequentias extrahere. Ego vere scio et credo me incantatum esse et sufficit mihi; et satis est hoc ad securitatem meae conscientiae; quae valde onerata esset si putarem me non incantatum esse et quidem manerem in hac cavea otiosus atque ignavus, decipiendo eos qui indigent auxilio quod multis indigentibus et egenis possem dare, quia instantem et extremam necessitatem mei iuvaminis atque auxilii habent.

–Nihilominus –obiecit Sanctius–, dico et quidem ad meliorem comprobationem atque abundantiam rerum ut conaris exire ex hoc carcere et ego totis meis viribus adiuvabo te ad id faciendum et immo ad te hinc extrahendum ita ut possis denuo ascendere in Rocinantem, qui secundum me etiam incantatus est, quia progreditur tristis ac melancholicus. Atque, his rebus peractis, iterum iterumque probabimus novas res gestas quaerere; et si non bene esset nobis tunc oportet reverti ad hanc caveam et quidem polliceor tamquam bonus ac fidelis armiger etiam includere me

ipsum tecum, si fortasse tam miserrimus esses sive ego tam simplex ut nullo modo successum haberem in his quae nunc tibi dico.

–Paratus sum ad faciendum quod dicis, Sancti frater –obiecit dominus Quixotus–; et cum posses operam navare ad meam libertatem nanciscendam in omnibus oboediam tibi; tamen, Sancti, vide quomodo decipiaris in cognitione infortunii mei.

His colloquiis peractis, eques itinerans et armiger pessimus itinerans pervenerunt ubi parochus, canonicus tonsorque descenderunt de iumentis et eos exspectabant. Bubulus ex plaustro disiunxit bobes quos liberos reliquit ut per illum amoenum ac viridem locum placide ambularent, quia tenera herba alliciebat eos ad gaudendum ea, non autem incantatos tamquam dominum Quixotum, sed etiam illos cautos ac sollertes tamquam armigerum. Hic autem rogavit parochum ut permitteret domino eius exire paulisper ex cavea, sin autem carcer non esset tam limpidus sicut necesse erat ad requisitam decentiam equitis tamquam domini eius. Haec intellexit parochus et libenter permisit quod ab eo quaesitum erat, nisi timuerit eum cum esset liberus aliquid faceret secundum modum faciendi ipsius ac fugeret, ubi nemo eum denuo videret.

–Ego ero sponsor eius ita ut ille nullo modo fugiat –respondit Sanctius.

–Et egomet –inquit canonicus–, praesertim si ille pollicetur tamquam eques se a nobis non discedere, donec haec sit nostra voluntas.

–Ego quidem polliceor –respondit dominus Quixotus, quae haec omnia audiebat–; insuper qui incantatus est sicut ego sum, nullam habet libertatem faciendi quod vult facere, quia qui eum incantavit potest ei iubere ut nullo modo secedat ab illo loco per tria saecula et si fugeret per volatum reduceret eum.

Quare et, his rebus dictis, opus erat eum liberare, praesertim cum esset in utilitate omnium; quia si id non facerent omnibus esset in detrimentum, saltem odoratus, nisi ab illo loco discederent.

Canonicus autem accepit manum eius, quamvis ambas ligatas haberet, et, suis verbis ac sua bona fide accepta, eum ex cavea liberaverunt, quo valde gavisus est videndi semetipsum extra caveam. Et primum quod fecit fuit membra sua distendere et postea venire ad locum ubi erat Rocinans, cui super coxas duos ictus palmarum dedit et dixit:

–Adhuc exspecto in Deum atque in suam benedictam Matrem, o flos ac speculum omnium equorum, et spero fore ut celerrime videamus nos tamquam nos vere volumus: tu ferens dominum tuum super te, atque egomet super te exercitans officium ad quod Deus me vocavit.

Et dominus Quixotus, his verbis dictis, discessit cum Sanctio ad partem remotam, ex qua reversus est valde exoneratus et etiam cupiens facere quod armiger ei iuberet.

Canonicus vero eum inspiciebat et mirabatur de insolita ac magna dementia eius et de his, quae loquebatur et quae respondebat, quia ostendebat optimum intellectum habere, tamen bonum sensum amittebat, sicut passim dictum est, cum ageret de equitatu. Et sic, omnibus super viridem herbam sedentibus atque exspectantibus viaticum, canonicus motus commiseratione erga dominum Quixotum ait ei:

–Num fieri potest, domine fidalge, otiosam insipidamque lectionem librorum equitatus tali modo transmutavisse sanum iudicium tuum ut vere credas te incantatum esse, et alia etiam huiuscemodi, quae tantum distant ut vera sint quam mendacium a veritate? Et quomodo fieri potest ut sit intellectus humanus, qui vere credat in

mundo habuisse innumeros Amadises, atque illam catervam clarorum equitum, tot imperatores Trapezuntis (Trapisonda), tot Felixmartes ab Hyrcania, tot equos phaleratos, tot virgines itinerantes, tot serpentes, tot inauditas res gestas, et genera incantamenti, necnon et proelia, tot immanes conflictus, tot elegantias vestium, tot principessas captas amore, tot armigeros factos comites, tot homunculos nanos facetos, tot schedulas de re amorosa, ac dicta poetica, tot mulieres strenuas et denique tot ac tam stultos casus sicut in libris equitatus describuntur? De me tantum dicam me eos legere atque, iudicio a veritate eorum remoto, vere eis aliquantulum gaudeo; sed animadvertens sicut sunt, tunc meliorem eorum in parietem eiicio et in ignem eiicerem si prope me eum haberem, quia talem poenam mererentur propter falsitatem et mendacia eorum et praeter usum quem natura communis postulat, quia vere novas sectas et modos vivendi proponunt atque occasionem dant ut vulgus ignarum credat et putet has stultitias, quas continent, veras esse. Et immo audent mentes prudentium et bonos fidalgos natos turbare, sicut videtur quod vere accidit tibi, quoniam ad hunc extremum adduxerunt te ita ut opus sit in hanc caveam te invitum immittere atque adducere super plaustrum boum tamquam si ferrent leonem sive tigridem de loco in locum ad lucrandum cum eum viderent. Eheu! domine Quixote, animus doleat tibi, ac venias ad gremium prudentiae atque eadem utaris quam coelum magnam copiam dedit tibi et, bono sensu tui intellectus adhibito, proficias tuae conscientiae et incremento tui honoris! Et si adhuc motus tuo studio velles legere libros facinorum atque equitatus, lege in Sacra Scriptura librum Iudicum; ibique invenies magnas veritates et res gestas tam veras quam strenuas. Lusitania habuit Viriatum; Roma Caesarem; Carthago Hannibalem; Graecia Alexandrum; Castella comitem Ferdinandum (Fernán) González; Valentia dominum Cid; Baetica Gonzalo Fernández; Bethuria (Extremadura) Didacum García de Paredes; Caesarianum (Jerez de la Frontera) Garci Pérez de Vargas; Toletum Garcilasum; Hispalis (Sevilla) Emmanuelem de León, quorum lectio strenuarum rerum gestarum est magnum oblectamentum nobis, quia docent nos, et quibus gaudemus atque omnes intellectus, qui haec legunt vere de his mirantur. Haec erit lectio digna boni intellectus tui, carissime domine Quixote, ex qua eruditus eris in historia, studiosus de virtute, doctus in scientia, praeditus bonis moribus, strenuus sine temeritate, audax absque ignavia atque haec omnia ad maiorem gloriam Dei, ad tuam utilitatem ac bonam famam regionis Manicae ex qua secundum quod audivi habuisti principium et originem.

Dominus Quixotus, auribus arrectis, auscultavit haec argumenta canonici et cum vidit eum finivisse, cum intuitus esset eum per quamdam moram dixit ei:

–Mihi videtur, domine fidalge, te velle suadere mihi ope tui sermonis, quem mihi exposuisti, equites itinerantes in hoc mundo numquam fuisse, necnon et omnes libros equitatus falsos esse ac mendaces, maleficos inutilesque rei publicae et denique me male fecisse, quia eos legi et quod peius etiam fuit me eis credidisse atque immo rem pessimam fore ut eos imitarer, propterea quod functus sum hoc difficillimo munere equitatus itinerantis, quem illi docent et etiam dixisti numquam habuisse in mundo Amadises, nec a Gaula neque a Graecia neque alios equites, quibus scripta plena sunt.

–Hoc ita est ut enarras et quidem litteraliter –ait ad hanc occasionem canonicus.

Cui dominus Quixotus respondit:

–Etiam addidisti, et quidem dixisti hos libros magno damno affecisse me, quia

mentem meam transmutaverunt et denique immiserunt me in caveam et melius esset mihi ut emendationem facerem atque aliam lectionem acciperem, legendo libros veraces qui eodem tempore et delectent et doceant me.

–Hoc ita est –dixit canonicus.

–Ego autem –obiecit dominus Quixotus–, invenio et quidem, mea sententia, te omnino insanum atque incantatum esse, quoniam tot multas blasphemias dixisti contra rem tam acceptam in toto hoc mundo et quam ut veram omnes habent et si quis eam negaret, ut tu negas, eamdem poenam mererentur quam ipse tu das his libris cum eos legis et te fastidiunt. Quomodo ergo potes dicere Amadis a Gaula non fuisse in mundo nec alios equites errantes, quibus historiae plenae sunt, hoc est tamquam persuadere solem non illuminare neque glaciem refrigerare neque terram sustinere; quoniam quis intellectus erit in mundo qui alii posset persuadere principessam Floripem cum Guido de Burgundia (Guy) non esse reapse necnon res gestas Fierabrae (Fierabrás) in ponte Mantible quod accidit tempore Caroli Magni atque hoc, et iuro per Deum, tam verum esse quam nunc dies est! Et si hoc mendacium est, tunc etiam mendacium esset nullum Hectorem fuisse nec Achillem nec bellum troianum nec Duodecim Pares Galliae nec regem Arcturum Angliae, qui factus est corvus atque eum in regno eius incessanter exspectant. Num quoque dicent mendacem esse historiam Guarini Mezquino et Quaestionem Sancti Grial? Num apocryphi sunt amores domini Tristani et reginae Isoldae (Iseo) tamquam amores Genovefae et Lanceloti cum sint qui meminerint videndi nutricem dominam Quintannonam suis propriis oculis, quae fuit optima effundens vinum accumbentibus mensae quam Magna Britannia habuit. Et cum hoc ita sit, et memini huius rei quam avia mea, ex parte patris mei, dixit mihi cum videret quamdam nutricem amictam longo velo capitis: «Illa, o mi nepos, similis est dominae Quintannonae.» Ex quo colligere possum aviam meam illam cognovisse, sive saltem quamdam imaginem illius vidit. Nam, quis potest dicere non veram esse historiam Petri (Pierres) ac pulcherrimae Magalonae, si hucusque videtur in armamentario regum clavis illius equi lignei in quem ascenderat strenuus Petrus cum vehebatur per aerem et parum maior est quam gubernaculum sive clavus plaustri? Atque iuxta clavim est sella Babiecae, et in Rocesvalles est corpus Orlandi (Roldani) cuius magnitudo est tamquam magna trabs: ex quibus deducitur revera Duodecim Pares fuisse, et etiam Petrum fuisse, et Cides quoque fuisse atque alios similes equites vere fuisse,

de his qui dicunt homines
eos ad res gestas venire.

Sin autem, num potes mihi dicere non verum fuisse equitem lusitanum, Ioannem de Merlo nomine, qui Burgundiam petivit et pugnavit in urbe Atrebato (Ras, Arrás) cum claro Charny, vocato Monseniore Petro (Mosén Pierres) et postea in urbe Basilea cum Monseniore Henrico de Remestán et ex duabus rebus gestis victor fuit et cum magna fama. Et fortasse suntne verae res gestae ac duella vel certamina, quae finiierunt in Burgundia strenui hispani Petrus Barba et Gutierre Quijada (ex quo genere egomet provenio ex linea recta viri), qui vicerunt filios comitis Sancti Poli? Num potes negare dominum Ferdinandum de Guevara petivisse res gestas in Germania, ubi pugnavit cum

«seniore» (*micer*) Georgio, equite domus ducis Austriae? Num pugnae equestres in «Transitu honorato super flumen Orbigo» illius Sueri de Quinnones (Suero de Quiñones) fuerunt facetiae? Num aggressiones Mosen Ludovici de Falces contra dominum Gonzalo de Guzmán, equitem castellanum, cum multis optimisque rebus gestis ab equitibus christianis ex his regnis et ex regnis peregrinis tam verae et authenticae et iterum iterumque dico si quis eas negaret careret omni intellectu et sensu?

Canonicus mirabatur audiendo permixtionem rerum, quam dominus Quixotus fecit cum veritatibus ac mendaciis necnon videndo modum quo cognosceret nuntios diversos ex his rebus gestis et etiam equitatus itinerantis, et sic respondit ei:

–Non possum negare, domine Quixote, nonnulla, potissimum quae pertinent ad equites itinerantes hispanicos, vera esse; eodem modo concedo Duodecim Pares fuisse in Gallia; sed non possum credere eos fecisse ea quae archiepiscopus Turpin describit de ipsis; quoniam veritas est eos fuisse equites electos regum Galliae, quos nuncuparunt Pares quoniam omnes erant pares, sive similes, quoniam aequales erant in virtute ac strenuitate; saltem si non aequales erant potuerunt esse et hae erant tamquam congregationes religiosae, quae sunt Sancti Iacobi vel Calatravae et qui has professant debent esse praestantes, strenui ac nobiles natu; et sicut nunc dicunt *equites Sancti Ioannis*, sive *Alcantarae*, sed illo tempore dicebant Duodecim Pares, quia fuerunt duodecim aequales quos elegerunt in hac congregatione religiosa militari. Nullum dubium est illum Cid fuisse, et etiam Bernardum a Carpio, sed dubium est eos fecisse omnia facinora, quae de eis dicunt. Quatenus ad clavim de qua loqueris de comite Petro atque est iuxta sellam Babiecae in armamentario regio, confiteor peccatum meum, quia ignorans sum omnino sive est mihi defectus visu, nam vidi sellam, sed non vidi clavim, praesertim cum sit tam magna ut dixisti.

–Illa ibi est, absque dubio –obiecit dominus Quixotus–, et quidem dicunt eam esse coopertam quadam vagina coriacea ut praeservetur a mucedine.

–Hoc fieri potest –respondit canonicus–, sed per sacras ordinationes quas accepi non memini me eam vidisse. Sed quamvis ibi sit quod possum concedere, non necesse est me credere omnes historias de tot multis Amadisibus, nec de tam magna caterva equitum sicut de illis narratur, nec opus est ut vir honoratus tamquam tu, praeditus bonis principiis, et optimo intellectu, credas veras esse omnes insolitas dementias, quae describuntur in stultis libris equitatus.

Capitulum 50. Ubi agitur de prudentibus altercationibus inter dominum Quixotum et canonicum habitis cum aliis rebus gestis

–Hoc est vere bonum! –respondit dominus Quixotus–. Libri qui imprimuntur cum venia regum et cum approbatione illorum, ad quos missi sunt et cum gaudio generali ac laudantur a magnis et a parvulis, a pauperibus divitibusque a doctis et ab incultis, a plebeiis atque ab equitibus, et denique ab omni genere hominum cuiusdam status

et condicionis, num mendaces erunt libri illi cum tam similes sint veritati, quoniam vere nobis enarrant quis fuit pater et mater, patria, propinqui, aetas, locus ac res gestae et quidem accuratissime atque ex die in diem, quae talis eques fecit sive equites fecerunt? Taceas tunc, quaeso, ne dicas talem blasphemiam ac sequere consilium quod faciendum est tamquam prudens, sin autem legas eos et videas quam magnum gaudium accipies ex lectione eorum. Aliter dicas enim mihi: Quid erit maioris contentus quam videndi, ut ita dicam, hic et nunc in conspectu nostro lacum immensum ex fervente pice in ebullitione et per eum natant et transeunt multi serpentes, angues, lacerti aliaque genera animalium saevorum teterrimorumque atque en in medio lacu auditur vox tristissima quae dicit: «Tu, eques, quicumque sis, qui terribilem lacum intueris si vis obtinere beneficium, quod sub his atris aquis absconditur, ostende praestantiam fortis animi tui ac proiice te ipsum in medium hunc liquorem atrum atque ardentem, sin autem non eris dignus videndi mira prodigia, quae in eo continentur et servantur in septem castellis ex Septem Divis Aetheriis, quae iacent sub hac nigritia.» Et ubi primum eques audiverit hanc vocem demissam et, nullo consilio praevio stabilito, ac periculo vitae eius spreto, atque, onerosis armis eius nondum exsutis, commendans semetipsum Deo et suae dominae, sese proiicit in medium lacum bullentem. Et ecce cum nondum animadvertit quid ei accidere potest, invenit se ipsum inter campos florentes, quibus Elysium nullam comparationem habet. Ibi ei videtur coelum esse translucidius et solem habere maiorem novam claritatem; oculis eius praebetur amoena silva ornata arboribus foliosis, quae delectat cum herbis teneris atque aures oblectantur cantu dulci ac spontaneo parvarum innumerarum pictarum avicularum, quae per intrincatos ramos saltitant. Hic apparet rivus cuius frigidae aquae, quae videntur crystalli, decurrunt super minutas arenas et albos lapillos, similes auro cribro ac puris margaritis; ibi videtur fons artificiosus variegati iaspidis ac lubrici marmoris compositus; hic autem alter fons rustice ornatus, ubi parvulae cochleae cum albis et fulvis spiralibus domibus absque ullo ordine dispositis inter frustula fulgidi crystalli et factis smaragdis, quae efficiunt labores varios, ubi ars imitatur naturam atque aliquando videtur eam superare. Ibi autem atque improviso apparet forte castellum sive venustum palatium, cuius muri sunt ex auro limpido, pinnae ex adamantibus, portae ex hyacinthis ac denique fabrica eius mirabilis est composita quia, quamvis materia sua facta sit ex adamantibus, carbunculis, margaritis, auro et smaragdis, tamen magnopere est autem constructio sua. Et quid est nunc, his rebus conspectis, ut per portas huius castelli videamus multas virgines exire, quarum si nunc describerem has elegantes ac pulchras vestes earum, sicut nobis historiae narrant, numquam finirem; atque en praecipua virgo inter omnes porrigit manum illius audacis equitis, qui proiecit se ipsum in lacum bullentem atque eum, nullo verbo prolato, in palatium sive castellum introducit, ubi eum denudat, tamquam mater eius eum peperit, eumque aquis temperatis abluit atque ungit ac fricat unguentibus odoriferis, eique induit subuculam sericam subtilissimam perfusam odoribus et tunc advenit altera virgo, quae ei super umeros ponit pallium, de quo dicunt aestimari maiore pretio quam pro urbe, nisi immo multo magis. Quid tunc videndi si, his rebus elapsis, enarrant nobis quomodo adducunt eum ad aliud triclinium, ubi mensae paratae sunt maxima cura atque ille suspenditur

ac miratur? Quid est videndi si ei aquam effundunt ad lotionem manuum atque haec aqua est ambarina, destillata floribus odoriferis? Quid ergo eum sedere super sellam eburneam? Quid videndi omnes virgines ministrare ei, miro silentio servato? Quid vero ad eum adducere mensas exstructas diversis dapibus, tam optime coctis quas appetitus nescit quam eligere atque accipere manu? Quid autem audiendi musicam quae sonat, sed nesciunt unde veniat nec quis cantet? Et eques autem, lauto prandio confecto, et, mensis remotis, manet accubitus super sellam, fortasse mundando dentes, more solito, atque en per ianuam vestibuli intrat alia virgo et quidem pulchrior praecedentibus et sedet apud equitem atque incipit narrare ei cuiusnam hoc castellum esset et quomodo ipsa incantata est in eo cum reliquis rebus, quibus eques suspenditur ac mirantur lectores, qui fabulam eius legunt? Nolo amplius dicere de hac narratione, sed, ut patet et colligitur, lector gaudet ac miratur de quacumque parte historiae huius equitis itinerantis. Credas mihi, quaeso, atque ut iam dixi tibi, legas enim hos libros et videbis quomodo auferunt melancholiam, si casu eam habeas, et status rerum tuarum mutatur in melius et tua condicio corporea. De me dicere possum, ut eques itinerans, me esse strenuum, urbanum, munificum, morigerum, magnanimum, audacem, mitem, patientem, tolerantem tum laborum, tum carcerum, vel incantamentorum; et quamquam nuper vidi me apprehensum in cavea tamquam dementem, tamen puto propter robur bracchii mei, ac Deo iuvante, et, nulla fortuna adversa, in paucis diebus potero me videre regem super quoddam regnum, ubi possim ostendere gratam voluntatem ac munificentiam quam animus meus habet. Et, mea fide, domine, qui pauper est eodem tempore est inhabilis ad virtutem magnanimitatis ulli ostendendam, quamvis eam quidem summo gradu possideat. Et gratus animus qui tantum est in desiderio ut res mortua est, tamquam mortua est fides absque operibus. Quare spero fore ut fortuna tribuat mihi occasionem perveniendi ad munus imperatoris, ita ut possim ostendere animum meum retribuendo amicis meis, praesertim huic paupero Sanctio Pansae, armigero meo, qui est optimus vir huius mundi atque ei vellem dare comitatum quem ei procul a tempore pollicitus sum, quamquam etiam credo eum non habere sollertiam ad gubernandum statum suum.

Sanctius autem haec ultima verba domini sui audivit et statim ei dixit:

–Videas, domine, quomodo habeas hunc promissum comitatum ex parte tua atque a me tam exspectatum; et ego iuro tibi sollertiam ad eum gubernandum non deesse mihi; et si non esset mihi haec peritia, audivi dicere, viros esse in mundo qui accipiunt status dominorum in locatione, eisque dant salarium omni anno atque illi curant de gubernatione eorum dum dominus manet placido modo et lucratur optimum lucrum quod ei dabunt, nulla obligatione servata. Sic faciam ego et non curabo de minutis et multis laboribus vacabo ac magno lucro gaudebo tamquam dux atque illi de suis rebus curent.

–Hoc, frater Sancti –ait canonicus–, intelligitur de lucro gaudendo: tamen quoad iustitiam administrandam est domini illius status et hic agitur de sollertia et de sano iudicio eius, praesertim de bona voluntate recte faciendi, quia si haec deficit in principibus tum media tum fines errabunt et Deus vult iuvare bonum desiderium simplicis, sed nullo modo adversum desiderium astuti.

–Nescio de his philosophiis –respondit Sanctius Pansa–; sed tantum scio me simul

ıtque habeam hunc comitatum potero eum bene gubernare; quia animum habeo sicut ılter, et tam magnum corpus quam quislibet, et rex essem in meo statu sicut ınusquisque in suo; et si ego essem rex facerem quod vellem; ad nutum meum et si ıoc facerem laetus ero; et si laetus ero nihil amplius cupiam; et si nil amplius cupiam ıoc finitur et tunc veniat status, et valedicam et iam videbimus dixit caecus alteri :aeco.

–Haec non sunt malae philosophiae, sicut dicis, Sancti; sed, his rebus dictis, nultum loquendum est de materia huius comitatus.

Cui dominus Quixotus obiecit.

–Secundum me nihil amplius est dicendi; tantum sequor exemplum quod mihi ledit magnus Amadis a Gaula, qui armigero suo dedit comitatum Insulae Firmis, |uare etiam ego possum, absque ullo scrupulo conscientiae, Sanctium Pansam facere omitem, quoniam ipse est inter optimos armigeros, quem quidam eques itinerans ımquam habuit.

Admiratus mansit canonicus de stultitiis, quas dominus Quixotus dixit ac de modo |uo depinxit res gestas Equitis Lacus et de vestigiis, quae fecerunt ei mendacia, quae egerat in libris, ac denique mirabatur de insipientia Sanctii, qui tam enixe conabatur ›btinere comitatum promissum a domino eius.

Famuli canonici qui ad cauponam venerunt ad mulam penariam adducendam, am reversi sunt et, mensa ad prandium convenienter parata, et quidem super stoream c super teneram herbam, sub umbra arborum sederunt et comederunt ne bubulus ›erderet commoditatem illius loci, ut iam dictum est. Dum autem edebant, et quidem nopinate audiverunt sonum tintinnabuli pecorum quod sonabat inter rubeta ac densa umeta, quae ibi erant, atque eodem tempore ex illis virgultis exivit formosa capra naculosa, nigra, alba et fusca. Post eam veniebat caprarius, qui eam vocabat eique icens verba solita in usu ita ut sisteret sive ad gregem reverteretur. Capra fugitiva, imida ac pavida ad coetum hominum venit quaerens auxilium atque ibi stetit. Etiam ustos caprarum advenit eamque apprehendit cornibus et tamquam si illa posset eum ntelligere dixit ei:

–O parvula Silvana, Silvana! o Maculata, Maculata! Quomodo ambulas his diebus ›ede capto! Quinam lupi terreunt te, filia mea? Num hoc est tibi, formosa? Sed, quid rgo est tibi, nisi te feminam esse et nullam pacem habere; quid est mali tuae ondicioni, atque omnibus quas vis imitari! Revertere, quaeso, amica; et si non es aeta, saltem eris securior in tuo ovile, cum tuis sodalibus; et si tu, quae ambulas egregata, num de eis curas et si es mala ductrix, quid ergo eveniet illis?

Valde gavisi sunt audientes verba caprarii, praesertim canonicus qui ad eum ait:

–Per vitam tuam, frater, quiesce parumper, quia non necesse est tam subito cum apra tua ad gregem recedere; quia illa est femina sicut dicis et opus est eam sequi uum instinctum naturale, nemine obiiciente. Accipe hanc escam et bibe quo emperabis tuam iracundiam atque interea capra etiam quiescet.

Et, his verbis dictis, ei continuo dederunt ope acuminis cultri lumbum cuniculi ssum et iam frigidum. Custos caprarum autem accepit et gratias egit; potavit et se nitigavit et confestim dixit:

–Nullo modo vellem vos credere me virum simplicem esse, quia cum hac capra

locutus sum tam sinceriter; sed vere verba quae dixi non carent quodam mysterio. Rusticus sum, tamen non tantum quin intelligam quomodo agam cum hominibus et cum bestiis.

–Hoc valde bene credo –dixit parochus–; quoniam, teste experientia, scio montes creare doctos ac tuguria pastorum continere philosophos.

–Saltem, domine –obiecit caprarius–, recipiunt homines probatos; atque ut hanc veritatem credatis et propriis manibus tangatis enarrabo vobis talem veritatem, quae corroborat quod hic dominus –et indicavit parochum suo digito– dixit et meam, atque hoc quamvis videatur me ipsum invitavisse, nemine a me quaerente, et si hoc vere vultis, domini, attendite parumper mea verba.

Quibus dominus Quixotus respondit:

–Libenter, mea ex parte, audiam te, frater, quoniam mihi videtur hoc habere nescio quid umbrae ex rebus gestis equitatus. Et sic facient cuncti hi domini, qui vere valde prudentes sunt ac studiosi novorum nuntiorum, qui possint suspendere, gaudere atque oblectare sensus, tamquam absque dubio erit tua fabella. Incipe ergo, amice, atque omnes, auribus arrectis, auscultabimus te.

–Ego recedam –dixit Sanctius–; et vado ad ripam rivuli cum hac esca, qua satiabo famem per tres dies; quia audivi dominum meum dicere armigerum equitis itinerantis oportet comedere ad satietatem cum opportunum sit ei, quia aliquando intrant in silvam tam densam et non possunt ex ea exire per senos dies et si homo non est satiatus vel cum cella penaria in clitellis ibi manebit sicut multoties accidit tamquam caro mummia.

–Verum dixisti, Sancti –inquit dominus Quixotus–; recede ubi velis et manduca quod possis; quoniam ego iam ad satietatem comedi et tantum oportet ut dem refectionem animo; quod quidem faciam audiendo fabellam huius boni viri.

–Sic omnes faciemus –ait canonicus.

Et continuo rogavit ut custos caprarum inciperet quod pollicitus erat. Caprarius autem duos ictus palmarum dedit ad dorsum caprae quam cornibus tenebat eique dixit:

–Accumbe mecum, Maculata, quia tempus erit revertendi ad gregem nostrum.

Capra autem videbatur intelligere, quia sedit iuxta dominum suum atque accubuit cum eo quiete atque intuens vultum eius tamquam si esset attenta his, quae caprarius dicturus erat; qui suam historiam hoc modo incepit.

Capivulum 51. Ubi agitur de narratione caprarii omnibus, qui adducebant dominum Quixotum

–Tres leucas ab hac valle est pagus qui, quamquam parvus, adnumeratur inter ditissimos huius regionis. In quo vivebat agricola honoratissimus et quamvis honor annexus sit ad divitias, ille autem erat honoratus magis propter suam virtutem quam propter suas divitias. Tamen quod eum beatiorem faciebat erat filiam habere tantae pulchritudinis ac rarae prudentiae, elegantiae virtutisque ut qui eam cognosceret et inspiceret miraretur de eius qualitatibus, quas coelum naturaque ei praebuit. A teneris

annis fuit formosa et semper crevit in venustate et pulcherrima erat, cum sedecim annos nata esset. Fama autem illius speciositatis propagata est per omnes pagos circumvicinos, quid dico per circumvicinos, si pervenit ad urbes remotas ac longinquas et etiam intravit in aulam regiam et per aures omnis generis hominum, quia tamquam ad rem peregrinam sive imaginem miraculosam undique veniebant ad eam videndam. Pater eius eam custodiebat, atque ipsa etiam custodiebat se ipsam; quia non sunt pessuli nec serae, quae custodiant virginem, tamquam pudor proprius. Divitiae patris ac pulchritudo filiae impulerunt tum multos ex illo pago tum peregrinos ut vellent eam ducere uxorem. Pater autem turbatus erat, quia tam magnam gemmam disponebat et nesciebat cui eam tradere inter innumeros qui eam importunabant. Atque inter multos qui tam bonum desiderium habebant etiam eram ego et quidem erat mihi magna multaque spes successus, quia pater eius cognoverat me, quia eram ex eodem pago, mundus sanguine sive vetus christianus, in aetate ducendi uxorem, ditissimus in bonis fortunae ac praeditus optimo intellectu. Etiam alius candidatus ex eodem pago et condicionibus similibus meis a patre quaesivit eam ducere uxorem; atque haec fuit causa sufficiens ut pater detineret suum desiderium et poneret voluntatem in dubium, quia nescivit cui nostrum filiam suam nuptum dare, quia ambo boni eramus. Sed ad solvendam hanc confusionem quaesivit a filia, nomine Leandra, quae sic nuncupabatur illa, quae cum esset dives misit me in miseriam, et pater, propterea quod ambo aequales eramus, voluit voluntatem electionis filiae relinquere et hoc modo imitatus est parentes, qui filios aptos habent ad ducendam uxorem. Nolo dicere ut sinant eos eligere inter res malas sive viles, sed ut proponant res bonas atque ex his eligant ad nutum eorum. Nescio qualis fuit electio Leandrae; tantum scio patrem ambobus moram fecisse et quidem loquendo de tenera aetate filiae et verbis huiuscemodi, quae nec eum ligabant nec solvebant. Rivalis meus vocatur Anselmus, et ego Eugenius, ut cognoscatis nomina dramatis personarum huius tragoediae cuius finis adhuc pendens est, tamen ut videtur infortunatus esse.

Tunc temporis ad pagum venit Vincentius de la Roca, filius pauperi agricolae eiusdem loci et hic Vincentius veniebat ex Italia atque ex aliis regionibus, quia fuit miles. Quondam ductor quidam, qui cum sua cohorte casu per pagum nostrum transivit, Vincentium ex pago eduxit cum esset puer duodecim annos natus; et post alios duodecim annos iuvenis reversus est, amictus militari modo, ornatus variegato colore ac milibus monilibus vitreis subtilibusque catenis ex chalybe. Hodie induebat vestem pretiosam et in crastinum aliam atque omnes subtiles, depinctas ac parvi ponderis et minoris momenti. Gens rustica quae ex se malitiosa est et otium, quod est ipsa malitia, dedit opportunitatem omnibus ut animadverterent et enumerarent has elegantias et ficta monilia singillatim et viderunt vestes tres esse, ex diversis coloribus, cum ligulis et tibialibus; ille autem tam multas combinationes inter eas faciebat et si non eas numeraverint quidam posset iurare eum plus quam decem pares vestium ostendere et plus quam viginti cristas plumatiles. Sed nolite credere hanc esse prolixitatem importunam in his, quae enarro de vestibus, quia magni momenti sunt in hac historia. Ille solebat sedere super podium quod est in platea nostri oppidi sub magna arbore, nempe sub magna populo, ibique tenebat nos omnes auribus arrectis eum auscultantes facinora eius. Nullum erat in toto orbe terrarum, quod non viderat nec proelium cui

non adfuisset, plures mauros interfecit quam quos Mauritania et Tunisia habent et plura singula certamina habuit, secundum quod ipse dicebat, quam Gante et Luna et Didacus García de Paredes atque alii mille quos enumeravit et ex his omnibus semper habuit victoriam et nullam guttam sanguinis effudit. Ceterum, ostendebat vestigia vulnerum, quamvis nullibi videbantur et erant ictus slopeti accepti in diversis pugnis et bellis. Denique et quidem praeditus magna superbia aequales suos vocabat quodam despectu et etiam ipsos quos iam dudum noverat; sic patrem suum appellabat ut bracchium suum, et genus suum ut opera sua et, quamvis tantum esset miles, nec ipsi regi ostendebat ullam venerationem. Ad has insolentias addebat se quid musici habere et citharam plena manu pulsabat et tali modo ut nonnulli dicerent eum citharam loqui facere. Tamen non detinuerunt merita eius quin etiam esset poeta atque ex omni parvo evento, quod acciderat in oppido, componebat carmen longum leuca et dimidia in scriptura.

Hic miles quem nunc depinxi, hic Vincentius de la Roca, hic strenuus, hic amans, hic musicus atque hic vates conspectus fuit a Leandra ex fenestra domus eius, quae coram platea erat. Aurichalcum vestium spectabilium eius ad amorem allexit Leandram; carmina eius ei valde placuerunt et ex unoquoque quod composuerat fecit viginti diversas versiones; atque ad aures illius pervenerunt facinora Vincentii, quae ipse narrabat. Et denique, quia sic diabolus decrevit, illa arsit eum amore et quidem ante quam ipse conatus esset eam sollicitare. Nam in rebus amorosis nulla facilior est ad adimplendam quam illa quae habet ad partem eius desiderium dominae, quare Leandra et Vincentius magna cum facilitate mutuo statuerunt atque ante quam multi candidati putarent de illo, illa iam adimplevit desiderium suum, domo dilecti patris relicta, quia mater Leandrae mortua erat, et a pago secessit una cum suo milite, qui maiorem victoriam ac triumphum habuit hoc evento quam in multis de quibus ille iam dixerat. Omnes incolae illius pagi mirabantur de his rebus gestis et etiam illi, quibus nuntius pervenit. Ego autem suspensus mansi, Anselmus turbatus, pater eius tristis, propinqui eius offensi, iustitia autem requisita, sodales Sanctae Fraternitatis omnes parati ad eam quaerendam; illi petiverunt vias, quaesiverunt silvas atque omnia et, tribus diebus elapsis, invenerunt inconstantem Leandram in spelunca cuiusdam montis, nuda cum subucula absque pecunia nec gemmis, quae ex sua domo extraxerat secum. In conspectu patris adduxerunt eam et de eius infortunio ab ea quaesiverunt. Illa autem confessa est aperte et dixit Vincentium de la Roca eam decepisse et quamvis pollicitus esset eam ducere uxorem et persuasit eam ut domum patris eius relinqueret, quia ille voluit eam adducere ad ditissimam et corruptissimam urbem totius universi mundi, nempe Neapolim; atque illa, imprudens et maxime decepta, ei omnino credidit; et rapuit pecuniam a patre suo et sese tradidit Vincentio ipsa nocte, qua secessit domo. Ille autem eam adduxit ad asperum montem eamque clausit in illa spelunca, ubi eam invenerunt. Etiam narravit quomodo miles, honore Leandrae servato, omnia quae habebat ab ea rapuit atque in illa caverna eam reliquit et profectus est; eventum de quo omnes mirabantur. Difficile erat credere Vincentium continentiam habuisse et cum ea non accubuisse, sed ipsa hoc affirmavit et persistenter iuravit atque hoc bonum fuit afflicto patri ad quamdam consolationem inveniendam, divitiis raptis spretis, quia filiam reliquerat cum pretiosissima gemma virginitatis, quae si semel amittitur non est umquam spes inveniendi eam. Et pater, ipso die quo apparuit Leandra, eam a nostris

oculis abstulit eamque clausit in quodam monasterio cuiusdam urbis, quae prope hunc locum est et quidem exspectabat ut tempus transiret atque auferret malam opinionem filiae eius. Teneri anni Leandrae fuerunt excusatio culpae eius; saltem iis quibus haec non dolerant de illa utrum esset bona an mala; sed illi qui prudentiam eius cognoscebant atque intellectum non tribuebant peccatum eius ad ignorantiam, sed ad inconstantiam et naturalem propensionem mulierum, quae plerumque contra omnem sapientiam et bonum sensum est. Leandra clausa, oculi Anselmi caeci fuerunt sive saltem non habuerunt quid intueri et quo gaudere; oculi autem mei fuerunt in tenebris, absque luce qua invenirent res iucundas videndi; Leandra absente, tristitia nostra augebat, patientia nostra minuebat, maledicebamus fictis elegantiis illius militis et detestati sumus patrem Leandrae. Tandem Anselmus atque ego convenimus una tum pagum nostrum relinquere tum petere hanc vallem, ubi ille pascit magnam copiam ovium suarum atque ego magnum pecus caprarum, quae meae etiam sunt; et vitam transimus inter arbores, quaerentes medelam nostris lamentibus sive cantantes laudes ac vituperia pulchrae Leandrae, suspirantes soli vel loquentes cum coelo querelas nostras.

Ad imitationem nostram multi alii candidati Leandrae nobiscum venerunt ad hos asperos montes et quidem faciunt eadem exercitia quam nos facimus et tot multi sunt ut hic locus factus sit pastoralis Arcadia, quia plenus est pastoribus atque ovilibus et non est locus, ubi non audiatur nomen pulcherrimae Leandrae. Hic ei maledicit et eam vocat inconstantem, mutabilem lascivamque; ille condemnat eam, quia nimis facilis fuit et inconstans, talis autem eam absolvit atque ignoscit ei, talis damnat eam et vituperat; quidam laudat formositatem eius, alter denegat naturam eius et denique omnes inhonorant eam; atque eodem modo omnes eam venerantur et dementia ad omnes pervenit et sunt qui deplorant contemptum eius et numquam cum ea locuti sunt; necnon sunt qui lamentantur et laborantur infirmitate rabida zelotypiae, quam illa nemini dederat, quia, ut dixi, antea notum fuit peccatum eius quam desiderium. Nullum foramen est in rupibus nec ripa rivuli nec umbra arborum, quae non occupetur a quodam pastore, qui ad aeres cantet infortunia sua; echo repetit nomen Leandrae ubicumque formari possit: *Leandra* resonant montes, *Leandra* murmurant rivi, ac Leandra habet omnes nos suspensos atque incantatos, exspectantes sine spe, timentes et nescimus quid vere timeamus. Et inter hos omnes imprudentes qui ostendit melius iudicium habere et eodem tempore etiam minus iudicium est competitor meus Anselmus, qui cum de tam multis rebus lamentetur tantum lamentatur de absentia; et cum instrumento vel rustica lyra [vulgo *rabel*], quod mirabiliter pulsat et versibus, ubi optimum intellectum suum ostendit, queritur cantando. Egomet aliam viam sequor et quidem faciliorem atque accuratiorem, mea opinione, quae est maledicere mulieribus propter inconstantiam earum, de duplicitate earum, de falsis promissionibus, de falsa fide, ac tandem de indigentia iudicii ad cogitationes earum perficiendas. Et haec fuit, domini mei, occasio verborum meorum atque argumenta, quae dixi huic caprae cum huc perveni; et, quia illa femina est, eam parvi facio, quamvis optima sit ex toto pecore meo.

Haec est historia quam promisi enarrare vobis; si nimis prolixus fui in narratione, non ero eodem modo ad vobis ministrandum: prope hinc est ovile pecorum meorum et in eo est mihi novum lac et sapidissimus caseus cum variis fructibus maturis iucundis non tantum oculis, sed etiam gustui palatoque.

Capitulum 52. Ubi agitur de rixa inter dominum Quixotum et caprarium cum insolito evento flagellantium, quem dominus Quixotus feliciter finivit suo sudore

Fabella caprarii valde placuit omnibus auscultantibus eam; praesertim gavisus est canonicus qui inaudita curiositate etiam animadvertit modum narrandi et caprarius nullo modo videbatur vir rusticus, sed prudens atque aulicus esse; et sic canonicus putavit parochum bene dixisse cum ait montes creare doctos. Omnes autem sese praebuerunt Eugenio, sed qui magis fecit in his rebus fuit dominus Quixotus, qui ei dixit:

–Profecto, frater caprari, si vere possem alias res gestas statim incipere iter libenter facerem ut bona fortuna esset tibi; et ex monasterio educerem Leandram, abbatissa nolente atque omnibus ei obiicientibus, eamque in manus tuas ponerem ad faciendam tuam voluntatem ac nutum tuum, legibus autem equitatus recte servatis, quae nobis iubent nullum infortunium faciendum esse ulli virgini. Tamen exspecto, Deo Domino Nostro iuvante, nullam vim cuiusdam maligni incantatoris superare vires alterius incantatoris praediti melioribus consiliis. Tunc autem polliceor tibi auxilium iuvamenque meum tamquam obstringit me professio mea, quae non est alia quam favere egenis et miseris.

Caprarius autem intuitus est eum et cum videret dominum Quixotum esse amictum tam insolito modo vestibus ac talis indolis, miratus est et quaesivit a tonsore, qui iuxta seipsum erat, dicens:

–Domine, quis est hic vir qui hanc figuram habet et hoc modo loquitur?

–Quis enim erit –respondit tonsor– nisi illustris dominus Quixotus a Manica, destructor iniuriarum, reparator contumeliarum, protector virginum ac stupefactio gigantum victorque proeliorum?

–Hoc simile est rebus –respondit caprarius– quae leguntur in libris equitum itinerantium, quia illi faciebant haec omnia quae tu dicis, sed, secundum me, nescio utrum rideas de me an hic nobilis vir non sit compos mentis.

–Tu es maximus subdolus –inquit in hac occasione dominus Quixotus– et tu es vacuus atque ignavus; quoniam ego plenior sum quam numquam fuit illa filia moechae quae peperit te.

Atque, his dictis et his verbis prolatis, dominus Quixotus accepit panem, quem iuxta se habebat et percussit caprarium vultu et quidem tam magno impetu ut nares eius contunderet; sed caprarius qui nesciebat de his facetiis et, storea relicta, ac mappis et convivis spretis, conscendit super dominum Quixotum et apprehendit collum eius ambabus manibus et non dubitavit eum suffocare nisi Sanctius Pansa illo momento adveniret eumque a tergo apprehenderet et proiiceret super mensam, frangendo ac spargendo omnia, quae super mensam erant. Dominus Quixotus, cum vidit se liberum, conatus est caprarium conculcare pedibus, hic autem habebat vultum plenum sanguine ope ictuum Sanctii et quaerebat cultrum manibus ad quandam sanguineam vindictam faciendam, movens manus super mensam, sed canonicus parochusque hoc quidem vitabant. Tamen tonsor aliquid fecit vi cuius caprarius apprehendit dominum Quixotum sub eo atque hic tot ictus accepit ut vultus eius effunderet sanguinem tamquam vultus caprarii.

Canonicus parochusque non poterant risum tenere, sodales Sanctae Fraternitatis

gaudebant, alteri alteros incitabant, tamquam canes connexos magna rixa; tantummodo Sanctius Pansa desperabatur, quia non poterat se liberare a quodam famulo canonici, qui impediebat ut dominum suum iuvaret.

Breviter, cum omnes essent in hoc magno gaudio atque in hac festivitate, praeter illos duos qui se percutiebant ad invicem, audiverunt sonum cuiusdam tubae, valde tristis, qui fecit eos vultus suos vertere, quo putabant sonum provenire; sed qui magis pertubabatur erat dominus Quixotus, qui quamvis sub caprario iaceret, omnino invito et contuso, dixit:

–Frater daemon, quoniam non fieri potest ut non sis talis propterea quod vires habuisti ad meas continendas, rogo te ut facias inducias mecum in hoc proelio, non ultra horam, quoniam mihi videtur sonum dolorosum huius tubae, qui ad nostras aures pervenit, vocare me ad novas res gestas.

Caprarius, qui valde lassus erat percutiendi et accipiendi ictus, eum continuo reliquit et dominus Quixotus surrexit et stetit ac vultum suum vertit, quo sonus audiebatur atque inopinate vidit multos viros descendentes de quodam clivo et quidem omnes amicti erant vestibus albis ad modum flagellantium.

Ecce illo anno nubes negaverunt ros suum terris et in omnibus locis illius regionis instituerunt processiones ac preces necnon et flagella, ad quaerendam misericordiam Dei ut apriret manus suas et plueret. Atque ad id nanciscendum incolae cuiusdam pagi veniebant in processione ad sacellum, quod in declive illius vallis erat.

Cumque dominus Quixotus vidit vestes insolitas flagellantium nullo modo putavit se eos multoties vidisse, et imaginatus est has esse res gestas, quae tantum ad eum pertinebant impendere, ut eques itinerans. Has cogitationes domini Quixoti corroboravit imago amicta lugubri veste cuiusdam praecipuae dominae, quam invitam illi ignavi atque immanes malefici secum ferebant; et cum meminisset huius rei, magna celeritate pervenit ad Rocinantem, qui ibi ambulabat pascendo teneram herbam, festinavit et sic frenum et scutum ex sella apprehendit eumque paravit et magna voce dixit omnibus circumstantibus:

–Nunc videbitis, o strenua societas, quam magni momenti est in mundo esse equites, qui fungantur ordinatione equitatus itinerantis, et nunc dico vos visuros esse quare equites itinerantes magnopere aestimabuntur in libertate illius dominae, quae ibi est captiva.

Atque, his verbis dictis, dominus Quixotus crura sua pressit super dorsum Rocinantis, quia non erant ei calcaria atque equus medio cursu cucurrit, –quia numquam auditum est Rocinantem festinanter currere in hac vera historia– et venit ad illos flagellantes, quamvis parochus, canonicus tonsorque vellent eum detinere; sed hoc non potuit fieri nec etiam detinuerunt eum voces, quas Sanctius dabat ei dicens:

–Quo vadis, domine Quixote? Quos daemones in animo habes, qui incitant te ad pugnandum contra nostram fidem catholicam? Animadverte, me miserum, hanc esse processionem flagellantium atque illam dominam, quam portant super suppedaneum, esse benedictissimam imaginem Virginis Immaculatae: videas, domine, quid facias, quia saltem hac vice erras ac maximo errore.

Inaniter Sanctius defatigavit se, quia dominus eius, festinabat ad perveniendum, ubi erant illi viri amicti linteis ad liberandam illam dominam amictam veste lugubri,

et nulla verba audivit, sed si audiret nullo modo reverteretur etsi rex ei iuberet. Advenit ad processionem et detinuit Rocinantem, qui iam volebat parumper quiescere atque ille turbata ac rauca voce dixit:

–Vos, qui fortasse quoniam boni non estis vultum vestrum cooperitis, attendite et auscultate quae vobis dicere volo.

Primi qui detinuerunt se fuerunt illi qui imaginem ferebant atque unus ex quattuor clericis, qui litanias cantabat, cum vidit insolitam figuram domini Quixoti, exilitatem Rocinantis et alios status rerum dignos ridendi, quos invenerat in domino Quixoto, respondit ei dicens:

–Domine frater, si aliquid nobis dicere vis, dic enim cito, quia fratres hi aperiunt carnes eorum et non possumus nec licet ut moram faciamus ad audiendum quidquid sit, nisi breve et dicatur tantum duobus verbis.

–Uno verbo haec dicam –respondit dominus Quixotus– atque hoc est: ut statim liberetis hanc pulchram dominam, cuius lacrimae ac tristis figura ostendunt vos eam adducere omnino invitam et etiam vos quamdam iniuriam ei fecisse; et ego qui natus sum ad similes contumelias solvendas nullo modo permittam vos progredi nec gressum prorsus, nisi ei detis libertatem, quam ipsa meretur.

His argumentis auditis, omnes intellexerunt dominum Quixotum esse dementem atque inceperunt ridere magno gaudio, tamen risus fuit tamquam pulvis catapultarius, qui explosit iracundiam domini Quixoti, quia hic, nullo verbo prolato, accepit gladium suum et impetum fecit in eos, qui ferculum imaginis ferebant. Quidam ex eis, qui hoc ferebant, reliquit onus sodalibus suis atque obviam domino Quixoto venit et arripuit furculam sive baculum, quo ferculum sustentabatur dum quiesceret de via; et in illa furcula recepit hic magnum ictum gladii, quem dominus Quixotus ei dederat, vi cuius fregit furculam in duas partes, sed cum extremo fracto furculae, quae mansit in sua manu impetum fecit in dominum Quixotum super umerum eius ad latus bracchii gladii, quod non potuit tegere scuto contra hanc rusticam vim et miser dominus Quixotus cecidit in terram male contusus.

Sanctius Pansa anhelans sequebatur dominum Quixotum et cum vidit eum in terra, vocibus clamavit ad percutientem ne dederit alium ictum ei, quia ille miser erat eques incantatus et nemini damnum fecerat in omnibus diebus vitae suae. Tamen quod vere detinuit rusticum non fuerunt voces Sanctii, sed videre dominum Quixotum nullo modo movere manum vel pedem; et sic putavit se interfecisse eum et festinanter levavit tunicam suam ad medium corpus et fugit per campos tamquam cervus.

Tunc socii domini Quixoti venerunt, ubi ille iacebat; et plerique ex illa processione cum viderunt illos advenire ad eum currentes, una cum sodalibus Sanctae Fraternitatis cum ballistis in manibus, timuerunt quamdam calamitatem et circumdederunt imaginem. Illi autem, cucullis capitis positis, flagella apprehenderunt et clerici sua candelabra atque hoc modo exspectaverunt impetum advenientem cum voluntate sese defendendi et fortasse etiam percutiendi si possent aggresores eorum. Sed fortuna fecit ut omnia melius esset quam quod ipsi putaverunt, quia Sanctius nihil fecit nisi se proiicere super corpus domini sui et super eum maximum planctum huius mundi fecit ad dolendum atque ad ridendum, credendo eum mortuum esse.

Parochus autem cognovit alium parochum, qui erat in ipsa processione atque,

hac cognitione facta, placaverunt animos omnium in his duabus turmis. Primus parochus dixit altero, paucis ac brevibus argumentis, quis dominus Quixotus esset et ille et omnis turba flagellantium venerunt ad videndum utrum hic eques mortuus esset necne et audiverunt Sanctium Pansam, oculis lacrimosis, dicentem:

–O, flos equitatus, tu qui tantum ictu baculi finisti cursum tuorum annorum, quos tam bene exercuisti! O honor tui generis, atque honor gloriaque totius Manicae et immo totius mundi, qui nunc, te defuncto, implebitur omni genere malefactorum, qui nullum timorem habebunt ut puniantur propter adversa facinora eorum! O munificus super omnes Alexandros, quia per octo menses mei ministerii promisisti mihi meliorem insulam quam mare cingit et circumdat! O tu, qui es humilis inter superbos et superbus inter humiles, aggressor periculorum, patiens iniuriarum, amans sine causa, imitator bonorum, flagellum malorum, inimicus ignavorum, et denique eques itinerans, qui haec omnia continet et quod dici potest!

Dominus Quixotus revixit vocibus gemitibusque Sanctii et primum quod dixit fuit:

–Qui vivit absens a te, o dulcissima Dulcinea, ad maiores miserias subiectus est. Sed adiuva me, Sancti amice, ad accumbendum super hoc plaustrum incantatum; quoniam iam non possum nec sellam Rocinantis opprimere, proptera quod habeo totum hunc umerum contusum.

–Hoc faciam libenter, domine mi –respondit Sanctius–, et revertamur ad meum pagum una cum his dominis, qui vere tuum beneficium volunt et illinc parabimus nos ad alium exitum faciendum, qui sit maioris utilitatis famaeque nobis.

–Bene dixisti, Sancti –respondit dominus Quixotus–, et magna prudentia erit permittere ut stellae transeant suo adverso influxu sicut nunc accidit.

Canonicus, parochus et tonsor ei dixerunt eum optime facturum esse adimplendo sicut locutus erat. Atque ipsi valde gavisi sunt simplicitate Sanctii Pansae et posuerunt dominum Quixotum super plaustrum, sicut antea veniebat. Processio illa denuo ordinavit se et prosecuta est iter suum. Caprarius autem valedixit omnibus. Sodales Sanctae Fraternitatis noluerunt ulterius proficisci, et parochus solvit eis expensa debita. Canonicus vero a parocho quaesivit ut nuntiaret ei de successo domini Quixoti, utrum sanaret de dementia sua necne atque, his verbis prolatis, quaesivit veniam ad prosequendum iter suum.

Denique omnes mutuo secesserunt et remanserunt tantum parochus tonsorque, dominus Quixotus et Pansa et bonus Rocinans qui, omnibus rebus conspectis, tam patiens erat quam dominus eius. Bubulus autem bobes plaustro iunxit et dominum Quixotum super fascem paleae accommodavit ac suo solito phlegmate prosecutus est iter, quod parochus ei indicaverat, et sex diebus elapsis, pervenerunt ad oppidum domini Quixoti et quidem ad meridiem et praecise ille erat dies dominicus atque omnes erant in platea per mediam quam transivit plaustrum domini Quixoti. Cuncti pervenerunt ad eum videndum et vere mirati sunt et puer cucurrit ad nuntiandum eventum herae domus neptique eius, nempe avunculum eius ac dominum valde flaccidum pallidumque venire accubitum super acervum paleae et in plaustro boum. Magnae commiserationis fuit audiendi vociferationes quas duae bonae dominae levaverunt, atque alapas colaphosque quos mutuo sese dederunt, et maledictiones quas iterum iterumque contra libros equitatus proiecerunt; haec omnia renovaverunt cum viderunt dominum Quixotum intrare per portas domus suae.

Ad nuntium adventus domini Quixoti venit uxor Sanctii Pansae, quae iam noverat eum fuisse apud eum tamquam armigerum eius et simul ac vidit Sanctium, primum quod ab eo quaesivit fuit indagare utrum asinus sanus rediret necne. Sanctius respondit ei dicens eum meliorem esse quam dominum eius.

–Gratias sint Deo –obiecit illa–, qui tam magnum beneficium fecit mihi; nunc autem, narra mihi, amice: Quid boni adduxisti ex tuo officio armigeri? Quam tunicam tulisti mihi? Quos calceos tuis liberis?

–Nil ex hoc adduxi –dixit Sanctius–, mi coniux, quamvis alia et quidem maioris momenti et considerationis adduxi.

–Hoc valde gaudeo –respondit uxor eius–; tamen ostende mihi has res maioris considerationis ac maioris momenti, amice mi; quia has videre volo ita ut his gaudeat animus meus, quia valde tristis ac moesta fui per omnia saecula tuae absentiae.

–Domi has ostendam tibi, mi coniux –dixit Pansa–, tamen hic et nunc gaude, et si, Deo iuvante, denuo iter facturi erimus ad res gestas quaerendas, videbis me confestim futurum esse comitem sive gubernatorem cuiusdam insulae, et non ex his quae in quolibet loco inveniuntur, sed ex optimis inter omnes, quae inveniri possent.

–Sic faxit coelum, coniux mi; quia vere opus est atque hoc egemus. Sed dicas mihi: Quid est hoc de his insulis, quod nullo modo intelligo?

–Non est mel bonum propter os asini –respondit Sanctius–; ad tempus opportunum videbis, mi coniux, atque immo miraberis audiendi vocari te dominam ab omnibus subditis tuis.

–Quid est hoc quod dicis, Sancti, de dominis, de insulis ac de subditis? –respondit Ioanna Pansa, quia sic vocabatur uxor Sanctii, illi autem non erant propinqui, sed sic est consuetudo in regione Manica ut uxores accipiant cognomen coniugum earum.

–Noli festinare, Ioanna, ad haec omnia cognoscenda et quidem tam celeriter; satis est me dicere tibi veritatem et claude os tuum. Et tantum obiter dicam tibi nil esse in hoc mundo ad gaudendum quam ut vir sit honoratus armiger cuiusdam equitis itinerantis quaerentis magnas res gestas. Verum etiam est non omnes res gestas esse sicut unusquisque has desiderat, quia ex centum quae inveniuntur nonaginta novem sunt adversae ac pravae. Atque hoc vere scio, teste experientia mea, quia aliquando proiecerunt me in altum ope stragulorum et aliquando etiam fui contusus. Sed, omnibus rebus perpensis, optimum est exspectare res gestas transiens montes, intuens silvas, conculcando rupes, ingrediendo in castella, pernoctando ad libitum in cauponis, nullis expensis solutis, nisi teruntium diabolo.

His colloquiis peractis, inter Sanctium Pansam et Ioannam Pansam dum hera domus ac neptis acceperunt dominum Quixotum, denudaverunt eum et posuerunt super lectum veterem eius. Ille autem eas inspiciebat oculis distortis, quia non poterat intelligere ubi reapse esset. Parochus vero iussit nepti ut avunculo indulgeret eumque laetificaret atque animadverteret ne denuo proficisceretur eique narravit quam difficile fuit eum domum revertere. Tunc iterum illae clamaverunt in coelum magnis vocibus; et renovaverunt maledictiones contra libros equitatus; ibi quaesiverunt a coelo ut confunderet in mediam abyssum auctores tot multorum mendaciorum ac stultitiarum. Denique perturbatae et formidolosae erant, quia putaverunt cum avunculus et dominus earum sanaret profecturus esset et sic accidit tamquam ipsae imaginatae sunt.

Nihilominus auctor huius historiae, qui magna curiositate ac studio quaesivit bonas res gestas, quas dominus Quixotus fecit in suo tertio egressu, tamen non potuit nuntium horum factorum invenire, saltem authenticis scriptis; tantum fama custodivit in memoria Manicae dominum Quixotum exivisse tertia vice ex domo sua et Caesaraugustam (Zaragoza) petivit ut in celebrato ludicro equestri particeps esset et vere res gestae dignae maximae strenuitatis atque optimi intellectus fuerunt. Ex fine atque interitu eius nihil potui cognoscere nisi prospera fortuna fecerit ut invenirem senem medicum, provectum annis, qui habebat apud se capsam plumbeam et secundum quod dixit mihi invenit eam in dirutis fundamentis cuiusdam veteris sacelli, quod tunc renovabatur. In ipsa capsa inveniebantur scripta cuiusdam chartae membranaceae cum characteribus gothicis, sed versibus hispanicis, qui includebant multas ex rebus gestis eius ac formositatem Dulcineae a Toboso nuntiabant necnon et figuram Rocinantis, fidelitatem Sanctii Pansae et sepulturam eiusdem domini Quixoti cum diversis epitaphiis ac laudationibus vitae et consuetudinum eius.

Et ea quae fidedignus auctor huius numquam cognitae historiae potuit legere atque extrahere accurate hic ponit. Et hic auctor a nobis lectoribus tantummodo quaerit pro praemio immanis laboris sui, quo laboravit ad inquerendum ac petendum omnia tabularia Manicae regionis ad edendum in lucem ut tribuant ei eamdem credibilitatem quam prudentes dant libris equitatus, qui tanti ponderis sunt in hoc mundo; atque hoc modo putavit expensas suas convenienter solvere et satis erit ei et gaudebit et conabitur ad alia quaerenda, quae si non sint tam vera saltem eiusdem inventionis atque oblectamenti erunt.

Prima verba quae scripta sunt in charta membranacea quae inventa sunt in capsa plumbea haec erant:

ACADEMICI ARGAMASILLAE, LOCI MANICAE, IN VITA ET MORTE STRENUI DOMINI QUIXOTI

HOC SCRIPSERUNT

EPITAPHIUM

Insanus mente est qui ornavit hanc Manicam
cum tot exspoliis quam Iason cretensis,
iudicium fecit hic acutus ensis
ventorum prosperum, ut ita dicam,

bracchium dilatat hanc vim quoque bellicam,
Cataia ad viam Caietae his expensis,
advenit musa, consiliis perpensis,
quae versus incidit in aere ut musicam,

et Amadises omnes et in multum
vicit et mansit Galaor secundus
quia suo amore venit et prudentia

et Belianis tacuit sic in occultum,
qui vectus est Rocinante facundus,
qui iacet frigidus hic cum patientia.

EX CONTUBERNALE (PANIAGUADO), ACADEMICO ARGAMASILLAE

In laudem Dulcineae a Toboso

SONETUM

Haec, quam tu vides, cui est crassus vultus
alta uberibus, bona praesentia
est Dulcinea regina et sapientia
quam hic Quixotus arsit valde stultus.

Qui conculcavit pro ea duos tumultus
Montium Fuscorum et cum tristi absentia,
campum Mentissae (Montiel) petiit cum dementia
et Arae Iovis (Aranjuez) planitiem est ultus.

Proh dolor, Rocinans fuit hic culpabilis
domina haec et hic eques invictus
itinerans fuit a teneris unguibus.

Mortua non fuit iam illa aestimabilis
ille in marmore manet iam scriptus
fugam nequivit ab his suis amoribus.

EX PERTINACE (CAPRICHOSO), CIRCUMSPECTO ACADEMICO ARGAMASILLAE, IN LAUDEM ROCINANTIS, EQUI DOMINI QUIXOTI A MANICA

SONETUM

In hoc superbo throno adamantino
quem Mars conculcat sanguineis pedibus
Manicae vir vexillum suis manibus
levat in altum ictu peregrino.

Arma victoriae ex ferro fixit fino,
quibus vastavit, scidit suis operibus;
novas res gestas fecit istis artibus
aulico modo servato omnino.

Cum Amadis Gaula bene gloriatur,
posteri digni honorant hanc Graeciam
quae hic triumphavit, famam dilatavit.

Domnus Quixotus hodie coronatur,
Belona praeside, hanc aulam regiam
Manica Graeciam, Gaulam superavit.

Oblivio glorias has non maculavit,
pro venustate optimus est hic Rocinans
Brilladorum et Baiardum est superans.

EX DERISORE (BURLADOR), ACADEMICO ARGAMASILLESCO, SANCTIO PANSAE

SONETUM

Sanctius est parvus figura et colore,
magnus honore, et prodigium rarum,
armiger simplex fidelis terrarum,
umquam hic fuit, hoc iuro meo favore.

Comes non fuit, sed non parvo labore
omnium inoxias et rerum gestarum
passus in saevo est in damno earum
quae nullum asinum parcent hoc more.

Eo vectus est –et cum venia mentitur–
mansus a retro mansi Rocinantis
iter faciebat a tergo sui domini.

O inanis spes, quae tam sero auditur,
cur promissiones has itinerantis
facitis somnium cuius bene memini?

EX RIDICULO DIABOLO (CACHIDIABLO), ACADEMICO ARGAMASILLAE IN SEPULCRO DOMINI QUIXOTI

EPITAPHIUM

In hoc loco est omnis veritas,
quia iacet eques itinerans
quem semper duxit hic Rocinans
per multas vias et semitas.

Et Sanctio Pansae est adversitas
hic iuxta dominum vigilans,
armiger iacet vel dormitans,
quia in officio est necessitas.

EPITAPHIUM

Hic Dulcinea formosa
iacet, molliciem quae habuit,
foeda mors horrida voluit
ut pulvis fierent haec ossa.

Ex domo regia speciosa
haec semper domina fuit,
flamma ad Quixotum iam luit
et fuit ex pago gloriosa.

Hi fuerunt versus qui legebantur; alii vero cum essent litterae consumptae cuidam academico dederunt ita ut per coniecturas posset ea declarare. Fertur eum haec iam fecisse post multas vigilias ac magno labore et conatus est ea in lucem edere, cum spe tertii egressus domini Quixoti.

Forse altro canterà con miglior plettro.

(Forte alter cantabit meliore plectro)

FINIS

HISTORIA ILLUSTRIS DOMINI QUIXOTI A MANICA

LIBER II

COMITI DE LEMOS SALUTEM:

Cum nuper ad te, excellentissime domine, miserim meas comoedias, quae antea impressae sunt quam repraesentatae, memini me dixisse dominum Quixotum paratum esse, calcaribus calceatis, ad manus tuas osculandas; nunc autem dico eum vere calcaria induisse et iter facturum esse et si vere ille illic perventurus est credo me ministerium tibi facere, excellentissime domine, quia multi sunt qui volunt me festinare ad eum mittendum ad nauseam auferendam quam alter dominus Quixotus fecit et qui sub hoc nomine ficto per mundum deambulat larvatus. Et inter omnes qui hoc magis flagitaverunt inveniebatur magnus Imperator Sinarum, quoniam in sua lingua sinica abhinc mensem ad me litteras dedit et quidem suo nomine et quaesivit a me, sive ut melius dicam, rogavit ut mitterem ad eum *Historiam domini Quixoti*, quia volebat scholam fundare, ubi lingua hispanica doceretur et volebat ut legerent hunc librum. Etiam quaerebat a me ut egomet essem rector illius scholae. A tabellario huius epistulae rogavi utrum hic Imperator dederit quoddam subsidium ad expensas meas solvendas necne. Ille autem respondit mihi et dixit hunc Imperatorem nullo modo cogitavisse de hac re.

–Tunc, o frater –respondi ei,– bene potes reverti ad tuas Sinas hora decima sive vigesima sive cum tibi hoc melius sit; quoniam non est salus mea ad iter tam longum faciendum; atque insuper laboro morbo, et non est mihi pecunia atque Imperator pro imperatore et Rex pro rege, et in urbe Neapoli est mihi magnus Comes De Lemos qui, absque titulis de scholis neque de rectoribus, adiuvat me, fovet me et maius beneficium faciet mihi quam ego ab eo quaerere possim.

His verbis prolatis, valedixi ei atque etiam valedicam tibi, o excellentissime domine, et tibi offero *Labores Persiles Segismundaeque* librum quem, *Deo volente,* finiam intra quattuor menses; qui erit optimus sive pessimus nostrae linguae compositus, ut ita dicam, ex eis qui sunt delectamenti. Nihilominus doleo me etiam dixisse «pessimum», nam secundum opinionem amicorum meorum fieri potest ut perveniat ad extremum bonitatis. Cura ut valeas, excellentissime domine, et iam *Persiles* paratus erit ad tuas manus osculandas atque egomet ad tuos pedes deosculandos, tamquam famulus tuus, o excellentissime domine.

Matriti, ultimo die mensis Octobris, anno millesimo sescentesimo decimo quinto.

Famulus tuus

MICHAEL DE CERVANTES SAAVEDRA

PROLOGUS LECTORI

Valeat mihi Deus! illustris lector, vel plebeius, quam multum hucusque exspectavis hunc prologum putando te inventurum esse vindictas, rixas vituperiaque auctoris huius secundi *domini Quixoti*, et dico de illo qui conceptus est in Turri Syllana (Tordesillas) et natus est Tarracone (Tarragona). Tamen non dabo tibi hoc delectamentum, quamvis iniuriae suscitent iracundiam in animis humilibus, in meo autem haec regula habet exceptionem. Fortasse vis me eum vocare asinum, stolidum atque importunum; sed hoc non venit ad mentem meam: peccatum eius puniat eum, et comedat quae sua sunt suo pane et sit ei quidquid sit. Quod vere non potui praeterire est ut videant me senem et mutilum manu, tamquam si in manu mea fieri posset detinere tempus ita ut non amplius transiret super me sive ut mutilatio mea proveniret ex quadam taberna vinaria, sed in illa maxima occasione quam omnia saecula viderunt, nempe praeterita, hodierna nec exspectant futura. Si vulnera mea non fulgurant ante oculos hominum qui inspiciunt ea, saltem erunt in aestimatione eorum, qui sciunt unde haec proveniunt; quoniam miles melius videtur mortuus in proelio quam liber in fuga; atque etiam si proponerent mihi fugam ego autem praeferrem in illo proelio esse quam omnino sanus et non adesse in illo. Vulnera quae miles ostendit in vultu sive in pectore, stellae sunt quae alios ducunt ad coelum gloriae et ad iustam laudationem quaerendam. Et quidem non scribitur cum canis capillis senectutis, sed cum intellectu qui in decursu annorum melior fit. Doleo eum vocavisse me invidum atque eum ad me scribere tamquam ignorantem quid sit invidia; nam reapse duae invidiae sunt et ego unam tantum cognosco scilicet sanctam, nobilem ac boni consilii. Et cum hoc ita sit non debeo prosequi ullum sacerdotem et etiam si familiaris est Sancti Officii. Tamen si ille hoc dixerit propter eum qui sic videtur hoc dixisse omnino erravit; quia ego diligo ingenium eius, admiro etiam opera eius et continuam ac virtuosissimam occupationem auctoris. Nihilominus huic auctori gratias ago quoniam dixit fabellas meas esse plus satyricas quam morales, sed eas bonas esse; et non essent bonae nisi haberent ex omnibus rebus.

Mihi videtur te dicere me circumscribi limitibus meae modestiae et eodem modo etiam non addenda est afflictio afflictis et quam hic dominus habet magna erit absque dubio propterea quod non audet aperte ostendere se ipsum et sub claro coelo, sed nomen suum celat atque aliam patriam fingit tamquam si fecisset proditionem vel crimen laesae maiestatis. Tamen si forte cognoscis eum dic ei, mea ex parte, me nullo modo pati iniuriam, quia bene cognosco quae sint tentationes daemonis atque inter maiores harum est inducere intellectum cuiusdam ut componat librum atque imprimat eum ita ut possit lucrari tum pecuniam tum famam; et ad hoc confirmandum iucundo modo poteris ei hanc fabellam narrare:

Quondam Hispali erat demens qui habebat maiores et facetas ineptias quas amens umquam in hoc mundo inveniret. Et sic ille ope cannae fecit tubulum acutum et tunc accipiens canem in via sive alibi et cum suo pede tenebat pedem canis et cum altero eum suspendebat sicut id posset facere, et introducebat tubulum in quodam loco ubi insuflabat et ponebat canem rotundum ut pilam et cum eum sic haberet dabat duas alapas ventri eius et liberabat eum dicens circumstantibus qui semper multi erant:

–Num cogitatis parvi laboris esse canem inflare?

–Num etiam tu cogitas parvi laboris esse librum facere?

Et si haec fabella non bene ei veniat, tunc dices ei, amice lector, hanc aliam quae etiam est de quodam demente et alio cane:

Olim Cordubae erat alius demens qui solebat super caput ferre fragmentum lapidis marmorei sive saxum non valde leve ponderis et cum videbat canem qui iuxta eum stabat tunc in eum proiiciebat onus illud. Canis stomachabatur, latrabat atque ululabat et rapide fugiebat et non detinebat se in tres vias. Et quidem accidit ut inter illos canes esset canis cuiusdam venditoris pilleorum, quem valde diligebat dominus eius. Saxum cecidit, percussit caput canis et hic contusus ululabat, eum vidit dominus eius et, accipiens virgam mensurandi, egressus est contra dementem cui non reliquit os sanum in corpore et omni ictui, quem ei dabat, dicebat:

–O tu, vilis ut canis latro, quare percussisti canem venaticum meum? Nonne vidisti, o crudelis, canem meum venaticum esse?

Et hoc nomen «venaticum» iterando multoties magnum fustuarium dedit dementi. Ille autem didicit et profectus est et non egressus est in plateam ultra mensem; his rebus peractis, denuo exivit cum sua inventione ac maiore onere. Tunc appropinquavit ad canem et intuens eum attente noluit onus deiicere dum dicebat:

–Caveas, hic est canis venaticus!

Profecto, omnes canes quos invenit, quamvis molossi essent, sive cuiuslibet generis, eos venaticos vocabat et numquam saxum in eos proiecit. Fortasse haec esset fortuna quae huic historiographo eveniret, nempe ne amplius auderet saxum proiicere sub forma librorum, qui, quamvis mali sint, duriores saxis sunt.

Et de his quae dicit, quas minatur mihi, nam conatur auferre lucrum meum ope sui libri, bene potes ei dicere me pro nihilo facere. Et secundum quod scriptum est in ludo scaenico, sive in comoedia iocosa *La Perendenga* ei respondeo, et dico, ut vivat mihi dominus meus qui est vigesimus quartus in suo munere et Christus sit cum omnibus. Vivat enim magnus Comes De Lemos, cuius christianitas

magnanimitasque bene cognita sustentat me contra omnes ictus parvae fortunae meae, et vivat providentissimus et illustrissimus toletanus dominus Bernardus de Sandoval et Rojas, nam quamvis non essent in mundo officinae typographicae et imprimerent contra me plures libros quam litterae habent carmina *Mingo Revulgo*, hi duo principes, nulla sollicitatione praevia mea, nec ulla adulatione requisita nec alio genere ad plaudendum, sed sola bonitate eorum voluerunt mihi beneficium facere ac favere mihi; quapropter valde beatus sum et ditior quam si fortuna per viam ordinariam posuisset me super cacumen suum. Pauper potest habere honorem, sed numquam vitiosus; paupertas poterit obnubare nobilitatem, sed non omnino tegere. Et cum virtus dederit quamdam lucem, quamvis per rimas angustiae sit, ab altis nobilibusque animis aestimabitur, et proinde favebitur. Et nihil amplius ei dicas, quia nec ego volo amplius tibi dicere, sed animadverte et considera hanc secundam partem huius *domini Quixoti*, quam tibi offero, esse eiusdem auctoris atque ex ipsa materia quam primam, qua dabo tibi dominum Quixotum dilatatum et denique eum mortuum ac sepultum, ne quis audeat nova testimonia extollere et levare, quoniam sufficiunt praeterita necnon ut vir honoratus nuntium det harum prudentium dementiarum, in quas noluit denuo intrare; propter quod copia rerum, quamvis bona sit, aliquando molesta est atque e contrario indigentia rerum, quamvis mala aliquo modo aestimetur. Oblitus sum dicendi ut exspectes librum *Persiles*, quem nunc finio, et secundam partem illius *Galateae*.

Capitulum 1. Ubi agitur de his quae parochus ac tonsor locuti sunt cum domino Quixoto de eius infirmitate

Cide Hamete Benengeli, in secunda parte huius historiae atque in tertio egressu domini Quixoti, narrat parochum tonsoremque circa mensem non vidisse dominum Quixotum et quidem quia timebant ne meminisset praeteritarum rerum gestarum. Tamen non cessarunt visitare neptim et heram domus ad eas animadvertendas ut animum eius relaxarent atque alerent eum bono nutrimento ut esset aptum cordi et cerebro ex quo procedebat, secundum opinionem eorum, omne infortunium eius. Ambae dixerunt eis se sic fecisse et facturas esse maxima voluntate et cura adhibita, quia animadverterunt dominum earum aliquando ostendere se ipsum omnino compotem mentis esse; quo illi duo valde gavisi sunt, quia eis videbatur se bene fecisse cum eum incantatum super plaustrum boum domum adducerent, sicut narratum est in prima parte huius tam magnae atque accuratae historiae, et quidem in ultimo capitulo eius. Et sic decreverunt eum visitare ad probandam firmiorem valetudinem eius, quamvis hoc vix fieri posset et, nullis rebus de equitatu adductis, ne facerent periculum aperiendi vetus vulnus eius, quod vere tam recens erat.

Denique eum visitaverunt atque invenerunt eum sedentem in lecto, indutum laneo thorace viridi et rubro pilleo toletano; ille autem erat tam flaccidus ac macer ut similis esset ex carne mummia. Ille bene recepit eos, qui de valetudine eius quaesiverunt ac magno et sano iudicio de se locutus est et quidem pulchris verbis. Atque in decursu colloquii venerunt ad loquendum de eo quod dicitur principium status et modus sese gerendi, tum corrigendo hos abusus, tum damnando hanc rem, sive reformando aliam consuetudinem et vitando alias, tum fiebat unusquisque trium novus legisperitus, ut hodiernus Lycurgus, sive perlucidus Solon. Et taliter rem publicam renovaverunt ut videretur illos eam in fornace immisisse ad aliam novam faciendam. Tamen dominus Quixotus locutus est magna prudentia de omnibus materiis quas attigerunt, atque ambo inquisitores indubitanter crediderunt eum fuisse in bono iudicio suo atque omnino compotem mentis.

Ad hoc colloquium aderant neptis atque hera domus et non cessarunt gratias Deo agere videndo dominum earum praeditum tam bono intellectu; tamen parochus primum consilium suum mutavit quod erat nullo modo loqui de rebus pertinentibus

ad equitatum et voluit probare ad videndam sanitatem domini Quixoti utrum vera esset an ficta sive falsa. Et sic ex rebus gestis in alias pervenit ad narrandos nonnullos nuntios, qui venerant ex Aula Regia et inter alia dixit turcas descendisse cum praepotenti classe navali, et designio omnino ignoto, quia nesciebant quonam peterent et ubi pluvia sive procella impetum faceret. Et omnis Christianitas erat submersa hoc timore tamquam omni anno cum tuba caneret ad arma et Rex munivit omne litus maris Neapolis et Siciliae Insulaeque Melitae (Malta). Ad haec dominus Quixotus respondit:

–Rex fecit ut prudentissimus miles ad providendos suos status tempore opportuno, ne inimicus inveniat eum incautum; tamen si acciperet meam propositionem vellem ei consilium dare de quo Rex hoc tempore est omnino alienus cogitandi.

Vix ac parochus haec audivit loquens secum dixit: «Deus te adiuvet, miserrime domine Quixote; quia mihi videtur te de summo cacumine dementiae eiicere teipsum usque ad profundam abyssum tuae simplicitatis!» Tonsor autem, qui easdem cogitationes habuit quam parochus, rogavit dominum Quixotum ut diceret ei quod esset monitum suae praeventionis, quod tam opportunum esset ad faciendum; quia fortasse tale esset ut bonum ad recensionem monitorum impertinentium, quae ad tempora dantur principibus.

–Meum autem, magister tonsor –inquit dominus Quixotus–, non erit impertinens, sed opportunum.

–Nolo hoc dicere propter hanc rem –obiecit tonsor– sed quia, teste experientia, fere omnia arbitria, quae dantur Regi pleraque non fieri possunt sive omnino stulta vel in damnum ipsius Regis vel regni sunt.

–Meum autem –respondit dominus Quixotus– fieri potest et non stultum erit, sed facillimum atque iustissimum ac peritissimum ac brevius quod fatuus consiliator posset fingere animo.

–Iam multum demoraris ad dicendum, domine Quixote –ait parochus.

–Nullo modo vellem –dixit dominus Quixotus– me hoc hic et nunc dicere ut in crastinum diem perveniat ad aures cuiusdam consiliatoris atque alius ferret beneficium ac praemium mei laboris.

–Quoad me –dixit tonsor– iuro hic et coram Deo me numquam dicturum esse nec Regi nec alii neque homini terreno, iusiurandum quod didici de quodam carmine parochi, qui in praefacione animadvertit Regi de quodam latrone, qui ab eo rapuit centum nummos aureos et mulam velocem.

–Nescio de his fabellis –dixit dominus Quixotus–; tantummodo scio hoc iusiurandum bonum esse, quoniam credo dominum tonsorem virum bonum esse.

–Et quamvis non bonus esset –ait parochus– ego sum sponsor eius, atque in hac occasione non loqueretur plus quam mutus, aliter adimplebit quod diiudicaverint secundum sententiam.

–Quis enim erit sponsor tuus, domine paroche? –dixit dominus Quixotus.

–Munus meum –respondit parochus– quod est servandi secreta.

–Mehercle, et iuro per talem! –dixit ad hanc opportunitatem dominus Quixotus–. Quid est hoc nisi ut Rex per praeconium publicum iubeat ut omnes equites itinerantes, qui vagantur per Hispaniam, conveniant ad Aulam Regiam quodam die;

et quamvis tantummodo illi sex sint, quidam posset inter hos venire solus, qui omnem potestatem turcarum destrueret? Attendite, quaeso, et venite mecum. Num erit res nova ut solus eques itinerans destruat exercitum ducenta milia hominum, tamquam si omnes habuerint unicum guttur, sive si essent facti ex massa saccharata vel butyro. Sin autem, dicite mihi quot historiae plenae sunt his miris rebus? Maledicta hora esset mihi, quoniam nolo dicere alii, si viveret hodie clarissimus dominus Belianis, sive quidam ex innumero genere Amadis a Gaula; nam si quis eorum hodie viveret et turcas percuteret, infidelis haberet difficultatem ad sustinendum, mea fide. Et Deus eligeret quemdam pro populo suo et, quamvis non esset tam strenuus tamquam praecedentes equites itinerantes, saltem non erit inferior eis animo et Deus intelligit me et nihil amplius dicam.

–Eheu! –dixit ad hanc opportunitatem neptis–. Peream ego, nisi dominus meus nolit denuo fieri eques itinerans!

Quibus dominus Quixotus dixit:

–Eques itinerans moriturus sum, ascendant sive descendant turcae cum vellent sive cum possent secundum potestatem eorum; et iterum iterumque dico Deum intelligere me.

Ad haec tonsor dixit:

–Rogo te ut mihi veniam des ad brevem fabellam narrandam, quae accidit Hispali (Sevilla) et quae huc venit perfecte, quare eam enarrare volo.

Dominus Quixotus, hac venia concesssa, ac parochus et reliqui, auribus arrectis, eum audierunt atque ille hoc modo incepit:

–In nosocomio insanorum Hispalis erat vir quem propinqui huc adduxerunt, quia non erat compos mentis. Tamen graduatus erat in iure canonico Ossunae, sed quamvis esset Salmanticae, secundum opinionem multorum, etiam esset amens. Hic graduatus autem post quosdam annos occlusionis videbatur sanus esse et compos mentis et hoc statu rerum litteras scripsit ad archiepiscopum rogans eum ut magnopere et bonis argumentis iuberet ut eum educerent de illa commiseratione in qua vivebat, quia per misericordiam Dei recuperavit iudicium amissum; sed propinqui eius ad gaudendum divitiis eius illuc introduxerant et contra veritatem fingebant eum dementem esse usque ad mortem. Archiepiscopus autem, persuasus multis schedulis et prudentibus scriptis, iussit cuidam capellano suo ut certior fieret apud rectorem illius nosocomii, utrum verum esset quod licentiatus ille scripserit ei et loqueretur cum demente et nuntiaret ei si vere videbatur eum sanum iudicium habere necne ita ut possent ei libertatem dare. Sic fecit ille capellanus cui rector nosocomii dixit hunc virum adhuc esse dementem, quamvis aliquando loqueretur tamquam vir praeditus magno intellectu, sed in finem explodebat multis stultitiis, quae in magnitudine aequabantur primis bonis argumentis, sed ipse poterat comprobationem facere et cum eo loqui. Capellanus autem voluit hanc experientiam facere et locutus est cum demente per horam et immo amplius, atque hoc tempore nihil dixit amens, quod non esset rectum; et quidem tam bene locutus est cum capellano ut hic crederet eum sanum fuisse; atque inter alia amens dixit ei rectorem odisse eum ne perderet munera, quae propinqui eius rectori faciebant ita ut semper diceret eum adhuc dementem esse, quamvis per intervallos lucidus esset. Atque inter inimicos quos demens habebat erant

suae magnae divitiae, quia inimici ad gaudendum eis fingebant dolum et dubitabant de beneficio, quod Dominus Noster ei faciebat, quia mutaverat eum ex bestia in hominem. Denique locutus est tali modo ut faceret rectorem suspectum, propinquos avidos cupidosque, ille autem prudens erat et capellanus statuit eum secum adducere ad videndum archiepiscopum, ita ut omnem veritatem cognosceret in illo negotio. Hac bona fide, bonus capellanus rogavit rectorem ut mitteret ei vestes quibus licentiatus intravit illuc; tamen rector denuo dixit ei ut videret quid faceret, quia ille licentiatus, procul dubio, erat adhuc amens. Pro nihilo fuerunt praeventiones et monita rectoris quin eum secum adduceret; oboedivit rector mandato archiepiscopi atque induerunt licentiatum vestibus, quae erant novae atque honestae. Et cum ille vidit se amictum tamquam sanum et nullo modo amentem rogavit capellanum ut propter misericordiam daret ei veniam ad valedicendum sociis amentibus. Capellanus autem voluit eum comitari necnon et videre dementes, qui erant in illo nosocomio. Ascenderunt, profecto, atque una cum eis nonnulli qui praesentes aderant; tunc licentiatus pervenit ad cellam, ubi erat quidam demens furiosus, quamquam in illo tempore erat quietus et tranquillus et dixit ei:

–Frater mi, videas si mihi aliquid commendas, quia ego vado domum meam; nam Deus propter suam infinitam misericordiam ac bonitatem voluit mihi sanum iudicium dare; ego iam sum sanus et compos mentis; quia apud Deum omnia fieri possunt. Habeas ergo magnam spem in Eo, quia si me reddidit ad pristinum statum meum etiam te reddet si vere Ei confidis. Ego autem curabo mittendi tibi nonnulla munera ad comedenda, comede ea interea; quia ego credo atque imaginor, quia per has transivi, omnes dementias nostras procedere ex stomachis vacuis et cerebris plenis vento. Conare ergo ac macte virtute; quia fragilitas in infortunio extenuat animum et ducit ad mortem.

Haec omnia argumenta licentiati auscultavit alius amens, qui erat in alia cella, coram cella furiosi et surgens e veteri storea, ubi iacebat omnino nudus, quaesivit magnis vocibus, quis esset qui sanus egrederetur. Licentiatus respondit ei:

–Ego sum, frater, qui egredior; quia non necesse est me amplius hic manere, quare gratias ago coelo propter tam magnum beneficium factum mihi.

–Vide quod dicis, licentiate, ne te decipiat diabolus –obiecit demens–, placa pedes tuos ac mane domi tuae et reditum huc denuo parces.

–Ego scio sanus esse –obiecit licentiatus–, et non necesse est ut iterum faciam stationes veteres.

–Num tu sanus? –dixit demens ille–. Nunc autem, hoc eveniet: vade cum Deo; sed egomet iuro per Iovem, cuius excellentiam ego repraesento in terris et propter hoc peccatum quod hodie committit Hispalis extrahendo te ex hac domo et putat te sanum esse talem punitionem faciam ut maneat in memoria eius per omnia saecula saeculorum, *amen*. Nescis, parve licentiatule, quid facturus sum? Ita ut dico ego sum Iupiter Tonans et in manibus meis habeo fulmina comburentia, quibus possum terram minari ac destruere. Tamen tantummodo hac re volo punire totum populum ignarum; et faciam ne pluat in hac regione et finitibus eius per tres annos integros, qui incipient ex hoc tempore quo minae factae sunt atque hinc prorsus. Num tu liber, tu sanus, tu compos mentis atque ego amens, ego infirmus, ego vinctus ...? Sic faciam pluere tamquam suspendere me ope laquei.

Attenti fuerunt omnes circumstantes argumentis illius amentis; tamen licentiatus noster, vertit se ad nostrum capellanum et apprehendens eum manibus dixit ei seorsum:

–Ne doleat tibi, domine mi, nec immo cures de his quae hic demens dixit; quia si ille est Iupiter et non vult pluere, ego sum Neptunus, pater deusque aquarum et pluere faciam toties quoties vellem ac necesse sit.

–Quibus capellanus respondit:

–Nihilominus, domine Neptune, non erit bonum irritare dominum Iovem: maneas nunc magna commoditate et postea ac paulatim revertemur ad te quaerendum.

Risit rector et omnes circumstantes quo risu capellanus aliquantulum erubuit; denudaverunt licentiatum qui mansit in nosocomio et fabella conclusa est.

–Estne haec fabella, domine tonsor –inquit dominus Quixotus–, quae veniebat tam perfecte et non potuisti nisi eam narrare? O, magister tonsor, magister tonsor, et quam caecus est ille qui non videt per cribrum! Nonne scis comparationes, quae faciunt ex intellectu ad intellectum ex merito ad meritum, de formositate ad formositatem atque ex genere ad genus semper sunt odiosae et male acceptae? Egomet, domine tonsor non sum Neptunus, deus aquarum, nec quaero ut quis habeat me ut prudentem nisi vere prudens sim; tantum conor ut mundus videat crassum errorem, quoniam non renovatur tempus quo ordinatio huius equitatus itinerantis exercebatur. Tamen haec prava aetas nostra non vere meretur gaudendi tanto beneficio, sicut gavisae sunt aetates praecedentes cum equites itinerantes impenderent opera et super umera eorum susciperent defendere regna, virgines protegere, succurrere orbatis et pupillis, superbos punire atque humilibus praemium dare. Plerique equites, qui nunc temporis sunt, antea induunt byssum et sericum ac telas pretiosas quam loricam et thoracem bellicum; nullus eques dormit in campis sub divo, armatus e summo usque deorsum; neque est qui, calcaribus ad pedes calceatis, innixus lancea, conetur tantum dormitare levi somno, sicut fecerunt equites itinerantes. Nemo est qui egrediatur ex hac silva atque intret in illum montem et hic conculcet desertum litus maris quod plerumque sit procellosum ac motum et si invenit in eo loco parvam scapham absque remis nec velis, sine arbore nec armamentis navis, intrepido animo proiiciat se intus et relinquat se ad undas maris profundi, quae aliquando eum ad coelum ascendunt sive in abyssum; atque ille paratus sit ad teterrimam procellam superandam et, nullo computo facto, inveniat se confestim esse ad tria milia leucarum ex illo loco, ubi in scapham intravit, et tunc descendat de navi ad terram remotam ignotamque atque ei accidant res dignae scribendae non in charta membranacea, sed in aere. Verumtamen nunc pigritia triumphat super diligentiam, otiositas super laborem, vitium super virtutem, superbia super strenuitatem, theoria super praxim armorum, quae tantum vixerunt ac resplenduerunt in aetatibus aureis et cum equitibus itinerantibus. Sin autem, dicite mihi quis fuit honestior ac magis strenuus quam Amadis a Gaula? Quis enim prudentior quam Palmerinus ab Anglia? Quis enim accommodatior ac peritior quam Tirante Albus (el Blanco)? Quis elegantior quam Lisuarte a Graecia? Quis pluries vulneratus est quam dominus Belianis et quis plures vulneravit quam ipse? Quis enim audacior fuit Perioni a Gallia, sive quis intrepidior ad aggredienda pericula quam Felixmars

ab Hyrcania, sive quis magis ingenuus quam Esplandian? Quis enim audacior quam dominus Cirongilius a Thracia? Quis magis strenuus Rodamonte? Quisnam prudentior rege Sobrino? Quis audacior Reginaldo? Quis invencibilior Orlando (Roldano)? Quis elegantior urbaniorque Ruggiero, de quo procedunt hodie duces Ferrariae, secundum *Cosmographiam* Turpini? Cuncti hi equites, atque alii quos possum dicere nominatim, domine paroche, fuerunt equites itinerantes, lux et gloria equitatus. De his sive de talibus ut hi, vellem ego ut essent periti mei consilii; et cum hoc ita esset, Rex inveniret bonum ministerium et multa dispendia parceret ac turcae barbas suas depilarent. Tamen, his omnibus rebus dictis, manebo domi, quia capellanus non educet me ex illa domo. Et si Iupiter non facet pluere, ut ait tonsor, hic sum ego et faciam pluere ad nutum meum. Et hoc dico tibi ut tu, domine tonsor, sive magister «Pelvis Radendi», scias me bene te intellexisse.

–Vere, domine Quixote –ait tonsor–, haec nullo modo dixi tibi ut tam procul procederes, Deo iuvante, quia bona fuit voluntas mea, de qua non doleas.

–Utrum vere doleat mihi necne –respondit dominus Quixotus– ego bene scio.

Quibus parochus ait:

–Hucusque fere nullum verbum dixi, sed nolo manere cum quodam scrupulo conscientiae, quod erodat et fodicet me et quidem natum ex his, quae dominus Quixotus dixit.

–Etiam aliis rebus –respondit dominus Quixotus– veniam meam habes, domine paroche, itaque scrupulum tuae conscientiae dicere potes; quoniam non est bonum ulterius cum conscientia scrupulosa prosequi.

–Hac venia concessa, –respondit parochus–, dico scrupulum meum est me non posse persuadere mihi ullo modo hanc multam catervam equitum itinerantium quos tu, domine Quixote, refers vere ac reapse homines ex carne et ossibus fuisse in hoc mundo; immo imaginor hos omnes fuisse fabulam, rem fictam ac mendacium sive somnia narrata ab hominibus expergefactis, sive, ut ita dicam, semi–dormientibus.

–Hic est alter error –respondit dominus Quixotus– in quo multi lapsi sunt, quoniam non credunt tales equites vere fuisse in mundo. Egomet pluries ac diversis hominibus hanc fallaciam solvere volui ad omnem veritatem ostendendam; tamen aliquando non potui meum consilium probare, sed certe potui sustentare super umeros veritatis. Et haec tam certa est, ut fere motus sim dicendi me vidisse meis propriis oculis Amadis a Gaula, qui erat vir altus corpore, albus facie, bene praeditus barba et quidem nigro colore et eodem tempore inter mollem et densam, vir paucis verbis ad loquendum, tardus ad iram ac promptus ad hanc amittendam. Atque hoc modo sicut descripsi hunc Amadis possum, mea opinione, depingere ac delineare omnes equites itinerantes, qui sunt in historiis in toto orbe terrarum et propter fiduciam, quam habeo, eos fuisse secundum quod historiae de eis loquuntur ac per optimas res gestas, quas fecerunt et qualitates quas habuerunt, detrahere possum, teste bona philosophia, lineamenta faciei, colores eorum atque altitudinem corpoream.

–Tunc quam magnus fuit, secundum tuam opinionem, domine Quixote –quaesivit tonsor–, ille gigas Morgante?

–Quatenus ad gigantes –repondit dominus Quixotus– est diversitas opinionum, utrum vere essent necne; tamen Sacra Scriptura, quae non potest a veritate discedere

nec atomo, ostendit nobis eos vere fuisse, quoniam Historia narrat de illo philisthaeo nomine Goliath, qui septem cubitos ac dimidium habebat altitudine, quod est maxima altitudo quoad nos. In insula Sicilia etiam inventa sunt ossa crurum atque umerorum et quidem tam magna ut propter hanc magnitudinem colligi potest ea esse ex gigantibus, qui essent tamquam magnae turres, atque haec veritas absque dubio orta est ope geometriae. Tamen, his rebus perspectis, non potero dicere maxima certitudine magnitudinem illius Morgante, quamvis imaginor eum non fuisse altissimum; et hoc credo quoniam in historia de suis facinoribus dicitur eum aliquando dormire sub tecto; et si ille inveniebat domum, ubi potuit intrare, ut patet, altitudo eius non esset tam immanis.

–Hoc ita est –dixit parochus.

Huic autem placuit audire tam magnas stultitias atque ab eo quaesivit, quid ergo sciret de facie Reginaldi de Montalbano atque Orlandi (Roldani) ac reliquorum Duodecim Parium Galliae, quia omnes fuerunt equites itinerantes.

–De Reginaldo –respondit dominus Quixotus– audeo dicere eum habuisse vultum amplum, colore rubro, oculos saltatores mobilesque, et suspicax nimis fuit atque iracundus, amicus latronum ac malae plebeculae. De Orlando, sive Roldano vel Rotolando, quia his omnibus nominibus notus est ac sic eum vocant in historiis, mea sententia, credo eum fuisse mediocris altitudinis, amplum umerorum, falcipedium sive corvum crurum, subnigrum facie, piloso corpore, minantem oculis, praeditum brevibus argumentis, tamen urbanum, officiosum ac nobilem natu.

–Si Orlandus non fuit nobilior quam sicut tu, domine, dicis –obiecit parochus– non miror dominam Angelicam Formosam eum despicere propter qualitates atque elegantiam impetumque, quas habuit ille iuvenis maurus cum barba caprina cui ipsa sese tradidit; et prudens fuit adamandi blanditias Medori quam asperitates Orlandi.

–Haec Angelica, domine paroche –respondit dominus Quixotus–, fuit virgo valde inconstans, cupida vagandi ac dissoluta, quae mundum implevit suis ineptiis tamquam fama venustatis eius: despexit mille dominos, mille strenuos milleque prudentes et denique placuit ei ephebus barbae suavis, qui nullas divitias nec nomen habuit quam ea quae obtinuerat ex amicitia sui amici. Et illustris Ariostus, magnus cantator formositatis eius non ausus est cantare sive noluit quod huic dominae accidit post accubitum cum eo, quoniam non essent res nimis honestae, eamque reliquit, ubi dixit:

Et sic ut ex Cathaia recepit sceptrum
fortasse quis alter cantabit meliore plectro.

Atque absque dubio hoc fuit tamquam prophetia; quoniam poetae quoque vocantur «vates», quod vult dicere «harioli». Ceterum, haec veritas clara est, quoniam clarus poeta baeticus flevit et cantavit lacrimas eius atque alius illustris poeta hispanus cantavit eius pulchritudinem.

–Dic mihi, domine Quixote –inquit ad hanc opportunitatem tonsor– nonne etiam fuit poeta, qui fecerit quamdam satyram contra hanc dominam Angelicam, inter tot multos, qui eam laudaverunt?

–Bene crederem –respondit dominus Quixotus– si vere Sacripans sive Orlandus

(Roldanus) essent poetae iam infunderent hanc virginem suis vituperiis; quoniam proprium est poetis et praesertim spretis et non acceptis a dominabus eorum, quas elegerunt ut dominas cordium eorum, quod eis decet id est sese vindicare ab eis ope cuiusdam satyrae vel libelli ultionis, quamvis hoc indignum sit animi generosi; nihilominus non pervenit ad me nuntius cuiusdam carminis infandi contra hanc dominam Angelicam, quae mundum vero deturbavit.

–Miraculum! –dixit parochus.

Tunc audiverunt heram et neptim colloquium illud reliquisse ac magnas voces clamare in cohorte atque ad strepitum cuncti convenerunt.

Capitulum 2. Ubi agitur de magna rixa inter Sanctium Pansam et neptim heramque domus domini Quixoti cum aliis rebus facetis

Historia narratur voces, quas dominus Quixotus, parochus et tonsor audiverunt, esse neptis atque herae domus et quidem eae clamabant dicentes Sanctio Pansae, qui pugnabat introiendo ad dominum Quixotum videndum atque ambae impediebant eum introire per ianuam.

–Quid ergo vult hic indomitus in hac domo? Vade domum tuam, frater, quia tu es et non alter, qui allexit, distraxit atque eduxit dominum meum eumque per has vias perditionis conduxit.

Quibus Sanctius respondit:

–Hera Satanae, allectus, distractus atque eductus per has vias perditionis ego sum, sed *non e contrario dominus tuus: ille me conduxit per hos mundos ac tu deciperis* in medio iusto pretio; ille eduxit me ex domo mea et quidem cum fallaciis, quia promisit mihi insulam quam hucusque exspecto.

–Malae insulae suffocent te –respondit neptis–, maledicte Sancti. Quid ergo sunt insulae? Estne aliquid ad comedendum, edax ac vorax appetens, quia tu vere es?

–Non sunt comedendi –obiecit Sanctius–, sed gubernandi ac regendi melius quam quattuor urbes et quattuor praefecti Aulae Regiae.

–His omnibus rebus –dixit hera domus–, huc non intrabis tu, saccus plenus malitiis. Vade ergo ad gubernandam tuam domum atque ad arandos agros portionis tuae et ne audeas has insulas sive insulos habere.

Parochus tonsorque magno gaudio colloquium inter illos tres audiebant; tamen dominus Quixotus timens ne Sanctius plus aequo diceret et cumulum maleficarum stultitiarum proiiceret necnon adduceret quae non deberet dicere nec liceret, eum vocavit atque iussit ut illae duae tacerent ac permitterent eum intrare. Sanctius introivit et parochus tonsorque valedixerunt domino Quixoto, de cuius salute desperaverunt, quia adhuc manebat in suis erratis cogitationibus ac viderunt eum profunde habuisse perversum consilium de equitatu; quare parochus ad tonsorem ait:

–Cito videbis, o sodalis, quomodo cum minus de hac re cogitemus fidalgus noster rursum egredietur ad volatum.

–De hoc nullum est dubium –respondit tonsor–; sed non tantum miror de dementia equitis quam de simplicitate armigeri, qui etiam tam intus habet hanc quaestionem de insula atque omnes deceptiones huius mundi, quae imaginari possint, non educent ex mente eius.

–Deus providebit –dixit parochus–, sed oportet ut curam faciamus: videbimus quid faciet haec machina ineptiarum talis equitis ac talis armigeri, quia videtur ambos ortos esse ex ipsa forma, quare dementiae domini absque stultitiis famuli nullius momenti essent.

–Hoc ita est –dixit tonsor–, et valde gauderem cognoscendo quid nunc inter hos duos tractabitur.

–Absque dubio asseram tibi –respondit parochus– heram domus sive neptim hoc deinceps narraturas esse nobis: quia non sunt mulieres, quae possint vitare auscultationem.

Interea dominus Quixotus introduxit Sanctium in habitaculum suum et cum soli essent ait ad eum:

–Valde doleo, Sancti, quia dixisti et quidem dicis me fuisse qui eduxi te ex tuis rebus, quoniam egomet non mansi domi meae; una egressi sumus atque ambo iter fecimus ac deambulavimus; ipsa fortuna fuit nobis duobus: et si te eiecerunt ope straguli in altum, etiam illi percutiebant me centies atque in hoc possum superare te.

–Atque hoc est quod oportet –respondit Sanctius–, quia secundum quod dicis, infortunia magis ad equites pertinent quam ad armigeros.

–Haec est fallacia, Sancti –inquit dominus Quixotus–; secundum quod dicitur *'quando caput dolet'* ... , et cetera.

–Nullam aliam linguam intelligo quam meam –respondit Sanctius.

–Volo dicere –ait dominus Quixotus– cum caput dolet omnia membra etiam dolent; atque hoc modo si ego, dominus tuus, sum caput tuum et tu es pars mea, quia famulus meus es; tunc si quidam dolor afficeret me sive tangeret me tu etiam dolebis de eo atque ego de tuo dolore.

–Hoc ita esset –dixit Sanctius–; tamen cum eiecerunt me in altum ope straguli tamquam membrum, caput meum manebat extra muros consaepti videndo me volare per aerem, absque ullo dolore; et si membra corporis debent dolorem capitis sentire oportebat ut caput doleret de eis.

–Visne tu nunc dicere, Sancti –respondit dominus Quixotus–, me non doluisse cum illi eiecerunt te in altum? Et si hoc dicis non debes dicere nec immo cogitare; quia plus sentiebam ego in meo animo quam tu in tuo corpore. Sed, his rebus relictis, quoniam iam erit tempus ut haec omnia accuratius ponderemus, dic mihi, Sancti amice, quid est quod dicunt de me in hoc loco? Quid cogitat de me vulgus, quid ergo fidalgi, quidnam equites? Quid dicunt de mea strenuitate, de meis rebus gestis ac de mea urbanitate? Quid enim fertur de resolutione mea resurgendi atque ad mundum rursum adducendam relictam ordinationem equitatus? Ac denique volo ut dicas mihi, Sancti, quod ad aures tuas pervenit; atque hoc quidem accuratissime, quare nec auferas nec addas verbum; quoniam fidelium subditorum est veritatem suis dominis dicere et hoc ipsis verbis, ita ut nulla adulatio augeat nec fictus respectus

minuat; quoniam debes scire, Sancti, si ad aures principum nuda veritas perveniret, non amicta vestibus adulationis, alia saecula essent nobis atque aliae aetates magis ferreae quam nostra, quae, mea opinione et secundum quod credo, est aetas aurea. Atque animadverte hoc monitum, Sancti, ut ponas in aures meas omnem veritatem rerum prudenter ac benevole de his quae nosti secundum quod quaesivi a te.

–Hoc faciam libenter, domine mi –respondit Sanctius–, sed sub condicione ut ne doleas de his quae dicerem, quia vis ut haec dicam et quidem nude, sine vestibus sicut nuntii ad me venerunt.

–Nullo modo dolebo –respondit dominus Quixotus–. Quare bene potes, Sancti, loqui mecum aperte atque absque ulla circumlocutione.

–Imprimis dicam –ait– vulgus credere te magnopere amentem esse, ac me stolidum. Fidalgi autem dicunt te noluisse manere in limine huius nobilitatis atque accepisti *dominum* et factus es eques tantum cum quattuor vineis et duobus iugeris agri et cum linteo a retro et cum alio a fronte. Equites insuper dicunt se non velle fidalgos cum eis contendere praesertim fidalgos ex genere armigerorum, qui mundant calceos fumo ac restaurant tibialia nigra cum filo serico viridi.

–Hoc –inquit dominus Quixotus– nihil dicit de me, quoniam semper amictus sum eleganter et numquam reparatus; ruptus fortasse aliquando, sed magis ope armorum quam temporis.

–Quatenus ad strenuitatem –prosecutus est Sanctius– urbanitatem ac bonas res gestas et modum te gerendi sunt diversimode sententiae apud eos; nam sunt qui dicunt: «amentem sed facetum»; nonnulli «strenuum sed infelicem»; alii vero «urbanum sed importunum»; atque ex his descendunt in multas qualitates, quibus nec tibi nec mihi os sanum relinquunt.

–Vide, Sancti –inquit dominus Quixotus–; ubicumque sit virtus in maximo gradu ibi eam persequuntur. Perpauci sive nulli fuerunt viri illustres, quos malitia non calumniaretur. Iulius Caesar fuit imperator valde animosus, prudens strenuusque atque eum ambitiosum vocaverunt et non tantum mundum in vestibus sive in moribus eius. Alexander cui per res gestas eius dederunt nomen Magni de eo dixerunt eum ebrium fuisse. De Hercule, ille qui tot labores perfecit, dixerunt eum lascivum atque effeminatum fuisse. De domino Galaore, fratre Amadis a Gaula, murmuratur eum nimis rixatorem, et de suo fratre eum lacrimosum fuisse. Quare, o Sancti! inter tot calumnias optimorum bene possunt meae ire, quamvis non sint aliae quam quas mihi dixisti.

–Haec est quaestio, per corpus patris mei! –obiecit Sanctius.

–Estne aliquid amplius? –quaesivit dominus Quixotus.

–Adhuc manet cauda ad eam glubendam –dixit Sanctius–. Quod hucusque dixi tantum sunt dulciora ac panis benedictus; sed si vis omnes calumnias quas de te, domine, dicunt, ego adducam huc qui has omnes statim dicat, nulla excepta, quia die hesterno venit filius Bartholomaei Carrasco ex suis studiis Salmanticae et factus est baccalaureus et cum ad eum venirem ad ei gratulandum dixit mihi te iam esse in libris historiae, quia est *Ingeniosus Fidalgus Dominus Quixotus a Manica*. Et etiam nominant me cum meo nomine, Sanctius Pansa et domina Dulcinea a Toboso cum rebus gestis, quae acciderunt nobis cum soli essemus, et perturbatus sum et signum

crucis feci super me, quomodo ergo potuit historiographus has cognoscere qui has scripsit?

–Te faciam certiorem, Sancti –ait dominus Quixotus–, hunc auctorem nostrae historiae, sine dubio, sapientem incantatorem esse, quoniam his nil manet occultum ex his quae scribere volunt.

–Et quo modo –dixit Sanctius– si vere erat sapiens et incantator! –atque hoc secundum quod dicit baccalaureus Samson Carrasco, quia sic vocatur quem antea dixi– qui scripsit hanc historiam et nuncupatur Cide Hamete Melongena (Berenjena).

–Hoc nomen est maurum –respondit dominus Quixotus.

–Sic erit –respondit Sanctius–; quia maxima ex parte audivi dicere mauros delectantur melongenis.

–Absque dubio, Sancti –inquit dominus Quixotus–, erraveris in cognomine huius Cide, qui in arabico sermone vult dicere *dominus*.

–Hoc bene est –obiecit Sanctius–; sed si tu vere vis, domine, ego possum eum huc adducere et quidem volando.

–Hoc valde placet mihi, amice –dixit dominus Quixotus–; quia suspensus sum de his quae dixisti mihi et nihil comedam quod tam bene mihi sapiat tamquam nuntius huiusmodi.

–Tunc eum confestim quaeram –respondit Sanctius.

Et, domino relicto, petivit baccalaureum et, mora elapsa, cum eo reversus est atque inter tres fuit gratum colloquium.

Capitulum 3. Ubi agitur de ridiculo colloquio quod fuit inter dominum Quixotum, Sanctium Pansam ac baccalaureum Samson Carrasco

Dominus Quixotus etiam mansit meditabundus exspectando baccalaureum Samson Carrasco a quo cupiebat nuntios scriptos in libro de se ipso cognoscere, sicut ei dixerat Sanctius et non potuit persuadere sibimetipsi talem historiam esse, quia gladius eius nondum siccus erat ex sanguine inimicorum, quos occiderat, et iam voluerunt claras res gestas alti equitatus eius imprimere. Ceterum, imaginatus est quemdam sapientem tum amicum tum inimicum ad modum incantamenti imprimere eas: si esset amicus ad eas augendas ac superandas super meliores cuiusdam equitis itinerantis; sin autem inimicus ad destruendas et subiacendas inter viliores, quae de vili armigero scriptae essent. Quoniam –inter se dicebat– numquam res gestae cuiusdam armigeri scriptae sunt; et si vere tales res gestae essent et quidem ex quodam equite itinerante magnae, altae, insignes, magnificae et verae essent. His verbis perpensis, parumper mitigatus est; sed desperavit putando auctorem maurum fuisse, secundum illud nomen *Cide* atque ex mauris nulla veritas exspectanda erat, quoniam omnes sunt mendaces, falsarii et chimaerici. Etiam timuit ut tractaret amores eius indecenter atque hoc esset contra honorem atque in damnum dominae eius Dulcineae a Toboso; ac desiderabat ut ille explicite diceret de fidelitate et decore eius, quem

semper servavit ei necnon et quidem reginis, imperatricibus et virginibus ex toto genere spretis, et etiam, naturalibus impulsibus retentis. Atque haec cogitans convolvensque alia multa desideria in sua mente, Sanctius et Carrasco invenerunt eum et dominus Quixotus eos magna urbanitate recepit.

Baccalaureus autem quamvis vocaretur Samson non erat valde magnus staturae, sed e contrario facetus nimis; pallidi coloris, sed optimi intellectus; circa viginti quattuor annos natus, rotundus facie, nares depressae, os magnum, signa haec omnia erant qualitatis malitiosae atque amicus salis leporisque quod simul ac vidit dominum Quixotum ostendit, quia flexit genua in conspectu eius eique dixit:

–Da mihi tuam manum, excellentissime domine Quixote a Manica; quoniam per habitum Sancti Petri quem induo, et quamvis non alias sacras ordinationes habeam quam quattuor primas, dico te esse primum ex celeberrimis equitibus itinerantibus, qui umquam fuerunt, atque erunt in toto orbe Terrarum. Gratulandus sit Cide Hamete Benengeli, quia scripsit historiam tuarum optimarum rerum gestarum, ac pergratulandus sit ille studiosus qui vertit ex arabico in linguam nostram vulgarem, nempe hispanicam ad universale oblectamentum omnium gentium.

Dominus Quixotus levavit eum atque ad eum ait:

–Hoc modo estne verum historiam meam esse ac maurum sapientemque auctorem eius?

–Et hoc tam verum est, domine –dixit Samson–, ut secundum me plus quam duodecim milia librorum impressi sunt talis historiae et sic hoc potest probare Lusitania, Barcino et Valentia ubi impressa est; et immo fertur hanc impressam esse Antuerpiae (Amberes) et, mea opinione, non erit natio nec lingua in quam non vertatur.

–Prima res –inquit ad hanc occasionem dominus Quixotus– ex quibus maior contentus erit homini praedito virtute atque honore est videre se tractari per linguas hominum, et impressum atque incisum. Dixi autem *optimo nomine* quoniam e contrario nulla mors aequabitur ei.

–Si de bona fama ac de bono nomine agitur –inquit baccalaureus–, tantum tu superabis omnes equites itinerantes; nam maurus sua lingua et christifidelis sua propria magna cura pinxerunt nobis et quidem vivide praestantiam tuam, animum magnum ad pericula aggredienda, patientiam in adversitate, tolerantiam tum in infortuniis tum in vulneribus, honestatem continentiamque in amoribus tuis platonicis et dominae meae Dulcineae a Toboso.

–Numquam –dixit Sanctius Pansa ad hunc statum rerum– audivi nominare Dulcineam ut *dominam*, nempe *doña*, et in hoc haec historia habet errorem.

–Haec obiectio nullius momenti est –respondit Carrasco.

–Non taliter –respondit dominus Quixotus–; sed dicas mihi, domine baccalauree, quaenam bonae res gestae sunt maioris ponderis in hac historia?

–In hoc –respondit baccalaureus– est diversitas sententiarum et de gustibus vanum est disputare: alii opinantur res gestas molarum venti, quae tibi videbantur Briarei sive gigantes; alii autem facta fullonicarum; hic praefert descriptionem exercituum, qui postea videbantur duo agmina pecorum; ille cupit illam mortui, quem adducebant Segoviam; est autem qui dicat res gestas libertatis damnatorum ad triremes, alius

dicit nulla esse tamquam facta duorum gigantum Benedictinorum cum pugna strenui vasconici.

–Dicas mihi, domine baccalauree –dixit ad hanc occasionem Sanctius–: intrant etiam res gestae «yanguesium» cum bonus noster Rocinans voluit nimis quaerere ad refocillandas equas?

–Nihil praeterivit –respondit Samson– sapiens ille in atramento; omnia narrat omnia notat: pervenit ad notandos gyros quos Sanctius fecit in stragulo dum eum in altum eiecerunt.

–In stragulo nullos gyros feci –respondit Sanctius– sed in aere et plures quam voluissem.

–Secundum quod imaginor –inquit dominus Quixotus–, nulla historia est in mundo quae non habeat vicissitudines, praesertim quae agunt de equitatibus; quae numquam erunt plenae factis prosperis.

–Ceterum –respondit baccalaureus–, nonnulli qui vere hanc historiam legerunt dicunt ut melius esset si auctores obliti essent omnino multorum ictuum, quos dominus Quixotus in diversis rebus gestis acceperat.

–In hoc haec historia dicit verum –dixit Sanctius.

–Etiam posset eos tacere propter elegantiam –inquit dominus Quixotus–, nam non necesse est narrare ea quae nec mutant nec novant veritatem historiae, praesertim si redundant ad heroem historiae contemnendum. Et profecto Aeneas fortasse non fuit tam pius sicut Vergilius depinxit eum, necque Ulysses tam prudens ut Homerus eum descripsit.

–Hoc ita est –obiecit Samson–; sed non idem est scribere ut poeta quam ut historiographus: vates res enarrare sive cantare potest, et quidem non tamquam fuerunt, sed sicut deberent esse; historiographus debet eas scribere non tamquam possent esse, sed sicut reapse fuerunt, nullo verbo ablato nec addito, quod veritatem afficeret.

–Si maurus veritates dicit hic –ait Sanctius–, profecto erunt inter ictus domini mei etiam quos percusserunt mihi; quia numquam mensuram dorsi eius fecerunt quin facerent mensuram meam et etiam totius corporis mei; sed non mirandum est quia, secundum dominum meum, de dolore capitis participant omnia membra corporea.

–Astutus es, Sancti –respondit dominus Quixotus–. Et certum est te non carere memoria cum tu vere velis.

–Si vere vellem oblivisci ictuum quos mihi dederunt –dixit Sanctius– contusiones, quae adhuc inveniuntur in costis meis, hoc non tolerabunt.

–Tace, Sancti –ait dominus Quixotus–, et noli interrumpere dominum baccalaureum, a quo quaero ut ulterius prosequatur in his quae narrantur de me in hac historia.

–Et de me –dixit Sanctius–; quia etiam dicunt me esse ex praecipuis *presonis* illius.

–*Protagonistis* vel personis et non *presonae*, Sancti amice –dixit Samson.

–Alterum correctorem de *vocabulis* (litt. *voquibles*) habemus? –dixit Sanctius–. Si hoc modo iter facimus numquam perveniemus ad finem vitae.

–Et utinam Deus det mihi bonam vitam! Sancti –respondit baccalaureus–, si tu

ipse non es secundus in hac historia; et etiam sunt qui praeferunt et volunt audire te loquentem pro altero. Sed sunt qui dicunt te nimis credulum fuisse credendo verum esse quod dicitur de insula promissa a domino Quixoto qui hic est praesens.

–Adhuc est sol ad pedes montium –ait dominus Quixotus–; et cum Sanctius senescat cum experientia, quam aetas dat omnibus, magis idoneus et facilior erit ei fieri gubernator, quam nunc ille est.

–Hercle, domine –dixit Sanctius–; si hanc insulam non gubernabo mea aetate non gubernabo annis Mathusala. Et damnum hic est, quia haec insula demoratur, nescio ubi, sed non quia careo mente ad eam gubernandam.

–Commenda hoc negotium Deo, Sancti –ait dominus Quixotus–; et omne erit ad melius quam quod credis, quoniam non movetur folium arboris absque voluntate Dei.

–Hoc verum est –dixit Samson–; et, Deo providente, non deficient Sanctio mille insulae ad gubernandum quanto magis una. –Gubernatores vidi hic –dixit Sanctius– qui non perveniunt ad soleam calceorum meorum et nihilominus vocant eos *dominos* ac ministrant eis cum catinis argenteis.

–Illi non sunt gubernatores insularum –obiecit Samson–, sed gubernatores minoris ponderis; quia gubernatores insularum saltem debent cognoscere *grammaticam*.

–Cum *gramma* bonum esset mihi –dixit Sanctius–; sed cum *tica* nihil est faciendi, quia hoc non intelligo. Sed relinquam has res gubernandi in manibus Dei ut mittat me quo melius sit mihi; et ego dico, domine baccalauree Samson Carrasco, me valde gaudere, quia auctor huius historiae loquitur de me tali modo ut res non molestae sint; quia si aliter diceret per fidem boni armigeri, id est res quae non essent cuiusdam veteris christiani, sicut ego sum, etiam surdi audirent nos.

–Hoc esset facere miracula –respondit Samson.

–Miracula sive non miracula –dixit Sanctius–, unusquisque videat quomodo loquitur sive quomodo scribit de *presonis* et non ponat primum quod ad mentem eius adveniat.

–Una ex rebus quas ponunt ad talem historiam –ait baccalaureus– est auctorem introduxisse in eam fabellam intitulatam *Invidus maritus importunus*; et non quia mala sit vel male concepta, sed quia non erat vere locus idoneus, nec est ibi aliquid ad dicendum in historia domini Quixoti.

–Ego autem sponsionem faciam –obiecit Sanctius– hunc filium canis coniunxisse caules cum cistis.

–Nunc autem dicam auctorem meae historiae non nimis sapientem fuisse, sed loquax ignorans, qui manibus incertis ac parvo consilio scripsit eam, ita ut esset quidquid sit, tamquam fecerit Orbaneja, ille pictor Idubedae (Ubeda), qui cum quondam ab eo quaererent quid ergo pingeret respondit «Quidquid exeat». Forte aliquando pingebat gallum et tali modo ac tam dissimilis ut deberet litteris gothicis3 iuxta eum scribere: «Hic est gallus». Et fortasse sic erit mea historia atque egebit quodam commentario ad eam intelligendam.

–Hoc nullo modo –respondit Samson–; quia valde clara est et nulla difficultas est ad eam intelligendam: pueri manibus suis eam apprehendunt, iuvenes eam legunt, homines eam intelligunt ac senes eam plaudunt; et denique tam trita, lecta et cognita est ab omni genere hominum ut cum videant iumentum macrum dicunt: «Ibi vadit

Rocinans». Et plerique qui eam legunt pedisequi sunt: quoniam non est vestibulum cuiusdam domini, ubi non inveniatur liber *domini Quixoti*: nonnulli eum accipiunt si alii eum relinquunt: hi festinanter eum petunt aliique eum quaerunt. Tandem haec historia est oblectamentum gaudiosissimum ac vix perniciosum quod hucusque viderint, quia in hac non videtur nec per similitudinem verbum inhonestum nec sententia, quae non sit catholica.

–Scribere alio modo –inquit dominus Quixotus–, non esset scribere veritates, sed mendacia; atque historiographi, qui utuntur mendaciis comburendi essent, tamquam qui pecuniam falsam producunt; sed nescio quid induxit auctorem ad fabellas ac fabulas alienas introducere, cum tam multum sit ad scribendum de meis rebus; procul dubio voluit proverbium sequi quod dicit: «Ex palea atque ex faeno ... (venter impletur)». Quoniam si tantum notaret cogitationes meas, suspiria, lacrimas, optima desideria atque impetus, volumen posset componere et immo maius sive tam magnum quam opera omnia illius Tostati. Profecto, secundum me, domine baccalauree, ad historias librosque componendos ex quolibet genere, opus est magnum iudicium ac maturus intellectus. Magnorum auctorum est dicere facetias et scribere sales leporesque; tamen in comoediis qui agit dramatis personam stulti prudentissimus erit inter omnes, quoniam qui vult sese ostendere tamquam simplicem oportet ut talis non sit. Historia est res sacra; quoniam oportet ut vera sit atque ubi est veritas ibi est Deus, quatenus ad veritatem. Attamen sunt qui componunt atque eiiciunt libros tamquam si essent lagana venti pistoris [vulgo *buñuelos*].

–Nullus liber malus est –dixit baccalaureus– qui non habeat quid boni.

–In hoc non est dubium –obiecit dominus Quixotus–; sed aliquando accidit ut multi praediti magna fama obtenta proprio merito suis scriptis, cum dederint ad officinam typographicam opera sua perdiderunt famam suam omnino, sive eam aliquantulum minuerunt.

–Causa huius rei est –ait Samson– eos inspicere pedetentim opera scripta atque hoc modo possunt errores animadvertere et profundius inquirunt cum maior sit fama auctorum, qui ea composuerunt. Viri clari propter intellectus suos, maximi poetae, illustri historiographi, semper sive plerumque invisi sunt et quidem magna invidia ab his, qui gaudent pro oblectamento proprio de iudicandis scriptis alienis, quamquam nondum edunt sua propria in lucem mundi.

–De hoc non est mirandum –dixit dominus Quixotus–; quoniam multi sunt theologi, qui boni non sunt propter populum atque, e contrario, optimi sunt ad discernendum quod supersit sive quod deficiat in verbis praedicatorum.

–Haec omnia ita sunt, domine Quixote –dixit Carrasco–; sed vellem ut tales censores essent misericordiores ac minus scrupulosi quin viderent atomos solis clarissimi ex opere quo murmurant: quia si '*aliquando bonus dormitat Homerus*', animadvertant quam longam moram expergefactus mansit ut daret operam ad lucem et quidem ad minuendam omnem partem umbrae; et fortasse quod eis videatur malum, esset tantum naevus cutis, qui aliquando etiam accrescunt pulchritudinem faciei, quae eos continet. Et etiam dicam magnum periculum facere qui librum imprimit, quia non fieri potest ut tali modo faciat ita ut omnes qui eum legant eodem modo gaudeant.

–Ille qui de me agit –dixit dominus Quixotus– perpaucos faciet ut gaudeant.

–E contrario; quia «stultorum infinitus est numerus», (Ecctes. 1.15) innumeri sunt qui gaudent hac historia; et nonnulli dicunt auctorem nullam memoriam habuisse, quia oblitus est dicendi, quis enim fuit qui asinum rapuit a Sanctio, nam ibi non declaratur et tantum infertur ex scriptis asinum raptum fuisse ab eo, et postea iterum iterumque vident eum equitem super asinum suum, quamvis nondum apparuisset. Necnon et dicunt eum oblitum esse dicendi quid fecit Sanctius ex illis centum aureis, quos invenit in sarcina Montis Fusci, de quibus nulla est ulterior mentio multique sunt qui volunt scire quid de eis fecit, sive quibus expensis solvit atque haec est res substantialis, qua hoc opus omnino caret.

Sanctius respondit:

–Ego, domine Samson, non possum nunc computum reddere vel fabellas narrare; quia stomachus meus defecit mihi et si non refocillo eum duobus haustibus ex vetere vino immittet me in spinam Sanctae Luciae. Domi ego vinum habeo; uxor mea (litt. *mi oislo*) exspectat me: tunc, prandio finito, huc revertar et tibi rationem dabo atque omnibus huius mundi de his quae a me quaeratis, tum de iumento amisso tum de sumptu centum aureorum.

Et Sanctius, nullo responso exspectato, atque ullo verbo prolato, domum suam profectus est.

Dominus Quixotus a baccalaureo quaesivit rogavitque ut maneret cum eo ad poenitentiam faciendam. Baccalaureus accepit invitationem: ibi mansit atque ad prandium ordinarium par columbarum additum est. Tempore prandii locutum est de equitatu itineranti et Carrasco secutus est dominum Quixotum cum suis facetiis. Prandio finito, tempore quietis postmeridianae dormierunt, Sanctius reversus est et colloquium praevium renovatum est.

Capitulum 4. Ubi Sanctius Pansa rationem reddit baccalaureo Samson Carrasco in dubiis quaestionibus eius cum aliis rebus gestis, quae dignae sunt narrandi

Sanctius reversus est ad domum domini Quixoti et denuo ad colloquium veniens dixit:

–Dominus Samson dixit se voluisse scire, nempe quis, quomodo et quando rapuerunt a me iumentum, his quaestionibus sic respondeo dicens: ipsa nocte qua fugientes de Sancta Fraternitate intravimus in Montes Fuscos, post res gestas sine fortuna damnatorum ad triremes atque ex illo defuncto, quem Segoviam ferebant, dominus meus atque egomet introivimus in densam silvam, ubi dominus meus innixus lancea atque ego super iumentum meum, et quidem concussi ac lassi de ultimis ictibus pugnorum, dormitavimus tamquam si essent culcitae plumarum; praesertim dormivi somno profundo et quicumque venit ad me suspendit me super quattuor stipites, quos collocavit sub quattuor lateribus clitellarum, et quidem ita ut manerem super clitellas et deorsum extraxit asinum, cum nihil de hoc sensi.

–Haec res facilis est et nullae res gestae novae; quia idem accidit Sacripanti, cum esset in oppugnatione Albracae, et notus latro Brunelus extraxit equum ex cruribus eius.

–Prima luce, mane –prosecutus est Sanctius–, et ubi primum commotus sim, stipites defecerunt mihi et confestim cecidi super terram magno ictu; inspexi iumentum et non vidi eum; lacrimas infuderunt oculi mei et lamentatus sum et si auctor nostrae historiae non posuit hoc, potuit credere se non rem novam scripsisse. Postea nescio quot dies, cum veni cum principessa domina Micomicona, recognovi asinum meum et qui veniebat super eum, amictus tamquam zingarus erat Ginesius de Pasamonte, ille mendax ac magnus maleficus, quem dominus meus atque ego liberavimus a catena damnatorum.

–Error non est hic –obiecit Samson–, sed quia antea quam appareret iumentum auctor dicit Sanctium fuisse super asinum.

–His rebus –dixit Sanctius– nescio quid respondendum sit, nisi ut historiographus deciperetur, sin autem esset error typographi.

–Hoc ita est, absque dubio –ait Samson–; sed quid factum est de his centum aureis? Num evanuerunt?

Sanctius autem respondit:

–Ego solvi eos pro meis rebus et pro rebus meae uxoris ac liberorum atque ope horum uxor mea potuit patienter ferre omnes vias atque itinera, quae deambulavi in servitio mei domini Quixoti; quia si post tam multum tempus redirem domum sine pecunia ac sine iumento adversa fortuna exspectaret me; et si amplius de me scire vis, hic ego sum et respondebo etiam ipsi regi et nemo dicat utrum duxerim an non duxerim, utrum solverim necne; quia si computandi essent ictus, quos mihi dederunt pro pecunia, quamvis non essent plus quam quattuor teruntii pro ictu, centum aurei non adimplerent dimidiam partem eorum. Quare unusquisque ponat manum super pectus suum et ne iudicet album pro nigro nec nigrum pro albo; quia unusquisque est tamquam Deus eum fecit et multoties immo peior.

–Etiam curabo –ait Carrasco– culpandi hunc auctorem historiae, et si denuo eam imprimeret ne obliviscatur huius rei quam Sanctius dixit; atque hoc iuvabit ad eam augendam ad altiorem locum in quo est.

–Estne aliquid mendandi in hac lectione, domine baccalauree? –quaesivit dominus Quixotus.

–Absque dubio erit –respondit ille–; tamen nihil erit tam magni momenti quam res iam dictae.

–Num auctor promittit –inquit dominus Quixotus– secundam partem?

–Utique promittit –respondit Samson–; sed dicit se non invenisse nec immo scit quis eam habeat, et sic dubitandum est utrum edatur in lucem necne; et propter has res quia sunt qui dicunt «numquam secundas partes bonas fuisse», atque alii dicunt: «Sufficiunt res de domino Quixoto, quae scriptae sunt», quibus dubitatur de hac secunda parte. Alii autem sunt et quidem iucundiores, qui dicunt: «Veniant plures *quixotatae*: impetum faciat dominus Quixotus et loquatur Sanctius Pansa atque eveniat quidquid sit; quia his rebus vere gaudebimus.»

–Et quid est quod impellit auctorem ad id faciendum?

–Quid ergo? –respondit Samson–. Simul atque inveniat auctor hanc historiam quam quaerit et quidem insolita diligentia, illam continuo in lucem edet, sed potius motus propter lucrum eius quam ex alia quadam laudatione.

Cui Sanctius dixit:

–Si auctor inspicit pecuniam et lucrum, quid mirum est si scopum suum attingat; et non faciat nisi festinare et quidem tamquam sartor in vesperis Paschatis, sed operae quae finiuntur magna celeritate numquam finientur cum debita perfectione. Animadvertat hic maurus quis ille sit et quid ipse faciat; atque ego et dominus meus ei dabimus cumulum verborum in quaestione diversarum rerum gestarum ita ut possit componere non tantum secundam partem, sed centum. Num putabit nos super paleas dormire? Sustineat pedem nostrum ad ferreas soleas aptandas et videbit de quo pede claudicamus. Et quod vere dicam est si dominus meus acciperet consilium meum nunc temporis melius esset nobis in quadam expeditione esse ad infortunia solvenda atque adversa corrigenda, secundum consuetudinem optimorum equitum itinerantium.

Vix ac dixit Sanctius has argumentationes cum ad aures eius pervenerunt hinnitus Rocinantis; quos hinnitus dominus Quixotus accepit pro omine felicissimo et decrevit alium egressum facere ex hoc in tres sive quattuor dies; ac baccalaureo declaravit suam voluntatem a quo etiam consilium quaesivit nempe ex qua parte expeditionem suam inciperet; qui ei respondit, sua opinione, ut peteret regnum Aragoniae atque urbem Caesaraugustam (Zaragoza), ubi in paucos dies ludicrum equestre celeberrimum in honorem et festivitatem Sancti Georgii esset, quo posset magnam famam obtinere super omnes equites aragonienses quod idem esset ac nancisci famam super omnes in hoc mundo. Laudavit honoratum strenuumque consilium eius atque animadvertit ut curaret de periculis faciendis, quia vita eius non erat tantummodo ipsius, sed etiam eorum, qui eo egebant ad succurrendum atque ad eos protegendos in infortuniis eorum.

–Haec sunt quae ego detestor, domine Samson –dixit ad hanc occasionem Sanctius–; quia sic percutit dominus meus centum homines armatos tamquam puer avidus frangit sex melones aquosos. Mehercle! Domine baccalauree! Utique quia est tempus aggrediendi et tempus fugiendi et non omnia erunt «Sancte Iacob, et prorsus, Hispania!» Et etiam hoc verum est quia audivi et credo ex domino meo, ni fallor, ut inter extremum ignaviae et temeritatis media strenuitas sit; et cum hoc ita sit non debet fugere sine causa nec aggredi cum quaestio alia sit. Tamen insuper animadvertat dominus meus si ille ducet me secum hoc erit sub condicione ut ille semper pugnet in omnibus atque ego nihil faciam nisi de eo curare quoad munditiam corpoream et victum eius. Et in his faciam miracula; sed credere me accepturum esse gladium, quamvis sit contra rusticos malefactores armatos cum ascia et galea, erit magna tergiversatio. Ego, domine Samson, nolo obtinere famam strenui, sed esse bonus et fidelis armiger, qui umquam ministraverit equiti itineranti; et si meus dominus Quixotus, propter mea bona servitia, vult mihi quamdam insulam dare ex multis, quas tu dicis eum lucraturum esse, eam recipiam ut magnum beneficium; aliter si non eam dat mihi, tamquam natus sum manebo; quia homo non pendet ab alio, sed a Deo; et ceterum, melior erit mihi gustus panis sine ulla gubernatione quam si essem

gubernator. Et num ego possum scire utrum in his gubernationibus diabolus praebebit mihi quoddam obstaculum quo cadam et dentes meos confringam necne? Sanctius natus sum et Sanctius moriar; sed si in his omnibus et quidem optimo modo et parvo labore absque ullo periculo, coelum dat mihi quamdam insulam sive aliam rem similem, ego non sum tam stultus ut eam reiiciam; quia etiam dicitur: «Cum dent tibi vaccam, accipe funem post eam»; et «cum adveniat bonum ad te, introduc hoc domum tuam».

–Tu, frater Sancti –inquit Carrasco–, locutus es tamquam magister ex cathedra; sed nihilominus confide Deo et domino Quixoto, qui dabit tibi regnum et non tantum insulam.

–In hoc statu rerum tam bonum est accipere maiorem rem quam minorem –respondit Sanctius–; quamvis etiam dicam tibi, domine Carrasco, si dominus meus dat mihi regnum non eiiciet in saccum ruptum; quia iam probavi pulsum meum atque inveni me habere bonam salutem ad regna regenda atque ad insulas gubernandas; et hoc iam dixi domino meo.

–Vide, Sancti –ait Samson–, officia mutare consuetudines et fieri potest ut cum videas te gubernatorem ne cognoscas matrem, quae peperit te.

–Hoc intelligitur –respondit Sanctius– de plebecula, quae nata est inter malvas, sed non de his qui habent super animum quattuor digitos plenos pinguedine, tamquam ego habeo ex veteribus christianis. Atque inspice qualitates meas et videbis me numquam habere ullam ingratam voluntatem erga quemdam!

–Sic Deus faxit! –inquit dominus Quixotus– et hoc videndum erit cum haec gubernatio veniat; atque iam videtur mihi hoc ante oculos habere.

Dominus Quixotus, his rebus dictis, rogavit baccalaureum, si esset vates, ut ei componeret quosdam versus, qui agerent de salutatione ad valedicendum dominae Dulcineae a Toboso atque in initio uniuscuiusque versus scriberet litteram nominis eius, ita ut legeret coadunans omnes litteras: *Dulcinea a Toboso*. Baccalaureus autem dixit se non esse ex claris poetis, qui erant in Hispania, et de quibus dicebatur esse tres et dimidium; tamen libenter componeret talem versificationem, sed inveniebat quamdam difficultatem, quia hispanice erant septemdecim litterae; et si faceret quattuor strophas hispanicas ex quattuor versibus, superesset littera; si has strophas faceret ex quinque versibus, quas dicunt *decimas* sive *redondillas*, deficerent ei tres litterae. Nihilominus curabit introducendo litteram sicut posset ita ut inter quattuor strophas hispanicas includeretur nomen illius Dulcineae a Toboso.

–Hoc ita erit in omni casu –inquit dominus Quixotus–; quoniam si omne nomen non includitur palam atque aperte nulla mulier crederet propter eam fieri carmen.

Has res tractaverunt et etiam de exitu eorum, qui esset ex hoc in octo dies. Dominus Quixotus a baccalaureo quaesivit ut hoc secretum servaret, praesertim a parocho atque a tonsore et a nepte atque hera domus, ne impedirent honoratam et vehementem voluntatem eius. Omnia promisit Carrasco. Interea valedixit eis, atque a domino Quixoto quaesivit ut nuntiaret ei de suis rebus gestis prosperis sive adversis, cum esset ei commoditas nuntiandi ad eum; tunc valedixerunt sibi ad invicem et Sanctius profectus est ad paranda necessaria ad hanc expeditionem faciendam.

Capitulum 5. Ubi agitur de faceto iucundoque colloquio quod fuit inter Sanctium Pansam uxoremque Teresiam Pansam atque aliae res gestae dignae felicis recordationis

Cum interpres huius historiae pervenit ad hoc quintum capitulum dixit hoc esse apocryphum, quia in illo Sanctius Pansa loquitur aliter et alio modo dicendi ex quo promitteretur de suo parvo intellectu et sic dicit res tam subtiles, quas nullo modo potuit cognoscere; tamen etiam voluit hoc capitulum vertere secundum suum officium et sic prosecutus est dicens:

Sanctius reversus est domum suam valde laetus et contentus, et uxor eius procul ad iactum ballistae cognovit laetitiam eius; quare rogavit eum:

–Quid est tibi, Sancti amice, quia tam laetus es?

Cui ille respondit:

–Mi coniux, si vere Deus vult, laetus ero non ostendendi hoc gaudium sicut facio.

–Non intelligo te, coniux mi –obiecit illa–, et nescio quid vis mihi dicere his verbis, si Deus vult laetus ero non ostendendi hoc gaudium, quia quamvis stulta sim, nescio quis habeat gaudium cum hoc gaudium non habeat.

–Vide, Teresia –respondit Sanctius–; ego sum laetus, quia statui servire domino Quixoto, qui nunc vult tertia vice egredi ad res gestas quaerendas; atque ego cum eo egrediar, quia sic vult paupertas mea una cum spe, quae laetificat me inveniendi alios centum aureos tamquam quos iam persolvi, sed moestus sum, quia debeo abesse a te atque a liberis meis. Nam si Deus vult alere me, sicco pede ac domi, absque ulla via vel semita sive bifurcatione viarum, quod perfacile ei esset et parvi faceret, tantum cum id vellet, laetitia mea esset firmior ac validior, nam laetitia mea includitur in tristitia relinquendi te; quare etiam laetus essem non ostendendi hoc gaudium.

–Vide, Sancti –obiecit Teresia–: ex hoc cum fecisti te socium huius equitis itinerantis loqueris tantis circumlocutionibus ut nemo possit te intelligere.

–Sufficit mihi ut Deus intelligat me, mi coniux –respondit Sanctius–, quia Ille est qui intelligit omnia et maneat hoc hic; sed animadverte, soror mea, oportet te de iumento per tres dies curare ut possit omnia opera navare; quare duplica pabulum ei, quaere clitellas et reliquas sarcinas; quia non ad nuptias iter facimus, sed ad mundum peragrandum atque ad dandum et recipiendum et quidem cum gigantibus, cum monstris et phantasmatibus atque ad audiendos sibilos, rugitus, mugitus et barritus; atque haec omnia essent flores casiae si nil esset nobis cum *yanguesibus* et cum mauris incantatis.

–Bene possum credere, coniux mi –obiecit Teresia–, armigeros itinerantes non comedere panem gratis et ex amore; quare rogabo ut Dominus Noster eripiat te ab omni mala fortuna.

–Atque ego dico tibi, mi coniux –respondit Sanctius–, si non crederem me futurum esse gubernatorem cuiusdam insulae, ex hoc et in breve tempus, aliter hic et nunc vellem mortuus esse.

–Minime hoc, coniux mi –dixit Teresia–: vivat gallina quamvis indisposita sit;

vive tu et velit diabolus ferre secum omnes gubernationes, quae sint in toto mundo; absque gubernatione egressus es ex ventre tuae matris, sine gubernatione hucusque vixisti et sine gubernatione ibis sive adducent te ad sepulturam et Deus providebit. Et multi sunt qui vivunt in mundo absque ulla gubernatione et non ex hoc desunt a vita ac numerantur inter homines. Melior condimentum huius mundi est fames, et cum haec numquam deficit a pauperibus hi semper manducant magno gaudio. Tamen vide, Sancti, si forte esset tibi gubernatio ne obliviscaris tuorum liberorum. Atque animadverte Sanctulum (Sanchico) iam esse quindecim annos natum et opus est eum scholae vacare si avunculus eius, abbas faciet eum virum Ecclesiae. Et vide etiam Mariam Sanctiam (Mari Sancha), tuam filiam, quae non morietur si cuidam nuberet, quia suspicor eam velle habere maritum sicut tu vis habere hanc gubernationem et denique melius videtur filia cuidam male nupta quam ut sit bona concubinaria.

–Per fidem meam –respondit Sanctius– si Deus mihi daret quamdam gubernationem haec Maria Sanctia cuidam nuptura esset, mi coniux, et quidem ac tam alte ne ad eam perveniant nisi eam dominam vocarent.

–Minime vero, Sancti –respondit Teresia–; sine ut illa nubat suo aequali atque hoc erit optimum; quia si ex soccis humilibus [vulgo *zuecos*] eam ducis ad calceos aureos, sive ex stola fusca infima pervenit ad tunicam sericam atque ex *Mariula* (Marica) et ex verbo *tu* ad *dominam* et *excellentiam*, puella non inveniet commodum suum atque in omni gressu cadet in mille obstaculis, develando filaturam suae telae infimam esse.

–Tace, stulta –dixit Sanctius–; cum adaequaverit per duos vel tres annos, tunc consuetudo, serenitas ac nobilitas veniet ei, aliter quid hoc erit ei? Dum illa sit *domina* veniat ei quidquid sit.

–Maneas, Sancti, in tuo statu vel condicione –repondit Teresia; et noli altius progredi et memento illius proverbii dicentis: «Emunge nares filii tui vicini atque introduc eum domum tuam.» Num bonum esset nostram Mariam nubere cuidam comiti sive equiti, qui eam omnino renovaret, et quidem dum vocaret eam rusticam, filiam glebarii ac filiam miserulae mulierculae! Non in diebus meis, coniux mi! Non propter hoc creavi filiam meam! Affer huc pecuniam, Sancti, et relinque mihi nuptias eius; quia hic est Lupus (Lope) Tocho, filius Ioannis Tocho, iuvenis robustus sanusque, quem nos bene novimus, et non male inspicit puellam; atque illa bene nuberet ei, qui est aequalis puellae et semper eos habebimus ante oculos nostros, atque omnes una erimus, parentes, liberi, nepotes et generi ac pax et benedictio Dei regnabit inter nos omnes; sed nullo modo oportet ut ea cuidam nubat in Aula Regia sive in palatiis magnis, ubi nec illam intelligant sive ipsa bene intelligatur.

–Eheu, veni huc, bestia atque uxor Barabbae –obiecit Sanctius–: cur vis tu, nulla causa praedita, impedire ut filia mea nubat ei, qui mihi det nepotes, qui vocentur *domini* sive *excellentissimi domini*? Vide, Teresia: semper audivi a maioribus meis dicere, si quis nescit gaudere prospera fortuna cum ad eum adveniat, ne lamentetur si haec ab eo transeat. Et non est bonum hanc nunc ad portas nostras pulsare, tunc eas ei claudamus. Sinamus nos vehi ventis prosperis, qui nunc benigne insufflant in nos.

Propter hunc modum loquendi ac propter quod Sanctius infra dicit, translator huius historiae credidit hoc capitulum fuisse apocryphum.

–Nonne tibi videtur, indocta –prosecutus est Sanctius–, bonum est me perventurum

esse ad officium prosperae gubernationis, quod eripiat pedem nostrum e luto viae? Atque haec Maria Sanctia nubat ei, quem egomet vellem, et videbis quomodo vocabunt te *dominam Teresiam Pansam* atque in ecclesia sedebis super tapetem et super pulvinaria necnon et pulvinos, omnibus fidalgis huius pagi invitis. Aliter si vos omnes manetis in eodem loco, nec crescendo nec minuendo eritis ut figura cuiusdam ornamentis! Et nil amplius est loquendi; et Sanctiula erit uxor cuiusdam comitis, te omnino invita.

–Num intelligis bene quod dicis, coniux mi? –respondit Teresia–. Tamen, ac mea opinione, comitatus filiae meae erit perditio eius. Fac autem quodcumque velis, tum eam ducissam tum principessam eam facias; tamen tibi dicere volo hanc non esse meam voluntatem sive meum consensum. Semper, frater, amica fui aequalitatis et non possum videre exaltationem cuiuslibet absque ullo fundamento. Nomen Teresiae dederunt mihi in baptismo, nomen mundum ac solutum, sine additamento nec restrictione neque ornamentis cuiusdam *domini* vel *dominae*. Cascajo est cognomen patris mei; et me vocarunt Teresiam Pansam, quia uxor tua sum –et bene esset ut vocarent me Teresiam Cascajo, sed reges vadunt quo leges volunt–, et laeta sum hoc nomine et non necesse est ut super hoc *donum* ponant quod tam onerosum sit ut non possit hoc secum ferre. Et nolo ut dicant de me qui viderent me amictam ad modum uxoris comitis sive uxoris gubernatoris, quia postea dicent de me: «Videte quam superba ambulat haec subulca! Heri laborabat ad satietatem extendendo vellus stopae atque ad Missam ibat capite tecto et cum veste humili pro pallio atque hodie induit vestem sericam cum fibulis tamquam si non noverimus eam.» Utinam Deus servet septem sive quinque sensus meos et si eos non habeo non dabo occasionem videndi me in hac angustia; tu autem, frater, vade ad gubernationem sive ad hunc insulum atque exsulta ad nutum tuum; sed filia mea atque ego per saeculum matris meae, non mutabimur nec gressum ex pago nostro; quia mulier honesta, et crus fractum, melius domi manebit; ac labor virginis honestae est eius festivitas. Eas cum tuo domino Quixoto ad vestras res gestas et relinquite nos cum nostris adversis fortunis; et Deus providebit atque in melius ea faciet cum nos bonae simus; et nescio quis enim posuit illum *dominum* ei, quia nec parentes nec avi maiores habuerunt.

–Nunc autem dico –obiecit Sanctius– te habere quoddam daemonium in corpore. Iuvet me Deus! Mulier et quot multas res una coniunxisti has cum alteris atque omnes sine capite nec pedibus! Quid habent inter se Cascajo, fragmenta fibularum, proverbia atque ornatus cum his quae egomet dico? Veni ergo huc, ignorans ac stulta –et sic possum te vocare, quia non cognoscis meas argumentationes atque a felicitate fugis–: si dicerem filiae meae ut deiiceret se de turri deorsum sive ut proficisceretur per hos mundos, sicut principessa Urraca egredi voluit, tunc concederem tibi non faciendi gustum meum; sed si in ictu oculi et citius dicto offero ei *donum* sive titulum ut *dominam* eamque eripio ab agro restili atque eam pono super umbraculum ac suppedaneum et stratum cum magis pulvinaribus ex serico villoso quam habuerunt mauri ex genere Almohadum Mauritaniae, cur ergo non concedis nec vis quae ego volo?

–Scisne quare, coniux mi? –respondit Teresia–. Propter proverbium quod dicit: «Quis cooperit te, develat te!» Quia omnes inspiciunt pauperem, sed celeriter et detinent conspectum super divitem; tamen si dives antea fuit pauper ibi erit

murmuratio ac maledictio et peior perseverantia maledicentium et quidem plerumque et cumulus eorum est per has vias tamquam examen apum.

–Vide, Teresia –respondit Sanctius–, atque ausculta quod nunc tibi dicam: fortasse numquam audisti in omnibus diebus vitae tuae ac nunc ego non loquor ex meis verbis; quia omnes sunt sententiae quas pater praedicator in Quadragesima in hoc oppido praedicavit atque ille dixit, nisi me fallit, omnes res quae praesentes sunt et quas oculi inspiciunt, praesentantur atque adsunt in nostra memoria melius ac maiore vehementia quam praeteritae.

Has omnes rationes, quas hic Sanctius dicit, sunt aliae ex quibus translator credit hoc capitulum apocryphum esse, quia superabant mentem Sanctii. Qui prosequebatur ulterius dicens:

–Ex quo oritur ut cum videamus quemdam bene ornatum vestibus speciosis ac magna pompa famulorum, tunc videtur ut moveat nos ad eum honorandum, quamvis memoria nostra illo momento repraesentet nobis quamdam indignitatem illius sive ex paupertate sive ex genere eius, quae vere transivit et non amplius est, quia tantum videmus quod praesens est. Et si hic, quem fortuna eduxit ex ignobilitate eius per has causas, quas dixit pater in suo sermone, perveniret ad summam prosperitatem ut esset vir bonus natu, magnanimus, urbanus cum omnibus et nollet querelas habere cum nobilibus ex antiquitate, intellige, Teresia, non esset qui vere meminerit illius qui antea fuit, sed venerarentur eum propter quod ille est, nisi invidi, quibus nulla prospera fortuna est secura.

–Non intelligo te, coniux mi –obiecit Teresia–; tamen fac sicut vis et ne sis molestus capiti meo cum tuis sermonibus ac rhetoricis. Et si vere *revolutus* es ad faciendum quod dicis ...

–*Resolutus* dices, mi coniux –dixit Sanctius–, et non *revolutus*.

–Noli disputare mecum, coniux mi –respondit Teresia–. Ego loquor tamquam Deus vult me loqui ac nullo modo curabo de minutiis et parvitatibus, tamen dico si vere decrevisti gubernationem habere duc tecum filium tuum Sanctium ut eum doceas hoc officium; quia bonum est liberos habere hereditatem patrum atque ut discant eodem modo munera eorum.

–Cum habeam hanc gubernationem –dixit Sanctius– mittam ad eum quaerendum per officium cursuale ac tibi mittam pecuniam, quae non deficiet mihi, quia numquam deerunt, qui commodent pecuniam gubernatoribus pro lucro cum illi non habeant; et tunc indue eum ita ut dissimulet quod est et videatur quod debeat esse.

–Mitte pecuniam –dixit Teresia– atque ego eum induam tamquam palmam processionis.

–Profecto: et concedimus uno ore –dixit Sanctius– filiam nostram nupturam esse cuidam comiti.

–Die quo eam videam uxorem comitis –respondit Teresia– credam me eam sepelivisse; tamen rursum dicam tibi ut facias quidquid velis; quia mulieres natae sumus hoc onere ut oboediamus maritis, quamvis stolidi sint.

Atque, his verbis dictis, incepit flere et tam amare ac vere tamquam si videret Sanctiulam mortuam et sepultam. Sanctius autem eam consolatus est dicens ei si vere ea nuberet cuidam comiti hoc vere demoraretur ad id faciendum. Sanctius, his rebus peractis, et, colloquio finito, reversus est ad videndum dominum Quixotum ad parandum egressum eorum.

Capitulum 6. Ubi narratur de his, quae fuerunt inter dominum Quixotum et neptem atque heram domus eius, et est capitulum magni momenti totius huius historiae

Dum Sanctius Pansa atque uxor eius, Teresia Cascajo, locuti sunt importunum colloquium iam dictum, neptis heraque domus domini Quixoti non erant otiosae, quia credebant avunculum ac dominum earum velle ab eis liberari et tertium egressum facere, ad exercendum quod illae putabant pessimum equitatum itinerantem: quare conabantur omni modo eum seiungere a tam adversis cogitationibus; sed hoc erat praedicare in deserto sive contundere super ferrum frigidum. Tamen atque inter omnes argumentationes quae fuerunt cum eo hera domus dixit ei:

–Vere, domine mi, si non placas pedes tuos et manes domi tuae, atque avertis te ab hac ambulatione per montes et valles sicut animus anxius, quaerens has, quas dicunt, res gestas, sed ego voco infortunia, quare debeo clamare Deo ac regi magna voce ita ut ponant remedium opportunum.

Cui dominus Quixotus respondit:

–Domina hera, nescio quod responsum Deus dabit tuis querelis nec immo quod rex respondebit; tamen si essem rex vitarem respondere tam multis importunis petitionibus, quas omni die faciunt ei; quia maior labor quem reges impendere debent, inter multos alios, est auscultare omnes atque omnibus respondere; quare nolo ut res mea molesta sit ei.

Cui hera domus dixit ei:

–Dicas nobis, domine; in Aula Regia regis nonne sunt equites?

–Utique, sunt –respondit dominus Quixotus– et multi sunt; et quidem oportet eos ibi esse ad ornatum excellentiae principum atque ad ostentationem domini regis.

–Tunc, cur, domine –obiecit illa–, non es unus ex his qui tamquam pedisequi ministrant regi ac domino suo, manendo in Aula Regia?

–Vide, amica mea –respondit dominus Quixotus–: non omnes equites possunt aulici esse neque omnes aulici possunt neque debent esse equites itinerantes: oportet ut sint ex omni genere in hoc mundo; at quamvis omnes equites simus, magna diversitas est inter hos omnes; quoniam aulici, non egrediendo ex suis habitaculis neque ex liminibus Aulae Regiae ambulant per totum mundum ope cuiusdam tabulae geographicae, quam inspiciunt, ac nulla pecunia expensa nec laborant ullo calore vel frigore, fame vel siti; tamen quoad nos, veros equites itinerantes, sub sole, frigore, vento, atque inclementiis tempestatis coeli terraeque, die noctuque, pedibus sive super equum, totam terram mensuramus nostris propriis pedibus, et non tantum cognoscimus inimicos nostros pictos, sed tamquam illi vere sunt atque omni periculo occasioneque impetum facimus in eos, minutis rebus spretis, ac legibus duellorum contemptis; scilicet utrum habeat lanceam necne, utrum haec brevior sit an gladius; utrum habeat reliquias an occultum amuletum super se; utrum debeat solem dividere quadam caeremonia huiuscemodi necne, quibus aliquando utuntur in singularibus certaminibus inter duos et quae tu nescis, sed egomet cognosco. Atque oportet te

amplius scire: si eques itinerans quondam videt decem gigantes, qui capite non tantum perveniunt ad nubes, sed ultra nubes, et pro cruribus habent turres immanes ac bracchia eorum similia sunt corporeis arboribus magnarum navium, atque omnis oculus est tamquam magna mola asinaria et refulgens magis quam fornax vitreus, atque hic eques non expavescit ullo modo ab eis; sed e contrario urbano motu corporis atque animo imperterrito aggreditur impetumque facit in eos, et si fieri potest vincit ac disturbat eos in ictu oculi quamvis armati sint cocleis cuiusdam piscis, quae sunt duriores adamante et pro gladiis sint eis cultri acuti ex chalybe Damasci vel fustibus praeditis cuspidibus eodem modo ex chalybe vel ferro sicut has multoties vidi. Haec omnia dixi tibi, carissima hera, ut videas diversitatem, quae est inter hos equites atque alios. Et profecto oportet principes praeferre hos ultimos sive, ut ita dicam, hanc primam ordinationem equitum itinerantium, quae fuit salus non tantum unius regni, sed multorum, secundum quod legimus in historiis eorum.

–Eheu, domine mi! –dixit ad hanc occasionem neptis–. Animadvertas omnia quae dicis de his equitibus itinerantibus tantum esse fabulam et mendacium, atque historiae eorum, si non eas comburerent, mererentur sagum infame induere [vulgo *sambenito* ex «San Benito»] sive signum quo cognoscerentur pro infamia ac damno bonarum consuetidinum.

–Iuro per Deum qui sustentat me! –inquit dominus Quixotus–, si non esses vere neptis mea, ac filia meae propriae sororis me puniturum esse te, propter blasphemiam quam dixisti, quae vere sonarat in toto mundo. Quomodo fieri potest ut puella tamquam tu es, quae paene potes movere duodecim bacillos ad texendum reticulum, audeas linguam movere et censurare historias equitum itinerantium? Quidnam diceret de te dominus Amadis si haec audiret? Absque dubio ille ignosceret tibi, quoniam humillimus atque urbanissimus inter omnes suo tempore fuit atque etiam protector virginum. Sed fortasse si quis audiret te, tunc tibi non esset tam bene, quoniam non omnes fuerunt tam urbani, et nonnulli immo ignavi atque immoderati. Nec omnes qui vocantur equites reapse tales sunt in omnibus rebus: nam alii sunt ex auro, alii ex alchimia atque omnes videntur equites esse, sed non omnes parati erunt ad probandam veritatem. Sunt enim viri humiles qui volunt videri equites; atque alii qui sponte volunt videri humiles: illi surgunt aviditate sive virtute; hi autem minuunt semetipsos sive flacciditate sive quodam vitio; atque opus est uti intellectu ad discernenda haec duo genera equitum tam similium nominibus ac tam distantium operibus eorum.

–Iuvet me Deus! –dixit neptis–. Quomodo potes, avuncule mi, tam multa cognoscere? Quia si necesse esset posses in pulpitum ascendere ac praedicare per has vias et nihilominus fias tam caecus et cum quadam insania tam cognita, ut audeas ostendere te strenuum cum sis senex; ut fortem cum sis infirmus; ut corrigas noxas cum sis oppressus aetate atque insuper ut dicas te esse equitem cum nullo modo sis, quia quamvis fidalgi possint esse, nullo modo qui pauperes sunt ...!

–Vere concedo tibi, neptis, in his quae dicis –respondit dominus Quixotus–, et multa possem tibi dicere de generibus quibus vere mirareris; sed non oportet divinum cum humano miscere et nolo ea dicere. Videte, amicae meae, atque attendite animos mihi: ad quattuor genera reduci possunt omnia genera, quae in hoc mundo sunt,

nempe: nonnulli qui habuerunt principium humile et paulatim extenderunt se ac dilatati sunt et pervenerunt ad altam magnitudinem; alii qui habuerunt principia magna et conservaverunt et manent tamquam orti sunt; alii autem qui, quamvis habuerint principia magna, finierunt tamquam pyramis ac minuerunt atque exstinxerunt ex suo principio usque ad nihilum sicut est cacumen pyramidis quoad basim sive fundamentum eius quod pro nihilo reputatur; tamen alii sunt ac plerique sunt qui nullum principium bonum habuerunt nec medium rationabile, et sic habebunt finem absque nomine, tamquam genus plebeculae sive gentis plebeiae atque ordinariae. Ex primis qui habuerunt principium humile et postea ascenderunt ad magnitudinem quam adhuc conservant sit tibi ut exemplum Domus Othomana, quae ex pastore humili, qui dedit principium id servat atque est super cacumen, quo eam videmus. Ex secundo genere quod habuit principium in magnitudine et conservat quamvis non adaugeat, multi principes erunt exemplum, qui per hereditatem tales sunt et servant, sed nec augent nec minuunt, et manent in liminibus statuum suorum pacifice. Ex his qui inceperunt ut magni et finierunt ut nihil mille sunt exempla eorum; quoniam omnes Pharaones, Ptolomaei in Aegypto, Caesares Romae, cum omni turba multa –si hoc nomen eis dari potest– innumerorum principum, regum, dominorum, medorum, assiriorum, persarum, graecorum ac barbarorum haec omnia genera finita sunt pro nihilo sic illi quibus dederunt principium, quoniam non fieri potest nunc invenire quemdam eorum descendentium et si vero inveniremus unum ex eis esset humilis condicionis. Ex genere plebeio nihil est dicendi, nisi ut serviat ad augendum numerum eorum, qui vivunt sine ulla fama ac laudatione magnitudinis eorum. Ex his rebus dictis tantum potestis intelligere quam magna sit confusio inter omnia genera atque illi, qui videntur magni atque illustres, hoc ostendunt in virtute, divitiis ac munificentia dominorum suorum. Dixi virtutes, divitias et munificentiam, quoniam si quis magnus fuerit et eodem tempore vitiosus tunc erit magnus vitiosus, ac dives non munificus erit tamquam avarus mendicans, quoniam qui dives est non est felix, quia habet divitias, sed qui eas expendit et non quocumque modo, sed optimo modo. Tamen nulla via est equiti pauperi ad ostendendum se equitem esse quam via virtutis ita ut sit affabilis, nobilis natu, urbanus ac benignus; nullo modo superbus nec insolens nec murmurans et super omnia munificus; quoniam si duos teruntios dat animo laeto pauperi tunc ostendet se esse munificum tamquam, qui dat eleemosynam ad sonum campanae, et quicumque eum viderit ornatum his dictis virtutibus, quamvis non eum antea cognosceret, eum habebit pro viro boni generis, quoniam aliter hoc esset miraculum; et semper laudatio fuit praemium virtutis ac virtuosi semper laudabuntur. Duae viae sunt, filiae meae, quas homines sequi possunt ut fiant divites atque honorati: altera est via litterarum, altera autem via armorum. Ego sequor arma magis quam litteras, quia natus sum sub influxu planetae Martis, secundum inclinationem meam ad arma; sic oportet ut sequar hanc viam et debeo currere per totum mundum et futile erit vobis suadere mihi ut faciam quod coelum a me requirit, fortuna iubet ac ratio postulat, et super omnia voluntas mea desiderat. Quoniam sicut ego scio et cognosco innumerabiles labores, qui annexi sunt equiti itineranti, ac novi multa bona, quae eis nanciscuntur et scio semitam virtutis angustam nimis esse et viam vitii amplam ac spatiosam; necnon cognosco fines earum

diversos esse; quoniam via vitii, ampla, dilatata spatiosaque finitur in mortem ac via virtutis angusta laboriosaque finitur in vitam, sed non in vita quae finitur, sed in ea quae non habet finem et scio sicut dicit magnus vates hispanus:

Ambulat ad viam asperitatis
ad altum locum ex quo non secedit
ex hoc sedile immortalitatis.

–Vae *mihi!* –*inquit neptis*–, *quia etiam, domine mi, es poeta! Tu cognoscis omnia* atque ad omnia pervenis; sponsionem faciam si velles ut faber coementarius aedificare tibi domum, eam faceres tamquam caveam passerum.

–Atque ego polliceor tibi, neptis mea –repondit dominus Quixotus–, si hae cogitationes equitatus non auferunt a me omnes sensus meos nihil esset me non posse facere, neque ullam curiositatem non exire ex manibus meis, praesertim caveae passerum et dentiscalpia lignea ad dentes mundandos.

Tunc temporis pulsaverunt portam et cum quaererent, quis enim pulsaret Sanctius Pansa respondit dicens se esse; et simul atque eum hera domus cognoverat ipsa cucurrit ad sese occultandam ne eum videret, quia tam multum oderat eum. Neptis autem aperuit ei portam ac dominus Quixotus venit ad eum recipiendum bracchiis apertis. Tunc clauserunt ambo ianuam habitaculi, ubi aliud colloquium habuerunt et quidem tam optimum quam praeteritum.

Capitulum 7. Ubi agitur de his quae dominus Quixotus cum suo armigero tractavit cum aliis rebus gestis clarissimis

Simul atque hera domus vidit dominum Quixotum claudere sese cum Sanctio Pansa, putavit atque imagitata est eos agere de tertio egressu eorum, quare accepit velum valde moesta et petivit baccalaureum Samson Carrasco, quia credidit eum, qui bene loquebatur, bene posse domino Quixoto persuadere ne faceret hoc propositum adversum. Eum invenit cum ille deambulabat per consaeptum domus suae et vix atque eum vidit cecidit ad pedes eius effundens sudorem ac valde tristis. Cum Carrasco vidit eam his signis doloris ac perturbationis ei dixit:

–Quid est hoc, domina mea? Quid accidit tibi, quia videtur animus a te egredi?

–Nihil est, domine Samson, nisi dominum meum egressurum esse: egressurum esse absque dubio!

–Atque ex quo egredietur, domina? –quaesivit Samson–. Num aliqua pars corporis eius fracta est?

–Nil egredietur ex eo –respondit illa– nisi per ianuam dementiae eius. His verbis volo dicere, domine baccalauree, eum denuo velle proficisci, et denuo tertia vice vult quaerere per mundum, quas ille vocat res gestas; sed non possum ullo modo

intelligere quomodo sic vocat has res gestas. Primo reversus est super iumentum transversus et concussus ictibus. Secundo venit in plaustro boum, captus atque introductus in carcere, ubi ipse credebat se incantatum esse; et quidem veniebat tam tristis ut non cognosceret eum mater quae eum peperit; macer, pallidus, oculi submersi in ultimis cellis cerebri; atque ad eum recuperandum plus quam ducenta ova expendi, sicut Deus scit, atque omnis mundus gentium et gallinae meae, quae non permittunt me mentiri.

–Hoc bene credo –respondit baccalaureus–; quia illae sunt bonae et corporeae ac bene natae et non dicent rem pro alia, quamvis creparent. Profecto, domina mea, sed nulla alia res accidit neque adversitas nisi quod a domino Quixoto timeas ut ipse faciat?

–Nil, domine –respondit illa.

–Tunc, ne doleas –respondit baccalaureus–, sed vadas domum tuam et para mihi prandium calidum ad edendum et de via recita quamdam orationem Sanctae Apolloniae si forte eam cognoscas, et statim ibo illuc ac miras res videbis.

–Me misellam! –obiecit hera domus–. Orationem Sanctae Apolloniae dicis tu me recitare? Haec esset si dominus meus laboraret sive doleret dentibus molaribus; sed dolet ei tantum de capite.

–Ego bene scio quod dixi, domina hera domus; vadas enim et ne velis mecum disputare, quia iam novis me esse baccalaureum Salmanticae, quod non est hic plus quam baccalaureus –respondit Carrasco.

Et his verbis hera domus profecta est, et baccalaureus statim venit ad parochum quaerendum, cui nuntiavit quod suo tempore dicetur.

Eodem tempore dominus Quixotus mansit clausus cum Sanctio atque inter ambos fuerunt argumenta, quae haec historia accurate narrat veram relationem.

Sanctius dixit suo domino:

–Domine, iam habeo uxorem *reluctam* ita ut concedat me proficisci, quonam gentium tu velis me adducere.

–*Reductam* dices, Sancti –ait dominus Quixotus–; et non *reluctam.*

–Semel sive bis –respondit Sanctius–, ni fallor, a te, domine, quaesivi ne corrigas mea verba, si vere intellexisti quae dixi in eis, sin autem dicas mihi: «Sancti, sive diabole, non intellexi te»; et tunc si ego non me declarabo, tunc poteris corrigere me, quia ego vere tam *focilis* sum ...

–Nullo modo intelligo te, Sancti –dixit confestim dominus Quixotus–, quoniam nescio quid vult dicere *tam focilis sum.*

–*Tam focilis* vult dicere –obiecit Sanctius– *me hoc modo esse.*

–Minus nunc intelligo te –obiecit dominus Quixotus.

–Si vere non intelligis me –respondit Sanctius–, nescio quomodo possum dicere; et nescio amplius; et Deus sit mecum.

–Iam hoc intellexi –respondit dominus Quixotus–: tu vis dicere te *esse docilem*, sive mollem et callidum; et sic accipies quidquid dixi tibi et facies quod doceam te.

–Sponsionem faciam –dixit Sanctius– et credo ab initio te intellexisse me; sed voluisti turbare me atque etiam audire ducentas stultitias meas.

–Hoc fieri potest –obiecit dominus Quixotus–. Et profecto, quid ergo dicit Teresia?

–Teresia dicit –ait Sanctius– ut bene religam digitum meum tibi, et ut litterae loquantur ac barbae taceant, quia qui scindit chartas lusorias non miscet eas et plus valet accipere unum nunc quam duo tibi dabo. Ego autem dico si consilium mulieris est parva res, tamen qui id non accipit demens erit.

–Atque egomet etiam dico –respondit dominus Quixotus–. Dic, Sancti amice; procede prorsus, quoniam hodie tu loqueris verba aurea.

–Hoc ita est –obiecit Sanctius–, quia tu melius cognoscis, ut omnes subiecti simus et morituri atque hodie sumus et cras non erimus, et tam celeriter vadit agnus quam aries et nemo potest plures horas vitae sibi promittere quam quas Deus ei dederit: quia mors surda est, et cum pulset portas vitae nostrae semper festinat nec eam detinent rogatus nec robora nec sceptra nec mitrae, secundum quod fertur voce publica ac fama et secundum quod nobis dicunt per hos pulpitos.

–Haec omnia vera sunt –inquit dominus Quixotus–; tamen nescio quonam pergas.

–Pergam –dixit Sanctius– ad te ut fixes mihi notum salarium, quod omni mense dabis mihi dum sim in tuo famulatu, atque ut hoc salarium solvatur mihi de tuis bonis; quia nolo vivere de beneficiis, quae ad me pervenient serius sive male vel numquam; ac meis rebus Deus me adiuvet. Denique: volo scire quod lucrabor, quamvis parum sive multum sit; quia gallina edit ovum super ovum et multa parva efficiunt multum, et dum lucratur aliquid nihil deperditur. Et si hoc verum esset, quod nec exspecto nec immo credo ut des mihi insulam quam pollicitus es mihi, non sum ingratus neque volo res per extrema earum ita ut non aestimet quanti erit lucrum insulae ad minuendum ex salario meo pro *cata* portione [pro rata portione; *cata* pro *rata* hispanice pro mure. Adnotatio interpretis].

–Sancti amice –respondit dominus Quixotus– aliquando tam bonus est feles quam mus.

–Iam intelligo –dixit Sanctius–: tamen credo me debuisse dicere *rata* et non *cata*; sed nihil facit hoc quia bene intellexisti me.

–Equidem bene intellexi –respondit dominus Quixotus–, quoniam potui penetrare usque ad reconditas cogitationes tuas et cognovi scopum quo innumeras sagittas proverbiorum tuorum proiicis. Ausculta, Sancti: ego etiam vellem salarium fixum tibi statuere, si in historiis equitum itinerantium quoddam exemplum invenirem quo ostenderent mihi per quamdam rimam quantum omni mense armigeri lucrabantur, sive omni anno. Tamen ego legi omnes sive plerasque historias et non memini legendi quemdam equitem itinerantem statuisse umquam fixum salarium armigero suo; sed tantum video eos omnes ministrare pro beneficio et, nullo computo facto de rebus, cum bene esset dominis eorum prospera fortuna, tunc remunerabantur quadam insula sive alia re simili vel saltem lucrabantur titulum. Si tu pro hac spe atque incremento vis servire mihi, hoc bene est; sed credere me mutaturum esse mores veteris equitatus itinerantis, absit hoc a me; quapropter, Sancti mi, revertere domum tuam et nuntia tuae Teresiae resolutionem meam: et si illi ac tibi placet manere mecum pro beneficio, '*bene quidem*'; aliter tam amici sicut antea fuimus manebimus; et si non deficiet cibus in columbario non deficient ei columbae. Atque animadverte, fili, melius esse bonam spem quam sordidam possessionem et bonam querelam quam malum salarium. Et nunc ego loquor hoc modo ut intelligas me etiam scire proverbia

proiicere tamquam ex pluvia coeli. Et tandem volo dicere et quidem dico tibi si non vis venire mecum atque accedere ad ipsam fortunam quam ego habebo, tunc roga ut Deus maneat tecum et faciat te sanctum, quoniam non deficient mihi armigeri oboedientiores et sollicitiores quam tu et non tam turpes neque tam loquaces sicut tu ipse es.

Cum Sanctius audivit firmam resolutionem domini sui coelum obnubilavit ei atque alae ceciderunt ex corde eius, quia credebat dominum eius nullo modo praescindere ab eo per omnes thesauros huius mundi; et sic donec mansit meditabundus et cogitabundus intravit Samson Carrasco atque hera domus neptisque desiderantes audire argumenta quibus eum persuasurum esse ne egrederetur ad res gestas quaerendas. Samson, illustris astutus, advenit eumque amplexus est ut prima vice, et magna voce dixit ei:

–O flos equitatus itinerantis! O fulgens lux armorum! O honor ac speculum patriae hispanicae! Faxit Deus omnipotens, et sic prosecutus est cum hac deprecatione, ut quicumque vellet sive omnes qui vellent impedire tuum tertium egressum inveniant impedimentum exoptatum in labyrintho desideriorum eorum quin adimpleantur quae desiderant sibi.

Et volvens se ad heram domus dixit ei:

–Domina hera domus, non necesse est te amplius recitare orationem Sanctae Apolloniae; quia certe cognosco voluntatem sphaerarum coelestium ut dominus Quixotus revertatur ad adimplenda alta et nova consilia sua et ego contra conscientiam meam facerem si suaderem huic equiti ad robora eius retinenda ex bracchio eius ac bonitatem ex strenuo animo eius, quia sua longa mora decipit ius pauperibus, auxilium orphanis, honorem virginibus, favorem viduis ac sustentum uxoribus et res huiuscemodi, quae pertinent atque attingunt annexaeque sunt ordinationi equitatus itinerantis. Euge, domine Quixote mi, formosus ac strenuus! Hodie melius quam cras impendas et facias iter; et si quid est quod deficiat tibi ad operam navandam hic ego sum ad supplendum et quidem meis viribus ac bonis fortunae; et si necesse esset ad serviendum tibi, o excellens domine, pro armigero hoc erit mihi ut maxima fortuna.

His verbis prolatis, ait dominus Quixotus ad Sanctium:

–Nonne dixi tibi, Sancti, armigeros non defecturos esse mihi? Vide quis praebet se nisi inauditus baccalaureus Samson Carrasco, perpetuus exultator ac laetificator scholarum salmanticensium, sanus corpore, flexibilis membris, tacitus, patiens tum calore tum frigore, tum fame tum siti, cum omnibus virtutibus, quae requiruntur in armigero cuiusdam equitis itinerantis. Sed ne faxit Coelum me propter nutum meum frangere columnam litterarum et vas scientiarum ac rumpere palmam eminentem bonarum pulchrarumque artium. Maneat novus Samson in sua patria atque honoret eam, et honoret una canas senum parentum suorum; quoniam ego contentus ero quodam armigero, quamvis Sanctius non dignetur mecum venire.

–Utique dignor –respondit Sanctius commotus ac praeditus oculis lacrimosis et prosecutus est–: Nolo ut dicant de me, domine mi, pane refecto sodalitate amissa; praesertim quia ego non provenio ex quodam genere ingrato; quia omnes cognoscunt quos Pansas esse, potissimum in meo pago, ex quibus ego descendo et

quia etiam novi per multa signa et bona verba desiderium tuum faciendi mihi magnum beneficium; et si veni ad loquendum de meo salario hoc fuit ad uxori meae complacendum; quae cum aliquid apprehendat suis manibus ad cuidam suadendum, non est manipulus, qui tam arcte premat anulos cadi vini, tamquam illa premit ut faciant quod ipsamet vult; nihilominus vir debet esse vir et mulier mulier; et sic ut ego vir sum hic atque ubique, quod negare non possum, etiam ero vir domi meae, et cui doleat doleat; et sic nil est amplius faciendi quam ut tu, domine, iubeas testamentum tuum in codice tuo, ne *revolcaretur* atque impendamus iter nostrum ne patiatur animus domini Samson, quia ille dicit suam conscientiam laborare angore ad persuadendum tibi ad tertium egressum faciendum per mundum. Atque ego denuo me ipsum praebebo fideliter ac legaliter, ad melius faciendum officium meum quam omnes armigeri, qui in temporibus praecedentibus servierunt equitibus itinerantibus.

Baccalaureus miratus est audiendi Sanctium Pansam loquentem hoc modo; et quamquam legerat in prima parte historiae domini eius, numquam credidit eum tam facetum fuisse tamquam ibi depictus esset; sed cum audiverat eum loquentem de *testamento et codice quod non revolcaretur*, in loco de *testamento et codice quod non revocaretur*, omnia quae legerat credidit atque eodem modo affirmavit eum solemnissimum stolidum saeculorum nostrorum esse et secum dixit se numquam vidisse in hoc mundo tales dementes ut dominum et famulum. Denique dominus Quixotus et Sanctius mutuo amplexi sunt et facti sunt amici, et consilio et consensu magni Carrasco accepto, quod tunc erat oraculum eorum, decreverunt proficisci intra tres dies; quibus paranda erant necessaria ad iter faciendum et cassidem tesselatam quaerere, quia dominus Quixotus dixit se omni modo eam adducturum esse. Samson autem ei eam praebuit, quia sciebat amicum eius, a quo quaereret eam, ei non negaturum esse, tamen valde fusca ex aerugine et mucedine erat quam clara et limpida ex terso chalybe. Maledictiones quae ambae, hera domus neptisque, in baccalaureum eiecerunt innumerabiles fuerunt; eradicarunt capillos capitis ac vultus earum laceraverunt et, ad modum illarum, quae magno planctu lamentabantur, etiam de exitu eius clamaverunt tamquam si ageretur de morte domini earum. Consilium quod fecit Samson ad ei suadendum ut iterum iterumque egrederetur fuit quod infra narrabit historia atque omnia secundum consilium parochi tonsorisque cum quibus antea haec omnia tractaverat.

Breviter, per triduum dominus Quixotus Sanctiusque paraverunt quod eis videbatur convenienter ad ferendum secum; Sanctius placavit uxorem suam et dominus Quixotus neptem heramque domus, et tunc, nemine praeter baccalaureum eos conspiciente, qui voluit eos comitari per dimidiam leucam ab eo loco, iter fecerunt versus pagum Toboso, dominus Quixotus super Rocinantem et Sanctius Pansa super antiquum asinum suum, cum clitellis paratis ex rebus, quae ad vitam bucolicam pertinebant, necnon et, pera pecuniae plena, quam dominus Quixotus ei dedit ad quaslibet res gestas. Samson amplexus est eum atque ab eo quaesivit ut nuntiaret ei de sua prospera sive adversa fortuna ad gaudendum hac sive ad moerendum de altera, sicut leges amicitiae postulabant. Dominus Quixotus haec omnia pollicitus est ei ac Samson reversus est ad locum suum, atque ambo petiverunt magnam urbem Toboso.

Capitulum 8. Ubi narratur quod evenit domino Quixoto cum iter faceret ad videndam suam dominam Dulcineam a Toboso

–«Benedictus sit omnipotens *Allah!*», dicit Hamete Benengeli in initio huius octavi capituli. «Benedictus sit *Allah!*», ter repetit atque ait se has benedictiones dicere, quia iam habet dominum Quixotum et Sanctium in expeditione eorum et etiam, quia lectores possunt iucunda historia eorum gaudere atque ex hoc incipiunt res gestae ac facetiae domini Quixoti armigerique eius; necnon vult omnes oblivisci praeteritarum rerum gestarum equitatus Ingeniosi Fidalgi ut ponant oculos in proximas venturasque res gestas, quae nunc in itinere urbis Toboso incipiunt, sicut aliae in itinere camporum Mentissae (Montiel) inceperunt. Et non est multum quod ille poscit propter tam multum quod praebebit; et sic hoc modo prosequitur dicens:

Soli manserunt dominus Quixotus et Sanctius et ubi primum Samson secesserit ab eis, Rocinans incepit hinnire atque asinus suspirare et ambo, nempe eques atque armiger, acceperunt haec ut signa prospera ac felicissimum omen; tamen at verum dicendum, si enumeranda sint suspiria, ruditus asini plures fuerunt quam hinnitus equi ex quibus Sanctius deduxit fortunam eius superare fortunam domini eius et super fortunam eius esse, atque hoc nescio utrum secundum quam astrologiam iudiciariam quam ille cognoscerit necne, quia historia de his rebus non explicite dicit. Nihilominus audierunt Sanctium dicere, cum obstaculum inveniret, melius esset si non egrederetur domo sua, quia, si obstaculum offenderet sive si caderet, poterat calceos rumpere sive costas frangere; et quamquam stultus in hoc non erat extra veram viam. Dominus Quixotus dixit ei:

–Sancti amice, iam advesperascit et quidem celeriter atque obscuritas magis properatur quam qua egemus ad videndum sub luce diei, quare statui ire ad urbem Toboso ante quam aliae res gestae adveniant ibique accipiam benedictionem imparis Dulcineae; qua venia credo, et pro certo habeo, me posse finire omnia facta periculosa, quoniam nihil in vita facit magis strenuos equites itinerantes quam habere favorem dominarum eorum.

–Hoc ita credo –respondit Sanctius–; sed puto difficile esse tibi ut nunc possis loqui cum ea in quodam loco, ad hanc benedictionem accipiendam, nisi id facias per murum consaepti ex quo vidi eam prima vice, cum misi ad eam litteras, quibus erant nuntii stultitiarum ac dementiarum quas tu, domine, faciebas in penetralibus Montium Fuscorum.

–Num muros consaepti putasti eos esse, Sancti –inquit dominus Quixotus–, quo sive per quos vidisti illam numquam bene laudatam elegantiam ac formositatem? Nonne erant ambulacra sive fauces vel atria, sive quomodo vocentur, ex locupletibus palatiis regalibus?

–Omnia fieri possunt –respondit Sanctius–; sed mihi videbantur tantum muros esse, nisi fefellit mihi memoria.

–Sed his omnibus rebus peractis, eamus illic –obiecit dominus Quixotus–; et si vere ego eam video tum per muros tum per fenestras vel per cancellos horti, ubi radius solis pulchritudinis eius perveniat ad oculos meos atque illuminet intellectum

meum et roboret animum meum, ita ut sit unicus ac nemini secundus in prudentia et strenuitate.

–Reapse, domine –respondit Sanctius–, cum vidi hunc solem dominae Dulcineae a Toboso non erat coelum tam clarum ut posset radios suos a se mittere; atque hoc debuit esse quia illa domina cribrabat triticum, quod dixi, et multus erat pulvis quem ex eo extrahebat et fuit tamquam nubes ante vultum eius, quae eum obscuravit.

–Adhuc insistis, Sancti –inquit dominus Quixotus–, dicendo eam cribrare frumentum cum hoc sit negotium atque exercitium alienum ex his quae praecipuae dominae faciunt, quae solent vacare aliis exercitiis atque oblectamentis, quibus ostenditur procul ad iactum ballistae excellentia earum! ... Male meministi eorum versuum, o Sancti! nostri poetae, ubi depingit labores quos faciebant, in suis mansionibus ex crystallo, illae quattuor nymphae quae, ex nostro amato flumine Tago, quattuor capita sua extulerunt ac sederunt super viride pratum ad elaborandas illas locupletes telas, quas ibi ingeniosus poeta nobis describit, atque en omnes erant textae et contextae ex auro, ex serico atque ex margaritis. Et hoc modo etiam esset tela dominae meae cum eam vidisti; nisi invidia, quam habet quidam maleficus incantator, mutaverit omnes figuras, quas illa habet, ita ut displiceant mihi. Et sic etiam timeo utrum vere auctor illius historiae impressae rerum gestarum mearum vere sit quidam inimicus meus, an tergiversatus sit miscendo veritatem cum mille mendaciis et quidem gavisus est narrando alias res gestas pro vera historia extra quod requiritur. O invidia, radix innumerorum malorum et caries virtutum! Omnia vitia, Sancti, habent nescio quid voluptatis; tamen vitium invidiae nil habet nisi anxietates, fastidia ac rabies.

–Hoc est quod ego etiam dico –respondit Sanctius– et puto in hac lectione sive historia, de qua locutus est baccalaureus Carrasco quam vidit atque agitur de nobis, honorem meum vehi huc vel illuc et sicut dicunt cum vexatione atque ad verrendas vias cum scopis. Tamen ego ut vir bonus, hucusque nil mali dixi de ullo incantatore nec tam multa bona sunt mihi ut possint invidere mihi; aliquantulum astutus vere sum et etiam parumper subdolus, sed haec omnia cooperit simplicitas mea, semper naturalis et nullo modo artificiosa. Ceterum atque aliter, quamvis non sit mihi alia res meritoria, semper credidi firmiter ac vere in Deum atque omnia quae credit Sancta Ecclesia Catholica Romana, quia sum inimicus mortalis iudaeorum, atque historiographi deberent commiserationem habere mecum et bene tractare me in scriptis eorum. Sed dicant quidquid velint de me, quia nudus natus sum et nudum me invenio: nec perdo nec lucror, quamvis ad me videndum, in libris qui vadunt per hunc mundum ex manu in manum, hoc intersit mihi ut ficus obscenus et parvi facio quod dicant de me, quidquid sit atque illi velint dicere.

–Hoc mihi videtur, Sancti –inquit dominus Quixotus–, simile esse quod evenit claro poetae, qui satyram malignam contra omnes dominas aulicas fecit, sed hoc non potuit facere cuidam dominae quam nec nominavit, quoniam de illa dubitabat utrum esset aulica huiuscemodi necne. At illa cum vidit se non esse in catalogo reliquarum, moesta fuit et quaesivit a poeta quid in ea vidit ut excluderet eam ex numero aliarum, quapropter deberet satyram extendere atque eam includere; aliter melius esset ut ille curaret de suis propriis rebus. Sic fecit vates atque eam posuit peius quam nutrices maledicentes de ea dixerint, sed illa gavisa est, quia vidit se

denique pervenisse ad famam quamquam hoc modo infame. Etiam ad hoc venit quod fertur de illo pastore qui accendit et combussit celebre templum Dianae quod numerabatur inter septem prodigia celeberrima huius mundi, et pastor ille fecit ut maneret nomen eius vivum per saecula ventura; et quamquam iusserunt ut nemo faceret mentionem nominis eius sive per verba sive per scripta, quin nancisceretur desiderium eius, nihilominus cognitum est eum vocari Erostratum. Etiam ad hoc pertinet quod accidit imperatori Carolo Quinto cum quodam equite Romae. Imperator voluit videre templum celebre Rotundae, quod in antiquitate vocabatur *Templum Omnium Deorum (Pantheon)*, et nunc meliore nomine *Templum Omnium Sanctorum* atque haec aedes valde completa atque integra mansit ex his quas gentilitas Romae aedificavit et habet magnam famam tantae magnitudinis ac magnificentiae ex suis fundatoribus; forma eius est dimidium aureum malum atque immensum in extremis, et nullam aliam lucem habet quam illa quae per fenestram intrat, sed per fenestram rotundam supernam, quae est in cuspide eius ex qua cum imperator Carolus conspiceret illam aedem iuxta eum erat, ad latus eius, eques romanus qui imperatori artificia et subtilitates illius magnae aedificationis describebat et memorabilem architecturam; et cum eques ex illa fenestra superna secessit tunc dixit imperatori: «Milies, o Rex, habui desiderium amplectendi te, domine, ad proiiciendum me ex hac fenestra deorsum ad perpetuam famam meam relinquendam in mundo.» «Tibi gratias ago –respondit imperator– quia talem malas cogitationes non perfecisti, sed ex hoc et in futurum non praebebo tibi occasionem faciendi periculum tuae fidelitatis erga me; quare iubebo ut numquam loquaris mecum neque umquam sis ubi ego sum.» Atque, his verbis prolatis, fecit ei magnum beneficium. Volo dicere, Sancti, desiderium acquirendi famam magnum esse apud homines ac vere activum omni modo. Quidnam credis impulisse Horatium ad proiiciendum se armatum omnibus armis ex ponte deorsum in Tiberim profundum? Quisnam combussit manum bracchiumque Mucii Scaevolae? Quisnam impulit Curtium ad proiiciendum se in abyssum ardentem, quae apparuit in media Roma? Quis impulit Caesarem ad Rubiconem transeundum contra omnia adversa auguria, quae ostenderunt ei? Et ex hodiernis exemplis, quis perforavit naves et reliquit strenuos hispanos in terra sicca quos urbanissimus Cortés duxit in Novum Mundum? Haec omnia aliaeque magnae ac diversae res gestae fuerunt, sunt atque erunt opera famae, quae in hoc saeculo homines mortales desiderant ad praemium obtinendum et etiam immortalitatem, quae clara facta eorum merentur, quoniam christifideles, catholici atque equites itinerantes debemus potius attendere gloriam saeculorum venturorum, quae aeterna est in regionibus aetheriis coelestibusque quam ipsam vanitatem, quae hoc saeculo praesente ac transiente obtinetur, quia haec fama, quamvis permaneat, denique finiet cum ipso mundo qui, fine designato, peribit. Sic, o Sancti! opera nostra non exibunt ex limine quod religio christiana, quam profitemur, statuit. Quapropter debemus interficere superbiam in gigantibus; invidiam cum munificentia atque animo benevolo, iracundiam tranquilla praestantia et quiete animi; gulam et somnium exiguitate cibi ac pervigilando in longa vigilia; luxuriam et lasciviam servando fidelitatem dominabus cordium nostrorum; pigritiam ambulando per cunctas partes mundi, quaerendo occasiones ac pericula quibus simus non tantum christiani, sed etiam

illustres equites. Hic videbis, Sancti, quae sint media per qua nanciscuntur extremas laudationes quas bona fama secum ducit.

–Omnia quae tu, domine, hucusque dixisti –inquit Sanctius– valde bene intellexi, tamen vellem ut *sorberes* mihi dubium quod in hoc momento venit ad mentem meam.

–*Solveres* dices, Sancti –ait dominus Quixotus–. Dic autem nunc, et respondebo sicut scire possim.

–Dicas mihi, domine –prosecutus est Sanctius–: Hi Iulii atque Augusti et hi omnes clari equites quos nominavisti, qui iam mortui sunt, ubinam gentium erunt nunc?

–Gentiles –respondit dominus Quixotus– absque dubio erunt in infernis; christifideles autem si boni christiani fuerunt sive in purgatorio sive in coelo.

–Hoc bene est –dixit Sanctius–; sed videamus nunc: hae sepulturae ubi sunt corpora horum dominorum, habentne ante se lampadas argenteas sive parietes sacellorum ornatas scipionibus claudorum, sudariis mortuorum, comis capillorum, cruribus infirmorum atque oculis ex cera factis? Et si hoc non habent, quomodo ornantur?

Quibus dominus Quixotus respondit:

–Sepulcra gentilium plerumque fuerunt sumptuosissima templa: cineres Iulii Caesaris posuerunt supra pyramidem petream immanis magnitudinis quam hodie vocant *Acum Sancti Petri.* Sepultura imperatoris Hadriani fuit castellum magnum tamquam amplum oppidum quod vocarunt *Molem Hadriani* et nunc est castellum Sancti Angeli Romae; regina Artemisa sepelivit maritum Mausolum in sepulcro, quod fuit unum ex septem prodigiis antiquitatis huius mundi; tamen nulla ex his sepulturis ornata fuit sive ex votis sive ex signis quibus ostenderent eos sanctos fuisse, qui ibi sepulti erant.

–Ad hoc veniam –obiecit Sanctius–. Sed dicas nunc mihi. Quid est maioris momenti: resuscitare mortuum sive interficere gigantem?

–Responsum in manu est –respondit dominus Quixotus–: maioris ponderis est mortuum resuscitare.

–Iam cepi te, domine, cum meis manibus –dixit Sanctius–. Ergo fama illius qui resuscitat mortuum, visum dat caecis, claudos facit ambulare et salutem dat infirmis, atque ante sepulcra eorum lampades ardent, et sacella eorum plena sunt hominum fidelium, qui flectunt genua ad venerandas reliquias eorum, maioris momenti erit huic atque alteri saeculo quam fama quam reliquerunt tot gentiles imperatores atque equites itinerantes qui fuerunt in mundo.

–Etiam hanc veritatem confiteor –respondit dominus Quixotus.

–Tunc hanc famam, has gratias, has praerogativas, sive quomodo vocentur –respondit Sanctius–, habent corpora ac reliquiae sanctorum, quae cum approbatione et licentia nostrae Sanctae Matris Ecclesiae, habent lampadas, candelas, scipiones claudorum, tabulas pictas, comas capillorum, oculos, crura, quibus augent devotionem et famam christianam accrescunt; reges ferunt super umeros suos corpora sanctorum sive reliquias eorum, osculantur partes ossium eorum, et denique cum eis ornant sacella sua et altaria pretiosissima ...

–Quid ergo vis me inferre ex omnibus quae mihi dixisti? –ait dominus Quixotus.

–Volo tantum dicere –inquit Sanctius– nos posse fieri sanctos et celerius obtinere hanc bonam famam quam conamur; atque animadvertas, domine, quod heri sive nudius tertius, quia nuper hoc sic accidit, consecraverunt sive beatificaverunt duos

sanctos monachos discalceatos, et nunc temporis pro magna fortuna est osculari ac tangere catenas ferreas, quibus sese cingebant et corpora eorum cruciabant et catenae hae sunt, secundum quod dixi, maioris venerationis quam gladius Orlandi (Roldani), qui est in armamentario Regis nostri domini, quem Deus custodiat. Quare, domine mi, melius est monachus humilis, cuiuslibet sacrae congregationis esse, quam strenuus eques itinerans; melius est ante oculos Dei bis duodenos ictus flagelli sibi dare ad poenitentiam faciendam quam duo milia ictuum lanceae tum gigantibus tum monstris vel draconibus.

–Haec omnia vera sunt –respondit dominus Quixotus–; sed non omnes possumus fieri monachi et multae sunt viae, quibus Deus suos electos fideles ad coelum ducit; sed etiam equitatus est religio, atque equites sancti etiam sunt in gloria coeli.

–Utique –respondit Sanctius–; sed etiam audivi dicere plures esse monachos in coelo quam equites itinerantes.

–Hoc est –respondit dominus Quixotus– quoniam maior est numerus monachorum quam equitum.

–Suntne multi equites itinerantes –dixit Sanctius?

–Multi –respondit dominus Quixotus–, sed perpauci sunt qui vere mereantur nomen equitum.

His atque aliis colloquiis prolatis, transcurrit illa nox atque etiam crastinus dies, dum nihil eis evenit quod dignum esset narrandi, de quo valde doluit dominus Quixotus. Tamen denique illo die, vespere autem facto, invenerunt magnam urbem Toboso, cuius conspectu valde gavisus est animus domini Quixoti, sed e contrario animus Sanctii contristatus est, quia nesciebat ubi erat domus Dulcineae nec umquam eam viderat, sicut etiam dominus eius numquam eam vidit; quapropter alter ad eam videndam atque alter quia numquam eam viderat valde ambo perturbati erant, neque Sanctius imaginabatur quid faciendum erat cum dominus eum ad urbem Toboso mitteret. Tandem, dominus Quixotus decrevit in urbem introire, vespere facto, sed donec tempus esset idoneum manserunt inter quercus, quae prope urbem Toboso erant, et cum hora appropinquaret introierunt in urbem, ubi evenerunt eis res, quae erant cuiusdam momenti.

Capitulum 9. Ubi narratur quod in eo videbitur

Circa dimidiam noctem dominus Quixotus Sanctiusque montem reliquerunt atque introierunt in urbem Toboso. Pagus erat magno et quieto silentio, quia omnes oppidani eius dormiebant ac placide quiescebant, ut dici solet. Nox autem erat sublucida, quamvis Sanctius vellet eam atram omnino esse, ad inveniendam in obscuritate eius excusationem propter suam versutiam. Nihil audiebatur in toto loco nisi latratus canum, qui strepabant aures domini Quixoti ac turbabant cor Sanctii. Aliquando asinus rudebat, porci grunniebant, feles clamabant, ad quorum voces

augebatur silentium noctis, quod equiti capto amore ut omen adversum videbatur; tamen inquit Sanctio:

–Sancti, fili, duc ad palatium Dulcineae; forsitan inveniamus eam adhuc vigilantem.

–Ad quodnam palatium debeo ego ducere, per corpus huius solis! –respondit Sanctius–, quia in illo loco, ubi vidi excellentiam Dulcineae non erat nisi domus valde parva?

–Absque dubio illa esset tunc recepta –respondit dominus Quixotus– in quodam parvo habitaculo sui palatii, oblectando se una cum virginibus suis secundum usum et consuetudinem illustrium dominarum et principessarum.

–Domine –dixit Sanctius–, quoniam tu vis, et quidem tota mea displicentia, ut domus Dulcineae vere sit palatium, num est nunc hora inveniendi portam eius apertam? Et num oportet nos nunc pulsare fortiter ad hanc portam ita ut audiant nos atque aperiant nobis magno strepitu ac rumore gentium? Num casu pulsabimus domum concubinarum nostrarum, sicut faciunt concubinarii, qui veniunt et pulsant atque introeunt ad quamlibet horam, quamvis tam sero sit?

–Imprimis inveniamus palatium –obiecit dominus Quixotus–; et tunc iam dicam tibi, Sancti, quid faciendum sit. Atque animadverte, Sancti, me parum sive nihil videre, tamen haec moles magna cum umbra, quae hinc ibi videtur debet esse palatium Dulcineae.

–Duc, domine, illuc –respondit Sanctius–: fortasse hoc ita sit; quamvis meis propriis oculis id videam ac meis manibus attrectem, tunc id credam, sicut nunc est meridies.

Dominus Quixotus duxit illuc et post ducentos gressus palpavit molem, quae faciebat illam umbram, et vidit turrim magnam et postea cognovit talem aedem non esse palatium, sed ecclesiam praecipuam oppidi. Et dixit:

–Obviam ecclesiae pervenimus, Sancti.

–Iam video –respondit Sanctius–. Et faxit Deus ne obviam sepulcro nostro veniamus; quia non est bonum omen ambulare per coemeteria talibus horis, praesertim quia iam dixi tibi, nisi me fallit, domum huius dominae fuisse in parva via sine ullo egressu.

–Maledictus sis a Deo, stolide! –dixit dominus Quixotus–. Ubinam gentium invenisti palatia ac domus regias aedificatas esse in via sine egressu?

–Domine –respondit Sanctius–, in alio loco alia consuetudo; forsitan hic in urbe Toboso aedificent in parvis viis palatia et magnas aedes; quare rogo te ut sinas me quaerere per has vias sive per parvulas vias quas videam: fortasse in quodam angulo inveniam hoc palatium, atque utinam hoc videam a canibus devoratum, quia hoc modo adduxit nos pudibundos ac moestos.

–Loquere maiore reverentia, Sancti, de rebus dominae meae –inquit dominus Quixotus–, et sit nobis haec festivitas in pace ne proiiciamus funem post urnam.

–Ego certe me refrenabo –respondit Sanctius–, tamen quomodo potero sustinere quod tu vis? nempe ut inveniam domum dominae nostrae quam tantum semel in vita mea vidi et semper eam debeo invenire etiam dimidia nocte, cum tu, domine, qui milies eam vidisti, non invenias.

–Tu facis me vere desperari, Sancti –ait dominus Quixotus–. Accede huc,

haeretice, nonne dixi tibi milies me in omnibus diebus vitae meae numquam vidisse hanc inaequalem Dulcineam et limina palatii eius numquam transivisse atque etiam me eam diligere ex auditu et propter famam quam illa habet ut pulchra et prudens?

–Nunc haec vere audio –respondit Sanctius– et dico si tu, domine, eam numquam vidisti nec ego etiam et minime gentium.

–Hoc non fieri potest –obiecit dominus Quixotus–; quoniam saltem iam mihi dixisti te eam vidisse cum cribraret triticum, cum adduxisti ad me responsum epistulae quam ad eam misi per tuam legationem.

–Nimium ne credas colori, domine –respondit Sanctius–, quia egomet dicam tibi hoc etiam fuisse ex auditu atque etiam responsum quod ad te adduxi; quia sic ego scio quaenam sit domina Dulcinea sicut ictum pugni dare in coelum, id est nullo modo.

–O Sancti, Sancti –respondit dominus Quixotus–, aliquando tempus est illudendi atque aliquando facetiae generant incommodum. Sed non, quoniam dixi me numquam vidisse eam nec locutum fuisse cum domina animi mei, debes etiam dicere te numquam eam vidisse nec locutum fuisse cum ea, cum hoc e contrario sit, velut tu bene scis.

Dum ambo essent in hoc colloquio, viderunt virum venientem cum duabus mulis et, per strepitum quem aratrum faciebat tractum per terram, iudicaverunt eum agricolam esse, qui ante primam lucem diei surrexit ad exarandum agrum atque haec erat veritas. Agricola autem veniebat cantans carmen his versibus:

«Malam habuistis, galli,
venationem Roncesvalles»

–Peream ego, Sancti, –inquit dominus Quixotus haec audiens–, nisi quid boni eveniat nobis hac nocte. Nonne audis quae cantat hic rusticus?

–Utique audio –respondit Sanctius–; sed quid nobis illa venatio de Roncesvalles? Utinam posset cantare carmen Calaini (Calainos), quominus hoc modo eveniat nobis bonum sive malum in nostro negotio.

Tunc agricola advenit et dominus Quixotus quaesivit ab eo:

–Potesne dicere nobis, amice bone, et Deus det tibi bonam fortunam, ubi sunt palatia inaequalis Dulcineae a Toboso?

–Domine –respondit iuvenis–, ego alienigena sum et tantum paucis diebus sum in hoc pago, ubi servio diviti agricolae in labore culturae agrorum eius; tamen in hac domo vicina vivunt parochus et sacrista huius loci; ambo sive quilibet eorum certiorem faciet te de hac principessa, quia habebunt catalogum omnium oppidanorum urbis Toboso; mea opinione, in hoc loco nulla principessa habitat; quamvis dominae multae certe sint, ac praecipuae et unaquaeque domi suae erit principessa.

–Inter eas –inquit dominus Quixotus– erit, amice, haec quam ego quaero.

–Hoc fieri potest –respondit iuvenis–; sed valete quia iam appropinquat diluculum.

Et mulas suas incitavit et noluit amplius ad quaestiones attendere. Sanctius qui vidit dominum suum suspensum ac male contentum dixit ei:

–Domine, dies appropinquat celeriter et non erit bonum ut sol inveniat nos in via; melius erit nos extra oppidum ire et ut tu petas quamdam silvam proximam

atque ego huc revertar et non relinquam angulum in toto pago ubi quaeram domum, palatium sive domum regiam dominae meae et tibi dicam ubi et quomodo exspectas ut illa det tibi veniam et modum ad eam videndam, honore et fama debite servata.

–Dixisti, Sancti –inquit dominus Quixotus– mille sententias clausas in circulo brevium verborum tuorum; tamen consilium quod nunc mihi dedisti libenter accipio ac bona voluntate. Veni huc, fili, atque eamus ad quaerendum ubi intrem in silvam, tu autem reverteris, ut dixisti, ad eam quaerendam, ad eam videndam atque ad loquendum cum domina mea, de cuius prudentia atque urbanitate exspecto plus quam mille miras benevolentias.

Sanctius commotus erat gaudio ad impellendum dominum suum extra pagum, ne develaret mendacium eius de responso ex parte Dulcineae quod eum adduxerat ad Montes Fuscos, quare festinavit ad egrediendum atque ad duo milliaria illius loci invenerunt silvam, ubi dominus Quixotus intravit, donec Sanctius reverteretur ad oppidum ut loqueretur cum Dulcinea; in cuius legatione evenerunt ei res tales, quae merentur novam attentionem considerationemque.

Capitulum 10. Ubi agitur de artificio vi cuius Sanctius incantavit dominam Dulcineam et de aliis rebus gestis, quae tam ridiculae tamquam verae sunt

Cum auctor huius magnae historiae pervenit ad narrandum quod in hoc capite enarrat, ait se voluisse id praeterire in silentio, timens quin eum crederent; quia dementiae domini Quixoti venerunt ad extremitatem et ad limen illius quod imaginari possent atque ultra duos iactus ballistae supra maximas. Denique, et commotus hoc metu, eas scripsit tamquam dominus Quixotus eas fecit, nullo atomo addito nec desumpto a veritate huius historiae, et pro nihilo fecit omnes obiectiones, quibus eum ut mendacem habuerint. Et recte iudicavit, quia veritas minuitur, sed non frangitur et semper super mendacium est tamquam oleum super aquam.

Et ceterum, et prosequens suam historiam ait dominum Quixotum intravisse in silvam, nemus vel quercetum prope magnam urbem Toboso atque iussit Sanctio ut reverteretur ad oppidum et nullo modo in conspectu eius veniret nisi antea loqueretur ex sua parte cum domina eius, quaerendo ab ea veniam ita ut captus eques illius eam videret ac benedictionem suam ei daret, ut felicissimas ac prosperas res gestas impenderet necnon ardua negotia. Sanctius suscepit hoc mandatum super se et proposuit ad eum adducere responsum tam bonum quam praecedenti legatione tulit.

–Vade, fili, –obiecit dominus Quixotus–, et ne deturbetur animus tuus, cum te videas ante lucem solis huius formositatis quam petes. Beate tu, inter cunctos armigeros totius huius mundi! Et trade bene tuae memoriae omnia, ne praetermittas quomodo receptus sis: utrum illa palluerit dum legationem meam ei tradas; an

turbetur audiendo nomen meum; utrum elabatur e pulvinare an sedeat super stratum locuples auctoritatis suae; atque inspice eam utrum erecta maneat pedibus, an stet tum super pedem tum super alterum; utrum repetat responsum datum bis an ter; utrum responsum mutet ex molli in asperum, an ex acerbo in amorosum, utrum levet manum ad capillos componendos necne, quamvis non inordinati sint; et denique, fili, conspice omnes actus et motus eius; quoniam si tu haec omnia narrares sicut fuerunt dilucidabo quid habeat in profundo corde suo, quod amores meos attingat. Quia oportet te scire, Sancti, si nondum haec cognoscis, inter amantes actus ac motus exteriores ostendunt, cum agitur de re amorosa, ut nuntii verissimi qui afferunt legationes de his, quae in animo intus accidunt. Vade ergo, amice, ac melior fortuna quam mea ducat te, ut revertaris cum aliis meliorus rebus gestis, quas nunc habeo exspectando te ac timendo in hac amara solitudine qua relinquis me.

–Ibo et redibo cito –dixit Sanctius–; et dilata parvum cor tuum, domine mi, quod nunc habes non maius quam avellanam et cogita quod dicitur, nempe cor bonum frangere adversam fortunam atque ubi non est perna non est uncus ad eam suspendendam; et etiam dicitur: nemine animadvertente, egreditur lepus. Atque hoc dico quia si hac nocte non invenimus palatia sive domus regias dominae meae, nunc ego eas inveniam, quamvis nemo de hoc cogitet et cum bene eas inveniam in eis manebo cum ea.

–Profecto, Sancti –ait dominus Quixotus–, te semper adducere proverbia tua tam accurate ad ea de quibus agimus ita ut Deus faveat tibi meliorem fortunam in hoc quod desidero.

Sanctius, his rebus dictis, vertit dorsum suum et virga asinum verberavit dum dominus Quixotus manebat super equum suum, innixus sustentaculo pedum ac lancea, sed plenus erat tristitia et confusis cogitationibus, ubi eum relinquemus atque iter faciemus una cum Sanctio Pansa, qui secessit a domino suo et non minus confusus ac meditabundus quam ille mansit; et quidem tantum ut simul atque egressus est ex silva, et vertens caput a retro vidit dominum Quixotum non apparere, descendit de asino et sedit ad pedem arboris atque incepit loqui secum et sic dixit:

«Videamus nunc, Sancti frater, quonam gentium vadis? Num ad iumentum amissum quaerendum?» «Nullo modo.» «Tunc, quid quaerendum est?» «Ego vado ad quaerendum, ut ita dicam, principessam atque in ea inveniam solem formositatis et immo omne coelum.» «Et ubi putas invenire haec omnia, Sancti?» «Ubinam gentium? In magna urbe Toboso.» «Bene, et cuius ex parte eam petes?» «Ex parte illustris equitis domini Quixoti a Manica, qui iniustitias solvit et dat cibum sitienti et potum esurienti.» «Haec omnia bona sunt. Sed, scisne ubi est domus eius, Sancti?» «Dominus meus dicit hanc domum esse palatium regium sive excelsam domum regiam.» «Sed num casu eam aliquando vidisti?» «Neque ego neque dominus meus eam umquam vidimus.» «Et num videtur tibi bonum esse si forte oppidani urbis Toboso cognoscerent te hic esse ad rapiendas principessas atque ad perturbandas dominas, tunc venirent contra te et percuterent tuas costas virgis et nullum os sanum relinquerent in te?» «Certe bene facerent nisi viderent me missum esse quare

Legatus es, amice,
nullam culpam habes, non.

«Sed ne credas nimis colori, Sancti, quia homines regionis Manicae tam irascibiles sunt quam honorati et nolunt titillationes ullius. Hercle, si olfaciunt te tunc malam fortunam mittam tibi.» «Vade retro, fili moechae! Si illuc ibis, fulmen adversum scindet te! Aliter quid quaero, quae non fieri possunt atque ad nutum alterius! Et etiam idem erit quaerere Dulcineam in Toboso tamquam Mariulam (Marica) per Ravennam sive baccalaureum Salmanticae. Diabolus, ipse diabolus introduxit me huc et non alius!»

Sanctius habuit hoc soliloquium secum atque ex hoc denuo quaesivit a se ipso dicens:

–Nunc autem: semper est remedium omnibus rebus, nisi ad mortem, sub qua omnes ituri sumus, quamquam nolentes ad finem vitae. Tamen hic dominus meus, per mille signa quae vidi, demens est et dignus religandi atque egomet non melior sum quam ille et tam stolidus sum, quia eum sequor eique servio, si verum est proverbium dicens: «Dic mihi cum quo ambulas et tibi dicam quis tu sis» et aliud quod dicit: «Non cum quo nasceris, sed cum quo vesceris.» Et si ille amens est et ope huius amentiae plerumque res pro aliis accipit, quia iudicat album pro nigro atque atrum pro candido, sicut evenit ei cum credidit molas venti fuisse gigantes et mulas monachorum camelos et greges ovium esse exercitus inimicorum et multa alia huiusmodi, quare non erit difficile facere ut credat quamdam rusticam et quidem primam quam inveniam esse Dulcineam; et si ille non credit ego iurabo et si ille iurat denuo iurabo egomet, et si ille pugnat ego pugnabo plus quam ille et semper verbum meum erit super verbum eius atque eveniat quidquid sit. Et fortasse cum hac pugna finiam cum eo, ita ut non denuo mittat me ad similes legationes faciendas, videndo quam male omnia feci pro eo, sive fortasse putet quemdam incantatorem, ex his de quibus loquitur, mutavisse figuram Dulcineae ad ei malum faciendum et damnum.

Sanctius Pansa, his rebus perpensis, valde placatus mansit et putavit eum optimum negotium fecisse, quare demoratus est usque ad vesperum ita ut dominus Quixotus crederet eum laboravisse ad perveniendum ad Toboso atque ad revertendum inde. Et tam bene haec omnia ei evenerunt, quia en tres rusticae super tres asinos vel asinas veniebant, nam auctor haec non accurate dicit, quamvis putetur eas tres asinas esse, quae sunt iumenta ordinaria rusticarum; sed hoc non est magni momenti ad moram faciendam ita ut possimus id scire. Breviter: ubi primum Sanctius viderit rusticas festinavit ad quaerendum dominum Quixotum, eumque invenit suspirantem ac dicentem mille lamentationes amorosas. Cum dominus Quixotus vidit eum dixit ei:

–Quid est, Sancti amice? Num potero signum dare huic diei cum lapide albo sive atro?

–Melius erit –respondit Sanctius– ut tu, domine, ponas signum litteris rubris tamquam si esset titulus ex cathedra ut omnes qui inspiciant id possint videre.

–Hoc modo –obiecit dominus Quixotus– duxisti bonos nuntios?

–Et quidem optimos –respondit Sanctius–, quia tantum debes incitare Rocinantem calcaribus atque exire ad planitiem ad videndam dominam Dulcineam a Toboso, quae cum duabus virginibus suis ad te videndum venit.

–Sancte Deus! Quid est quod dicis, Sancti amice? –inquit dominus Quixotus–. Videas ne decipias me cum falsis laetitiis ad gaudendum mea vera tristitia.

–Quid facerem si deciperem te, domine –respondit Sanctius–, atque insuper cum

tam proximus sis develandi meam veritatem? Incita equum calcaribus, domine, ac venias ad videndam principessam, dominam nostram, amictam et ornatam, denique, tamquam illa est. Virgines eius atque ipsa omnes sunt tamquam pruna aurea, omnes sunt spicae margaritarum, omnes adamantes, omnes carbunculi, omnes telae intextae serico atque auro et magis quam ex decem altitudinibus; capilli laxati et liberi super dorsa earum, quae sunt tot alii radii solis, qui cum vento ludunt atque insuper veniunt super tres *cananeas* sive equos veloces maculatos optimos, qui digni sunt videndi.

–Equos tolutarios dices, Sancti, vulgo *hacaneas*.

–Parum differunt –respondit Sanctius– ex *cananea* ad *hacaneam*; sed veniant super quod veniant, profecto veniunt dominae elegantiores quam quod imaginari possit, praesertim domina mea principessa Dulcinea, quae stupescit omnes sensus.

–Eamus, Sancti fili –respondit dominus Quixotus–, et quoad munera propter hos optimos atque inexspectatos nuntios tibi dabo meliorem praedam quam obtinebo in meis proximis rebus gestis futuris, et si hoc non satis esset tibi etiam dabo tibi pullos trium equarum mearum, quae pariturae sunt in prato communali pagi nostri.

–Praefero pullos equarum –respondit Sanctius– quia praeda primarum rerum gestarum non mihi videtur tam certa.

His verbis dictis, exierunt ex silva ac prope invenerunt illas tres rusticas. Dominus Quixotus inspexit per totam viam ad Toboso et cum tantum vidit illas tres rusticas quaesivit a Sanctio si casu reliquerit eas extra urbem.

–Quomodo extra urbem? –respondit–. Num habes oculos in occipite et non vides has quae hic ad nos veniunt, fulgurantes tamquam ipse sol meridianus?

–Ego non video, Sancti –ait dominus Quixotus–, nisi tres rusticas super tres asinos.

–Nunc liberet me Deus a diabolo! –respondit Sanctius–. Num fieri potest ut tres *hacaneae*, sive quomodo dicantur, albae, tamquam floccus niveus, videantur tibi asini? Per Dominum! Ego eradicabo has barbas meas si hoc verum esset!

–Ego dico tibi, Sancti amice –inquit dominus Quixotus– hoc tam verum est eos esse asinos vel asinas sicut ego sum dominus Quixotus et tu Sanctius Pansa, saltem illi mihi taliter videntur.

–Taceas, domine –dixit Sanctius–; et ne dicas tale verbum, sed adaperi hos oculos et veni ad genua flectenda in conspectu dominae cogitationum tuarum, quia iam prope venit.

Atque, his verbis prolatis, festinavit ad illas tres rusticas recipiendas, et descendit de asino apprehenditque capistrum asini cuiusdam earum rusticarum et, genibus flexis ad terram, dixit:

–Regina, principessa et ducissa formositatis, domina arrogantiae, dignare recipere, tua venia ac bono affectu, tuum captum equitem, qui hic est tamquam lapis marmoreus, omnino turbatus atque attonitus in conspectu tuae magnificae excelsitudinis. Ego sum Sanctius Pansa armiger eius atque ille est errans eques dominus Quixotus a Manica, alias vocatus Eques Tristis Figurae.

Tunc dominus Quixotus flexit genua iuxta Sanctium et, oculis turbatis ac disiunctis, suspensus atque admiratus et quidem non audebat labia aperire, intuebatur illam rusticam puellam praeditam non valde pulchro vultu, quia rotunda facies erat ei et naribus depressis, quam Sanctius vocabat reginam dominamque. Alterae duae

rusticae etiam attonitae erant videndo illos duos viros tam diversos figura, genibus flexis, qui non sinebant sociam earum ulterius progredi. Sed prima apprehensa rupit silentium, tristis ac moesta et dixit:

–Secede hinc de via, in hac maledicta hora, et sine nobis porro procedere, quia oportet nos festinare.

Cui Sanctius respondit:

–O principessa ac domina universalis a Toboso! Quomodo tuum cor magnanimum non commovetur cum videas, flexis genibus, in conspectu tuae excelsae praesentiae columnam et sustentaculum totius equitatus itinerantis?

Atque, his verbis auditis, altera ex duabus dixit:

–Eheu, veni huc et refricabo te, asina soceri mei! Videte quomodo domini veniunt nunc ad facetias faciendas de nobis rusticis, tamquam si nosmet ipsae nesciremus facetias mordentes tamquam illi facere! Prosequantur illi iter suum et sinant nos facere nostrum et melius erit eis.

–Surge, Sancti –dixit ad hanc occasionem dominus Quixotus–; quoniam iam video Fortunam adversam mihi esse, quae nondum satiatur mecum, omnes vias occlusit ex quibus posset contentus venire ad animum meum quem habeo in carne mea. Et tu, extremum urbanitatis humanae, unica medela huic cordi afflicto quod te diligit! Si vere maleficus incantator persequitur me et posuit nubes cataractasque in oculis meis et tantum eis et non alterius mutavit ac transformavit formositatem tuam inaequalem et vultum tuum pro vultu cuiusdam rusticae pauperis, nisi etiam meum mutaverit pro vultu cuiusdam monstri, ita ut sim detestabilis tuis oculis, inspice in me blande atque amorose et vide submissionem meam, qua flecto genua in conspectu tuae fictae pulchritudinis atque humilitatem meam, qua animus meus veneratur te.

–Accipe hoc, avuncule! –respondit rustica–. Quia amica sum audiendi has blanditias! Secedite seorsum et sinite nos ulterius prosequere et saltem grato animo erimus.

Secessit Sanctius et sivit eam transire dum valde contentus erat, quia omnia bene evenerunt ei in hoc versuto negotio eius.

Et vix illa, quae egit figuram Dulcineae, vidit se liberam esse incitavit suam asinam *cananeam* aculeo quem in sua virga habebat et cucurrit per pratum prorsum. Cum asina sensit aculeum, qui plus aequo ei molestus erat, incepit gyros dare et taliter ut dominam Dulcineam in terram eiiceret. Cum dominus Quixotus haec vidit accurrit ad eam levandam ex terra et Sanctius ad parandas clitellas, quae etiam sub ventre asinae evolverunt. Dominus Quixotus, clitellis paratis, voluit eam levare suis bracchiis super asinam, sed illa domina surrexit e terra atque hunc laborem eius vitavit, quia parumper secessit retro et cucurrit ac positis ambabus manibus supra dorsum asinae saltum dedit super clitellas levior quam falco et mansit virili modo; et tunc dixit Sanctius:

–Macte virtute! Haec domina nostra levior est quam accipiter et potest virum Cordubae sive Mexici docere equitatum dexterrimum! Supra dorsum sellae saltum dedit et sine calcaribus incitavit *hacaneam* tamquam cebram. Et virgines eius non manent a retro longe, quia omnes currunt tamquam ventus.

Atque hoc verum erat, quia cum Dulcinea vidit se super asinum, aliae secum incitaverunt iumenta post eam atque omnes inceperunt currere, nullo intuitu retro

facto, ultra dimidiam leucam. Dominus Quixotus secutus est eas suo conspectu et cum vidit eas non denuo apparuisse, vertens se ad Sanctium ait ei:

–Sancti, quid tibi videtur et quam magnum odium habent incantatores in me? Vide eos magnam malitiam habere atque invidiam, quoniam voluerunt eripere a me contentum videndi dominam meam in vero aspectu eius. Profecto, natus sum ut exemplum infelicium atque ut scopus et moles quonam fortuna adversa dirigat suas sagittas. Atque animadverte etiam, Sancti, traditores illi non contenti reversi sunt et transformaverunt Dulcineam in figuram humilem ac foedam tamquam illa rustica est atque ab ea abstulerunt quod tam proprium est principalium dominarum, scilicet bonus odor, quoniam semper ambulant inter flores atque aromata. Nam oportet te scire, Sancti, cum levavi Dulcineam super *hacaneam* eius, secundum quod tu dicis, quae mihi videbatur asina, sensi odorem alliorum crudorum, qui revolvit stomachum atque halitum meum suffocavit.

–O abiectissima plebecula! –clamavit ad hanc opportunitatem Sanctius–. O incantatores malefici ac subdoli! Quis posset videre cunctos vos innexos tamquam sardinas per branchias! Multum scitis, multum potestis et etiam multum facitis. Satis esset vobis, subdola plebecula, mutare margaritas oculorum dominae meae pro branchiis subereis, et limpidos capillos aureos pro rudibus capillis rubris caudae bovis ac denique pulchram faciem pro foeda, sed nolite tangere odorem eius; quia saltem per eum possemus cogitare quod esset occultum sub cortice foeda. Tamen, ut verum dicam, ego numquam vidi foeditatem eius, sed pulchritudinem, quam etiam superabat naevus, quem habebat super labium superum ad modum mystacis cum septem sive octo capillis flavis longioribus palmo.

–Ad hunc naevum –ait dominus Quixotus–, secundum symmetriam aequivalebunt qui sunt in vultu et qui sunt in corpore, quare Dulcinea habebit alium naevum in planicie coxae in eodem latere, ubi est illius faciei, tamen capilli de quibus dixisti valde longi sunt in illo naevo.

–Sed tibi, domine, dicam –respondit Sanctius– illi ibi videbantur tamquam si essent nati.

–Hoc credo, amice –obiecit dominus Quixotus–, quoniam natura nihil posuit in Dulcinea, quod non esset perfectum; et sic si centum naevos haberet, tamquam ille de quo dicis, in ea non essent naevi, sed lunae ac fulgurantes stellae. Tamen dic mihi, Sancti: id quod tu parasti, erat sella sive sedile?

–Non erat nisi sella peculiaris, brevibus sustentaculis pedum [vulgo *a la jineta]* cum operculo campi quod aestimabitur dimidio regno, quia tanti erit.

–Et, quomodo non potui egomet haec omnia videre, Sancti? –dixit dominus Quixotus–. Nunc dicam semel iterumque me infelicissimum omnium gentium esse.

Versutus Sanctius multas difficultates habuit ad tenendum risum atque haec omnia occultanda, praesertim cum audiret stultitias domini sui, qui tam subtiliter deceptus erat. Denique, multis rebus inter ambos peractis, ascenderunt super bestias eorum et prosecuti sunt iter Caesaraugustam (Zaragoza), ubi putaverunt tempore opportuno ad festivitates sollemnes adesse, quae ibi omni anno commemorantur. Sed ante quam illuc pervenirent acciderunt eis magnae ac novae res gestae, quae vere merentur scribi ac legi ut infra videbitur.

Capitulum 11. Ubi narrantur insolitae res gestae, quae acciderunt strenuo domino Quixoto cum curru sive plaustro Aulae Regiae Mortis

Dominus Quixotus iter faciebat meditabundus, cogitando de pessima deceptione, quam ei incantatores fecerunt mutando dominam eius, Dulcineam, pro foeda figura rustica, et nullo modo imaginabatur quomodo posset eam ad pristinam formam restituere. Hae cogitationes vere eum perturbabant atque inscienter habenas Rocinantis reliquit et hic cum sentiret se liberum aliquando detinebatur ad pascendam teneram herbam, qua agri illi abundabant. Sanctius Pansa reduxit eum ex sua abstractione dum dixit ei:

–Domine, tristitiae factae sunt non bestiis, sed hominibus, tamen si homines nimis sentiunt has tristitias fiunt bestiae; tu debes te recuperare ac reverti, quare accipe habenas Rocinantis et incita equum calcaribus et ostende strenuitatem convenientem equitibus itinerantibus. Quid est, per omnes diabolos, hoc quod tibi accidit? Quare deambulas hac lassitudine? Ubinam gentium sumus, utrum hic an in Gallia? Tamen Satan ferat secum tot Dulcineas, quae in mundo sint, quia maioris momenti est valetudo huius equitis itinerantis, quam omnia incantamenta huius mundi ac transformationes huius Terrae.

–Tace, Sancti –respondit dominus Quixotus voce non nimis languida–. Tace, dico ego tibi, ne dicas blasphemias contra illam dominam incantatam; quoniam tantum ego sum causa illius infortunii atque infelicitatis: propter invidiam quam habent in me maligni, qui nati sunt mala fortuna.

–Etiam ita dico egomet –respondit Sanctius–: quisnam eam viderit et quis eam nunc videt, quidnam cor non plorabit hac calamitate?

–Hoc potes bene dicere, Sancti –obiecit dominus Quixotus–, quoniam vidisti eam in perfecta pulchritudine eius; nam incantatio non se extendit ad turbandam visionem tuam neque ad celandam formositatem eius: tantum contra me et contra oculos meos pervenit robur veneni eorum. Nihilominus nunc arbitror te male depinxisse eam, quoniam ni fallor, dixisti eam habuisse oculos tamquam margaritas atque oculi qui sunt ut margaritae potius sunt cuiuslibet porcelli marini quam cuiusdam dominae; et secundum quod credo oculi Dulcineae erunt virides smaragdi, praegrandes oculi, cum duobus arcubus coelestibus qui serviunt ut supracilia. Et etiam has margaritas abstolle ab oculis et mitte eas dentibus, quoniam errasti, Sancti, et cepisti oculos pro dentibus.

–Omnia fieri posunt –respondit Sanctius– quia etiam turbavit me formositas illius, tamquam tibi foeditas eius. Atque interea omnia commendemus Deo, quia ille scit omnia, quae futura erunt in hac lacrimarum valle, in hoc pessimo mundo quem habemus, ubi paene nihil est sine admixtione cuiusdam malignitatis, mendacii ac versutiae. Tamen est res quae valde opprimit me, domine mi, et quidem plus quam aliae: quid faciendum est cum vincas gigantem vel alium equitem eumque mittas ante conspectum formositatis dominae Dulcineae: ubinam gentium enim inveniet eam hic pauper gigas sive hic pauper miserque eques victus? Quia mihi videtur eos omnes inspicere ambulantes versus urbem Toboso stultos quaerentes dominam meam

Dulcineam; et quamvis eam in media via inveniant non recognoscent eam tamquam illi non cognoscent patrem meum.

–Forsitan, Sancti –respondit dominus Quixotus–, non perveniat hoc incantamentum ad auferendam cognitionem Dulcineae victis ac missis gigantibus equitibusque; tamen cum mitterem ad eam unum vel duos ex primis quos vincam etiam iubebo eis ut veniant ad me ad nuntiandam relationem de his, quae acciderunt eis.

–Dico, domine –obiecit Sanctius–, ut bene videatur quod dixisti, atque ope huius artificii veniamus ad cognitionem totius huius negotii, quod vere desideramus scire, si tantum hoc infortunium celatur tibi, tunc infelicitas erit magis tibi quam huius dominae; sed sic ut domina Dulcinea valeat salute et contentu, nos etiam quam melius sit nobis perveniemus cum nostris rebus gestis et quaerendo alias et permittendo ut tempus sit medicus harum atque omnium ac maiorum infirmitatum.

Dominus Quixotus voluit respondere Sanctio Pansae; sed impedivit currus qui exivit in viam transverse et plenus erat diversis atque insolitis figuris ac dramatis personis, quae imaginari possent. Qui mulas ducebat, et munere aurigae fungebatur, erat foedus daemon. Currus ille veniebat coelo aperto ac sine ullo tecto. Prima figura quae videbatur a domino Quixoto erat ipsa Mors, praedita vultu humano; iuxta eam erat angelus cum magnis alis pictis; ad latus eius erat quidam imperator cum magna corona super caput; ad pedes Mortis sedebat deus, quem vocant Cupidinem, sed sine fascia in oculis et cum arcu pharetraque sagittarum. Etiam veniebat eques armatus e summo usque deorsum, tamen non habebat galeam neque cassidem, sed tantummodo petasum plenum plumarum diversicolorum; atque una cum eis veniebant necnon alii induti diversis vestibus et facie. Cum dominus Quixotus vidit haec omnia improviso valde perturbatus est et Sanctius timuit suo animo, quia putavit has esse res gestas novas ac periculosas; tamen dominus Quixotus gavisus est his cogitationibus atque animo parato ad quodlibet periculum faciendum stetit coram curru et magna ac minante voce dixit:

–Raedarie, sive auriga vel diabole, sive quodcumque sis, festina ad dicendum mihi quisnam es tu, quonam vadis, quosnam fers tecum in hoc curru, qui magis videtur mihi esse cymba Charontis quam plaustrum commune.

Cui Diabolus detinuit currum et placide ei respondit:

–Domine, nos sumus societas histrionum Anguli Mali (*el Malo*); in loco qui est trans illum collem fecimus repraesentationem actus sacramentalis nomine *Aulae Regiae Mortis*, hodie, hoc mane, quia est dies octavus festivitatis Corporis Christi; atque hodie hoc vespere debemus agere in illo pago, qui hinc hoc apparet nobis, sed cum tam proximi simus et ad laborem vitandum exspoliandi nos vestibus atque induendi eas denuo, sic iter facimus et quidem amicti ipsis vestibus quibus repraesentamus comoediam. Ille ephebus est Mors, alius est Angelus; illa mulier, uxor auctoris, est Regina; alter est Miles; ille est Imperator, ego sum Daemon et sum inter primas dramatis personas huius actus sacramentalis, quia actor praecipuus sum ego in hac sodalitate. Si casu aliam rem scire vis de nobis quaeras a me et dicam accuratius tibi; quia sicut sum daemon omnia intelligo.

–Iuro per fidem equitis itinerantis –respondit dominus Quixotus– me, simul ac vidi hunc currum, credidisse magna facta ad me venire et nunc dico, oportet genera rerum

tangere manibus, ita ut veritatem omnium rerum inveniam quin decipiant me. Ite ergo cum Deo, sodalitas bona, et facite festivitatem vestram et videte si quid vultis ex me ut possem vobis facere; quoniam id adimplebo animo resoluto, quoniam etiam ego a iuventute mea studiosus fui artis theatralis atque a teneris annis oculi mei sequebantur comoedias.

Cum essent hoc colloquio, voluit fortuna ut quis ex illa sodalitate adveniret, scilicet scurra amictus multis tintinnabulis atque habebat tres vesiculas vaccae plenas aere in extremitate cuiusdam virgae; ille scurra autem ad dominum Quixotum venit atque accepit virgam tamquam si esset gladius necnon et percussit terram cum vesiculis et saltitabat sonabatque tintinnabula et tunc haec visio perturbavit Rocinantem, qui quamvis non esset robustus tamen dominus Quixotus non potuit eum detinere atque accipiens frenum inter dentes cucurrit per medium campum velocior quam quod ossa anatomiae eius ei permitterent. Sanctius autem intellexit periculum, quo erat dominus Quixotus si proiiceret eum in terram, et descendit de asino suo et festinavit ad currendum; tamen cum ille ad dominum suum pervenit ille iam erat in terra iuxta Rocinantem, qui una cum domino suo ad terram pervenit: finis communis ac solutio audaciae Rocinantis.

Tamen ubi primum Sanctius reliquerit suum iumentum ad domino Quixoto succurrendum, pervenit daemon saltator cum suis vesiculis et super asinum saltum dedit eumque percussit vesiculis, vi cuius metus et strepitus magis quam dolor ictuum fecerunt ut asinus curreret sive potius volaret per campum versus locum ubi facturi erant festivitatem. Sanctius inspiciebat cursum asini ac lapsum domini sui et nesciebat ad quamdam necessitatem imprimis accurrere. Tamen et ut probus armiger ac bonus famulus magis potuit amor domini eius quam asini, quamvis toties quoties viderit vesiculas levari in aerem et super dorsum asini cadere, Sanctius sentiebat angorem mortis et potius volebat hos ictus recipere in pupilis oculorum suorum quam in quodam capillo caudae asini sui. Praeditus hac perplexa tribulatione venit ubi erat dominus Quixotus et quidem magis contusus quam quod voluerat atque adiuvavit eum ad ascendendum in Rocinantem, eique dixit:

–Domine, Diabolus secum duxit asinum.

–Quisnam diabolus? –quaesivit dominus Quixotus.

–Diabolus vesicarum –respondit Sanctius.

–Ego inveniam eum –obiecit dominus Quixotus–, quamvis se abscondat in profundo atque atro ergastulo inferorum. Sequere me, Sancti: quoniam currus properat lente et mulas eius lucrabor pro asino amisso.

–Non est opus faciendi hanc diligentiam, domine –respondit Sanctius–: tempera, domine, iracundiam tuam: quia mihi videtur Diabolum reliquisse asinum, qui vertet se ad nutum suum.

Atque hoc verum erat, quia Diabolus cecidit cum asino ad imitandum dominum Quixotum cum Rocinante et tunc Diabolus pedibus petivit oppidum atque iumentum ad dominum eius venit.

–Nihilominus –inquit dominus Quixotus–, bonum erit punire procacitatem illius daemonis et nonnullos ex curru, quamvis ipse imperator sit.

–Absit a tuis cogitationibus res huiusmodi –obiecit Sanctius–, ac sequere consilium meum atque hoc est ut numquam tractes histriones theatri, quia sunt homines pollentes

gratiae. Histrionem vidi ego captum per duas mortes exire liberum ac sine quid ad solvendum. Et scito, domine, eos laetos esse atque omnes favere eis, ac protegere, adiuvare atque aestimare eos, et praesertim cum sint ex sodalitatibus regalibus cum titulis, et cuncti sive plerique cum suis vestibus gestibusque similes sunt principibus.

–Nihilominus –respondit dominus Quixotus– daemo histrio non ibit cum laudibus, quamvis omne genus gentium faveat ei.

Et, his verbis dictis, reversus est ad currum, qui iam erat prope oppidum et magnis vocibus dixit:

–Siste, exspecta me, turba laeta et gaudiosa; quoniam egomet faciam vos intelligere quomodo tractandi sunt iumenta atque animalia, quae serviunt armigeris equitum itinerantium ut equitatus.

Tales voces et clamores dedit dominus Quixotus, ut audirent eum qui erant in curru, atque iudicando per illa verba voluntatem dicentis, uno ictu descendit Mors de curru et post eam Imperator, Diabolus raedarius atque Angelus, necnon et Regina et deus Cupido atque omnes acceperunt lapides et disposuerunt se in loco idoneo ad recipiendum dominum Quixotum cum petris in manibus. Cum dominus Quixotus vidit eos turmatim ac bracchiis levatis et gestibus proiiciendi lapides fortiter, detinuit habenas Rocinantis et putavit quomodo posset percutere eos minore periculo suo; dum sese detinuit, advenit Sanctius et cum vidit eum habuisse animum aggrediendi illam turmam dixit ei:

–Magna dementia esset impetum in eos facere: animadverte, domine mi, nullam defensionem bonam esse in mundo contra lapides rivi et petras, nisi sese abscondere sub campana aenea; et etiam considerandum est temeritatem esse et non strenuitatem ut vir solus aggrediatur totum exercitum ubi est Mors atque ubi pugnant imperatores, quos iuvant angeli boni et mali. Et si haec consideratio non incitat ad nullum motum faciendum, considera ibi inter tot reges, principes atque imperatores, nullum equitem itinerantem esse.

–Nunc certe –inquit dominus Quixotus– posuisti digitum, Sancti, ut nihil faciam mea voluntate. Quoniam nec possum nec debeo gladium, sicut multoties dixi tibi, contra eos, qui non sunt armati equites itinerantes. Quare tibi oportet vindictam facere huius iniuriae contra asinum tuum, atque egomet hinc iuvabo te vocibus ac monitis salutiferis.

–Non necesse est, domine –respondit Sanctius–, vindictam accipere contra quemdam, quia non est boni christiani hoc facere; praesertim quia cum asino meo concludam ut ille ponat suam iniuriam in manibus meae voluntatis, quae est vivendi pacifice omnes dies quos coelum det mihi in hac vita.

–Si haec est voluntas tua –obiecit dominus Quixotus –, Sancti bone, Sancti prudens, Sancti christiane ac Sancti sincere, relinquamus haec phantasmata et perveniamus ad meliores et qualificatas res gestas; quoniam ego video hanc terram providere eas et non deerunt nobis multae ac valde miraculosae.

Et continuo ille vertit habenas, Sanctius apprehendit asinum suum, Mors cum omni turma ad currum reversi sunt et prosecuti sunt iter atque hic fuit felix finis harum teterrimarum rerum gestarum Currus Mortis, et etiam opus erat gratias agere propter monitum salutiferum quod Sanctius Pansa dedit suo domino; cui crastino die acciderunt res gestae cum quodam equite itineranti capto amore cui non minus suspensio fuit quam in praecedenti.

Capitulum 12. Ubi narrantur inauditae res gestae, quae acciderunt domino Quixoto cum strenuo Equite Speculorum

Dominus Quixotus et armiger eius pernoctaverunt illa nocte, quae secuta est post occursum illius Mortis, sub altis umbrosisque arboribus et, secundum consilium Sanctii, dominus Quixotus comedit de his, quae habebant in cella penaria asini, et interea Sanctius dixit domino suo:

–Quam stultus fuissem ego si elegissem praedam primi eventi quod tu, domine, finires, ante quam pullos trium equarum! Profecto, potius est passer in manu quam vultur in aere volitans.

–Saltem –respondit dominus Quixotus–, si tu, Sancti, sineres me impetum facere, sicut ego volui, possem coronam auream Imperatricis ac pictas alas Cupidinis; quoniam ego eas ab eo auferrem fortiter et retrorsum atque eas tibi redderem.

–Numquam sceptra nec coronae imperatorum histrionum –respondit Sanctius Pansa– fuerunt ex auro puro, sed ex aurichalco et ex bractea.

–Hoc verum est –obiecit dominus Quixotus–, nam perfecti ornatus comoediae non sunt veri, sed ficti et apparentes tamquam est ipsa comoedia, quam volo te, Sancti, recte aestimare et pro bona habere et eos, qui eas repraesentant, et eos, qui eas componunt, quoniam omnes sunt instrumenta ad magnum bonum faciendum rei publicae ope huius speculi, quod ante oculos nostros ponunt et quidem vident actiones humanas, quia nulla comparatio vividior est quam ipsa comoedia et etiam histriones eius ad ostendendum, qui simus et quomodo debeamus esse. Sin autem, dic mihi: num vidisti agere comoediam ubi apparent reges, imperatores ac pontifices, equites, dominae et alii diversi modi? Quidam leno est, alius mendax, hic mercator, ille miles, alius prudens simplex, alius captus amore atque etiam simplex; et, comoedia finita, omnes denudant vestes fictas illius comoediae, et omnes ut antea aequales manent.

–Certe vidi –respondit Sanctius.

–Eodem modo –inquit dominus Quixotus– accidit in comoedia et in modo agendi huius mundi, ubi nonnulli sunt imperatores, alii vero pontifices et denique omnes dramatis personae, quae introduci possunt in quadam comoedia; sed cum venit finis, scilicet cum veniat finis huius vitae, mors aufert ab eis omnes vestes, quibus diversi erant, et in sepultura omnes aequales manent.

–Bona comparatio –dixit Sanctius–, quamvis non tam nova, quia pluries eam audivi, tamquam illa ex ludo latrunculorum, quia dum ludus est omnis calculus habet suum munus peculiare, sed, ludo finito, omnes calculi una miscentur et introducunt in peram quod idem est ac vitam finire in sepultura.

–In dies, Sancti –inquit dominus Quixotus–, video te minus simplicem ac prudentiorem fieri.

–Utique, quia aliquid adhaerebit mihi ex prudentia tua –respondit Sanctius–; quia terrae quae ex se steriles et siccae sunt veniunt ad bonos fructus dare, cum eas sternant stercore et eas colant: volo dicere colloquium tuum fuisse stercus quod super sterilem ac siccam terram mei ingenii cecidit et cultus terrae est tempus, quo ego servio tibi, et cum tractem te exspecto fructus dare, qui sint benedictionis ac tales ut minime

discrepent nec declinent a semitis bonae urbanitatis, quam tu fecisti in exhausto intellectu meo.

Dominus Quixotus risit argumenta affecta Sanctii atque ei videbatur veram esse emendationem eius, quia aliquando loquebatur tali modo ut ipse miraretur, nam Sanctius cum vellet loqui docto et aulico sermone, semper sive plerumque, finiebat sententias suas deiiciendo se de monte simplicitatis in profundam ignorantiam suam; et in eo quo elegantior ac memorosior ipse erat, nempe adducendo proverbia, quae essent sive non taliter his rebus tractatis, sicut videbitur in decursu huius historiae.

Illi autem, his aliisque rebus peractis, magnam partem noctis transierunt, et denique Sanctius voluit siparium oculorum claudere, sicut ipse dicebat cum vellet dormitum ire, et denudans asinum dedit ei pastum liberum et abundantem. Tamen noluit sellam a Rocinante tollere ex mandato expresso domini Quixoti, tempore quo essent in expeditione sive non dormirent sub tectu, non debebat Rocinantem denudare: secundum veterem consuetudinem servatam ab equitibus itinerantibus, tantum frenum extrahere ac suspendere de sella; sed sellam de equo tollere, numquam! Et sic fecit Sanctius atque ipsam libertatem dedit quam asino, a quo amicitia unica atque arcta fuit, ut fama est, per traditionem ex parentibus in liberos, quam auctor huius verae historiae fecit peculiaria capitula illius; quia ad decentiam et decorem debitum servandum huic tam heroicae historiae non posuit in ea, sed aliquando neglexit hoc propositum suum et scripsit modum, quo cum hae duae bestiae iunctae essent, veniebant ad sese mutuo scabendum et cum lassae ac satiatae essent, tunc Rocinans, collum suum relinquebat super collum asini transverse –quia plus quam dimidia ulna mensoria eum superabat, dum illi duo attente inspiciebant terram atque hoc modo manebant per tres dies; sive saltem tam magnam moram temporis quam domini eis permitterent vel fames compelleret eos ad pabulum quaerendum. Dico et quidem fertur auctorem scripsisse eos similes fuisse in amicitia quam Nisus Euryalusque habuerunt ac Pylades Orestesque; et cum hoc ita sit videbatur ad universalem admirationem quam firmiter debuit esse amicitia inter haec duo ac pacifica animalia et quidem ad confundendos homines, qui tam male servant amicitiam ad invicem. Quare dictum est:

«Non est amicus amico
quia cannae fiunt lanceae»

Et alter etiam cecinit dicens:

«De amico ad amicum cimex», et cetera.

Et ne ulli videatur auctorem extra viam fuisse, quia comparationem fecit inter amicitiam horum animalium et amicitiam hominum; quia ex bestiis homines multa monita acceperunt et didicerunt multa magni momenti tamquam sunt ex ciconiis clister, ex canibus vomitus et gratus animus, ex gruibus vigilantia, ex formicis providentia, ex elephantis honestas atque ex equo fidelitas.

Denique Sanctius dormivit ad pedem suberis dum dominus Quixotus iuxta robustam quercum dormitabat. Parva mora elapsa, fragor exspergefecit dominum

Quixotum, quem audivit a retro et surrexit stupescens atque incepit inspicere et auscultare unde proveniret iste strepitus, et vidit duos viros equites super equos atque alter descendens de sella alteri dixit:

–Descende, amice, et aufer frena ab equo, quia in hoc loco, mea opinione, est copia herbae eis et silentium, quod cogitationes amorosae meae requirunt.

Et simul atque haec dixit sedit super terram, sed cum proiecit se sonarunt arma quibus armatus erat, et hoc erat signum eum equitem itinerantem esse, quod bene cognovit dominus Quixotus; et perveniens ad Sanctium, qui dormiebat, apprehendit eum bracchio et non parvo labore exspergefecit eum eique demissa voce dixit:

–Frater, Sancti, res gestae sunt nobis.

–Deus provideat ut bonae sint –respondit Sanctius–. Et ubi sunt, domine mi, hae res gestae et status rerum?

–Ubinam, Sancti? –obiecit dominus Quixotus–. Verte oculos tuos atque inspice et videbis ibi equitem itinerantem accubitum, et secundum me, non erit nimis laetus, quoniam vidi eum sese proiicere ex suo equo cum quibusdam signis claris iracundiae et cum cecidit arma eius sonuerunt.

–Quid ergo invenisti, domine –dixit Sanctius–, ut hae sint res gestae?

–Nondum possum dicere –respondit dominus Quixotus– has esse omnino res gestas, nisi initium illarum, quoniam hoc modo incipiunt haec facta. Tamen ausculta nam mihi videtur eum instrumentum ad iustos sonos adaptare, sive citharam sive violinam et secundum quod ille sputat et pectus liberat etiam paratur ad canendum.

–Profecto ita est –respondit Sanctius–, et etiam erit eques captus amore.

–Omnes equites itinerantes sunt capti amore –ait dominus Quixotus–. Sed audiamus eum, quoniam ex ungue inveniemus leonem cogitationum eius si vere cantat: ex abundantia enim cordis os loquitur.

Sanctius autem voluit ei obiicere, sed vox illius Equitis Nemoris, quae non valde mala nec bona erat, obstitit et ambo stupefacti erant, sed audiverunt hoc

SONETUM

Edoce, domina, me tuum consilium
quo semper possim bonam voluntatem
sequi ac monstrem tibi meam pietatem
ex qua non ullum avertam auxilium.

Cur vis hoc modo tu me lassum filium
mori an habere tranquillitatem
ut tibi ostendam meam fidelitatem
qua Amor fiat omnium versatilium?

Ad superanda adversa paratus
ex blanda cera sum adamas durus
animum meum ex amore formavi.

Hoc pectus offero tibi ad latus,
sculpe quid velis, quia sum amans purus,
et tuum amorem iugiter servavi.

Cum *eheu* eradicato ex intimo corde finivit Eques Nemoris cantilenam suam et, parva mora elapsa, ac voce dolente et lacrimabunda ait:

–O formosissima atque ingratissima mulier totius orbis terrarum! Quomodo fieri potest, o serenissima Casildea a Vandalia, te consentire hunc captum equitem destrui in continuis peregrinationibus ac duris laboribus? Num non satis est me fecisse ut omnes equites Navarrae, omnes equites Legionis (León), omnes baetici, omnes castellani et denique omnes equites Manicae te pulcherrimam huius mundi confiteantur?

–Minime hoc –dixit ad hanc occasionem dominus Quixotus– quoniam ego sum Manicae regionis et hoc numquam confessus sum, nec possum talem noxiam rem contra formositatem dominae meae confiteri; et hic eques sicut tu bene audis, Sancti, delirat. Tamen audiamus eum ulterius: forsitan amplius dicat.

–Sic faciet –obiecit Sanctius– quia videtur eum ultra mensem lamentaturum esse.

Sed non fuit hoc modo, quia cum Eques Nemoris audiret alios loqui prope eum, noluit ultra transire cum suis lamentis et surrexit ac stetit et quidem voce sonora et cauta dixit:

–Quisnam est hic? Quisnam gentium? Num forte ex numero laetorum es, sive afflictorum?

–Ex numero afflictorum sum –respondit dominus Quixotus.

–Tunc ad me venias –respondit ille Eques Nemoris–, et credas te ad ipsam tristitiam pervenire.

Dominus Quixotus qui hoc tenerum cautumque responsum audivit ad eum venit et Sanctius eadem fecit nec plus minusve.

Tunc eques lamentator accepit dominum Quixotum bracchio eique dixit:

–Consedeas hic, domine eques; quia ad cognoscendum te esse ex his qui funguntur equitatu itineranti satis est mihi videre te in hoc loco esse, ubi solitudo ac serenitas comitantur te, cum lecti naturales et cubicula equitum itinerantium sub divo sint.

Cui dominus Quixotus respondit:

–Eques sum ex munere quod dixisti, sed quamvis in animo meo tristitiae atque infortunia sint, numquam abhorrui a commiseratione, quam habeo ex alienis calamitatibus. Et ex his quae antea narravisti inveni ea esse infortunia amoris, nempe propter amorem, quem habes erga illam pulchram ingratam, quoniam etiam illam vocasti in tuis lamentationibus.

Illi ambo, his rebus dictis, sederunt super duram terram, sed cum bona pace et comitatu, tamquam si prima luce non conarentur rumpere capita eorum ad invicem.

–Num forte, domine eques –quaesivit ille Eques Nemoris a domino Quixoto– es captus amore?

–Propter infortunium meum, captus sum amore –respondit dominus Quixotus–, quamquam damna quae oriuntur ex optimis cogitationibus potius essent ad gratias agendas quam pro calamitatibus.

–Hoc verum est –obiecit ille Eques Nemoris–, si contemptiones non turbarent animum nostrum atque intellectum, et cum multi sint videntur vindictae esse.

–A domina autem mea numquam despectus fui –respondit dominus Quixotus.

–Nullo modo –dixit Sanctius, qui apud eos erat–, quia domina mea tamquam ovis mansueta est; et mollior butyro.

–Estne hic armiger tuus? –quaesivit ille Eques Nemoris.

–Utique est –respondit dominus Quixotus.

–Numquam vidi armigerum –obiecit ille Eques Nemoris– ut auderet loqui, ubi erat dominus eius: saltem hic est armiger meus, qui tam magnus est quam pater eius, et non audet labia aperire ubi ego loquor.

–Hercle! –dixit Sanctius–, quia locutus sum et possum etiam loqui ante alium tam ..., sed relinquam hoc hic, quia peius est id removere.

Armiger Equitis Nemoris apprehendit Sanctium bracchio dixitque ei:

–Eamus ubi possimus ambo loqui tamquam armigeri quidquid velimus. Relinquamus dominos nostros ut mutuo narrent historias amorum eorum; quia absque dubio in crastinum lucebit dies eis et nondum eas finient.

–Hoc bonum est –dixit Sanctius –; atque ego dicam tibi quisnam ego sum ut videas utrum possim introire in agmen armigerorum saltem loquentium.

Duo armigeri, his rebus dictis, secesserunt ab eis et inter ambos fuit colloquium tam iucundum, sicut grave fuit colloquium inter dominos eorum.

Capitulum 13. Ubi prosequuntur res gestae Equitis Nemoris cum prudente colloquio quod fuit inter duos armigeros

Equites armigerique secessi erant inter se, hi narrabant vitas eorum, illi autem vicissitudines amorosas; tamen historia enarrat imprimis colloquium iuvenum et postea prosequitur colloquium dominorum, et hoc modo dicit armigerum illius Equitis Nemoris secessisse ab eis cum Sanctio eique dixit:

–Laboriosa vita enim est quam habemus et vivimus, domine mi, nos qui sumus armigeri equitum itinerantium; verum est nos edere panem in sudore vultus nostri, quae est una ex maledictionibus, quas Deus dedit nostris protoparentibus.

–Etiam dici potest –addidit Sanctius– nos comedere cum gelo corporum nostrorum, nam quisnam habet magis calorem et frigidum quam miserabiles armigeri huius equitatus itinerantis? Et melius esset si comederemus, quia dolores cum sit panis minuuntur; sed aliquando dies transit vel biduum et non est ientaculum nobis, nisi ventus qui insufflat.

–Haec omnia toleranda sunt –dixit armiger Equitis Nemoris–, cum spe cuiusdam praemii, quia si eques, cui armiger servit, non est nimis infortunatus, saltem cum paucis rebus gestis lucrabitur pulchram gubernationem cuiusdam insulae sive cuiusdam comitatus, qui bene videatur.

–Ego –obiecit Sanctius– iam dixi domino meo satis esse mihi gubernationem cuiusdam insulae et ille tam nobilis ac magnanimus est ut polliceatur mihi multoties ac diversimode.

–Ego –dixit armiger illius Equitis Nemoris– vellem lucrari quemdam canonicatum pro servitiis meis et dominus meus iam delegavit mihi et quam bonum erit mihi!

–Hoc ita erit –dixit Sanctius– quia dominus tuus erit eques ecclesiasticus et haec beneficia facere potest bonis armigeris suis, sed meus est laicus, et nunc memini cum vellent ei consilium dare viri prudentes ut fieret archiepiscopus, quamquam in hoc casu praediti erant mala intentione, sed ille noluit nisi imperator esse et ego stupefactus eram si forte voluisset fieri vir Ecclesiae, quia ex illa non essent mihi beneficia idonea, quia oportet ut scias me vere bestiam esse, quamvis videar vir, si pertinerem ad Ecclesiam.

–Vere, tu erras, domine –dixit armiger illius Equitis Nemoris–, quia non omnes gubernationes insularum sunt tam optimae. Nonnullae sunt torvae, quaedam pauperes vel melancholicae, et denique, quae maior ac melior disposita est, magnum onus habet secum in cogitationibus atque incommodis, quae ponit super umeros miseri, qui eam accipit. Quare melius esset ut nos, qui vere exercemur hoc maledictum ministerium, possemus domum redire et oblectari suavioribus exercitiis, ut ita dicam, venatione sive piscatione; et cuinam armigero deest equus et duo canes venatici atque arundo piscatoria, quibus posset invenire oblectamentum in suo pago?

–Nihil deficit mihi ex his rebus –respondit Sanctius–; verum est me non habere equum, sed est mihi asinus, qui aestimatur bis quam equus domini mei. Malum Pascha det mihi Deus, et primum esset quod ad nos veniat, si permutarem asinum meum pro equo, quamvis immo insuper darent mihi quattuor medimna [vulgo *fanegas*] hordei. Fortasse videbitur tibi asinum meum facetum esse et color eius est cinereus. Canes venatici non deerunt mihi cum tam multi sint in meo pago et praesertim venatio gaudiosa erit cum facta sit ab expensis aliorum.

–Vere ac reapse –respondit armiger illius Equitis Nemoris–, domine armiger, est mihi propositum et voluntas relinquendi audacias horum equitum et reverti ad pagum meum, ubi possim de meis liberis curare, quia tres sunt mihi tamquam tres margaritae orientales.

–Duo sunt mihi –dixit Sanctius–, qui possent per se Papam visitare, praesertim puella quam edoceo ut sit comitissa, si Deus vult, matre eius omnino invita.

–Et quot annos nata est haec domina, quae edocetur ut sit comitissa? –quaesivit armiger illius Equitis Nemoris.

–Quindecim annos nata est, duos plus minusve –respondit Sanctius–; sed tam praestans est corpore quam lancea et vegeta ut mane mensis Aprilis et robur habet ut baiulus.

–Hae partes bonae sunt –respondit armiger illius Equitis Nemoris– non tantum ut fiat comitissa, sed etiam nympha viridis nemoris. O, filia moechae, moecha, et quem sulcum habebit haec subdola!

Cui Sanctius aliquantum molestus respondit:

–Nec illa est moecha, nec mater eius umquam fuit, nec quaelibet earum moechabitur, Deo providente, et dum ego vivam. Et loquere cautius, quia quamvis

edoctus sis inter equites itinerantes, qui sunt ipsa urbanitas, haec verba non videntur mihi convenientia.

–O, et quam male intelligis –obiecit armiger illius Equitis Nemoris– de rebus laudationum, domine armiger! Quomodo nescis cum eques det ictum lanceae tauro in platea vel arena, sive cum quidam aliquid boni faciat, vulgus dicere de eo: «O fili moechae, et quam bene fecit moechus!»? Et quod vituperium videbatur in hoc statu rerum est magna laudatio; despice filios filiasque, qui non mereantur tales laudationes a parentibus eorum.

–Utique despicio –respondit Sanctius– ; et hoc modo atque eadem argumentatione posses mihi et liberis meis et uxori meae insuper totum officium meretricium praebere, quia omnia quae faciunt digna sunt magnae laudationis et ad eos rursum videndos rogo Deum ut peccatum mortale ignoscat mihi, quod idem erit ac me eripere ex hoc officio periculoso armigeri, in quo denuo cecidi et quidem allectum ex quadam sarcina plena centum aureis, quam quodam die inveni intus in penetralibus Montium Fuscorum et diabolus allicit me ubique et ante oculos meos ponit saccum plenum aureis, quem credo me posse tangere meis manibus eumque amplector et domum fero mecum, quibus emo bona et possum reditum annuum obtinere et vivere ut princeps; et dum de his cogito omnes labores, quos passurus sum, ut faciles aestimo et leves videntur mihi in servitio domini mei, de quo scio eum maiorem partem habere dementiae quam equitatus.

–Quare –respondit armiger Equitis Nemoris– dicunt cupiditatem rumpere saccum; et si loquendum est de dominis nostris, nullus tam magnus est in hoc mundo quam dominus meus, quia ille est de quibus dicitur: «Sollicitudo aliorum interficit asinum», nam ut alter eques recuperet iudicium amissum, ille etiam fit demens et quaerit et si vere inveniat nescio utrum placitum sit ei necne.

–Estne ille fortasse captus amore?

–Utique –dixit armiger illius Equitis Nemoris–, cuiusdam Casildeae a Vandalia, quae est cruda et cocta sive assa domina, quae in toto mundo invenire possit; tamen non claudicatur pede crudelitatis; quia alia mendacia in animo suo habet, et hoc palam dicet intra paucas horas.

–Nulla est via tam plana –obiecit Sanctius– quae non habeat obstaculum sive cavum; et si in aliis domibus coquunt fabas frequenter in mea propria immo abundanter; tamen dementia magis eget amicis et contubernalibus quam ipsa circumspectio. Sed si verum est quod communiter dicitur amicum habere in laboribus mitigare poenam, tamen potero quamdam consolationem invenire tecum, quia tumetipse ministras alii domino, qui tam stultus est quam meus.

–Stultus sed strenuus –repondit armiger illius Equitis Nemoris–, et versutior quam stultus ac strenuus.

–Sic non est meus –respondit Sanctius–; dico enim meum nullo modo versutum esse; immo habet animum simplicem ac sine dolo et nemini quid mali faceret, sed bonum omnibus et nullam malitiam habet: ita ut puer potest facere eum credere ut nox sit tempore meridiano et propter hanc simplicitatem diligo eum tamquam telam intermediam cordis mei, quapropter non possum statuere ad eum relinquendum quamvis multas ineptias faciat.

–Cum his omnibus, frater et domine –dixit armiger illius Equitis Nemoris–, numquid potest caecus caecum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt? Melius esset recedere ab eis et reverti ad bona nostra, nam qui quaerunt res gestas non semper eas bonas inveniunt.

Sanctius autem saepe exspuebat quoddam genus salivae viscosae atque aliquomodo siccae, et, hoc inspecto, ab armigero misericorde illius Equitis Nemoris qui ei dixit:

–Mihi videtur ex his quae locuti sumus linguas nostras adhaereri palato; tamen est mihi pendens de sella equi mei aliquid, vi cuius possumus linguas solvere et quidem est vinum bonum.

Et surrexit e suo loco et, parva mora elapsa, reversus est cum magno utre vini et pane farto ex cuniculo albo longo fere dimidia ulna mensoria et tam magno ut cum Sanctius eum tetigit credidit eum hircum esse et non tantum haedum; et Sanctius, his rebus perspectis, dixit:

–Et hoc adducis tecum in via, domine?

–Quid ergo cogitabas de me? –respondit alter–. Num ego sum armiger ex pane et aqua? Melior victus est, quem fero super dorsum equi mei, quam quem dux habet cum iter faciat.

Sanctius autem, nulla deprecatione praetermissa, devorabat magnos nodos carnis. Et dixit:

–Tu vere es armiger fidelis et legalis, molens et communis, magnificus et magnus sicut ostendit hoc prandium quod si huc non venit per artem incantamenti, saltem hoc mihi videtur; et non tamquam ego, qui miserus et infortunatus sum et tantummodo parum casei fero in meis clitellis et quidem tam durum ut possim cum eo gigantem contundere capite; et comitantur illum caseum quater duodenae siliquae et tot avellanae nucesque secundum parsimoniam domini mei et propter opinionem quam habet et mandatum quod servat de equitibus itinerantibus, qui debent sustentari siccis fructibus atque herbis campi.

–Mea sententia, frater –obiecit armiger illius Equitis Nemoris–, ego non habeo stomachum factum propter cardos nec pira silvestria nec radices montium. Illi faciant ut velint secundum opinionem eorum et leges equitatus et comedant quidquid placeat eis. Egomet adduco thecam ad cibos servandos et hunc utrem vini pendentem de sella propter hanc sive aliam rationem; et hunc tam multum veneror atque hunc tam multum diligo ut, nulla mora elapsa, veniam ad meum utrem milies osculandum et amplectendum.

Et, his verbis dictis, utrem posuit in manus Sanctii, qui eum levavit ad os suum et omnes stellas coeli per quadrantem horae attente inspexit et, potatione finita, caput ad latus inclinavit et magno suspirio dixit:

–O, fili moechae, versutum, et quam catholicum es!

–Videsne hic –inquit armiger illius Equitis Nemoris cum audiret id «fili moechae» Sanctii–, quomodo voluistis laudare hoc vinum et quidem vocasti eum «fili moechae»?

–Dico –respondit Sanctius–, et confiteor nullam ignominiam esse quemdam vocare filium moechae, cum intelligatur ut sit voluntas laudandi eum. Tamen, dicas mihi, domine, per rem quam tu magis diligas, nonne hoc vinum est ex Civitate Regia (Ciudad Real)?

–Macte animo, praegustator vini, recte iudicasti! –respondit armiger illius Equitis Nemoris–. Vere non est ex alia parte et nonnullos annos habet antiquitatis.

–Quid hoc mihi! –dixit Sanctius–. Nullo modo praeteriret a me quod esset ad meam cognitionem. Nonne bonum est me magnum instinctum habere et quidem naturalem ad vina cognoscenda? Quia si dant mihi ad olfaciendum quodcumque vinum sit, possum cognoscere patriam, genus, saporem atque antiquitatem cuiuslibet vini necnon et adiuncta rerum ad vinum pertinentia. Sed quid est hoc mirandi si in stirpe mea ex parte patris duo erant inter meliores praegustatores vini, quos Manica umquam cognovit per multos annos atque ad hoc probandum accidit quod nunc dicam tibi. Quondam dederunt vinum duobus praegustatoribus ex quodam cado et ab eis quaesiverunt opinionem eorum, nempe bonitatem sive malitiam vini, indolem eius et cetera. Alter gustavit vinum cum extrema lingua; alter tantum adduxit ad nares suas. Primus autem dixit vinum sapere ferrum, secundus vero potius sapere corium. Dominus vini tamen dixit cadum mundum fuisse et vinum nullum condimentum habere ex quo saporem ferri sive corii acciperet. Nihilominus duo celebres praegustatores affirmaverunt quod antea dixerunt. Longa mora elapsa, omne vinum vendiderunt et cum mundarent cadum viderunt ibi parvulam clavim esse pendentem de quodam corio. Hoc est ut videas quomodo ego proveniens ex hac stirpe bene possum similes res diiudicare.

–Propter hoc vere dico –dixit armiger illius Equitis Nemoris– ne quaeramus res gestas, et quia sunt nobis panes focarios ne quaeramus placentas, et revertamur domos nostras; ubi Deus inveniet nos si vult.

–Serviam domino meo donec perveniat Caesaraugustam; postea vero omnes mutuo intelligemus quid faciendum sit.

Denique tam multum locuti sunt duo boni armigeri ut somnum debuit linguas eorum religare sitimque temperare, quia non fieri potest eam omnino auferre et hoc modo et ambo amplectentes utrem fere vacuum dormierunt eosque nunc relinquemus ad narrandum quod evenit Equiti Nemoris cum Equite Tristis Figurae.

Capitulum 14. Ubi prosequuntur res gestae Equitis Nemoris

Inter multa alia, quae inter dominum Quixotum Equitumque Nemoris acciderunt, historia dicit illum Equitem Nemoris dixisse domino Quixoto:

–Tandem, o domine eques, volo ut scias fatum meum sive, ut melius dicam, electionem meam duxisse me ad imparem Casildeam a Vandalia a qua vere captus sum amore. Hanc voco inaequalem, quoniam nulla est similis ei tum praestantia corporea tum excellentia status et formositatis eius. Haec talis Casildea, de qua iam incepi narrationem, adimplevit bonas cogitationes et cauta desideria mea et, ut illa matrona fecit cum Hercule, ipsa fecit mecum et iussit mihi ut introducerem me in multa diversaque pericula et pollicita est mihi ad finem uniuscuiusque ut adimplerem

proximum laborem ita ut totam spem meam nancisci possem. Tamen labores mei concatenati sunt alter post alterum, et neque enumerare possum, nec scire, quis ultimus eorum erit, qui det initium ad adimplenda mea bona desideria. Quondam iussit mihi ut venirem ad quamdam gigantam Hispalis (Sevilla), vocatam Giraldam, quae tam strenua ac fortis est tamquam si esset aenea, et, nulla mutatione facta, est mulier valde mobilis et volubilis huius mundi. Ego autem veni, inspexi eam atque eam vici eamque coegi ut maneret immobilem plus quam hebdomadam, quia non afflaverunt nisi venti Aquilones. Olim etiam iussit mihi ut in pondere acciperem rupes antiquorum Taurorum Guisandi, quod potius erat negotium baiulorum quam equitum itinerantium. Quondam etiam iussit mihi ut deiicerem memetipsum et introducerem me in speluncam Agabrae (Cabra), quod erat inauditum teterrimumque periculum, et ex illa adducerem ei narrationem ex his, quae inveni in obscura altitudine eius. Sic motum Giraldae detinui, ponderavi Tauros Guisandi, deieci me in illum sinum et in lucem edidi quod in abscondita abysso eius erat, sed spes mea mortua est et mandata et contemptus eius e contrario vivi sunt. Breviter, nuperrime iussit mihi ut omnes provincias Hispaniae peragrarem et facerem ut omnes equites itinerantes, qui in ipsis essent confiteantur eam pulcherrimam esse in formositate omnium dominarum, quae in mundo sunt et me etiam equitem strenuissimum esse ac magis captum amore totius orbis; et ad hanc petitionem adimplendam perrexi plerasque regiones Hispaniae peragravi, multos quidem equites vici, qui ausi sunt obiicere mihi. Sed maioris momenti est mihi victoria, quam vici in singulari proelio contra illustrem equitem dominum Quixotum a Manica, quem constrinxi ut confiteretur meam Casildeam formosiorem esse quam Dulcineam eius; et ex hac sola victoria credo me vicisse omnes equites huius mundi, quia dominus Quixotus vicit omnes et vincendo eum tunc gloria, fama honorque eius ad me perveniunt, quia

Et tam multum victor est honoratus
quantum victus hoc modo est celebratus.

et annumerantur mihi innumerae res gestae illius, nempe huius domini Quixoti, de quo iam dixi.

Dominus Quixotus mirabatur audiendo Equitem Nemoris et milies voluit ei dicere eum mentiri et hoc quidem habuit in extrema lingua; sed continuit se, ut potuit, ita ut ipse confiteretur suum mendacium et quiete placideque ait ei:

–Domine eques, nullo modo dico te superavisse plerosque equites itinerantes Hispaniae necnon et totius mundi; tamen quoad vincere dominum Quixotum a Manica vere dubito. Fortasse esset quidam similis ei, quamvis perpauci sint, qui vere ei similes erunt.

–Cur non? –obiecit ille Eques Nemoris–. Per coelum quod operit nos, cum domino Quixoto pugnavi eumque vici subiugavique; ille est vir altus corpore, siccus vultu, membra eius distensa et subnigro colore, semicanus, nasus aquilinus atque aliquantulum curvus, praeditus magnis mystacibus nigris et demissis. Ostenditur ut Eques Tristis Figurae et ut armiger habet rusticum, nomine Sanctium Pansam; opprimit dorsum illustris equi, nomine Rocinantis, et denique per dominam suae

voluntatis habet quamdam Dulcineam a Toboso, alias Ildephonsa (Aldonza) Laurenti, quae tamquam mea, quia vocabatur Casilda et erat ex Baetica regione ego eam voco Casildeam a Vandalia. Si haec omnia signa non sufficiunt ad veritatem meam ostendendam hic est gladius meus, qui confirmabit ipsam incredulitatem.

–Placa animum tuum, domine eques –inquit dominus Quixotus–, atque ausculta quod tibi dicam. Oportet te scire hunc dominum Quixotum, de quo locutus es, esse optimum amicum meum in hoc mundo et quidem tam bonus ut eum habeam pro me ipso et secundum signa, quae de eo mihi dedisti non possum credere quin sit alius, quoniam tam accurata sunt ut possem putare te eum vicisse. Tamen meis propriis oculis video et meis manibus tango hoc non fieri posse, ut ipse sit, nisi per opera incantatorum inimicorum suorum, qui innumeri sunt, potissimum unus ex eis, qui continuo eum persequitur et fortasse accepit figuram eius ut vinceretur et hoc ad auferendam famam, quam equitatus eius obtinuerunt per totam Terram cognitam. Et ad hoc confirmandum opus est ut scias etiam tales incantatores abhinc biduum mutavisse figuram Dulcineae a Toboso in formam cuiusdam rusticae humilis ac sordidae, et hoc modo etiam possent permutare illum dominum Quixotum, sed si haec omnia non tibi sufficiunt ad veritatem cognoscendam, hic est ipsissimus dominus Quixotus, qui haec sustentabit cum suis armis et quidem pedibus sive equo aut sicut velis.

Et, his verbis prolatis, surrexit atque accepit gladium exspectans responsum Equitis Nemoris, qui serena voce respondit eique dixit:

–Non deficient pignora ei, qui solvet sua debita: qui semel, o domine Quixote, potuit vincere te mutatum, bene potest spem habere vincendi temetipsum. At non est bonum equites facere res gestas in obscuritate tamquam faciunt praedatores et lenones, exspectemus adventum diei ut sol videat opera nostra. Et hoc erit sub condicione huius pugnae ut victus maneat ad plenam voluntatem victoris et faciat quod ab eo quaerat, decentia equitatus convenienter servata.

–Valde laetus sum hac condicione et convenientia –respondit dominus Quixotus.

Illi autem, his rebus peractis, venerunt ad locum ubi armigeri erant eosque invenerunt stertentes atque eodem modo ut somnus deprehenderat eos. Exspergefecerunt eos et iusserunt eis ut equos pararent, quia cum lucesceret sol facturi erant teterrimam pugnam sanguinariam, singularem inaequalemque; quibus rebus auditis, Sanctius stupefactus est, palluit ac timuit pro salute domini sui propter strenuitatem, quam ab armigero de illo Equite Nemoris audiverat; tamen, nullo verbo prolato, ambo armigeri venerunt ad gregem suam quaerendam; quia omnes tres equi et asinus olfecerunt se ad invicem et una coniuncti erant.

In via dixit armiger illius Equitis Nemoris Sanctio:

–Frater, oportet ut scias consuetudinem esse apud pugnantes in Baetica regione cum patrini habeant quamdam pugnam, armigeri non vacant otio et manus super manum dum illi trucidantur fortiter. Et hoc vere dico tibi ut animadvertas nos etiam pugnaturos esse usque ad parvas assulas faciendas nostrum dum domini nostri pugnabunt.

–Haec consuetudo, domine armiger –respondit Sanctius–, quam tu dicis, bona ibi erit cum lenonibus et pugnantibus; sed cum armigeris equitum itinerantium nec

nominetur inter nos. Saltem numquam audivi dominum meum haec dicere de simili more et ille tradidit memoriae omnes ordinationes equitatus itinerantis. Ceterum, volo te scire quamvis hoc verum sit et expressa ordinatio ut armigeri dimicent dum domini eorum pugnent; nihilominus nolo eam adimplere, sed solvere poenam impositam armigeris pacificis et secundum quod credo non erit plus quam dipondium cerae et libenter solvam talia pondera; quae minus erunt quam fascias ad sanandum caput, quod iam credo fractum esse in duas partes. Insuper: non possum pugnare, quia non est mihi gladius, nam numquam cinxi eum.

–Ad hoc est mihi medela –dixit armiger illius Equitis Nemoris– hic sunt mihi duo sacci lintei eiusdem magnitudinis; tu accipies unum et ego alterum et his saccis pugnabimus etiam nos, aequo modo atque aequis armis.

–Pugna huiusmodi bona sit nobis –respondit Sanctius–, quia talis pugna magis veniet ad pulverem tollendum quam ad nos vulnerandos.

–Hoc non erit ita –obiecit alter–; quia introducemus in saccos quasdam limpidas petras ne ventus tollat saccos, ita ut illae aequivaleant pondere unicuique et hoc modo possumus pugnare et non quidem maximo damno.

–Cura, domine, per corpus patris mei –respondit Sanctius–, quas pelles ex marte *ceparia* sive vellera lanae introduces in saccos, quominus capita nostra terantur et ossa nostra fiant ut pulvis! Sed quamvis impleantur ex bombycibus sericis, scito, domne mi, me nullo modo pugnaturum esse; pugnent domini nostri et faciant sicut velint, sed nos bibamus et potemus; quia tempus curat de vitis tollendis et non necesse est id praecise quaerere ut finiant ante quam maturitas adveniat et finis ita ut cadant.

–Tamen nos pugnabimus –obiecit armiger illius Equitis Nemoris–, saltem per dimidiam horam.

–Minime vero –respondit Sanctius–; ego nullo modo inurbanus nec ingratus ero ei, cum quo comedi et potavi ut faciam quamdam disputationem, quamvis parva haec sit; immo absque ulla ira vel iracundia, et quisnam vellet pugnare sine ulla causa?

–Ad hoc vitandum –dixit armiger illius Equitis Nemoris– etiam est mihi medela, et haec est ut ante quam incipiamus pugnam egomet tres vel quattuor colaphos tibi percutiam, quibus te ad terram eiiciam et tunc furor exspergefaciet in te, quamvis dormias ut glis.

–Sed e contrario etiam ego alia possum facere –respondit Sanctius–, quae non ibunt a longe ex his rebus, ego accipiam fustim et antequam tu venias ad suscitandam iracundiam in me, faciam ego ut tua iracundia dormiat ope ictuum et taliter ut exspergefacias in alio mundo, in quo sciunt me non esse virum aptum ad blanditias recipiendas in vultu ab altero. Et unusquisque curet de suis propriis rebus; quamvis melius esset sinere ut iracundia dormiat in quolibet; quia nemo cognoscit animum alterius, et fortasse vult quaerere lanam et revertitur tonsus; quia Deus benedixit pacem et maledixit rixas; nam si feles vexatur, clausus et oppressus fit tamquam leo, et ego qui sum vir, Deus scit quod fierem, et nunc animadverte, o domine armiger, ut omne damnum, quod ex rixa nostra evadat perveniet ad tuum computum et rationem.

–Bene est –obiecit armiger illius Equitis Nemoris–. Tamen Deus lucescet ad diluculum et crescemus.

His rebus peractis, iam variegati passeres inceperunt modulari suas voces et

diversos ac laetos cantus, et etiam videbatur ut prospera fortuna ostenderet omnibus, qui salutabant frigidulam auroram, quae per portam fenestrasque Orientis develabat pulchritudinem sui vultus et ex capillis suae comae excutiebat innumeras liquidasque margaritas, quibus herbae submergebantur suavi liquore, et etiam illae videbantur germinare et deiicere candidas, parvulas atque inaequales margaritas; salices distillabant sapidum manna, fontes ridebant, rivuli murmurabant, silvae gaudebant et prata locupletabantur adventu illius aurorae. Tamen vix diluculum diei lucebat ad diversas res cognoscendas ecce prima earum, quae ante oculos Sanctii Pansae apparuit et fuit nasus armigeri illius Equitis Nemoris, qui tam magnus erat ad umbram super totum corpus faciendam. Profecto narratur eum nimis magnum esse, curvum in medio et plenum verrucis, subnigro colore tamquam melongenae; perveniebat duobus digitis infra os deorsum; et magnitudo eius, color, verrucae et curvatura deformabant et confoedabant totam faciem et simul ac vidit eum Sanctius incepit tremere pedibus manibusque, tamquam puer qui laboraret epilepsia, quare statuit in suo animo sinere ut ille percuteret ei ducentas alapas potius quam suscitare iracundiam ad pugnandum contra illud teterrimum monstrum.

Dominus Quixotus inspexit hostem suum eumque invenit coopertum galea et buccula cassidis ita ut non posset faciem eius videre, tamen vidit eum esse virum membrosum et non valde altus corporis. Super arma ferebat chlamydem manicatam cuiusdam telae, ut videbatur, ex purissimo auro, et cum multis parvis lunis seminatis fulgentium speculorum, quae efficiebant eum maximo modo elegantem ac speciosum; super cassidem volitabant plumae virides, pallidae candidaeque; lancea, quam iuxta arborem innixam habebat, erat valde magna et crassa ex ferro chalybeo longiore palmo.

Haec omnia inspexit et animadvertit dominus Quixotus et, his rebus conspectis, iudicavit dictum equitem praeditum esse magnis viribus; tamen non timuit tamquam Sanctius Pansa; immo strenua urbanitate dixit Equiti Speculorum:

–Si magnum desiderium pugnandi, domine eques, non minuit tuam urbanitatem, propter eam quaero ut leves parum cassidem tuam ita ut possim videre utrum elegantia tuae faciei conveniat ad tuam corpoream dispositionem necne.

–Utrum exeas victus an victor ex hoc negotio, domine eques –respondit ille Speculorum–, tempus ac locus erit tibi ad me videndum, sed si nunc non adimpleo tuum desiderium est quoniam mihi videtur magnum aggravium facere formosae Casildeae a Vandalia, hac mora facta, ad cassidem levandam cum nondum confitearis quod iam bene nosti me conari.

–Nihilominus dum ascendimus super equum –inquit dominus Quixotus–, bene poteris mihi dicere utrum sim ille dominus Quixotus, quem dixisti te vicisse necne.

–Ad hoc respondemus –dixit Eques Speculorum– te similem esse equiti, quem vici egomet tamquam ovum alteri ovo; sed secundum quod dicis incantatores persequi te, tunc non audebo affirmare utrum idem sis necne.

–Hoc sufficit mihi –respondit dominus Quixotus– ad credendum te decipi, sed ad educendum te illinc veniant equi nostri ad nos et citius dicto, atque ante quam cassidem leves, si Deus et domina mea et bracchium meum iuvabunt me, videbo tuum vultum et tu videbis me non esse victum dominum Quixotum quem putas.

Illi, his et aliis argumentis prolatis, ascenderunt in equos et dominus Quixotus

vertit habenas Rocinantis ad campum idoneum accipiendum ita ut gyrum faceret obviam inimico et eadem fecit Eques Speculorum. Attamen nondum abivit dominus Quixotus viginti gressus cum audiret Equitem Speculorum vocavisse eum et campum ambo diviserunt inter se, et Eques Speculorum dixit ei:

–Animadverte, domine eques, condicionem nostrae pugnae esse ut victus, tamquam iam dixi, maneat ad nutum victoris.

–Hanc condicionem accipio –respondit dominus Quixotus–; cum sint res quae ne *excedant limina equitatus.*

–Hoc sic intelligitur –respondit Eques Speculorum.

Tunc casu apparuerunt ante oculos domini Quixoti insolitae nares armigeri, de quibus miratus est non minus quam Sanctius et quidem tantum ut crederet eum monstrum esse, sive genus novum hominum et quidem ex his, qui non sunt in hoc mundo. Sanctius autem cum vidit dominum suum progredi ad cursum accipiendum, noluit solus cum viro nasuto manere, quia timuit levi ictu nasi eius contra nasum suum pugna sua ilico finiret et ex illa percussione sive ex metu contusus per terram esset, quare secutus est dominum suum et apprehendit corrigiam sellae Rocinantis et cum ei videbatur iam tempus esse ad revertendum dixit ei:

–Rogo te, domne mi, ut adiuves me ad ascendendum in suber illud ex quo potero melius videre singularem pugnam, quam facies contra hunc equitem et ad nutum meum et quidem melius quam si manerem super terram.

–Potius mihi videtur, Sancti –inquit dominus Quixotus–, te velle ascendere in arborem tamquam tabulatum ad videndos tauros absque ullo periculo.

–Ut verum dicam –respondit Sanctius–, propter immanes nares illius armigeri obstupesco et expavesco et non audeo manere iuxta eum.

–Illae sunt tales –dixit dominus Quixotus–, ut si non essem qui vere ego sum, etiam obstupescerem, quapropter veni huc et adiuvabo te ad ascendendum sicut dixisti.

Dum dominus Quixotus iuvabat Sanctium ad ascendendum in suber, Eques Speculorum accepit campum, quem credidit opportunum et ille putavit dominum Quixotum idem fecisse, et quamquam nulla tuba dedit signum ad pugnam monendam et cum vertit habenas equi sui –qui nullo modo erat melior nec celerior Rocinante– et ad summum cursum quod non erat multum currere, voluit obviam inimico suo venire; sed cum videret eum abesse propter ascensionem Sanctii, retinuit habenas et stetit in medio cursu, quo equus valde gavisus est, quia fere non poterat sese movere. Dominus Quixotus autem putavit inimicum suum ad se venire volantem, quare incitavit fortiter Rocinantem calcaribus, qui tunc vere cucurrit secundum quod narrat historia, quae recognovit eum cucurrisse aliquantulum, quia antea tantum erant cursus lentiores, et praeditus hac furia pervenit ad locum ubi erat Eques Speculorum, qui cupiebat equum incitare calcaribus, sed quamvis calcaria premeret equus nullo modo movebatur nec digitum e loco ubi stetit lassus de suo cursu.

In hac bona atque opportuna occasione dominus Quixotus invenit adversarium suum molestum cum equo et distractum lancea quam numquam potuit sive non attigit adaequate inducere. Dominus Quixotus qui has difficultates nullo modo attendebat incolumis et sine ullo periculo obviam Equiti Speculorum venit et tanto robore in

eum impetum fecit ut eum invitum in terram eiiceret per dorsum equi et cecidit magno ictu ita ut nec manum nec pedem moveret et signum dedit eum mortuum esse.

Sanctius, simul atque eum concussum vidit, descendit de subere et celeriter venit ad locum ubi dominus suus erat, qui descendit de Rocinante et advenit ad Equitem Speculorum, solvit galeam ad videndum utrum mortuus esset necne et ita ut haberet aerem frigidum si casu vivus adhuc esset ... et vidit ... Quisnam poterit dicere quod vidit sine admiratione, vel prodigio ac pavore, qui haec audirent? Quia vidit, secundum quod historia narrat, ipsum vultum, ipsam figuram, ipsum conspectum, ipsam physiognomiam, ipsam effigiem ac perspectivam ipsam baccalaurei Samson Carrasco; et vix atque eum vidit magna voce dixit:

–Veni, Sancti, et vide quod inspecturus es et non poteris credere. Propera, fili, et animadverte quod potuit magia et quod possunt facere incantatores ac malefici.

Sanctius advenit et cum vidit vultum baccalaurei Carrasco incepit mille cruces facere ac toties signo crucis muniri. Tamen eques ostendebat non vivum esse et Sanctius dixit domino Quixoto:

–Secundum me, domine mi, et quidquid hoc vere sit, introduc gladium tuum et perfora eum per os eius, qui videtur esse baccalaureus Samson Carrasco: et fortasse interficias quemdam ex inimicis incantatoribus.

–Recte iudicasti –inquit dominus Quixotus–, quoniam oportet ut inimici minuantur.

Et eduxit gladium ad id faciendum secundum consilium et monitum Sanctii, sed tunc venit armiger Equitis Speculorum sine illis naribus, quae tam foedum eum faciebant et magnis vocibus dicebat:

–Vide quid facias, domine Quixote; quia hic quem ad pedes habes vere est baccalaureus Samson Carrasco, amicus tuus, et ego sum armiger eius.

Et cum eum vidit Sanctius sine illa prima foeditate dixit ei:

–Ubinam gentium sunt nares?

Quibus ille respondit:

–Hic eas habeo in sacculo meo.

Et accepit manu dextra sua nares factas ex charta petrea picta dramatis personae, huiusmodi. Et Sanctius inspexit eum magis magisque et magna admiratione dixit:

–Adiuvet me Sancta Maria! Nonne hic est Tomé Cecial, oppidanus ac patrinus meus?

–Utique, ego sum! –respondit armiger iam absque naribus–. Tomé Cecial sum, patrinus et amicus tuus, o Sancti Pansa, et postea dicam tibi machinationes, mendacia et complicationes quibus ego huc perveni; tamen roga, quaere a tuo domino ne tangat, vulneret nec interficiat Equitem Speculorum quem ad pedes habet, quia ille est audax ac male consiliatus baccalaureus Samson Carrasco, noster oppidanus.

Tunc reversus est in se Eques Speculorum et cum hoc vidit dominus Quixotus posuit extremum gladium super vultum eius et dixit ei:

–Mortuus eris, o eques, si non vere confitearis imparem Dulcineam a Toboso superare formositate tuam Casildeam a Vandalia; et insuper oportet te polliceri, si vivus eris post hoc proelium et lapsum, ut iter facias ad urbem Toboso atque in conspectu illius venias et quidem mea ex parte ut illa faciat tecum ad suum nutum; et si ipsa relinqueret te in tua voluntate tunc reverturus eris ad me –quoniam vestigia

rerum gestarum mearum ostendent tibi ubi ego ero– ita ut enarres mihi quod evenit tibi cum ea; et hoc est secundum condiciones quas statuimus ante pugnam nostram et nullo modo extra ordinationes equitatus sunt.

–Confiteor –dixit lapsus eques– meliorem esse calceum disutum atque immundum dominae Dulcineae a Toboso quam barbas inordinatas, quamvis hae mundae sint meae Casildeae et polliceor itum reditumque facere et ex conspectu eius ad tuam praesentiam venire et completam rationem narrationis tibi dare de his quae nunc a me quaeris.

–Etiam oportet te confiteri et credere –addidit dominus Quixotus– illum victum equitem nullo modo fuisse dominum Quixotum a Manica, sed alius eique similis, sicut ego confiteor et credo te, quamvis similis baccalaureo Samson Carrasco videaris non vere sis, sed alius ei similis, quem in figura eius posuerunt coram me inimici mei ita ut detineam ac temperem impetum iracundiae meae et blande utar gloria meae victoriae.

–Haec omnia confiteor, iudico et sentio sicut tu credis, iudicas et sentis –respondit contusus eques–. Sine autem nunc me surgere, quaeso a te, si ictus lapsus mei hoc mihi permittit, quia male contusus sum.

Dominus Quixotus adiuvavit eum et Tomé Cecial armiger eius, a quo Sanctius non avertebat oculos et ab eo quaerebat res ex quibus responsis signa inveniret eum vere ac reapse Tomé Cecial esse sicut ipse dixerat. Sed timor illius quod audiverat a suo domino de incantatoribus, qui mutaverunt figuram Equitis Speculorum in figuram baccalaurei Samson Carrasco, impediebat eum credere veritatem, quam videbat suis propriis oculis. Denique in hoc mendacio manserunt dominus famulusque. Et Eques Speculorum et armiger eius, moesti atque infortunati secesserunt a domino Quixoto et Sanctio cum voluntate petendi locum, ubi possent curare equitem contusum et costas eius reparare. Dominus Quixotus Sanctiusque denuo prosecuti sunt iter eorum Caesaraugustam, ubi historia relinquet eos ad quamdam explanationem faciendam de Equite Speculorum, nempe quisnam hic esset et quis armiger nasutus eius.

Cap. 15. Ubi narratur quisnam esset Eques Speculorum et armiger eius

Valde laetus, exsultans et iactabundus erat dominus Quixotus, quia victoriam adeptus erat super equitem tam strenuum sicut imaginabatur Equitem Speculorum esse, de cuius verbo ut eques exspectabat cognoscere utrum incantamentum dominae eius ultra progrederetur necne. Quia oportebat ut talis eques victus ad eum reverteretur ad enarrandum quomodo ei accidit, sin autem non esset bonus eques. Sed dominus Quixotus hoc cogitabat et alio modo ipse Eques Speculorum, quia suis cogitationibus quaerebat medelam invenire ad sanandum, sicut dictum est.

Dicit autem historia, cum baccalaureus Samson Carrasco consiliavit domino Quixoto ut sequeretur relictum exercitium equitatus hoc fuit, quia primum cum

parocho et tonsore deliberavit quomodo posset reducere dominum Quixotum, ita ut maneret domi quietus ac tranquillus et ne reverteretur ad alias adversas res gestas quaerendas; ex quo conciliabulo et unanimiter et secundum sententiam peculiarem illius Carrasco fuit ut sinerent dominum Quixotum exire libere, quia eum detinere non fieri posset, et postea Samson etiam egrederetur ad viam ut eques itinerans et, proelio cum eo facto, quia sic cogitabant atque, equite victo, quod perfacile esset, statuerent ut victus maneret ad adimplendam voluntatem victoris et, hoc domino Quixoto victo, baccalaureus iuberet ei ut ad pagum suum reverteretur et ut domi per duos annos maneret et domo sua nullo modo egrederetur, nisi ille ei aliter iuberet; quod dominus Quixotus accurate adimpleret ne violaret leges equitatus et per tempus huius secessus, oblivisceretur suas vanitates sive illi invenirent remedium idoneum ad dementiam eius convenienter sanandam.

Carrasco accepit hoc consilium et Tomé Cecial, patrinus oppidanusque Sanctii Pansae, vir facetus ac sanae mentis, obtulit sese ut armigerum ei. Samson armatus est ut fertur, ac Tomé Cecial accommodavit super suas nares proprias illas fictas cuiusdam dramatis personae tamquam larvam, sicut dictum est, ne patrinus oppidanus cognosceret eum, cum se mutuo viderent et secuti sunt ipsum iter, quod fecit dominus Quixotus, et fere invenerunt se in rebus gestis currus Mortis. Et denique eos in nemore invenerunt, ubi accidit eis quod prudens iam legit. Et si non esset propter insolitas cogitationes domini Quixoti, quibus vere credidit baccalaureum non fuisse baccalaureum, hic baccalaureus numquam potuisset accedere ad convenientem graduationem licentiati, quia non invenit nidos, ubi credidit passeres esse.

Tomé Cecial cum vidit quam male evenerunt eis desideria eorum ac mala fortuna in itinere eorum dixit baccalaureo:

–Profecto, domine Samson Carrasco, dederunt nobis quod vere meriti sumus: et facilius cogitatur de quodam negotio quam adimpletur, et difficulter pluries ex hoc egreditur. Dominus Quixotus demens, nos autem compotes mentis, ille proficiscitur sanus et ridens, tu vero contusus et moestus. Videamus nunc quis est dementior: ille qui vere est, quia aliter non potest esse, sive qui per suam voluntatem amens factus est?

–Cui respondit Samson:

–Diversitas inter hos duos insanos est, quia qui vere est necessario semper erit insanus, sed qui est, quia sic voluit esse, cum vellet iam non amplius amens erit.

–Cum hoc ita sit –dixit Tomé Cecial–, ego fui insanus propter meam voluntatem cum volui esse armiger tuus et ipsa mea voluntate volo nunc domum reverti.

–Hoc dignum est tibi –respondit Samson–, sed credere me reversurum esse domum antequam percutiam dominum Quixotum vere dementiale esset; et quidem non erit desiderium meum ut ipse sanum iudicium suum inveniat, sed desiderium vindicandi me; tamen dolor costarum mearum magnus est et non permittit me pios sermones facere.

Ambo, his verbis et aliis argumentis prolatis, loquebantur ad invicem, donec pervenerunt ad oppidum ubi invenerunt medicum ruralem, qui curavit infortunatum Samson. Tomé Cecial reversus est domum, ille autem remansit meditando suam vindictam, et historia de eo ad suum tempus locutura erit, sed nunc oportet ut veniat ad dominum Quixotum et quidem ad gaudendum cum eo.

Capitulum 16. Ubi narratur quod accidit domino Quixoto cum quodam prudente equite Manicae

Dominus Quixotus praeditus magna laetitia, contentu et exultatione, ut dictum est, prosequebatur iter suum et, victoria sua habita, putabat se equitem itinerantem strenuosissimum illius temporis in mundo esse; et ex hoc credebat se posse adimplere omnes futuras res gestas, quae ei acciderent, et quidem feliciter; atque omnia incantamenta pro nihilo aestimabat et eodem modo omnes incantatores; et omnino oblitus est innumerabiles ictus, quos acceperat in decursu equitatus sui, et immo illum ictum lapidis vi cuius fere dimidiam partem dentium amiserat, et ingratitudinem damnatorum ad triremes atque audacias *yanguesium* et pluviam fustium eorum. Et denique inter se dicebat, si invenirem modum solvendi Dulcineam ab incantamento eius nulli celeberrimo equiti itineranti inviderem, qui maximas res gestas saeculorum praecedentium efficeret. Cum iter faceret meditabundus his cogitationibus, Sanctius dixit ei:

–Num fieri potest, domine, me etiam nunc ante oculos habere et meminisse immanium narium patrini mei Tomé Cecial?

–Et num credis, Sancti, Equitem Speculorum esse baccalaureum Carrasco, et armigerum eius Tomé Cecial patrinum tuum?

–Nescio quid dicam de hoc –respondit Sanctius–; tamen per signa, quae dedit mihi de mea domo, de uxore mea et de liberis meis nullus poterit mihi dare quam ipse; et ipse vultus, naribus ablatis, erat illius Tomé Cecial, tamquam eum pluries vidi in oppido meo atque ille habitat et habet parietem communem inter suam domum et meam et tonus vocis eius ipse erat.

–Perveniamus ad bonum sensum, Sancti –obiecit dominus Quixotus–. Veni huc: quomodo fieri potest ut baccalaureus Samson Carrasco veniat tamquam eques itinerans, armatus armis ad defendendum et ad oppugnandum mecum? Num ego fui inimicus eius? Quando dedi ei occasionem ut invideret mihi? Num ego sum competitor eius sive exercitat ille arma propter famam quam lucratus sum per ea?

–Sed quid dicendum est, domine –respondit Sanctius–, ut hic eques, sive quicumque ipse sit, tam multum videretur similis baccalaureo Carrasco et armiger eius similis Tomé Cecial patrino meo? Utrum hoc omne sit incantamentum, tamquam tu dicis, an erant in hoc mundo duo qui essent similes eis?

–Hoc omne est artificium et dolus –respondit dominus Quixotus– malignorum incantatorum, qui continuo persequuntur me, qui cum noverint me victurum esse in pugna, providerunt ut eques victus haberet vultum amici baccalaurei, ita ut amicitia quam erga eum habeo esset inter gladium acutum et bracchium meum, et minueret iracundiam animi mei ut vivus maneret, qui cum mendaciis et fallaciis meam vitam intendebat auferre. Et ad hoc probandum, iam cognoscis, o Sancti! teste experientia, quae non sinet te mentiri nec decipi, quam facile est incantatoribus vultus pro aliis mutare, et quod pulchrum est fit foedum et ex foedo in pulchrum, quoniam nuper, nudius tertius, tuis propriis oculis vidisti formosam atque elegantem imparem

Dulcineam in venustate eius ac praestantia corporis, sed ego vidi eam in foedidate atque humilitate cuiusdam immundae rusticae propter cataractas in oculis meis et malum odoratum in ore eius; et maleficus, qui talem mutationem ausus est facere, non est multum ut etiam vellet facere illius Samson Carrasco et tui patrini oppidani ad gloriam auferendam victoriae ex manibus meis. Nihilominus solacium invenio quoniam, tandem ac sub quacumque figura quae sit, ego manebo victor super inimicum meum.

–Deus cognoscit veritatem omnium rerum –respondit Sanctius.

Et ita ut ipse cognosceret mutationem Dulcineae fuisse dolum eius, non nimis placebant ei chimaerae domini sui, tamen noluit obiectare nec verbum quin mendacium eius develaretur.

His argumentis peractis, ad eos pervenit vir qui post eos idem iter faciebat super valde pulchram equam turdi coloris, amictus paenula viridi laciniosa cum raso serico flavo et cum pilleo eiusdem raso serico; ornatus equae erat ornamentum campi, ac brevibus sustentaculis pedum [vulgo *a la jineta*] violacei et viridis coloris. Ille ferebat gladium arabicum pendentem de amplo balteo coloris viridis atque aurei; caligae eius similes erant balteo; calcaria autem non erant aurea, sed polita et coloris viridis, ac tam limpida et laevigata ut convenirent vestibus et erant meliora quam si ex auro puro essent. Cum viator ad eos venit urbaniter eos salutavit et incitans equam calcaribus ultra properavit; tamen dominus Quixotus dixit ei:

–Domine urbane, si tu idem iter facis quam nos et non est tibi opus ad festinandum, valde placeret mihi si iter una faceremus.

–Vere –respondit eques equae– non potius properarem nisi propter timorem quin hic equus perturbaretur de comitatu meae equae.

–Tunc bene potes, domine –respondit Sanctius–, habenas tuae equae tenere, quia equus noster est castissimus atque urbanissimus huius mundi; et numquam in similibus occasionibus fecit quod abiectum sit, tantummodo semel in sua vita perturbatus est, sed hoc lamentabimus dominus meus atque ego septies septem. Quare rursum dico te bene posse detinere gressum si vere vis; et quamvis ostenderent hanc equam huic equo inter duos catinos, sive in optimam occasionem, ille eam nullo modo degustaret.

Viator habenas relaxavit et quidem admiratus est de figura et vultu domini Quixoti, qui tunc non ferebat galeam, quia Sanctius eam habebat tamquam sarcinam iuxta sellam clitellarum asini; et si ille dominus coloris viridis multum inspiciebat dominum Quixotum, multo magis conspiciebat dominus Quixotus illum dominum viridis coloris eique apparebat ut vir honorabilis. Hic videbatur esse circa quinquaginta annos natus; paucae erant canae capillorum eius, facies aquilina et conspectus eius inter gravem et laetum; denique ille suis vestibus et praestantia corporea ostendebat se esse virum nobilem natu.

Quod dominus viridis coloris iudicavit de domino Quixoto a Manica fuit se numquam vidisse virum similem ei in tota sua vita; tamen miratus est de proceritate colli eius, de magnitudine corporea, de gracilitate ac pallore faciei, de armis, de gesticulatione corporis: nempe talis figura atque imago numquam conspectae fuerunt per multum tempus in illis regionibus. Dominus Quixotus animadvertit bene

attentionem, qua viator eum inspiciebat et in hac suspicione credidit videre desiderium eius et ita ut valde urbanus erat et amicus placendi omnibus et quidem antequam ab eo quaereret obviam ei venit eique dixit:

–Haec figura quam vides in me, domine, non mirandum est utrum improviso offendat tibi necne, quoniam non est secundum quas communiter videntur; tamen non amplius miraberis cum cognoscas, sicut dico, me esse equitem

de his qui homines dicunt
qui ad suas res gestas vadunt.

Ex patria mea egressus sum, bona mea pignoravi, reliqui oblectamentum meum et amplexus sum bracchia Fortunae, ut adduceret me ubi ipsa vellet. Volui resuscitare equitatum itinerantem, iam diu mortuum, et ecce per multos dies, obstacula inveni, cecidi ibi, deieci me deorsum hic, surrexi illic, desiderium meum adimplevi, quoniam succurri viduis, protexi virgines, favi uxoribus infortunatis, orphanis pupillisque quod est munus proprium et naturale equitum itinerantium et sic per strenua, copiosa christianaque facta mea meritus sum esse in libris fere omnium nationum huius mundi. Triginta milia voluminum editi sunt in lucem de historia mea et, mea opinione, in lucem edent triginta milia milies si coelum non aliter statuet. Denique, et ut breviter dicam, ego sum dominus Quixotus a Manica, alias Eques Tristis Figurae et quoniam laus in ore proprio vilescit, tamen ego eas dicere debeo cum nemo praesentium has dicere posset. Sic, nobilis domine, non ultra miraris hoc equo nec hac lancea nec hoc scuto nec his omnibus armis nec ex pallore faciei meae nec gracilitate corporis mei ex hoc et in futurum, cum cognoscas quis ego sum et munus quod exerceo et quo fungor.

Dominus Quixotus, his verbis prolatis, tacuit et dominus viridis coloris demorabatur ad respondendum sive nesciebat quid dicendum esset; tamen, longa mora elapsa, dixit ei:

–Vere nosti, domine eques, per suspicionem tuam omnes cogitationes meas; sed nondum potuisti auferre a me admirationem conspiciendo te, et cum te cognoscam, sicut tu dicis; quoniam quamvis nunc sciam quis vere sis adhuc maior est admiratio mea. Quomodo fieri potest ut nunc temporis equites itinerantes sint in hoc mundo et etiam veras esse historias impressas equitatus? Nullo modo possum intelligere ut hodie sint, qui faveant viduis, protegant virgines, adiuvent orphanos et hoc numquam crederem nisi viderem te propriis oculis meis. Benedictum sit coelum! quia ope huius historiae, de qua dicis et quae impressa est, de tuis altis ac veris equitatibus in oblivionem eiicientur innumeri ficti equites itinerantes, quibus mundus plenus erat et hoc in damnum bonae consuetudinis atque in damnum et in infamiam harum bonarum fabellarum.

–Multum est dicendum –respondit dominus Quixotus– utrum historia equitum itinerantium ficta sit necne.

–Estne quidam qui vere dubitet –respondit dominus viridis coloris– tales historias falsas esse?

–Ego dubito –respondit dominus Quixotus– et maneat hoc hic inter nos, sed si

iter huius diei permitteret et, Deo providente, faciam ut intelligas quam male fecisti, quia viam secutus es eorum, qui pro certo habent has historias non veras esse.

Viator, his argumentis auditis, valde bene intellexit dominum Quixotum dementem fuisse et quidem exspectabat ut aliter id confirmaret; tamen antequam ad alia pervenirent dominus Quixotus rogavit eum ut diceret ei quis ille esset, quoniam ipse iam locutus erat de sua condicione et vita. Cui dominus Viridis Paenulae respondit:

–Ego, domine Eques Tristis Figurae, sum fidalgus natus in loco quo perveniemus ad edendum hodie, Deo volente. Ditior plus quam mediocriter sum et vocor Didacus (Diego) de Miranda; transeo vitam cum uxore mea et cum liberis meis atque una cum amicis; exercitia mea sunt venatio atque piscatio, sed nec canes venaticos nec falconem habeo, nisi quamdam perdicem mansuetam sive viverram audacem. Usque sexies duodenos libros habeo, quosdam hispanico sermone, alios latinos, nonnullos de historia, alteros de devotione; tamen libri equitatus nondum intraverunt in limina portarum mearum. Magis diligo profanos quam pios, cum hi sint honesti oblectamenti et placeant mihi propter linguam eorum ac mirer de inventione eorum atque alliciant me, tamen ex his perpauci sunt in Hispania. Aliquando cum amicis et vicinis meis facio prandium et multoties invito eos: prandia mea sunt munda et convenientia necnon et abundantia; nolo nec permitto in conspectu meo ut sit quaedam murmuratio; non scrutor vitas alienas nec inspicere volo facta aliorum; quotidie missam audio; bona mea do pauperibus, et quidem, nulla ostentatione facta, ne intret hypocrisis in cor meum nec iactantia, qui sunt inimici qui blande introducunt se in cautum cor; conor pacem ponere inimicis; devotus sum Dominae Nostrae et semper confido misericordiae Dei Domini Nostri.

Sanctius attentissime auscultavit relationem vitae atque oblectamenta illius fidalgi; eique videbatur ea bona esse et sancta ac putavit talem hominem miracula patravisse, quare descendit de asino et celeriter venit ad eum amplectendum ad sustentaculum dextrum pedum et devoto corde ac fere effundens lacrimas osculatus est pedes eius semel et pluries. Fidalgus, his rebus conspectis, quaesivit ab eo:

–Quid facis, frater? Quaenam oscula sunt ista?

–Sine me te osculari –respondit Sanctius; quia mihi videtur te esse primum sanctum super equum, quem umquam vidi in vita mea.

–Ego non sum sanctus –respondit fidalgus–, sed magnus peccator; tu utique, frater, debes esse bonus, tamquam tua simplicitas ostendit.

Sanctius, his verbis dictis, reversus est ad clitellas et movit risum domino suo ex profunda melancholia eius et eodem modo movit novam admirationem domino Didaco. Dominus Quixotus quaesivit ab eo quot liberos haberet, et dixit ei apud veteres philosophos, qui carebant vera cognitione Dei, res qua ponebant summum bonum fuit in bonis naturae, in fortuna atque in multis amicis et habere multos et bonos liberos.

–Ego, domine Quixote –respondit fidalgus–, tantum filium habeo, sed si eum non haberem, possem iudicare me ipsum feliciorem quam ego vere sum; et non quia malus ille sit, sed quia non est tam bonus tamquam egomet vellem. Ille est

duodeviginti annos natus, sex annos fuit Salmanticae discendo linguam latinam et graecam et cum vellem eum pervenire ad alias sciencias discendas, inveni eum tam submersum in arte poetica, si haec vere scientia vocetur, ut non fieri posset eum ad discendas leges adducere, sicut ego vellem, neque reginam omnium scientiarum, nempe theologiam. Vellem eum esse coronam stirpis suae, nam nos vivimus in saeculo, ubi reges nostri honorant summo gradu virtutes et bonas litteras, quia litterae sine virtute sunt tamquam margaritae in sterquilinio. Per totum diem ille laborat ad inveniendum utrum Homerus dixerit bene an male in tali versu *Iliadis*, utrum Martialis inhonestus fuerit in tali epigrammate necne, si versus Vergilii hoc modo sive aliter interpretandi sint. Denique, omnia colloquia sua sunt de libris horum poetarum, iam dictis, et cum Horatio, Persio, Iuvenale Tibulloque, nam parum facit de hodiernis scriptoribus linguae vernaculae, tamen tam pauco amore, quem ostendit ad hispanicam artem poeticam, nunc cogitationes suae sunt ad faciendam glossam ex quattuor versibus, quam ab eo quaesiverunt Salmantica et secundum quod credo erunt ad certamen litterarium.

Quibus omnibus dominus Quixotus respondit:

–Liberi, domine, sunt partes ex visceribus parentum eorum, et sic amandi sunt, quamvis boni sive mali sint, sicut amantur animi qui vivificant nos; ad parentes pertinet eos ducere a tenera aetate per gressus virtutis ac bonae urbanitatis, et bonae et christianae consuetudinis, ut dum senes sint baculus senectutis parentum suorum et gloria posteritatis suae; quapropter, et mea opinione, non credo bonum esse conari ad discendam hanc sive aliam scientiam, quamvis suadere eis quod non sit perniciosum; et cum non vacent studio pro '*pane lucrando*' et cum scholasticus fortunatus sit, quia coelum dedit ei parentes, qui eum relinquunt ad discendum quidquid pronus esset et quamvis ars poetica non sit tam utilis, quam delectabilis, nullo modo inhonorat possidentem eam. Ars poetica, secundum me, domine fidalge, est tamquam tenera virgo paucos annos nata et in extremis pulchra, cui multae aliae virgines curant de ea locupletando divitiis, mundando eam atque ornando eam. Et hae sunt omnes aliae scientiae, quibus ars poetica utitur, et hae omnes cum illa obtinent auctoritatem; haec autem virgo non vult ut eam quodam modo attractent nec per vias adducant, nec vult ut eam per angulos platearum in lucem edant nec per angulos Aulae Regiae. Ars poetica facta est ex tali alchimia et ex tali virtute ut si quis eam bene tractaret mutabitur in aurum purissimum inaestimabilis pretii. Possessor eius debet eam bene servare et nullo modo sinere ut currat cum turpibus satyris nec sonetis sceleratis. Non debet esse res vendibilis sive venalis nisi in versibus heroicis, in tragoediis luctuosis vel in comoediis laetis et artificiosis; nullo modo tractanda est a scurris nec ab ignoranti vulgo, quod incapax est cognoscendi nec aestimandi thesauros in ea absconditos. Et ne credas, domine, hic et nunc me vocare vulgus tantum gentem humilem ac plebeculam, quoniam omnis qui nescit, quamvis dominus et princeps sit, introibit in numerum huius vulgi. Quare qui, servatis servandis, bene tractaret et haberet poesim, illustris erit et nomen eius aestimabitur in omnibus nationibus doctis huius mundi. Et secundum quod dixisti, o domine, filium tuum non multum aestimare artem poeticam patriam, existimo eum non recte iudicare et haec sic intelligo, quia

magnus Homerus non scripsit latine, quoniam graecus erat, nec Vergilius scripsit graece quoniam latinus. Breviter, omnes antiqui vates scripserunt in lingua quam lactaverunt in lacte materna et non quaesiverunt linguas peregrinas ad explanandam altitudinem cogitationum eorum. Et cum hoc ita sit, opus est ut haec consuetudo ad omnes nationes perveniat quare non contemnatur poeta germanus, quoniam scribit in sua lingua, nec hispanus, nec immo vasconicus qui scribit in sua. Sed si filius tuus, secundum quod imaginor, non odit artem poeticam vernaculam, sed poetas, qui hoc sermone utuntur, nullis aliis linguis nec scientiis notis, quibus ornentur atque exspergefaciant impetum naturalem eorum, etiam in hoc esset error. Quoniam fertur, et quidem vera opinione, poetam nasci: et hoc idem est ac dicere vatem naturalem ex ventre suae matris oriri et cum hac inclinatione quam ei coelum dedit et, nullo studio nec artificio praedito, sic componit res, quibus verum facit dictum: '*est Deus in nobis*' ... et cetera. Verumtamen dico: poeta naturalis, si iuvaret se ipsum ex arte, multo melius ei esset, et quidem superaret vatem, qui voluisset esse suo nudo arte. Et ratio huius rei est, quia ars non superat naturam, sed eam adimplet; quare si natura et ars una inveniuntur, poeta ope huius artis et sua natura perveniet ad maximam perfectionem. Et ad finem huius sermonis, domine fidalge, debes sinere ut filius tuus iter progrediatur, quonam stella eius adduceret eum, et cum ille sit bonus studiosus, ut decet, et cum iam ascenderit in primum gradum scientiarum, qui est linguarum, per eas in cacumen litterarum humanarum ascendet, quae tam bonae videntur in equite ex pallio et gladio, et bene eum ornant, honorant et augent tamquam mitrae episcopos sive togae iurisperitos. Reprehendas filium tuum si satyras faceret, quibus honorem alienum damnet, punias eum easque rumpas; tamen si facit sermones ad modum Horatii, ubi vitia reprehenduntur in genere, tamquam ille tam eleganter fecit, tunc lauda eum, quoniam licet poetas scribere contra invidiam et dicere versus contra invidos, et hoc modo de aliis vitiis, quamvis neminem indicet. Tamen sunt vates qui ad malitiam dicendam periculum faciunt ut exsulent eis ad insulas Ponti. Si poeta autem esset castus in suis moribus etiam erit in versibus suis; calamus est lingua animi: et ut conceptus qui hoc calamo concipiuntur sic erunt scripta eorum et ubi primum reges principesque videant scientiam miraculosam artis poeticae in subiectis prudentibus, virtuosis et gravibus, eos honorant, aestimant ac locupletant et immo coronant foliis illius arboris cui non offendit fulmen, tamquam signum quo nemo offendat eis, qui honorantur coronis et quorum tempora lauro cinguntur.

Dominus Viridis Paenulae admirabatur de argumentis domini Quixoti et tam multum ut amitteret pristinam opinionem, quam de eo habuit, scilicet, eum stolidum esse. Sed ad dimidium colloquium Sanctius secessit seorsum illinc ad lac quaerendum ex quibusdam pastoribus, qui ibi mulgebant oves. Tunc rursum incepit fidalgus colloquium contentus in extremo ex prudentia ac bona dispositione domini Quixoti, sed cum hic porrexit caput suum en per iter, quo illi veniebant, plaustrum ornatum vexillis regalibus venit et statim credidit has esse res gestas novas, quare Sanctium magnis vocibus vocavit ad afferendam ei galeam. Sanctius autem cum audivit se vocari, reliquit pastores et confestim incitavit asinum ope fustis et ad dominum suum pervenit, cui teterrimae et insolitae res gestae acciderunt.

Capitulum 17. Ubi narratur extremum ultimum quo pervenire potuit inauditus animus domini Quixoti, rebus gestis leonum feliciter finitis

Historia enarrat dominum Quixotum vocavisse Sanctium magnis vocibus ut afferret ei galeam, sed tunc Sanctius emit coctionem coagulatam ex caseo et lacte, quam pastores vendebant et coactus magna celeritate domini sui nescivit, quid facturus ipse erat nisi haec omnia secum ferret vel quid aliud et ne amitteret haec omnia, quia iam solvit pecuniam pro eis, putavit bonum esse introducere omnia in galeam domini sui et hoc modo venit ad videndum quid ab eo quaereret; cui, simul atque advenit, dixit:

–Affer mihi, amice, hanc galeam; quoniam parum scio ego de rebus gestis sive quam nunc invenio est quaedam necessitas, quae impellit me ad arma accipere.

Dominus Viridis Paenulae, his verbis auditis, inspexit ubique et nihil aliud conspexit quam plaustrum praeditum duobus vel tribus parvis vexillis, quibus intellexit plaustrum ferre pecuniam Regis, et sic domino Quixoto dixit; hic autem non credidit, quia putabat omnia, quae accidebant ei, plures res gestas esse et sic respondit fidalgo:

–Vir paratus ad proelium iam fere vincit pugnam: nihil deperditur ut etiam animadvertam quid hoc sit; quoniam, teste experientia, sunt mihi inimici invisibiles et visibiles et nescio quando nec ubi nec quo tempore nec qua figura impetum in me facient.

Et vertit se ad Sanctium et ab eo quaesivit galeam; hic autem non habuit tempus extrahendi caseos et debuit eam taliter ei dare sicut erat. Dominus Quixotus eam accepit et, nullo conspecto praedito, celeriter eam induit super caput et casei cum lacte expressi sunt et serum defluxit deorsum per totam faciem et barbas domini Quixoti ex quo vere pavit et dixit Sanctio:

–Quid est hoc, Sancti, quoniam mihi videtur cerebrum meum liquefieri sive me sudare e summo capite deorsum? Et si vere sudo non verum ex metu est; tamen credo has res gestas teterrimas futuras esse. Da mihi, si habes aliquid ut mundem me; quoniam ex hoc sudore oculi mei caeci facti sunt.

Sanctius tacuit et dedit ei pannum ad detergendum et cum eo gratias Deo egit, quia dominus eius non invenit veram causam illius sudoris. Dominus Quixotus detersit se et abstulit galeam ad videndum quid esset quod refrigerabat caput suum et cum vidit illas res albas intus in galea, adduxit ad nares, olfecit eas dixitque:

–Per vitam dominae meae Dulcineae a Toboso, hi sunt casei cum lacte quos tu hic posuisti traditor, fraudulentus ac perversus armiger.

Quibus verbis Sanctius magna quiete ac simulatione respondit:

–Si vere casei cum lacte sunt da eos mihi, domne, et ego manducabo eos. Sed comedat eos diabolus, quoniam ille fuit qui eos ibi introduxit. Quomodo auderem ego galeam tuam inquinare? Invenisti enim audacem! Ad fidem meam, domine, et secundum quod Deus dat mihi ad intelligendum, etiam erunt mihi incantatores, qui persequuntur me ut partem et membrum tuum, illi autem posuerunt ibi has

immunditias ad iracundiam movendam tuae patientiae et ad faciendum ut conteras me, ut dicitur, costas meas. Tamen nunc saltum fecerunt inaniter; et ego confido bonae voluntati domini mei, qui intelliget me nullos caseos nec lac habere nec aliam rem similem et si eam haberem non ponerem intus in galeam, sed in stomachum meum.

–Omnia fieri possunt –dixit dominus Quixotus.

Et haec omnia inspiciebat fidalgus et admirabatur de omnibus, potissimum cum dominus Quixotus detersit caput, faciem et barbas; et galeam atque hanc denuo induit, pressit sustentaculum pedum, requisivit gladium et accipiens lanceam dixit:

–Nunc autem veniat quidquid sit; quoniam hic paratus sum animo ad impetum faciendum in ipsum Satanam.

His rebus peractis, advenit plaustrum vexillorum in quo non erat nisi raedarius cum mulis et alter vir qui sedebat prorsus. Dominus Quixotus stetit ante plaustrum et dixit:

–Quonam pergitis, fratres? Quid plaustrum est hoc, quemnam adducitis in eo et quaenam sunt haec vexilla?

Quibus raedarius respondit:

–Plaustrum meum est, et in eo fero duos strenuos leones, qui in hac cavea sunt et eos misit general Oranae (Orán) ad Aulam Regiam in conspectu Regis; vexilla sunt enim Regis domini nostri ad significandum hic esse rem, quae ad eum pertinet.

–Et suntne magni leones? –quaesivit dominus Quixotus.

–Tam magni sunt –respondit vir qui erat ad ianuam plaustri–, ut non transirent maiores nec ex Africa ad Hispaniam umquam pervenerunt; ego autem sum custos leonum et alios adduxi, sed nullos tamquam hos. Sunt enim mas et femina, masculus est in hac prima cavea et leaena in postera; nunc famelici sunt, quia nondum ederunt hodie; quare debes secedere parum seorsum; quia oportet festinare ad perveniendum, ubi possint comedere.

Cui dominus Quixotus subridens parumper ait:

–Leunculi mihi? Leunculi mihi ad hanc horam? Itane per Deum videbunt domini, qui eos miserunt utrum ego sim vir, qui subito exspavescat a leonibus necne! Descende, o bone vir, et tamquam custos leonum aperi has caveas et proiice has beluas foras; et in medio campo faciam ut cognoscant quis sit dominus Quixotus a Manica, et hoc contra omnes incantatores, qui eos ad me miserunt.

–Ta, ta! –dixit hac occasione inter se fidalgus–. Iam dedit signum de sua dementia quisnam noster eques sit; casei cum lacte mollificaverunt cerebrum eius et id maturaverunt.

Tunc Sanctius ad eum advenit eique dixit:

–Domine, per Deum vivum! facias ut dominus Quixotus ne incitet hos duos leones; nam si hoc facit devorabunt nos omnes.

–Sed, credis dominum tuum insanum esse –respondit fidalgus– et quidem times et credis eum sic facturum esse cum his feris animalibus?

–Non est amens –respondit Sanctius–, sed nimis audax.

–Ego faciam ut ille non amplius sit –obiecit fidalgus.

Et sic pervenit ad dominum Quixotum, qui importunabat custodem leonum ut festinaret ad ianuas cavearum aperiendas eique dixit:

–Domine eques, equites itinerantes debent res gestas impendere, quae spem

promittunt bene egrediendi ex eis, sed non eas quae omnino hanc prosperam spem impediunt; quia strenuitas, quae intrat in locum sive in iurisdictionem temeritatis, magis ad dementiam quam ad fortitudinem pertinet. Immo hi leones non veniunt contra te, nec nominetur; mittuntur ad Regem et non decet eos detinere nec iter eorum impedire.

–Vadas, domine fidalge –respondit dominus Quixotus–, ad loquendum cum tua perdice mansueta et cum tua audaci viverra ac sine ut unusquisque faciat quae sua sunt et quidem secundum munus suum. Hoc est meum officium et egomet bene scio utrum hi domini leones veniant contra me necne.

Et vertit se ad custodem leonum et dixit ei:

–Iuro per talem! Domine subdole, si non aperis mihi has caveas, hac lancea ad plaustrum transfodiam te!

Raedarius qui cognovit voluntatem illius phantasiae armatae dixit ei:

–Domine mi, sine, per misericordiam Dei, me disiungere has mulas et recedere cum eis seorsum antequam leones liberentur, quia si occidunt eas mortuus ero per totam vitam meam, *nam nihil aliud est mihi quam plaustrum hoc et hae mulae.*

–O vir modicae fidei! –respondit dominus Quixotus–. Descende et disiunge et fac quidquid velis, et subito videbis te inaniter laboravisse, quoniam hanc diligentiam potuisti vitare.

Descendit raedarius et magna celeritate disiunxit mulas et custos leonum clamavit magnis vocibus:

–Vos omnes qui hic sitis, estote mihi ut testes me contra meam voluntatem et coactum aperuisse has caveas et invite libero leones, atque ego animadverto huic domino ut totum malum quod hae bestiae faciant ad eum pertinebit etiam et salarium meum et iura omnium. Et vos, domini, cavete et discedite hinc antequam aperiam, quia ego securus sum hos leones non afficere mihi damnum.

Iterum iterumque fidalgus suasit ei ne faceret dementiam similem, quia facere hanc ineptiam erat temptare Deum. Cui dominus Quixotus respondit se bene scire quid faceret. Fidalgus respondit ei ut animadverteret bene antea, quia ipse credebat eum decipi.

–Nunc autem, domine –obiecit dominus Quixotus–, si non vis audire quae secundum te erit tragoedia, tunc incita equam tuam calcaribus et cura ut valeas.

Sanctius, his rebus auditis, et oculis lacrimosis, eum flagitavit ut desineret tales res gestas in cuius comparatione molae venti et teterrima facta fullonicarum fuerunt placentae et panes picti et denique cunctae res gestae, quas impendit in toto decursu vitae suae.

–Videas, domine –dixit Sanctius–, hic non esse incantamentum nec res similes; quia vidi per reticula rimasque caveae unguem veri leonis et per talem unguem leo erit maior quam mons.

–Metus, saltem –respondit dominus Quixotus–, facit te eum videre maiorem quam dimidium mundum. Recede, Sancti, et relinque me; et si hic moriar, iam cognoscis pristinam veterem voluntatem meam: accedes ad Dulcineam et nil amplius dicam tibi.

Ad ea addidit alia argumenta quibus contra omnem spem decrevit se stultum consilium suum prosecuturum esse. Fidalgus Viridis Paenulae voluit sese opponere

ei, sed vidit se ipsum inaequalem armis et non videbatur ei prudenter cum demente colloqui, quia sic de domino Quixoto cogitavit. Hic autem ad custodem leonum venit ad eum importunandum ut festinaret et minas iactavit, quibus rebus peractis, dedit opportunitatem fidalgo ut incitaret equam calcaribus ac Sanctio asinum et raedario mulas suas, ita ut omnes secederent a plaustro quantum fieri posset, ante quam leones e caveis liberarentur. Sanctius flebat mortem domini sui, quia tunc ille credebat sine dubio hanc mortem venire in unguibus leonum; maledicebat suae fortunae et maledictam vocabat horam, qua denuo reversus est ad ministerium illius; sed nihilominus incitabat asinum ictibus, dum flebat et lamentabatur, et secedebat a plaustro. Cum custos leonum videret fugientes procul esse, rursum requisivit a domino Quixoto quod iam ab eo quaesivit, qui respondit se iam audivisse, sed non necesse erat amplius faciendi, quoniam omne esset inane et ille debuerit festinare ad aperiendam caveam.

Dum custos leonum aperiebat primam caveam, dominus Quixotus perpendit utrum bonum esset proelium facere pedibus an super equum et in finem decrevit id facere pedibus, ne Rocinans exspavesceret in conspectu leonum. Quare descendit de equo, proiecit lanceam, apprehendit scutum et gladium e vagina eduxit, ac pedetentim et mira fortitudine ac strenuo animo, stetit ante plaustrum, commendans se ipsum Deo ex toto corde et postea dominae suae Dulcineae. Et oportet scire cum auctor huius verae historiae pervenit ad hunc locum exclamavit dicens: «O fortis et magnopere animose domine Quixote a Manica, speculum ubi omnes strenui equites itinerantes huius mundi possunt se videre, alter ac novus dominus Emmanuel de León, qui fuit gloria atque honor equitum hispanorum! Quibusnam verbis possum ego enarrare has teterrimas res gestas sive quibus argumentis faciam ut omnes hunc credant in proxima saecula futura, quas laudationes non bene venient tibi, quamvis hyperboles sint super omnes hyperboles? Tu tuis pedibus, tu solus, tu intrepidus, tu magnanimus, praeditus tuo solo gladio toletano et non valde acuto, tuo scuto non valde fulgido nec limpido, exspectas duos immanes leones, quos umquam silvae africanae creaverunt. Ipsae res gestae tuae laudent temetipsum strenuum virum a Manica et ego ea in hoc loco relinquam, quia desunt mihi verba ad tam multa enumeranda.»

Hic cessavit exclamatio auctoris, iam dicta, et ultra prosecutus est nectando filum historiae et sic dixit ut custos leonum cum viderit dominum Quixotum stantem; eo omnino invito, quia nihil aliud facere potuit quam ei liberare leonem marem nisi caderet in indignatione audacis equitis, aperuit ianuam caveae ample, ubi erat, ut dictum est, leo qui vere apparuit ingenti magnitudine et teterrimo ac foedo conspectu. Primum quod fecit leo fuit revolvere se per caveam ubi iacebat, extendit manus et ungues et expergefactus est, tunc aperuit os suum et valde lente oscitavit et fere duobus palmis linguae, quam foras eiecit et qua excussit pulverem ex oculis suis ac vultum abluit; his rebus peractis, extraxit caput foras, extra caveam et inspexit ubique oculis fulgidis tamquam ex prunis, ad cuius conspectum potuit ipsam temeritatem terrere. Tantummodo dominus Quixotus inspiciebat attente leonem et cupiebat ut ex plaustro egrederetur et pugnaret cum eo manibus, quibus putabat eum dilaniare.

Hucusque pervenit extrema amentia eius non umquam conspecta. Tamen leo munificus et cautior quam audax noluit curare de puerilibus nimietatibus nec de verbis altisonantibus et, cum conspexit quoquoversus, vertit dorsum suum et nates ostendit

domino Quixoto et magna quiete accubuit denuo in cavea. Cum dominus Quixotus haec vidit iussit custodi ut fustibus incitaret leonem ut foras exiret.

–Haec minime faciam –respondit custos leonum–, quia si incito eum primum, quem dilaniabit erit me et quidem statim. Domine eques, gaudeas his rebus factis quod est omne quod in genere strenuitatis facere possis et non velis temptare denuo fortunam. Leo habet ianuam apertam; in potestate eius est exiendi sive remanendi; tamen hucusque noluit exire, quare non exibit in toto die. Magnanimitas animi tui iam palam et aperte bene probata est; et nullus strenuus pugnator, mea opinione, tenetur ad maiora facienda quam inimicum provocare atque eum exspectare in campo aperto; si autem ille noluit venire tunc manebit in sua infamia et qui eum exspectabat accipit coronam victoriae.

–Hoc ita est –respondit dominus Quixotus–: claude, amice, ianuam et da testimonium mihi tuo meliore modo de his quae vidisti, nempe quomodo aperuisti ianuam leonis, quomodo eum exspectavi at ille noluit exire, denuo exspectavi eum et nondum egressus est et denuo accubuit. Hoc est enim opus meum et, incantamentis spretis, Deus iuvet bonam sententiam et veritatem ac verum equitatum et claude, sicut dixi tibi, dum fugitivos atque absentes voco signis ut has res gestas audiant ex tuo ore.

Sic fecit custos leonum, et dominus Quixotus posuit in extrema lancea linteum, quo mundaverat vultum suum ex pluvia caseorum et lactis, et incepit clamare illos fugientes, qui ad omnem gressum vultum vertebant et omnes turmatim ac ducti a fidalgo; sed cum Sanctius animadvertit signum album lintei, dixit:

–Pеream ego! si dominus meus non vicit teterrimas beluas, quia ille vocat nos.

Omnes steterunt et cognoverunt illum, qui signa faciebat, esse dominum Quixotum, et, metu amisso, paulatim ad eum venerunt et clare audiverunt voces domini Quixoti, qui eos vocabat. Denique reversi sunt ad plaustrum et cum illuc pervenirent dixit dominus Quixotus raedario:

–Frater, iunge denuo tuas mulas plaustro et prosequere iter tuum; et tu, Sancti, da raedario duos aureos ei et custodi leonum ut remunerationem, quoniam propter me fecerunt moram in itinere eorum.

–Hos aureos dabo libenter –respondit Sanctius–; sed quid accidit leonibus? Suntne mortui sive vivi?

Tunc custos leonum, pedetentim ac magna cura narravit successum horum factorum exaggerans, tamquam melius id potuit facere, strenuitatem domini Quixoti de cuius conspectu leo timuit et noluit exire de cavea, quamvis haberet ianuam caveae apertam per longam moram; necnon et esset temptare Deum irritare leonem ita ut exiret, eo autem invito, et eodem modo ut eques voluerit ut ipse provocaret leonem ut egrederetur; atque, equite invito, et contra voluntatem suam denique permisit ut ianua clauderetur.

–Quid hoc tibi videtur, Sancti? –ait dominus Quixotus–. Suntne incantamenta quae maneant contra veram strenuitatem? Incantatores bene potuerunt auferre meam prosperam fortunam, sed strenuitatem ac robur nullo modo.

Sanctius dedit eis duos aureos. Raedarius mulas iunxit, custos leonum manus domini Quixoti osculatus est propter beneficium acceptum et pollicitus est narrandi has res gestas ipsi Regi cum ad Aulam Regiam perveniret.

–Tunc, si Rex quaerit a te quis hoc fecit, dic ei *Equitem Leonum* fuisse; quoniam ex hoc et in futurum hoc modo vocabor, et volo hanc mutationem in nomine meo facere quod hucusque fuit *Eques Tristis Figurae*; et hoc modo prosequor antiquam consuetudinem, quia nomina mutabant cum vellent sive quando status rerum praeberent eis occasionem.

Plaustrum prosecutum est iter suum et dominus Quixotus, Sanctius et fidalgus Viridis Paenulae etiam iter eorum prosecuti sunt.

Hoc tempore dominus Didacus de Miranda, nullo verbo prolato, attentus erat ad facta et verba domini Quixoti videnda ac notanda, quia aliquando videbatur ei ut sanus demens sive demens qui inclinabatur ad sanitatem. Tamen nondum pervenerat ad manus suas prima pars historiae eius, quia si vere pervenisset et legisset non amplius miraretur de factis et verbis eius et tunc sciret genus illius dementiae; et propterea quod nesciebat tum haberet eum ut sanum ac bene loquentem tum ut amentem. Quia quod loquebatur erat elegans, idoneum et bene dictum, at quod faciebat erat insanum, temerarium ac stultum. Et haec inter se dicebat:

–Quid stultius est quam induere galeam plenam caseis cum lacte et credere cerebrum suum liquefieri ope incantatorum? Et quaenam maior temeritas velle cum leonibus pugnare?

Tamen dominus Quixotus ex his cogitationibus atque ex hoc soliloquio eduxit eum dicens:

–Quis enim dubitavit, domine Didace de Miranda, te habere me, tua opinione, ut amentem? Et hoc non multum esset, quoniam opera mea non possunt testimonium dare alterius rei. Nihilominus volo ut animadvertas me non esse tam amentem nec tam insanum sicut hucusque debeo videri. Tamen bene videtur oculis regis elegantem equitem in media magna platea dare ictum lanceae ingenti ac forti tauro. Etiam bene videtur elegantem equitem, armatum suis fulgurantibus armis procedere ante dominas in certaminibus equestribus et hastiludiis et bene videntur hi omnes equites in exercitiis militaribus invenire oblectamentum suum, quo, si dici possit, vere gaudent Aulae Regiae principum; tamen melius erit super hos omnes eques itinerans, qui per deserta loca, per solitudines, per bifurcationes viarum, per silvas ac montes ambulat, quaerens res gestas periculosas cum voluntate adimplendi eas maxima fortuna et hoc tantum ad nanciscendam praeclaram ac diuturnam famam. Et sic, secundum quod dico, melior videtur eques itinerans adiuvans viduam in quodam loco deserto, quam eques aulicus blandiloquens cum virgine in urbe. Omnes equites habent peculiaria exercitia eorum: serviat aulicus dominabus, et rex in sua Aula Regia augeat suam auctoritatem cum vestibus tessellatis pedisequorum, sustentet pauperes equites cum splendidis dapibus suae mensae; statuat ludos equestres, certamina equitum atque ostendat se magnanimum, munificum et se bonum christifidelem esse, et super omnia et hoc modo adimplebit sua praecisa officia. Sed eques itinerans quaerat per angulos huius mundi, introeat in labyrinthos intricatos, impendat omni tempore quae non fieri possint; resistat in eremis desertis ardentes radios solis in media aestate et sustineat tempore hiemali inclementiam tempestatum ventorum et geluum; ne timeat leones, nec terreant eum monstra, nec dracones afferant terrorem ei; quoniam sua prima ac vera exercitia sunt eos quaerere, illos aggredi et omnes

vincere. Et ego, quoniam sic fortuna evolvit, adnumeratus sum ad gregem huius equitatus itinerantis, quapropter debeo impendere omnia quae, mea sententia, sunt in iurisdictione exercitiorum meorum; sic aggressus sum leones sicut feci, quoniam recte hic erat scopus meus, quamvis etiam esset magna temeritas ex mea parte, tamen bene cognosco quid sit strenuitas, quae est virtus et manet inter duo extrema oposita, tamquam sunt ignavia et temeritas. Nihilominus melius est ut eques strenuus ascendat aliquo modo versus temeritatem et non versus ignaviam; sic ut prodigus antea pervenit ad munificentiam quam avarus et hoc modo strenuus erit temerarius in rebus gestis quaerendis quam ignavus in suis. Quare facilius est ut eques temerarius perveniat ad veram strenuitatem quam ignavus in quaestionibus rerum gestarum. Et credas, domine Didace, melius est omnia perdere cum exaggeratione quam ex imminutione, quoniam melius auditur in auribus: *talis eques est temerarius et audax* quam audire: *talis eques est timidus atque ignavus.*

–Denuo dico, domine Quixote –respondit dominus Didacus–, ut omnia quae dixeris sequi axem staterae rectae rationis et si ordinationes legesque equitatus itinerantis amissae essent possent inveniri in tuo pectore tamquam in receptaculo proprio atque archivo idoneo. Tamen oportet nos festinare, quia serius est ut perveniamus ad meum oppidum et domum meam, ubi quietem habebis de labore praeterito, qui si non fuit de corpore, saltem fuit de animo de quo procedit lassitudo corporea.

–Hanc invitationem accipio ut magnum munus, domine Didace –respondit dominus Quixotus.

Et tunc incitaverunt iumenta calcaribus plus quam quod antea fecerunt et hora erat circiter secunda postmeridiana cum pervenerunt ad pagum et domum domini Didaci, quem dominus Quixotus vocabat *Equitem Viridis Paenulae.*

Capitulum 18. Ubi narratur quod evenit domino Quixoto in castello sive in domo Equitis Viridis Paenulae cum aliis et inauditis rebus

Dominus Quixotus invenit domum domini Didaci de Miranda amplam, tamquam domus sunt in oppidis; arma super portam viae erant ex petra cruda; cella vinaria in cohorte; cella penaria iuxta portam et hydriae in circulo, et ut haec erant ex Toboso renovarunt memorias incantatae et mutatae Dulcineae; et sic suspirans et, nullis cogitationibus adhibitis, et nulla cura facta de eius dictis, neque de his qui haec audirent, ait:

–O dulcia munera mea, quae male inveni,
dulcia et laeta cum Deus vellet!

–O hydriae ex Toboso, quae ad memoriam meam adduxistis dulcem praedam meae maximae amaritudinis!

Scholasticus poeta haec audivit, nempe filius domini Didaci, qui una cum matre sua ad eos recipiendos exivit, et tunc mater et filius manserunt suspensi in conspectu domini Quixoti; qui descendens de Rocinante ac magna urbanitate venit ad manus illius quaerendas et osculandas, et dominus Didacus dixit:

–Accipe, domina, solita urbanitate tua, dominum Quixotum a Manica, qui in conspectu tuo est, equitem itinerantem et strenuissimum ac prudentissimum huius mundi.

Domina, quae Christina nuncupabatur, eum accepit signis magnae amabilitatis atque urbanitatis et dominus Quixotus se praebuit illi cum prudentibus argumentis et cautis verbis. Fere eadem circumspecta argumenta fuerunt apud scholasticum, quem cum dominus Quixotus audiret loquentem habuit pro circumspecto ac sapiente.

Hic autor depingit omnes status rerum domus domini Didaci, describendo quae pertinent ad domum equitis rustici ac divitis; sed translator huius historiae putavit melius esse has similes parvitates praetermittere suo silentio; quia non veniebant ad rationem huius praecipuae historiae, quae omne robur habet in veritate quam in frigidis disquisitionibus.

Introduxerunt dominum Quixotum in vestibulum, ubi Sanctius denudavit eum, et sic mansit amictus femoralibus ex Flandria, thorace ex pelle subacta et haec omnia sordida cum pinguedine ex armis; collum erat ex tela Hollandiae modo scholari absque amylo et iuncturis; lanea tibialia erant dactyli coloris et calcei incerati. Cinxit suum bonum gladium, qui de balteo ex pelle phocae pendebat; et secundum nonnullos est opinio eum per multos annos morbo renali laboravisse; cooperuit se optimo pallio fusci coloris; sed antea abluit caput et vultum suum quinque sive sex urnis aquae et in hac quantitate urnarum est quaedam differentia et adhuc aqua retinuit colorem seri ex caseis et lacte et hoc propter gulam Sanctii et quia emit illos caseos nigros, qui tam album dominum eius effecerunt. His vestibus descriptis, et sua propria elegantia egressus est dominus Quixotus ad aliud vestibulum, ubi scholasticus eum exspectabat ad eum oblectandum dum mensas ad prandium parabant; quia cum adventu illius nobilis hospitis domina Christina voluit ostendere se bene munificare omnes advenientes ad suam domum.

Dum dominus Quixotus denudabatur vestibus, dominus Laurentius, quia sic appellabatur filius domini Didaci, loquebatur cum patre suo:

–Quid enim dicemus de hoc equite, quem adduxisti domum nostram? Quia nomen, figura et quod dixisti de eo, nempe eum equitem itinerantem esse, non tantum matri meae, sed etiam mihi nos habuit suspensos.

–Nescio quid dicam tibi, fili mi –respondit dominus Didacus–; tantum possum dicere me vidisse eum facere res tamquam si esset maximus demens huius mundi, atque eum audivi dicere argumenta, quae omnino delent omnes res gestas eius; loquere cum eo et animadverte quid sciat, quia tu prudens es, quamvis, ut verum dicam, potius eum habeam ut dementem quam ut sanum.

His rebus dictis, dominus Laurentius venit ad dominum Quixotum oblectandum, ut dictum est, et inter alia, quae inter eos locuti sunt, dixit dominus Quixotus domino Laurentio:

–Dominus Didacus de Miranda, pater tuus, nuntiavit mihi insolitam habilitatem et subtilitatem intellectus quam habes et super omnia dixit te, domine, magnum vatem esse.

–Poeta bene potest esse –respondit dominus Laurentius, sed magnus vates nec

nominetur. Vere aliquantulum studiosus sum artis poeticae atque etiam gaudeo legendo optimos vates; sed nullo modo est opportunitas ut posset dicere me magnum vatem esse, ut pater meus dicit.

–Bene mihi videtur haec humilitas –respondit dominus Quixotus–, quoniam non est vates, qui non sit superbus nec putet se esse maximum poetam huius mundi.

–Nulla regula est sine exceptione –respondit dominus Laurentius–, nonnulli erunt et fortasse non cogitent de hoc.

–Perpauci –respondit dominus Quixotus–; sed dicas mihi: quinam versus sunt quos nunc tractas, quoniam dominus pater tuus dixit mihi te esse aliquantulum turbatum ac meditabundum? Et si agitur de quadam glossa egomet aliquid cognosco de rebus glossarum et gaudebo de hoc nuntio; sed si sunt de quodam certamine litterario debeas secundum praemium obtinere, quoniam primum dabitur ad favendum qualitati auctoris, secundum autem est propter iustitiam et tertium est ad modum secundi et tunc illud primum esset tertium, secundum nostrum modum et rationem computandi, et hoc propter licentias quae dantur in universitatibus, tamen magna persona dramatica erit *primum* nomen.

–Hucusque –inquit inter se dominus Laurentius– non potero iudicare te ut amentem; videamus ergo prorsus.

Et ait ad eum:

–Mihi videtur te vacavisse scholis: quasnam ergo scientias ibi didicisti?

–Scientiam equitatus itinerantis –respondit dominus Quixotus–, quae tam bona est ut ars poetica et immo duo digiti ulterius.

–Nescio quaenam scientia haec sit –obiecit dominus Laurentius–, nam hucusque nondum advenit nuntius huius rei ad me.

–Haec est scientia quaedam –obiecit dominus Quixotus– quae continet omnes sive plurimas scientias huius mundi, quoniam qui hanc exercet debet esse iurisperitus et cognoscere leges iustitiae distributivae et commutativae ad tribuendum unicuique quod suum est et quod ei convenit; debet esse theologus ad dandam rationem christianae legis, quam exercet et quidem clare ac distincte et ubique requiratur; debet esse medicus et praesertim herbarius ad cognoscendas herbas in eremis et desertis, quae habent virtutem sanandi vulnera; quoniam eques itinerans non potest omni tempore quaerere medicum, qui ea curet. Debet esse astrologus ad cognoscendum per stellas quota hora noctis sit, in quadam parte et climate huius mundi sit; debet scire mathematicas, quoniam omni momento opus est; et, virtutibus theologalibus et cardinalibus seorsum relictis, et ad alia minoris momenti descendendo, dico ut ille debeat natare tamquam dicunt piscem Nicolaum natavisse; debet scire quomodo ferreae soleae equo aptentur, necnon et ponere sellam et frenum equo, et ad ea quae sursum sunt, debet fidelitatem Deo servare ac suae dominae; debet esse castus in cogitationibus, honestus in verbis, munificus in operibus, strenuus in rebus gestis, tolerans in laboribus, misericors cum miseris et egenis et denique defensor veritatis et hoc, quamvis debeat vitam amittere, ad hanc defendendam. Ex his omnibus maximis ac minimis rebus componitur bonus eques itinerans, ut videas, domine Laurenti, si haec est scientia parvi momenti, quam discit eques, qui ei vacat atque eam exercet et si aequabitur his, quae in scholis discantur.

–Cum hoc ita sit –obiecit dominus Laurentius–, ego dico hanc scientiam cunctas alias superare.

–Et quomodo cum hoc ita sit? –respondit dominus Quixotus.

–Quod vere vellem dicere –ait dominus Laurentius– est me dubitare utrum equites itinerantes fuisse an nunc esse et quidem ornatos ac praeditos talibus et tantis virtutibus.

–Multoties dixi et quidem iterum iterumque dico –respondit dominus Quixotus–: plerisque hominum huius mundi videtur equites itinerantes numquam fuisse; et etiam mihi videtur nisi coelum per miraculum ostendat hanc veritatem, nempe eos vere fuisse et etiam nunc esse, et, teste experientia, probare hoc inaniter erit; quare nolo nunc me detinere ad educendum te ex hoc crasso errore quem habes ut multi. Et potissimum cogito ut melius sit rogare coelum ut tibi ostendat, quam magni momenti sit et quantae utilitatis, equites itinerantes fuisse in hoc mundo in saeculis praecedentibus, et quam utiles essent hoc tempore praesenti si vere exercerent; nihilominus his temporibus, quibus, proh dolor! triumphant peccata gentium, pigritas, otium, gula et voluptas.

–Elapsus est hospes noster ex hac difficultate –inquit secum ad hanc opportunitatem dominus Laurentius–; tamen est amens splendidus et ego stolidus essem si ei non crederem.

Tunc colloquium finiierunt, quia eos vocaverunt ad prandium. Dominus Didacus quaesivit a filio suo quid exhauriret ex ingenio hospitis. Cui ille respondit:

–Non educerent eum ex sua dementia tot medici atque optimi scribae, qui in mundo sunt: ille est insanus permixtus, cum lucidis intervallis.

Accubuerunt ad prandium et cibus fuit talis, sicut dominus Didacus dixerat se dare suis convivis: bonus, copiosus et sapidus; sed quod magis placuit domino Quixoto fuit silentium quod regnabat in tota domo, quia similis erat ut monasterium cartusianorum. Illi, mappis remotis, gratias Deo egerunt et manus aqua abluerunt. Dominus Quixotus flagitavit dominum Laurentium ut legeret carmen illius certaminis litterarii. Cui ille respondit se noluisse similem esse illis vatibus, qui versus suos negant cum eos quaerant, sed e contrario cum nemo eos quaerat eos vomitant... Tamen glossam meam dicam, qua nullum praemium exspecto; at hanc feci ad intellectum exercendum.

–Amicus meus et quidem valde prudens –respondit dominus Quixotus– dicebat non necessarium esse alios fatigare cum glossis versuum et hoc rationabiliter dicebat, quoniam glossa numquam ad textum pervenit et multoties sive plerumque glossae manent extra voluntatem ac propositum ex hoc quod ille conatur exprimere in ipsa glossa et praeterea leges glossae nimis angustae sunt, quare non admittunt quaestiones nec additionem cuiusdam *dixit* nec *dicam* nec permittunt facere alia nomina ex verbis nec sensum mutare verborum, cum aliis difficultatibus atque angustiis rerum, quibus iter faciunt qui scribunt has glossas, sicut bene scire debes.

–Reapse, domine Quixote –ait dominus Laurentius–, volo capere te in quodam lapsu linguae latinae, sed non possum, nam dilaberis e manibus meis tamquam anguilla.

–Non intelligo –respondit dominus Quixotus– quod dixisti nec quid sit hoc me «dilabi».

–Egomet hoc exprimam –respondit dominus Laurentius–, tamen ausculta attente hos versus cum glossis necnon et ipsam glossam, qui hoc modo dicunt:

Si quod *fuit* in me fiet *est*
nulla exspectatione *erit*
sive tempus iam fuerit
ex hoc quod postea prodest

GLOSSA

Tandem ut haec omnia transeunt
etiam bonum meum transivit
et omnia bona mea eunt.
Fortuna sic mecum sivit
et omnia haec simul pereunt.
Tot multum tempus iam adest,
mihi fortuna nunc interest,
facias tu me esse prosperum
et ut sim beatus iterum
si quod fuit in me fiet est.

Nolo alium gustum vel gloriam
nec palmam quaero habere
nullum triumphum nec victoriam
tantum gaudium possidere
quod afficiat meam memoriam.

Fortuna tunc mihi praeerit
et nullus sic rigor aderit
ex meo tam magno hoc igne,
sed si hoc est in insigne
nulla exspectatione erit.

Quaedam quaero difficilia,
nam tempus numquam mutabitur
quaenam sunt impossibilia
nihil in terra et, ut dicitur,
facere potest similia.

Tempus volat et iam aberit
velox it et numquam poterit
quidem id sibi servare
et error esset clamare
sive tempus iam fuerit.

Quare est mihi vita intricata,
quia tum exspecto tum timeo

mors valde est complicata
melius esset et hoc doleo,
via ut sit timorata.

Bonum optatum mihi est
mori, sed num fieri potest
ut consilium bonum habeam
dum multum pro vita timeam
ex hoc quod postea prodest?

Ubi primum dominus Laurentius finiverit suam glossam, surrexit dominus Quixotus, et magna voce, quae videbatur clamor, apprehendit manum dextram domini Laurentii et dixit:

–Per altiores coelos, munifice iuvenis vir, tu es optimus vates totius huius orbis et mereris coronam lauream et non in Cypro vel Caietae (Gaeta) tamquam dixit vates, cui Deus ignoscat, sed per academias Athenarum, si hodie essent, et per has quae hodie sunt Lutetiae Parisiorum (París), Bononiae (Bolonia) et Salmanticae. Faxit coelum ut iudices, si praemium a te auferunt, interficiantur ope sagittarum Phoebi et musae numquam introeant in limina domorum eorum. Velis, quaeso, domine, si tibi placeat, mihi recitare quosdam versus maiores, quoniam vellem cognoscere excellentias tui admirabilis intellectus.

Nonne dicunt valde gavisum esse dominum Laurentium audiendo laudationes domini Quixoti, quamvis eum teneret ut insanum? O magna vis adulationis et quam ampla limina sunt illa tuae iucundae iurisdictionis! Et hanc veritatem confirmavit dominus Laurentius, quia concessit petitioni ac desiderio domini Quixoti eique recitavit hoc sonetum de fabula sive historia Pyrami Thisbesque:

SONETUM

Munimen rupit haec virgo formosa
et pectus Pyrami ruit robustum,
Amor ex Cypro iter petit vetustum
et rimam videt quae est speciosa.

Loquitur quies et non audet dolosa
intrare vox per hiatum tam angustum.
Amor ad animos venit quod iustum
ad difficilia pergit et copiosa.

Hoc desiderium e sinu egreditur
gradum ex virgine apte sollicitat
mortem. Videte hanc tristem historiam:

Occidit ambos, et casus videbitur,

operit eos illosque resuscitat
tum propter gladium, sepulcrum, memoriam.

–Benedictus sit Deus –inquit dominus Quixotus, soneto domini Laurentii audito–, quoniam inter tot multos poetas, qui sunt, verum vatem inveni, velut tu es, domine mi; quod mihi probat artificium huius soneti!

Quattuor diebus mansit dominus Quixotus bene muneratus apud dominum Didacum, et, his diebus elapsis, ab eo quaesivit veniam ad discedendum eique dixit se ei gratias agere propter beneficium atque hospitalitatem acceptam apud eum; tamen non videbatur ei bonum esse equites itinerantes vacare plus aequo otio atque oblectamento, quare ille cupiebat iter facere ad suum officium adimplendum, quaerendo res gestas, nam audiverat illam regionem abundare eis et hoc modo oblectaretur, donec perveniret dies certaminis Caesaraugustae (Zaragoza), qui erat cursus suae verae voluntatis; tamen antea voluit introire speluncam Montesinos de qua tam multa ac mira in illis regionibus dicebantur necnon et voluit ortum et veros fontes cognoscere septem lacunarum, quae vocantur vulgo *de Ruidera.*

Dominus Didacus et filius eius laudaverunt honoratam voluntatem eius et ab eo quaesiverunt ut acciperet de domo sua et de suis bonis quidquid vellet; quia illi ei libenter offerebant; nam compulsi erant ad id faciendum propter strenuitatem eius et honoratum munus, quo fungebatur.

Denique advenit dies egrediendi, qui tam laetus erat domino Quixoto ac tam moestus Sanctio Pansae, qui ibi gaudebat de abundantia domus domini Didaci et repudiabat reverti ad famem, quae inveniebatur in silvis, in eremis atque in angustia clitellarum exhaustarum eius. Tamen implevit clitellas suas et accumulavit res maioris momenti et cum dominus Quixotus valedixit eis dixit domino Laurentio:

–Nescio utrum iam dixerim tibi necne, sed si iam dixi nunc id denuo dicam, nam quod oportet facere ut facilius pervenias ad impervium cacumen templi Famae est ut relinquas angustam semitam artis poeticae et accipias angustissimam viam equitatus itinerantis, quae celeriter, et citius dicto, aducet te ut fias imperator.

Dominus Quixotus, his argumentis dictis, clausit cursum suae dementiae et ad haec addidit alia dicens hoc modo:

–Deus bene scit quam multum vellem mecum afferre dominum Laurentium ad eum docendum quomodo ignoscendi essent subditi, et apprehendere superbos eosque calcibus concutere, quae sunt virtutes annexae muneri quo fungor; sed tenera aetas eius haec non requirit nec laudabilia exercitia eius permittunt, tantummodo contentus sum animadvertens tibi, domine, ut poeta, te bene posse nancisci famam dum sequaris consilium alienum quam proprium, quoniam nullus est pater sive mater cui liberi videantur foedi et haec fallacia potius accidit quoad filios intellectus.

Rursum mirati sunt pater filiusque de permixtis argumentis domini Quixoti, qui tum prudens tum amens erat, et de firmitate huius materiae, quia in omnibus quaerebat res gestas infortunatas et hic erat scopus desideriorum eius. Denuo mutuo bona voluntas ac prospera fortuna offerebatur et, venia dominae illius castelli obtenta, dominus Quixotus Sanctiusque ascenderunt in Rocinantem et in asinum et profecti sunt.

Capitulum 19. Ubi narrantur res gestae pastoris capti amore cum aliis vere facetis rebus gestis

Parva mora elapsa, dominus Quixotus egressus est ab illo loco domini Didaci, cum invenit duos modo clericos modo scholasticos, qui una cum duobus agricolis super quattuor asinos ut equites veniebant. Alter ex scholasticis ferebat in quadam sarcina quod videbatur coopertum linteo viridi parum ex tela alba tincta et duos pares tibialium laneorum; alter autem nihil aliud ferebat quam duos novos nigros gladios ad artem gladiatoriam cum suis globulis. Agricolae alia secum ferebant et haec omnia signum erat eos venire ex magna urbe, ubi haec emerunt et ad pagum eorum secum adducebant; et cuncti tum agricolae tum scholastici mirabantur, ut omnes cum prima vice viderent dominum Quixotum, et eodem tempore cupiebant cognoscere, quis vir ille esset, qui tali modo induebat, extra modum sese habendi omnium hominum.

Dominus Quixotus salutavit eos et ab eis quaesivit quonam iter facerent, quod erat ipsum quod ille faciebat, quare eis obtulit comitatum suum necnon et ab eis quaesivit ut aliquantulum gressum detinerent, nam celerius deambulabant asinae eorum quam equus eius, et ad id faciendum breviter eis dixit, quis ille esset, nempe officium et munus eius, nam erat eques itinerans et quaerebat res gestas in omnibus partibus huius mundi. Etiam dixit eis se nuncupari dominum Quixotum a Manica, alias *Equitem Leonum.* Haec omnia idem erat illis agricolis tamquam loqui lingua graeca sive quodam arcano sermone, non autem scholasticis, qui statim insanitatem cerebri domini Quixoti intellexerunt; tamen eum inspiciebant magna admiratione et consideratione et quidam eorum dixit ei:

–Si tu, domine eques, non facis iter statutum, sicut faciunt qui res gestas quaerunt, venias nobiscum: et meliores ac locupletiores nuptias videbis, quae numquam in Manica sive in multis leucis huius circumscriptionis celebratae sunt.

Dominus Quixotus ab eo quaesivit utrum ex quodam principe essent necne, quoniam tam multi eas faciebat.

–Non sunt –respondit scholasticus– nisi ex quodam agricola cum quadam agricola, ille ditissimus in hac regione est, illa autem pulcherrima quam homines numquam viderunt. Apparatus huius celebrationis inusitatus ac novus omnino est, quia celebrabuntur in prato, quod est iuxta oppidum nubilis sponsae, quam pulchram Quiteriam vocant, nomen sponsi autem est dives Camacho, illa duodeviginti annos nata, hic vero viginti et duos atque ambo mutuo bene conveniunt, quamvis nonnulli curiosi, qui habent memoriam stirpium et generum hominum, dicant genus Quiteriae superare genus Camacho; sed iam non videtur hoc modo, quia divitiae possunt multa foramina adimplere. Profecto, talis Camacho est valde munificus et quidem voluit omne pratum cooperire ramis arborum sursum, ita ut sol habeat difficultatem introiendi si vellet viridem caespitem visitare quo terra tecta est. Etiam ille habet choreas tum gladiis tum parvulis tintinnabulis, quia in oppido eius sunt, qui ea pulsant concutiuntque optimo modo; nihil autem dicam de saltatoribus, nam convocavit magnum manipulum eorum; sed, his rebus refertis, et insuper quae nondum dixi, quae has nuptias facient tam magni momenti, erunt versutiae, quas despectus Basilius

efficiet, secundum quod imaginor. Hic Basilius est iuvenis pastor oppidanus Quiteriae, qui domum habebat iuxta parietem parentum huius Quiteriae, ex qua propinquitate domorum ortus est amor, qui renovavit oblitos amores Pyrami ac Thisbes, quia Basilius adamavit Quiteriam a teneris ac primis annis suae vitae atque illa eum dilexit congruo modo et mille honestis signis et hoc taliter in oppido fuit ut omnes dicerent de amoribus horum Basilii Quiteriaeque. Aetas autem eorum crevit et pater Quiteriae voluit ordinarium introitum Basilii impedire in domum Quiteriae et ad has suspiciones vitandas decrevit ut dives Camacho eam duceret uxorem et noluit ut Basilius eam duceret, quia non tam multas divitias habebat quam bona naturae; quia, ut verum dicam, atque absque ulla invidia Basilius est celerior inter omnes iuvenes quos cognovimus, et nemo iactat vectem tamquam ille, pugnator habilis ac magnus lusor pilae est, currit ut cervus, saltum dat ut capra et magice ludit trunculis, cantat ut calandra et pulsat citharam, quae videtur loqui et insuper agitat gladium ut melior eorum.

–Hac sola virtute –dixit ad hanc occasionem dominus Quixotus– mereretur non tantum pulchram Quiteriam ducere uxorem quam ipsam reginam Genovefam (Ginebra), si hodie viveret, et hoc praeter voluntatem Lanceloti (Lanzarote) et omnium qui id vellent impedire.

–Dicite hoc meae uxori –dixit Sanctius Pansa qui hucusque tacuit et audivit– quae nihil vult nisi unaquaeque nubat suo aequali, et hoc secundum proverbium quod dicit: «Omnis ovis cum simili suo sit». Quod vellem est ut hic bonus Basilius, de quo iam gaudeo, denique ducat hanc dominam Quiteriam uxorem; et vitam aeternam habeant et bonam quietem qui impediunt ut ducant uxorem quam bene diligunt (fere dixi e contrario).

–Si omnes qui se mutuo diligunt vere nuberent inter se –dixit dominus Quixotus–, electionem atque iurisdictionem a parentibus auferretur ut liberi ducerent uxorem qua et quando vellent; et si secundum voluntatem filiarum hoc negotium esset tunc quaedam nuberet famulo patris et alia illi quem viderat per viam ambulare, quoniam ei videbatur elegans et strenuus esse, quamvis tantum esset infaustus sicarius; nam amor et voluptas faciliter obcaecant oculos intellectus, qui tam necessarii sunt ad statum eligendum et possunt errare in conubio, ubi magna cura ex coelo adhibenda est ad bonum nanciscendum. Si quis vult longum iter facere, et prudens est, antequam perveniat ad viam quaerit securum ac placidum socium quem comitari. Cur non eadem faciet, qui per totam vitam usque ad mortem et praesertim cum hic socius eum comitabitur in lecto, in mensa et ubique ut facit uxor cum suo marito? Et propria uxor non est mercatura quae, venditione facta, restituatur sive permutetur pro alia, quoniam est inseparabilis et perdurabit tamquam ipsa vita. Est laqueus qui positus in collo fit nodus gordianus et non fieri potest ut solvatur, nisi falx messoria Mortis eum scindat. Multa alia etiam possem dicere de hac materia, nisi hoc impediat magnum desiderium quod habeo cognoscendi, quae dominus licentiatus dicturus est de historia huius Basilii.

Quibus respondit scholasticus baccalaureus, sive licentiatus, sicut eum dominus Quixotus vocavit, qui:

–De his rebus tantum dicendum est simul ac Basilius scivit pulchram Quiteriam nupturam esse diviti Camacho, numquam viderunt eum ridere nec loqui rectis argumentis et semper ambulat meditabundus moestusque, loquens secum, et aliis claris signis se iudicium amisisse; parum edit et dormit et quod comedit sunt fructus

et quoad dormitum dormit in agris, super duram terram, tamquam belua silvestris; coelum aliquando inspicit et aliter oculos in terram figit et tali modo ut videatur effigies amicta quam ventus movet vestes. Denique ostendit signa cordis capti amore, et omnes qui eum bene cognoscimus credimus, crastino consensu nuptiali pulchrae Quiteriae oblato, sententiam mortis Basilii futuram esse.

–Deus providebit –dixit Sanctius–, quia Deus vulnerat et dat medelam; et nemo scit quod venturum erit: atque ex hoc ad diem crastinum multae horae sunt atque uno ictu domus ruit in terram; et ego vidi pluere et solem micare et hoc eodem tempore; et quis forte accumbit sanus nocte et in crastinum diem non potest surgere? Et dic mihi, num fieri potest ut quidam laudetur, quia posuit clavum ad rotam prosperae Fortunae? Nullo modo, atque inter *volo* et *nolo* mulieris non audeo ponere nec extremum aciculae, quia non habet locum. Dicite mihi si vere Quiteria vellet bono corde ac bona voluntate hunc Basilium, ei libenter dabo saccum plenum bonae fortunae: quia amor, secundum quod audivi, conspicit cum conspicillis, quibus cuprum pro auro videtur, paupertatem pro divitiis et lamam vel immunditiam oculorum pro margaritis.

–Quonam pergis, Sancti, ut sis maledictus? –ait dominus Quixotus–. Quoniam cum incipis ad proverbia et fabulas connectandas nil exspectandum est nisi ut ipse Iudas adducat te secum. Dic mihi, animal, quid cognoscis tu de clavibus neque de rotis nec de ulla alia re?

–O! Si non intelligunt me –respondit Sanctius–, non est mirandi eos proverbia mea accipere ut ineptias. Sed quid hoc? Satis est si ego intelligo me et vere scio me non tam multas ineptias dicere, nisi tu, domine, qui semper es *friscalis* verborum meorum et immo factorum meorum.

–*Fiscalem* dices –ait dominus Quixotus– et non *friscalem*, praevaricator bonae linguae, quem Deus te confundat.

–Ne venias mecum, domine –respondit Sanctius–, quia bene cognoscis me non ortum esse in Aula Regia neque vacavisse litteris Salmanticae, quominus sciam, si oportet, ut addam sive auferam litteram ex verbis meis. Iuvet me Deus! quia non opus est ut «sayagués» loqueretur ut toletanus, et toletani sunt, quibus non multum placeat noster modus loquendi propter sermonem pulitum.

–Hoc ita est –dixit licentiatus–, quia non loquuntur tam bene qui nati sunt in Tenerias et in Zocodover quam qui omni die deambulant in claustro Ecclesiae Maioris Cathedralis et omnes eodem modo toletani sunt. Lingua pura, adaequata, elegans claraque quaerenda est apud prudentes aulicos, quamvis nati sint in Majadahonda; et quidem dixi *prudentes*, quia multi non tam prudentes sunt et circumspectio est grammatica bonae linguae, quae comitatur usum. Egomet, domini, per peccata mea vacavi Iuri Canonico Salmanticae et vere volo dicere rationes meas verbis claris, apertis et contundentibus.

–Si non audes tractare nigros gladios tamquam movere linguam –dixit alter scholasticus– primus esses in gradu licentiaturae et non ultimus in cauda eius.

–Vide, baccalauree –respondit licentiatus– tu es in crassissimo errore huius mundi quoad dexteritatem gladii, quia eam pro vana habes.

–Propter me haec non est opinio, sed veritas et quidem bene fundata –obiecit Corchuelo– et si vis ut haec confirmem tibi ope experientiae meae, gladium habes,

commoditas est nunc nobis, musculi et manus mihi sunt et una cum animo meo facient te confiteri me verum dixisse. Descende ergo atque utere pedibus ut regula, et circulis et angulis atque omni tua scientia et credo me facere te stellas coeli videre et hoc nunc ad meridiem et tantum solis meis viribus ac mea hodierna peritia indocta, quibus exspecto, Deo providente, nasciturum esse virum, qui faciat me dorsum vertere et nullum esse in hoc mundo quem non possim eiicere in terram.

–Nil facio utrum de dorso vertendo necne –obiecit peritus gladiatorius– quamquam etiam potest fieri ut in loco, ubi fixeris pedem, ibidem fodiant tibi sepulturam: et volo dicere ut, hac dexteritate spreta, moriaris.

–Nunc videbimus –respondit Corchuelo.

Et descendens de suo iumento magna celeritate ac furore arripuit gladium ex his quos licentiatus ferebat in iumento suo.

–Hoc non erit ita –dixit dominus Quixotus– quoniam egomet volo esse magister huius ludi gladiatorii et iudex huius multoties nondum bene verificatae quaestionis.

Et descendens de Rocinante apprehendit lanceam suam, stetit in media via dum licentiatus eleganti corpore et gressibus se gerebat adversus Corchuelo, qui obviam ei accurrit eiiciens, ut dici solet, ignem per oculos.

Duo alteri agricolae huius comitatus super asinas sedentes fuerunt spectatores illius mortalis tragoediae. Corchuelo aggrediebatur suo gladio magnis caesionibus, atque ictibus e vertice deorsum, ictibus transversis et duplicibus ictibus et hi erant innumeri, densiores iecore et minores grandine. Pugnabat ut leo rugiens; tamen obviam ei globulum gladii licentiati veniebat ad claudendum os eius, qui in media furia eum detinebat et faciebat osculari tamquam si sanctae reliquiae essent, quamquam non tanta devotione ut debent et solent osculari reliquias.

Denique licentiatus ictibus gladii enumeravit omnes globulos tunicae talaris quam baccalaureus induebat, et tunicam omnino laceravit, tamquam bracchia polypi piscis, petasum bis evertit atque eum taliter fatigavit, qui ex despectu, rabie et iracundia apprehendit gladium et ope capuli proiiecit eum seorsum per aerem et quidem tanta vi ut alter agricolûm adstantium, qui erat scriba, dedit testimonium eum gladium proiecisse fere per tres quadrantes leucae; cuius testimonium confirmat et confirmavit ut cognoscatur ac videatur, omni veritate, peritiam superare omne robur.

Corchuelo lassus de pugna sedit et ad eum venit Sanctius qui ei dixit:

–Mea opinione, domine baccalauree, si accipere vis meum consilium, ex hoc et in futurum nullo modo velis provocare quemlibet ad certamen gladii, nisi ad luctamen vel vectem iactandum, quia habes aetatem et vires ad hoc faciendum; nam illi qui vocantur magistri gladiatorii, secundum quod audivi, possunt introducere extremum gladium per oculum acus.

–Tamen contentus sum –respondit Corchuelo– quia de asina mea cecidi et quia experientia ostendit mihi veritatem a qua tam multum aberam.

Et continuo surrexit et licentiatum amplexus est et ambo amiciores quam antea facti sunt, et noluerunt exspectare scribam redeuntem, quia eis videbatur multum demorari; quare conati sunt iter eorum prosequere et festinanter ad pagum Quiteriae pervenire, ex quo omnes erant oppidani.

Per reliquam partem itineris licentiatus narravit eis excellentiam gladii et quidem

hoc tantis argumentis ac figuris et mathematicis probationibus ut omnes intelligerent praestantiam huius scientiae, Corchuelo autem ex sua pertinatia secesso.

Vespere autem facto, sed antequam ad oppidum pervenirent omnibus videbatur coelum esse ante pagum plenum innumeris et splendentibus stellis. Audiverunt etiam sonitus confusos et suaves diversorum instrumentorum musicalium tamquam erant tibiae, tympana, psalteria, *albogues*, cymbala et tintinnabula et cum advenirent propius viderunt ex ramis arborum, qui confecti erant ad introitum oppidi plenos esse luminaribus, quas ventus non offendebat, quia nullo modo sufflabat, sed mansuetus nec folia arborum movebat. Musici autem, qui in diversis turmis sodalium in illo placido loco deambulabant, laetificabant nuptias alii saltantes, alii cantantes, alii pulsantes diversitatem instrumentorum iam refertorum. Profecto, in toto prato videbatur laetitia discurrere et contentus saltitare.

Multi alii laborabant construendo tabulata, ex quibus commode possent in crastinum diem repraesentationes et choreas spectare, quae faciendae erant in illo loco ad sollemnitatem nuptiarum divitis Camacho atque ad exsequias Basilii. Dominus Quixotus noluit introire in illum locum, quamvis ab eo id quaesiverint agricola baccalaureusque. Ille autem obiecit se potius sequi consuetudinem equitum itinerantium, qui solebant dormire sub divo in campis et silvis quam in oppidis, quamvis esset sub tecto aureo; quare iter parum declinavit, Sanctio autem invito, quia ad memoriam eius venit hospitium in castello sive in domo domini Didaci.

Capitulum 20. Ubi narrantur nuptiae divitis Camacho cum rebus gestis pauperis Basilii

Vix candida aurora locum dedit fulgenti Phoebo ut hic ardore suis radiis detergeret *liquidas margaritas aureorum* capillorum suorum, dominus Quixotus surrexit, exscutiens pigritiam ex suis membris, et suum armigerum Sanctium vocavit, qui adhuc stertebat, quod cum vidit dominus Quixotus, ante quam eum expergefaceret dixit ei:

–O tu, benedictus supra omnes qui vivunt super faciem huius terrae, quoniam nec habes invidiam nec ab ullo invideris et quieto animo dormis, nec persequuntur te nec te perturbant incantatores sive incantamenta! Dormi, iterum iterumque dico, et milies etiam dicam, nullis zelis de domina tua adhibitis, neque cogitationes solvendi debita auferunt somnum tuum neque quid debeas facere in crastinum diem ad tuam parvam familiam nutriendam. Sic nec aviditas te deturbat neque vana pompa huius mundi defatigat te, nam limina tuorum desideriorum non ulterius procedunt, quam ad cogitandum de iumento tuo; quoniam quae tua sunt super umera mea posuisti: pondus et aequipondium, quae natura et consuetudo posuit dominis. Famulus dormit, sed dominus vigilat cogitando quomodo eum sustentabit, incrementum ei faciet eique beneficia dabit. Angustia videndi coelum fieri plumbeum et nullo modo providere necessitates terrae suo rore opportuno, non affligit famulum, sed dominum eius, qui eum sustentabit in sterilitate et fame, cui servivit in fertilitate abundantiaque.

His omnibus rebus Sanctius nullo modo respondit, quia dormiebat nec tam cito expergefieret nisi dominus Quixotus cum extrema lancea non suscitaret eum. Expergefactus est denique somnolentus ac piger et vultum suum vertens ubique dixit:

–Ex parte horum ramorum, ni fallor, exhalatio vel odor exit et magis est de offula assa quam de iunco et thymo; et nuptiae quae incipiunt talibus odoribus, mea opinione, abundantes munificaeque erunt.

–Fini loquendi, edax –ait dominus Quixotus–; veni huc et eamus ad haec sponsalia videnda necnon et ad videndum quid despectus Basilius faciat.

–Faciat quidquid ille facere velit –respondit Sanctius; tamen, si pauper non esset, Quiteriam duceret uxorem. Quid est hoc eum nullam pecuniam habere et etiam velle ducere uxorem per nubes? Mea sententia, pauper debet contentus esse his, quae inveniat et ne plus aequo quaerere. Sponsionem facerem divitem Camacho posse tegere Basilium argenteis et, cum hoc ita sit, satis stulta esset Quiteria si despiceret ornamenta muneraque, quae ei dederit et etiam dabit Camacho et eligeret Basilium, quia hic iactat vectem et cognoscit artem gladiatoriam. In taberna vinaria non dant poculum vini propter vectem iactandum nec propter ullam dexteritatem gladii. Peritiae atque habilitates hae non possunt venum dare, quamvis has habeat comes Dirlos; tamen cum tales sollertiae sint in eo, qui multas divitias habet, taliter sit vita mea tamquam peritiae illae mihi videntur. Super bonum fundamentum aedificabitur bona aedes et nullum fundamentum nec fossa tam bona est in toto mundo quam pecunia.

–Per Deum, Sancti –inquit ad hanc occasionem dominus Quixotus–, finias tuam concionem, quoniam si prosequeris quae incepisti non erit tibi tempus ad comedendum nec ad dormitum et omne dissipabis loquendo.

–Si memineras, domine –obiecit Sanctius–, et facis memoriam de capitulis nostri consensus et hoc antequam egressi essemus domo; hoc fuit ut possem libere loqui de rebus quas vellem, servatis servandis, ne loquerer contra proximum neque contra auctoritatem tuam et hucusque puto me non violavisse mandata contra tale capitulum.

–Non memini, Sancti –respondit dominus Quixotus–, illius capituli et quamvis hoc ita sit, volo te nunc tacere et huc ad me venire; quoniam instrumenta musicalia, quae die hesterno audivimus denuo laetificant valles et absque dubio sponsalia celebrabuntur hoc subfrigido mane et non calido vespere.

Sanctius fecit sicut dominus eius ei iussit et paravit sellam Rocinanti et clitellas asino et ambo ascenderunt in eos et pedetentim introierunt per ramos ornatos.

Primum quod apparuit ante oculos Sanctii fuit iuvencus integrus transfixus super magnum ulmum et in igne, ubi assandus erat, non modicus mons ligni ardebat et sex ollae, quae circum focum erant non quidem ex communi magnitudine ollarum, quia erant sex dimidia dolia et in unaquaque capiebat magna copia carnis: et sic integros arietes introducebant et non videbantur, tamquam si essent columbae; et innumerae erant lepores absque pellibus et gallinae sine pennis, quae pendebant de arboribus ad eas in ollis sepeliendas; et passeres et reliqua venatio ex diverso genere innumeri erant, etiam pendentes de arboribus ita ut aer eos frigefaceret.

Sanctius enumeravit plus quam sexaginta utres, unusquisque continens plus quam duo magna pondera [*arrobas*], et omnes pleni tamquam postea visum est ex genimine vitis, moles candidi panis erant ut solent montes tritici in areis; casei positi erant ut

lateres tessellati et faciebant magnum murum, et duae urnae olei, maiores quam quibusdam in quadam officina tinctoria utebantur ad frigendas placentas et cum duabus amplis spatulis eas frictas extrahebant et introducebant in aliam urnam melle plenam, quae iuxta primam erat.

Coqui et coquae plus quam quinquaginta erant, omnes limpidi, diligentes et contenti. In amplo ventre illius iuvenci erant duodeni teneri ac parvi porcelli, qui sarti erant desuper, quibus utebantur ad augendum saporem et ad emolliendum. Aromata diversi generis et ut videbatur non per libras, sed per maxima pondera [*arrobas*] esse et omnia palam ostendebantur in magna capsa. Denique, ac breviter, apparatus nuptiarum rusticus erat, sed tam abundans ut exercitum completum sustentare posset.

Haec omnia Sanctius Pansa conspiciebat et mirabatur ac de his omnibus gaudebat. Imprimis ollae captivaverunt eum atque expugnaverunt eum, ex quibus libenter ac magna cupiditate acciperet bonum catinum; postea utres vini allexerunt voluntatem eius ad bibendum et denique placentae frictae cum melle illius sartaginis frixoriae, si sartagines vocari possent illae, quae tam magnae erant. Et hoc modo et quia non potuit amplius resistere venit ad quemdam ex his sollicitis coquis et suis urbanis ac famelicis argumentis rogavit eum utrum posset frustum panis submergere in quadam ex illis ollis. Cui coquus ei respondit:

–Frater, hic dies non est eorum quibus fames habeat iurisdictionem propter divitem Camacho. Descende et vide utrum hic sit cochlear atque accipe gallinam sive duas et prosint tibi.

–Nullum cochlear video –respondit Sanctius.

–Exspecta parumper –dixit coquus–. Me miserum! et quam delicatulus es tu et quam parum audes facere!

Et, his dictis, apprehendit urnam quam introduxit in medium dolium, ex quo extraxit tres gallinas et duos anseres dixitque Sanctio:

–Manduca, amice, atque ede ientaculum cum hoc spumato, donec veniat hora prandii.

–Nil habeo ubi possim haec ponere –respondit Sanctius.

–Tunc accipe –dixit coquus– etiam cochlear et omnia; quia divitiae et contentus Camacho supplebit omnia reliqua.

Interea et, his rebus a Sanctio peractis, dominus Quixotus inspiciebat quomodo ex una parte illorum ramorum introibant duodeni agricolae super formosas equas cum pulchris ornamentis rusticis et tintinnabulis in corrigiis; atque omnes amicti ad laetitiam et festivitatem; illi autem non tantum cursum, sed multos cucurrerunt per pratum cum laetitia magna ac vocibus dicentes:

–Vivat Camacho et Quiteria! ille tam dives, sicut haec est pulchra, quia illa pulcherrima est totius mundi!

Quae cum dominus Quixotus audivit secum dixit:

–Mihi videtur hos numquam vidisse meam Dulcineam a Toboso, quoniam si eam vidissent relinquerent laudationes huius Quiteriae.

Ex hoc et, parva mora elapsa, inceperunt intrare per diversas partes illorum ramorum multae turmae chorearum, inter quas etiam erat saltatio gladiorum ex viginti et quattuor elegantibus iuvenibus pastoribus, qui induebant albos ac praestantes vestitus linteos cum multicoloribus pannis sericis et a ductore eorum, qui erat diligens

ephebus, quaesivit quidam, qui vehebatur equa, utrum quisnam saltatorum vulneratus esset necne.

–Hucusque, Deo benedicto, nemo vulneratus est: omnes sani et incolumes manemus.

Postea vero saltator cum reliquis sodalibus suis implicavit se gyris et tam magna dexteritate ut dominus Quixotus, qui solitus erat videndi similes saltationes nullam invenit tamquam illam.

Etiam bene ei videbatur alia turma saltationis, quae intravit et composita erat ex pulcherrimis virginibus, nulla earum minor quattuordecim annos nata et nondum ad duodeviginti annos pervenerat, omnes amictae erant pretioso panno viridi, capilli partim ornati taeniis partim soluti, tamen illi omnes tam flavi erant ut cum sole contenderent et super quos serta composita iasminis, rosis, amaranthis et caprifoliis. Senex venerabilis ducebat eas ac vetus matrona, sed hi celeriores erant quam quod anni eis promittebant. Tibicen suo instrumento, vulgo *gaita zamorana*, sonum dabat eis, quae habebant ipsam honestatem in vultu atque in oculis, sed pedibus maximam celeritatem, qua ostendebantur optimae saltatrices huius mundi esse.

Postea alia chorea huius artificii introivit ex his quae vocantur loquentes. Haec composita erat ex octo nymphis in duabus seriebus; quarum alteram ducebat deus Cupido, sive Amor, alteramque Lucrum; ille ornatus alis, arcu ac pharetra cum sagittis; hoc autem amictum erat pretiosis ac polymitis vestibus ex auro et serico. Nymphae autem quae Amorem sequebantur super umera earum ferebant albam chartam membranaceam, in qua scriptum erat magnis litteris nomen uniuscuiusque. *Poesis* erat titulus primae earum, secundae autem *Prudentia*, tertiae vero *Bonum Genus* et rursum quartae *Strenuitas*. Eodem modo erant signatae quae Lucrum sequebantur: et sic *Munificentia* erat titulus primae, *Munera* autem secundae, *Thesaurus* vero tertiae quartaeque *Pacifica Possessio*. Ante omnes erat castellum ligneum quod ferebant quattuor viri silvestres, omnes amicti hedera et cannabe viridi et modo tam vivido ut fere Sanctium pavefacerent. In latere frontali castelli et in quattuor lateribus eius scriptum erat: *Castellum bonae Pudicitiae*. Eique sonum dabant quattuor periti tibicines ac pulsatores tympani.

Cupido autem incepit saltationem et, duabus mutationibus perfectis, porrexit oculos et ope arcus iactavit sagittam in virginem, quae inter pinnas castelli stabat atque hoc modo dixit:

Cupidus

Magnus sum ego deus potens
in aere atque in terris
et amplum mare occludens
abyssumque in inferis
atras tenebras convolvens.

Numquam cognovi hunc metum
obtineo semper consuetum
atque immo difficilia

aufero, pono monilia
video me in omnibus laetum.

Canticum finivit, sagittam proiecit supra castellum sursum et denuo recessit ad locum suum. Postea exivit *Lucrum* et, duabus mutationibus perfectis, tympana siluerunt dixitque:

Lucrum

En fortior sum ipso Amore
quamquam hic Amor me ducit.
Lucrum sum et sic meo more
stirps mea quaerit, inducit
optima in coelo maiore.

Lucrum quidem oculorum
paucis est signum colorum
sine quo nullum est bonum
et tibi me dabo ut sonum
per saecula saeculorum. Amen.

Recessit *Lucrum* et praecessit *Poesis*, quae cum fecit suas mutationes ut reliquae atque, oculis in virginem castelli fixis, dixit:

Poesis

Dulces has cogitationes
una cum poetica arte
haec domina has rationes
ad te mittit sua ex parte
et ostendit hos sermones.

Obstinatio inopportuna
obstet cum nulla fortuna,
nam multi sunt qui invidunt,
quare eam sic incidunt,
superponunt coram luna.

Recessit *Poesis* et ex parte *Lucri* exivit *Munificentia* et, suis mutationibus peractis, dixit:

Munificentia

Munificentiam ii vocant,
vitant prodigalitatem
et munus contrarium locant
quod suscitat voluntatem
et tepidam iam revocant.

Et ego ad te augendum,
optimum vitium fovendum,
maiorem munificentiam
ad magnam bonam prudentiam
impellam te ad ostendendum.

Hoc modo egressae sunt et recesserunt duae figurae ambarum turmarum et unaquaeque perfecit suas mutationes et dixit suos versus, alteros elegantes, alteros ridiculos, sed dominus Quixotus tantum tradidit memoriae –et hanc magnam habebat– hos iam dictos; postea vero cuncti saltantes fecerunt nodos cum fasciis et quidem eleganti modo atque artificio texendo inter se et solvendo nodos factos ope saltationis. Sed cum *Amor* ante castellum venit, sagittam proiecit sursum; sed tunc *Lucrum* rupit supra hoc castellum capsulas nummarias.

Denique, et saltatione longo tempore peracta, *Lucrum* eduxit magnam crumenam confectam ex pelle magni felis romani, quae videbatur plena pecuniae et eam proiecit in castellum et cum illud percuteret, ipso ictu, tabulae illius seiunctae sunt et ceciderunt deorsum et ostenderunt virginem nudam et absque ulla defensione. *Lucrum* advenit cum figuris suorum sodalium et posuit magnam catenam auream super collum virginis, vi cuius videbatur eos velle apprehendere eam, obsidere et captivare. Tamen cum Amor et sodales sui haec vidissent, ficto modo simularunt catenam auferre ab ea et omnes gesticulationes erant ad sonum tympanorum et ope rhythmicae saltationis. Viri silvestres autem pacaverunt eos et celeriter tabulas denuo struxerunt, quibus rebus peractis, saltatio finivit magno gaudio spectatorum.

Dominus Quixotus quaesivit a quadam nympha, quisnam haec composuit et efficit? Illa respondit dicens clericum beneficiarium illius pagi haec fecisse, quia ille habebat bonum intellectum ad talia facienda.

–Sponsionem faciam –inquit dominus Quixotus–, talem baccalaureum, sive beneficiarium, meliorem amicum esse huius Camacho quam illius Basilii et magis pronus erit ad satyras faciendas quam ad vesperas recitandas: nihilominus quam bene in saltatione introduxit dexteritates Basilii cum divitiis Camacho!

Sanctius Pansa qui haec audivit, dixit:

–Rex est gallus meus: egomet pro Camacho sum.

–Denique –ait dominus Quixotus–, bene videtur, Sancti, te rusticum esse et quidem eorum qui saepe dicunt: *Vivat qui victor sit!*

–Nescio de quibus ego sim –respondit Sanctius–, sed bene scio me numquam posse ex ollis Basilii extrahere tam optimum spumatum quam quod extraxi ex ollis huius Camacho.

Et ostendit ei urnam plenam anseribus gallinisque et accipiens unam earum incepit comedere magnis facetiis ac fame et dixit:

–Per barbam omnis dexteritatis Basilii! Quia tam multum aestimaris sicut habeas et tantum habes quantum et quomodo vales. Duo sunt genera hominum huius mundi, sicut avia mea solebat dicere, nempe «qui habent» et «qui non habent», quamvis illa ad genus habendi sese atteneret. Et hodie, domine Quixote, ante accipitur virtutem habendi quam sciendi: asinus onustus auro videtur melior quam equus cum clitellis.

Quare iterum iterumque dicam et quod ad me attinet pro Camacho sum, cuius ollae abundantes sunt anseribus et gallinis spumatis, leporibus cuniculisque, quamvis ollae Basilii tantum habeant sorbitionem et haec ex aqua insipida.

–Num finisti tuam concionem, Sancti? –dixit dominus Quixotus.

–Hanc vere finiam –respondit Sanctius–, quia video te pati, sed si nulla esset interruptio loquerer per triduum.

–Faxit Deus, Sancti –obiecit dominus Quixotus–, ut videam te mutum antequam moriar.

–Secundum modum quo progredimur –respondit Sanctius–, ante quam moriaris, domine, iam manducabo lutum ex terra et tunc tam mutus ero ut nec verbum dicam usque ad finem huius mundi, sive saltem usque ad novissimum diem vel Diem Iudicii.

–Quamvis hoc sic fiat, o Sancti! –respondit dominus Quixotus–, numquam perveniat silentium tuum ad locum ubi perveniet quod iam locutus es, quod nunc loqueris et locuturus es in tua vita; et hoc valde rationabile est ut adveniat primo dies mortis meae quam tuae; quapropter numquam videbo te mutum neque dum bibas sive cum dormias quod saltem possem exspectare.

–Profecto, domine –respondit Sanctius–, quia non oportet confidere illi mulieri scarificatae, et volo dicere Mortem, quae eodem modo devorat agnum quam arietem et a parocho nostro audivi dicere Mortem aequo pede pulsare pauperum tabernas, regumque turres. Et haec domina habet maius robur quam timorem; et nihil abhorret sive habet nauseam de qualibet re, quia omnia vorat et ad omnia adaptatur et suas clitellas implet ex omni genere gentium et omnium aetatum et condicionum. Non est quidem messor, qui dormiat tempore quietis postmeridianae; quia omni hora metit et tum tondet herbam siccam tum teneram et non videtur eam manducare, quia glutit et vorat quidquid habeat ante se, nam habet famem caninam et numquam saturatur; et quamvis non habeat stomachum videtur insatiabilem esse et laborat siti bibendi vitas omnium viventium tamquam qui potat poculum aquae frigidae.

–Nil amplius, Sancti –inquit ad hanc opportunitatem dominus Quixotus–. Mane in bonis verbis et ne cadas deorsum, quoniam quae dixeris de morte tuis rusticis verbis est quod bonus praedicator dicere potest. Quare dicam tibi, Sancti, secundum bonam dispositionem tuam ac prudentiam, te posse pulpitum accipere et per hunc mundum pulchros sermones praedicare.

–Bene praedicat qui bene vivit –respondit Sanctius– et nescio alias *thologias*.

–Nec oportet te has habere –inquit dominus Quixotus–; tamen non possum intelligere quomodo sit initium sapientiae timor Dei, nam tu times magis lacertum quam Deum, et tam multum scis?

–Velis de tuo equitatu iudicare, domine –respondit Sanctius–, et noli introire ad diiudicandos timores sive strenuitates aliorum; quia tam multum timeo Deum ego sicut unusquisque filius vicini. Et sine me hunc spumatum comedere, quia omnia alia tantum sunt verba otiosa de quibus rationem Deo reddemus in alia vita.

Et, his verbis prolatis, rursum oppugnavit urnam suam cum bonis desideriis, ita ut suscitaret famem domini Quixoti et hic quidem eum iuvavit comedendo, nisi impediret quod oportet ut postea diceretur.

Capitulum 21. Ubi prosequuntur nuptiae Camacho cum aliis facetis rebus gestis

Dominus Quixotus et Sanctius, argumentis praecedentis capituli peractis, audiverunt magnas voces ac magnum strepitum, quae faciebant et generabant equites equarum, qui longo cursu et vociferatione obviam sponsis parati erant ad eos convenienter recipiendos. Illi autem veniebant circumdati multiplicibus instrumentis et inventionibus; parochus et propinqui amborum necnon et omnes homines locorum circumvicinorum comitabantur eos, cuncti autem amicti erant vestibus festivis. Et cum Sanctius vidit sponsam dixit:

–Mea opinione, sponsa non venit amicta ut rustica, sed ut elegans aulica. Hercle! secundum quod video, monilia quae habet pura sunt coralia et viridis pannus Conchae (Cuenca) est villosus sericus ex triginta filis! Et, mea sententia, candidae fimbriae sunt fasciae ex linteo! Iuro per me! hoc esse ex raso serico! Et inspicite manus, illae sunt ornatae anulis ex gagata! Ne prosperem ego! nisi sint anuli aurei cum insertis margaritis albis tamquam lac coagulatum et unusquisque habebit pretium tamquam oculus faciei. O filia moechae, et quam pulchri capilli, nisi ficti sint, quia numquam tam longos eos vidi nec tam flavos in tota vita mea! Nolite ponere maculam in gressibus vel forma eius et ne faciatis similitudinem eius cum palma, quae movetur onusta racemis dactylorum, quia idem videntur monilia, quae pendent de capillis vel de gutture eius! Et iuro per animum meum, hanc puellam esse excellentem ac posse superare argentarias Flandriae.

Dominus Quixotus risit rusticas laudationes Sanctii Pansae; et ei etiam videbatur, praeter suam dominam Dulcineam a Toboso, numquam vidisse mulierem tam formosam. Pulchra Quiteria veniebat aliquantulum pallida et fortasse hoc erat ex mala nocte, quia sponsae transeunt noctem ordinando ornatum nuptiarum suarum crastini diei. Appropinquabant illi ad tabulatum sive ad theatrum, quod iuxta pratum erat, compositum ex storeis ramisque, ubi sponsalia celebranda erant et ubi spectandae erant saltationes et artificia. Et vix advenerunt ad illum locum audiverunt magnas voces a tergo et una earum dicebat:

–Sistite parumper, o genus celer atque inconsideratum gentium!

Quibus vocibus cuncti caput verterunt et viderunt eas dare virum amictum tunica nigra laciniosa cum purpura tamquam flammis. Coronatus erat –ut postea visus est– funerea corona cupressea; atque in manibus suis habebat magnum baculum. Et simul ac propius advenit omnes cognoverunt eum esse elegantem Basilium et, omnibus stupentibus, exspectaverunt quid essent voces ac verba eius, timentes eventum adversum futurum esse ex adventu eius.

Denique et lassus de via et sine ullo halitu in conspectu sponsorum pervenit et ibi stetit et tunc fixit extremum ferreum baculi in terram et, vultu pallido, oculos posuit in Quiteriam et voce tremente ac rauca haec dixit:

–Bene scis, ingrata Quiteria, secundum sanctam legem quam profitemur, me vivente, te non posse alii nubere; et eodem modo non ignoras quominus exspectarem ad moram faciendam ut niterer ad bona fortunae melioranda, semper volui decus

conveniens tui honoris servare; tamen oblita es omnino omnium debitorum erga bonum desiderium meum et quod meum est voluisti dare alii domino, cuius divitiae serviunt non tantum bonae, sed prosperae optimaeque fortunae. Et ut eam habeat plenam –et non quia eam vere mereatur, sed sicut coeli ei eam dare volunt–, egomet meis manibus solvam quod non fieri potest et hoc obstaculum quod ei impediat et sic eiiciam me foras. Vivat, vitat dives Camacho cum ingrata Quiteria per multa ac felicia saecula et moriatur, moriatur miserrimus Basilius, cuius paupertas scidit alas felicitatis eius et posuit eum in sepultura!

Et, his verbis prolatis, accepit baculum, quem habebat fixum in terra et reliquit mediam partem eius, quae serviebat ei ut vagina ad dimidiatum gladium, qui celabatur; et extremo capulo in terra posito, magna celeritate ac voluntate sese proiecit super eum et uno ictu ostendit extremum sanguineum gladii per dorsum suum et dimidiam partem ferrei cultri dum ille tristis vir submersus proprio sanguine iacebat super terram transfixus suis propriis armis.

Amici eius commoti miseria ac teterrimo infortunio eius accurrerunt ad eum iuvandum, et dominus Quixotus, Rocinante relicto, etiam advenit ad ei favendum eumque accepit suis bracchiis et en invenit eum nondum exspiravisse. Voluerunt autem gladium extrahere ex eo, sed parochus qui aderat putavit melius esse non extrahere eum ante quam confiteretur peccata, quia si extraherent eum confestim ipso tempore moriretur. Tamen Basilius parumper compos sui erat et acerba atque exanimi voce dixit:

–Si forte velles, o crudelis Quiteria, dare mihi tuam manum sponsae in hoc ultimo et inevitabili periculo vitae meae, adhuc possem cogitare temeritatem meam habuisse quamdam excusationem, quoniam in ea obtinui bonum pertinendi ad te.

Parochus autem, his verbis auditis, dixit ei ut potius attenderet ad salutem animi quam ad desideria corporis et a Deo veniam quaereret propter sua peccata et propter desperatum desiderium suum. Cui Basilius respondit se nullo modo facere confessionem nisi Quiteria promitteret ei nubere; et hic contentus iuvaret eum ad confessionem faciendam.

Dominus Quixotus, petitione vulnerati audita, magnis vocibus dixit Basilium petivisse rem iustam ac rationabilem et praeterea facilem faciendi, quare dominus Camacho honoratus esset accipiendi dominam Quiteriam viduam strenui Basilii quam si eam acciperet ex latere patris eius.

–Hic et nunc oportet ut illa dicat *volo*, quod nullum effectum habebit quam hoc dicere, quoniam thalamus huius nuptiarum erit sepultura.

Camacho autem haec omnia audivit et manebat tacitus et confusus et nil sciebat quid dicendum esset; tamen voces amicorum Basilii tot multae fuerunt quaerentes ab eo ut sineret Quiteriam dare manum sponsae ei, ne animus eius deperderetur ex hac vita desperatus in aeternum; quibus moverunt eum et compulerunt eum ut diceret: si Quiteria vellet ei manum suam sponsae dare ille contentus esset, quia hoc efficeret tantum parvam moram ad adimplenda propria desideria eius.

Ilico omnes ad Quiteriam pervenerunt alii eam rogaverunt, alii ploraverunt, alii vero bonis argumentis ei persuaserunt ut manum daret miserrimo Basilio; at illa durior marmore et quietior statua palam ostendebat se nescire nec posse neque velle verbum respondere; nec quidem responderet nisi parochus diceret ei ut citius dicto

statueret ad faciendum, quia Basilius habebat animum inter dentes et non poterat per multum tempus irresoluta consilia exspectare.

Tunc pulchra Quiteria, nullo verbo adhibito, turbata atque ut videbatur valde moesta ad Basilium venit, qui iam oculos volvebat, halitu anhelante, et inter dentes nomen Quiteriae murmurabat ostendens se mori et quidem ut gentilis et non ut christifidelis. Denique venit Quiteria et, genibus flexis, manum eius quaesivit gestibus et non verbis. Basilius autem oculos suos exorbitavit et intuens eam attente dixit ei:

–O Quiteria, num venis ut miserearis mei ad tempus quo tua pietas sit culter, qui vitam meam auferat, quia iam desunt mihi vires ad gloriam tuam accipiendam, nam elegisti me ut sponsum tuum, sed non ad tollendum dolorem, qui celerrime cooperiet oculos meos teterrima umbra mortis! Quod vere rogo te, o fatidica stella mea! est ut manum, quae nunc a me quaeris et vis dare non tantum sit ut purum obsequium neque denuo ad decipiendum me, sed ut reapse confitearis et dicas te libenter ac sponte hanc mihi tradere et quidem dare tamquam tuo legitimo marito, quia non opus est ut in hac occasione fraudulenter uteris fictione cum eo qui tantas veritates tecum egit.

Ille autem, his argumentis prolatis, exanimis mansit; ita ut omnes praesentes crederent eum animum tradere. Quiteria autem honesta ac plena pudicitia sua manu dextra accepit manum Basilii eique dixit:

–Nullum obstaculum potest meam voluntatem impedire quin dem tibi manum legitimae uxoris et tuam accipio, si vere tu ope tuae libertatis das mihi et ne deturbet te calamitas, qua tua desperatio te posuit.

–Utique volo –respondit Basilius–, et non turbatus nec confusus, sed claro intellectu, quem coelum mihi dedit et sic me praebeo et offero tibi ut maritus tuus.

–Atque ego ut uxor tua –respondit Quiteria–, utrum longos annos vivas sive ex bracchiis meis ad sepulturam te ferant.

–Tam vulneratus ut sit hic iuvenis –dixit ad hanc occasionem Sanctius Pansa–, nimis loquitur; faciant tunc ut ille relinquat tam multa verba et attendat ad suum animum, quia, secundum me, magis habet eum in lingua quam in dentibus.

Et cum Basilius et Quiteria apprehenderunt manus ad invicem, parochus tener et lacrimosus ambobus benedixit atque a coelo quaesivit ut daret bonam quietem animo novi sponsi, qui cum acciperet benedictionem et magna celeritate surrexit et stetit et magna diligentia extraxit gladium, cui corpus suum serviebat ut vagina.

Omnes circumstantes admirati sunt et nonnulli eorum simpliciores quam curiosi magnis vocibus dixerunt:

–Miraculum, miraculum!

Tamen Basilius obiecit:

–Non «miraculum, miraculum», sed sollertia, sollertia!

Parochus autem stupefactus et attonitus venit ad vulnus tangendum suis manibus et invenit cultrum penetrare non per carnem et costas Basilii, sed per foramen vacuum ex ferro, quod plenum sanguine bene adaptatum habebat et sanguinem praeparatum ita ut non coagularetur frigore.

Denique parochus, Camacho omnesque circumstantes putaverunt se deceptos esse. Sponsa autem non ostendit ullam moestitiam propter deceptionem; tamen, cum haec audisset has nuptias propter dolum non esse veras, dixit eam denuo has nuptias

confirmare quapropter cuncti intellexerunt ambos mutuo consensu fecisse quod factum erat; ex quo Camacho et sodales eius valde suffusi pudore erant et voluerunt vindictam accipere, quare multos gladios e vaginis extraxerunt et impetum in Basilium fecerunt, pro quo etiam alii extraxerunt tot multos gladios e vaginis eorum. Nihilominus dominus Quixotus praecedens omnibus accepit lanceam suo bracchio et coopertus scuto fecit locum prae omnibus. Sanctius cui numquam similia facinora placuerunt ad hydrias se convertit ex quibus obtulerat suum iucundum spumatum, quia hic locus ei videbatur ut sacer et dignus magnae venerationis. Dominus Quixotus magnis vocibus dicebat:

–Sistite omnes, consistite; quoniam non rationabile est vindictam facere ex iniuriis quas amor nobis fecit. Atque animadvertite amor et bellum unum esse et sic ut in bello licet et utuntur sollertiis ac versutiis ad inimicum oppugnandum etiam in contentionibus et certaminibus amorosis acceptantur et ut bona sunt mendacia et fallaciae, quae fiunt ad finem desideratum nanciscendum, cum non sint in detrimento amati. Quiteria autem erat Basilii ac Basilius erat Quiteriae per iustam coelorum dispositionem. Camacho vero dives est et, procul dubio, potest emere ad nutum suum quidquid velit et sicut velit. Basilius autem tantum habebat hanc ovem et nemo eam ab eo auferret quamvis potens sit; nam quos Deus coniunxit homo non poterit seiungere et primus qui hoc conetur facere eum transfodiam hac lancea mea.

Et, his verbis dictis, lanceam tam fortiter ac tanta dexteritate agitavit ut expavescerent omnes, qui eum non cognoscebant. Et contemptio Quiteriae tanta intensitate finxit in mente Camacho ut uno ictu omnino deleta esset ex memoria eius. Et eodem modo fecerunt persuasiones parochi, qui erat vir valde prudens et cautus, quibus argumentis Camacho remansit pacificus et tranquillus necnon et sodales eius; et hoc modo gladios ad vaginas reddiderunt et plus inculpaverunt versatilem Quiteriam quam sollertem Basilium. Et Camacho sic ratiotinatus est, si Quiteria cum esset virgo amavit Basilium etiam amaret eum, cum esset nupta cum Camacho, quare gratias dabat coelo, quia eam ab eo abstulit et non eam dedit ei.

Camacho autem consolatus ac pacatus est et omnes sodali eius et etiam sodales Basilii pacifici facti sunt; et dives Camacho ad ostendendum se nullo modo pati hoc fictum artificium, et pro nihilo facere, voluit ut festivitas ulterius procederet tamquam si ipse uxorem duceret; tamen nec Basilius nec uxor eius voluerunt adesse nec sodales eius et sic ad pagum Basilii pervenerunt, quia pauperes virtuosi prudentesque etiam habent qui eos sequantur, honorent et protegant tamquam divites habent qui eos laudent et comitentur.

Illi autem dominum Quixotum secum adduxerunt, quia eum habuerunt ut strenuum ac magnae aestimationis. Tantum animus Sanctii obnubilus fuit, quia non amplius potuit servare explendidam escam et festivitatem Camacho, quae usque ad noctem perduraverunt. Et sic moestus ac tristis secutus est dominum suum, qui cum sodalitate Basilii iter faciebat et hoc modo reliquit ollas Aegypti, quamvis eas in animo haberet; cuius fere consumptum spumatum secum ducebat in urna et ei repraesentabat gloriam abundantiamque illius boni quod amittebat; et moestus ac meditabundus, quamvis sine ulla fame esset et super asinum sedens secutus est vestigia Rocinantis.

Capitulum 22. Ubi magnae res gestae narrantur de caverna Montesinos, quae est in media Manica, et quibus factis dominus Quixotus finem felicem dedit

Multa magnaque fuerunt munera, quae coniuges domino Quixoto dederunt, propter probatam dispositionem eius ad eos defendendos ac propter strenuitatem, qua eum habuerunt ut alterum Cid in armis et alterum Ciceronem in rhetorica. Sanctius vero sese refocillavit ad sumptum coniugum, ex quibus apertum fuit non convenisse cum Quiteria in ficto vulnere, quia tantum fuit sollertia Basilii qua exspectavit eventum quod secutum est; tamen verum est Basilium locutum fuisse cum amicis suis, quibus consilium suum ostendit, ita ut tempore opportuno faverent suae voluntati et fallaciam iuvarent.

–Minime dicenda sunt mendacia –inquit dominus Quixotus– quae finalitatem virtuosam quaerant. Quapropter matrimonium inire qui se mutuo diligunt est finalitas maioris excellentiae, et maximus inimicus amoris est fames et continua necessitas, quia amor est tota laetitia, contentus et gaudium, praesertim cum amans est in possessione rei amatae et contra eum sunt inimici illi ac dicti necessitas paupertasque; et haec omnia dicebat cum desiderio ut dominus Basilius relinqueret peritiam suam quae, quamvis ei famam daret, non lucrabatur pecuniam et ille debebat attendere ad sua bona augenda modo conveniente et idoneo, quod numquam deerit prudentibus ac studiosis.

–Pauper honoratus, si vere possit esse honoratus qui pauper est, habet gemmam possidendo uxorem formosam, sed cum eam ab eo abstulerint, honorem ab eo auferunt eumque interficiunt. Uxor pulchra et honorata, cuius maritus pauper est, meretur coronari laureis palmisque victoriae ac triumphi. Sola pulchritudo autem allicit voluntates omnium, qui eam inspiciunt et cognoscunt et tamquam meta iucunda ad eam nanciscendam aquilae regales atque aves altivolantes veniunt; sed, si ad hanc formositatem adiungitur necessitas et angustia, etiam corvi, milvi avesque rapaces pervenient et illa, quae manebit contra has omnes insidias, vere nuncupabitur corona mariti sui. Vide, o prudens Basili –addidit dominus Quixotus–: opinio fuit, et nescio cuiusdam sapientis, ut in toto mundo non esset nisi una mulier bona et consiliabant unicuique ut cogitaret et crederet illam solam uxorem suam propriam fuisse et hoc modo viveret contentus. Ego non duxi uxorem, neque hucusque ad me venit voluntas ducendi eam, tamen auderem consilium dare ei, qui me rogaret ut dicerem ei modum quaerendi mulierem ad ducendam uxorem. Imprimis consilium esset ut potius inspiceret famam quam divitias; quoniam bona mulier non tantum adipiscitur bonam famam sua bonitate, sed si vere videtur bona; et impudentia et publica procacitas maius damnum afficiunt honori mulieris quam secretae pravitates. Si bonam mulierem adduces ad tuam domum facile eam servabis necnon et eam meliorem facies; sed si adduces malam mulierem difficile erit eam emendare; quoniam non perfacile erit ex hoc extremo ad alterum venire. Nolo dicere hoc non fieri posse, tamen perdifficile esse.

Sanctius, his omnibus verbis auditis, dicebat secum:

–Hic est dominus meus, qui dicit de me, cum loquor de rebus prudentibus ac plenis substantiae, me posse pulpitum accipere et per hunc mundum ire ad praedicanda quae digna sunt, tamen etiam idem dico de eo cum incipiat connectare sententias et dare consilia, poterit non tantum pulpitum accipere suis manibus, sed duos pulpitos in unoquoque digito suo et per omnia loca ire ad bona patranda. Per diabolum, eques itinerans, qui tam multa cognoscis! Egomet cogitabam meo animo eum posse scire res pertinentes ad suum equitatum, sed non est negotium quod non cognoscat neque locus ubi non possit suum cochlear introducere.

Quod Sanctius murmurabat voce submissa, aliquo modo audivit dominus eius eumque rogavit:

–Quid est quod murmuras, Sancti?

–Nil dico, nec quid murmuro –respondit Sanctius–, tantum inter me dicebam me velle audire quod diceres tu ante quam ducerem uxorem et fortasse nunc dicerem ego: «Bos liberus bene se lambit».

–Tam mala est tua Teresia, Sancti? –ait dominus Quixotus.

–Mala non est –respondit Sanctius–, sed non est nimis bona; saltem non tam bona sicut vellem ego.

–Malum est, Sancti –inquit dominus Quixotus– tibi male dicere de tua uxore, quae profecto mater est tuorum liberorum.

–Nil mutuo debemus –respondit Sanctius–; quia etiam illa male dicit de me cum habeat occasionem, praesertim cum habeat zelotypiam; et tunc ipse Satan patiatur eam.

Denique triduum cum coniugibus manserunt, quibus eis ministraverunt tamquam regibus. Dominus Quixotus quaesivit a licentiato, perito gladiatorio, ut diceret ei quomodo posset ire ad cavernam Montesinos, quoniam magnum desiderium habebat sese introducendi in eam et suis propriis oculis videre si vera erant mira, quae de ea dicebantur in omnibus regionibus. Licentiatus autem dixit ei se rogare patruelem suum, studiosum clarum, et cupidum legendi libros equitatus ut absque dubio et libenter eum adduceret ad introitum cavernae et ostenderet ei lacunas Ruiderae, celebres in omni Manica et etiam in omni Hispania. Et ipse haec omnia perficeret magno oblectamento ac libentissime, quia erat iuvenis qui sciebat libros edere in lucem eosque dicare principibus. Tandem patruelis venit cum quadam asina gravida et cuius clitellae coopertae erant stragulo polymito ex tela sacci. Sanctius paravit sellam Rocinanti et etiam asino suas clitellas quam adimplevit et quae comitatae sunt clitellas patruelis, quae vere omnia necessaria habebant. Tunc sese commendaverunt Deo ac valedicentes omnibus, iter denuo fecerunt ad illam illustrem cavernam Montesinos.

Dum iter faciebant dominus Quixotus quaesivit a patruele quaenam erant exercitia eius et quodnam munus et quaenam studia eius. Quibus patruelis respondit ei dicens suum munus esse humanisticum, exercitia ac studia sua componere libros ad eos edendos in lucem et hi omnes erant magnae utilitatis et non minoris oblectamenti ad rem publicam; quidam eorum erat *Liber symbolorum vestiariorum* ubi pingebantur septingenta et tria symbola sive vestes tessellatae cum suis coloribus, appellationibus et characteribus ex quibus possent educere, quae vellent tempore festivitatum atque oblectamenti equitum aulicorum et non necesse erat ab aliis ea quaerere nec cerebrum, ut dicunt, exprimere ad ea obtinenda secundum desideria et voluntates eorum.

–Quia sic egomet offero zeloso, despecto, oblivioso atque absenti, quae ei magis *conveniunt et quae erunt meliora quam peccatoria.* Alter liber est mihi, qui vocabitur *Methamorphoseos, sive Ovidius hispanicus* et est rarae novaeque inventionis, quia in eo et ad imitationem Ovidii, sed ficto modo explano, quaenam fuit Giralda Hispalis (Sevilla), atque Angelus Magdalenae (Angel de la Madalena) Salmanticae, quisnam Cannus (Caño) de Vecinguerra Cordubae, quinam Tauri de Guisando, Montes Fusci (Sierra Morena), Fontes de Leganitos et Lavapies Matriti (Madrid) et non oblitus sum Fontis Pediculi (Fuente del Piojo), neque Fontis Canni Aurei (Caño Dorado) ac Fontis Priorissae (de la Priora) et haec omnia cum suis allegoriis, metaphoris ac translationibus, et hoc modo laetificant animum, suspendunt et docent eodem tempore. Alterum librum habeo quem voco *Supplementum Vergilio Polydoro*, qui agit de inventione rerum et hic est magnae eruditionis ac studii, quia ibi tractantur res, quarum Polydorus oblitus est et sunt magni momenti, et ego invenio eas ac declaro et quidem eleganti modo loquendi. Vergilius oblitus est dicendi, quis fuit primus, *qui laboravit pituita sive destillatione naris in mundo, et primus qui acceperat* unctionem ad morbum gallicum sanandum et egomet accurate explano ac publica fide obsigno saltem viginti quinque auctoribus; ut videas tu, domine, quomodo et quam bene laboravi et utrum hic liber utilis sit omnibus necne.

Sanctius qui valde attentus fuit narrationi patruelis dixit ei:

–Dicas mihi, domine, et sic Deus det tibi bonam fortunam cum tui libri imprimantur, num poteris mihi dicere quod bene scias, quia tu vere omnia scis, quis fuit primus qui caput suum unguibus scabit, quia ego puto eum fuisse patrem nostrum Adamum?

–Fortasse ille esset –respondit patruelis–, quia Adamus habuit caput et capillos et cum hoc ita sit et etiam fuit primus homo in hoc mundo, aliquando etiam scaberet caput suum.

–Sic credo ego –respondit Sanctius–; sed dicas mihi nunc: quisnam fuit primus circumvolvens mundum?

–Vere, frater –respondit patruelis–, nondum potero hoc statuere donec id accuratius quaeram. Tamen cum ad libros meos revertar id perquiram et solvam tibi cum nos denuo mutuo videamus, quia haec non erit ultima vice.

–Tunc videas, domne –obiecit Sanctius–, ne labores pro hac quaestione, quia nunc memini huius rei quam quaesivi. Sed scias Luciferum fuisse primum volventem mundum cum eiecerunt eum de coelo et venit volvens usque ad profundas abyssos.

–Recte iudicasti, amice –dixit patruelis.

Et dominus Quixotus ait:

–Haec quaestio ad hoc responsum non est tua, Sancti; a quodam audivisti.

–Taceas, domine –obiecit Sanctius–; quia si incipio nunc ad quaerendum et respondendum non finiam usque in crastinum diem. Et ad quaerendas stultitias et ad eas respondendas non indigeo quodam iuvamine vicinorum.

–Plus dixisti, Sancti, quam quod vere scis –dixit dominus Quixotus–; et nonnulli sunt qui laborant ad inquirenda et investiganda, quae vere sunt nullius momenti nec aestimantur intellectui nec memoriae.

His et aliis colloquiis peractis, transit ille dies, et cum advenit nox sese receperunt

in parvo pago, ubi patruelis dixit domino Quixoto ex hoc usque ad cavernam Montesinos non esse plus quam duas leucas, et si vere ille decreverat intrare illuc oportebat funes secum ferre ad eum religandum et demittendum in profundum.

Dominus Quixotus dixit, quamvis ad abyssum perveniam opus erat videndi usquequo id esset. Quapropter emerunt fere centum ulnas funis et in crastinum ad duas horas postmeridie advenerunt ad cavernam, cuius ostium erat spatiosum amplumque, sed plenum dumetis et caprificis, rubetis et virgultis, et quidem tam densa atque intricata ut omnia cooperirent et clauderent. Cum patruelis, Sanctius et dominus Quixotus viderunt illam cavernam, de suis equis descenderunt et dominum Quixotum religaverunt funibus; et dum eum fasciabant et cingebant Sanctius dixit ei:

–Animadverte, domne mi, quid facias: noli in vita sepelire teipsum, nec maneas ubi sis ut lagoena ad frigefaciendum in quodam puteo. Profecto non pertinebit ad te quaerendi quid sit haec spelunca quae peior erit quam ergastulum.

–Religa me et tace –respondit dominus Quixotus–; quoniam res gestae huiuscemodi, amice Sancti, ad me paratae erant.

Tunc dixit ductor:

–Rogo te, domine Quixote, ut bene videas et quaeras attente et quidem centum oculis quid sit intus: forsitan sint res quas possim scribere in libro meo de *Transformationibus*.

–Tympanum est in manibus illius, qui hoc bene pulsat –respondit Sanctius Pansa.

Et, his dictis, ac, ligatura finita, –quae non fuit super armaturam, sed super thoracem manicatum–, dixit dominus Quixotus:

–In nostra festinatione non curavimus providendi nos quodam tintinnabulo, quod iuxta me esset cum hac ipsa fune et cuius sonus serviret ad indicandum me adhuc descendere ac vivere; sed nunc hoc non fieri potest, quare tantummodo manus Dei ducat me.

Tunc, genibus flexis, oravit voce submissa ad coelum ut Deus eum iuvaret ac bonam fortunam daret ei in illis rebus gestis quae, ut videbantur, periculosae et omnino novae essent et postea magna voce dixit:

–O domina omnium actionum motuumque meorum, clarissima et impar Dulcinea a Toboso! Si forte ad aures tuas pervenient supplicationes et preces huius venturosi amantis, rogo te ut eas auscultes propter tuam inauditam pulchritudinem; quae non sunt aliae quam rogare te ne deneges iuvamen tuum ac protectionem, qua nunc tam multum egeo. Ego deiiciam atque introducam me in hoc puteum et submergam me in hanc abyssum, quam coram me habeo et hoc faciam tantum ut mundus possit cognoscere te favere mihi, quapropter nulla impossibilia erunt, quae non possim adimplere.

Et, his verbis prolatis, ad ostium profundi specus appropinquavit, sed vidit non fieri posse ut descenderet nec introiret, nisi viribus bracchii sui et ictibus gladii et sic accepit gladium sua manu et scidit et eradicavit virgulta illa, quae ad ostium cavernae erant et ad cuius fragorem strepitumque exierunt per illud ostium infiniti magni corvi et graculi, qui tam innumeri ac densi erant et tam celeres ut eiicerent dominum Quixotum in terram; et si ille esset augur, ut catholicus christianus erat, haberet ut omen adversum et vitaret sese introducendi in talem locum.

Denique surrexit et cum vidit non amplius corvos inde exire nec aves alias

nocturnas ut vespertiliones, quae una cum corvis egressae erant, patruelis et Sanctius dederunt domino Quixoto funem et ille descendit in profundum teterrimi specus. Sanctius autem dum introivit dedit ei suam benedictionem et super eum fecit mille signa crucis, dixitque:

–Deus ducat te et Rupes Galliae (la Peña de Francia) una cum Trinitate Caietae (Gaeta), flos, cremum ac spuma omnium equitum itinerantium! Illuc ibis, strenuissime huius mundi, cor ferreum, bracchia aenea! Deus ducat te iterum iterumque ac faciat ut revertaris huc liber, sanus atque absque ulla cautione ad lucem huius vitae quam relinquis ad introducendum te in obscuritatem quam quaeris!

Fere easdem preces ac supplicationes fecit patruelis.

Dominus Quixotus autem dabat voces ut darent ei magis magisque funem et illi paulatim ei dabant, sed cum voces, quae tamquam per canalem ad eos ex caverna exibant, desiierunt audiri, voluerunt dominum Quixotum ascendere, quia plus funem non poterant ei dare. Tamen moram fecerunt per dimidiam horam et denique funem recuperaverunt et quidem magna facilitate atque absque ulla gravitate vel onere, quare cogitaverunt dominum Quixotum intus mansisse, quapropter Sanctius amare flevit et celeriter recuperavit funem ad veritatem cognoscendam; sed cum pervenerunt plus minus ad octoginta ulnas, sua opinione, denuo gravitatem senserunt, qua gavisi sunt valde. Tandem cum pervenerunt ad decem ulnas dominum Quixotum distincte viderunt, cui Sanctius voces dedit eique dicens:

–Sit adventus tuus benedictus, o domne mi, quia putavimus te ibi mansisse ad stirpem generandam.

Tamen dominus Quixotus nullum verbum respondebat et, eo extracto, viderunt eum oculos clausos habere cum signis dormiendi. Posuerunt eum super terram ac solverunt funem ab eo, tamen ille non expergefactus est. Sed tantum verterunt eum et revolverunt, excusserunt ac moverunt et, quadam mora elapsa, fuit denuo ille compos sui et membra sua expergefecit, tamquam si ex profundo et gravi somno expergefieret et intuens modo huc modo illuc ut perturbatus dixit:

–Deus ignoscat vobis, amici, quoniam eduxistis me a sapidissima iucundissimaque vita, quam numquam homo viderit vel habuerit. Profecto: nunc vero cognovi omnes contentus huius vitae transire tamquam umbra vel somnium sive ut flos agri et languescunt. O miser Montesinos! O Durandarte, male vulneratus! O Belerma infortunata! O Anna (Guadiana) lacrimosus et vos filiae Ruiderae infortunatae, quae in aquis ostenditis lacrimas, quas formosi oculi vestri ploraverunt!

Patruelis Sanctiusque auscultabant verba domini Quixoti, qui ea dicebat tamquam si cum dolore immenso ex suo animo extraheret. Rogaverunt eum ut eis explanaret aperte quid diceret et quidquid videret in illo inferno.

–Infernum vocatis eum? –ait dominus Quixotus–. Nullo modo eum sic vocabitis, quoniam non meretur hoc nomen sicut postea videbitis.

Quaesivit ut ei darent quid edendi, quoniam magnam famem habebat. Posuerunt super teneram herbam telam stupeam patruelis et paraverunt cibos ex clitellis et omnes tres amabiliter et bono comitatu omnia una comederunt et coenaverunt. Et postea, tela stupea remota, dixit dominus Quixotus a Manica:

–Nemo surgat hinc atque auscultate me cuncti, fili mei.

Cap. 23. Ubi narrantur res mirabiles, quas insignis dominus Quixotus dixit se vidisse in profunda caverna Montesinos, de cuius impossibilitate ac magnitudine hae res gestae habentur ut apocryphae

Hora quarta postmeridiana erat cum sol inter nubes occultus et exigua luce ac temperatis radiis, locum dedit domino Quixoto ut sine ardore ac lassitudine enarraret suis duobus spectatoribus, quod in caverna Montesinos vidit et hoc modo incepit narrationem suam:

–Circa duodecim vel quattuordecim stadia in profunditate huius ergastuli, ad latus dexterum ibi est concavitas et spatium, ubi possent ponere magnum currum cum suis mulis. Parva lux introit per quasdam rimas vel foramina, quae a longe aperta in superficie terrae sunt. Hanc concavitatem autem et locum vidi ego cum lassus et molestus eram videndo me pendentem ac suspensum de fune, et iter faciebam per illam regionem obscuram deorsum cum nondum haberem viam certam et hoc modo perveni ad introiendum illuc et parumper quievi. Voces dedi quaerens a vobis ne plus funem demitteritis, donec a vobis peterem, sed fortasse non audivistis me. Quare funem adunavi et ex qua feci spiram vel molem super quam sedi meditabundus considerans quid faciendum erat ut ad imum pervenirem, quia nemo erat qui posset me adiuvare. Hac confusione et his cogitationibus peractis, repente invasit me somnus profundus, me omnino insciente, et nescio quomodo ab eo expergefactus sum et ecce inveni me in medio pulcherrimo, amoeno ac delectabili prato, quod natura numquam potuit creare et vivida cogitatio humana fingere sibi. Oculos meos aperui et fricui et quidem vidi me non amplius dormire, sed vere expergefactum esse; nihilominus caput meum attrectavi et pectus ita ut certior essem me verum ipsum esse, qui ibi eram et non phantasma vanum sive quaedam imago ficta; sed tactus, sensus et argumenta, quae intra me habui certiorem fecerunt me ipsum esse eumque qui egomet sum hic et nunc. In conspectu meo apparuit palatium sive domus regia, cuius muri similes erant claro ac translucido crystallo; et ex quo, cum duae portae apertae essent, vidi per eas ad me venire senem venerabilem amictum purpureo pallio laneo, quod ad terram attingebat et trahebat; umeros et pectus cingebat fascia scholastica ex viridi raso serico; caput tegebat atro pilleo mediolanensi [ex Mediolano *Milán*] et barba canissima ultra medium corpus perveniebat; nulla arma secum ferebat, sed coronam rosarii quam habebat in manu et unusquisque globulus maior erat mediocri nuce, sed globulus decimus tamquam ovum commune struthionis. Habitus corporis, gressus, gravitas figurae et ampla praesentia ex se et haec omnia una suspenderunt me atque admiratus sum. Imprimis ad me pervenit et arcte amplexus est me et postea dixit mihi:

«–Per longa tempora, strenue eques domine Quixote a Manica, exspectavimus te, nos qui in hac solitudine incantati manemus, ita ut des mundo nuntium de his, quae in hac profunda caverna continentur atque occultantur in quam introiisti, et quae vocatur caverna Montesinos: res gestae quae servabantur tuo invicto cordi ac strenuo animo. Veni mecum, clarissime domine, quia tibi ostendere volo mira, quae in hoc translucido

palatio occultantur, cuius praepositus egomet sum et custos maior ad perpetuitatem, quoniam ego sum ipse Montesinos de *quo spelunca accipit nomen*.» Et ubi primum dixerit mihi eum Montesinos esse, rogavi eum ut diceret mihi utrum verum esset quod mundus desuper de eo diceret necne, nempe ut ille cor sui magni amici Durandarte extraxisset ex medio pectore ope parvae sicae atque id Belermae adduxisset, tamquam Durandarte ab eo quaesivit hora suae mortis. Ille respondit mihi eos omnino veritatem dixisse, tamen non fuit *sica nec parva, sed pugio tenuis et acutior novacula sutoris*.

–Talis pugio erit –dixit ad hanc occasionem Sanctius– Raymundi de Hoces Hispalensis.

–Nescio –prosecutus est dominus Quixotus–; tamen hic pugio non esset huius fabri, quia Raymundus de Hoces nuper vixit et facta Roncesvalles in quibus hoc infortunium accidit procul a nobis in tempore fuerunt. Tamen hoc est parvi momenti nec turbat nec alterat veritatem et contextum huius historiae.

–Hoc ita est –respondit patruelis–; prosequaris, domine Quixote, quia ausculto te et quidem auribus arrectis ac maximo gaudio huius mundi.

–Non minore gaudio haec omnia enarro vobis –respondit dominus Quixotus–; et sic dico venerabilem Montesinos introduxisse me in palatium crystalinum, ubi in quodam vestibulo inferiore ex alabastro ac maxime frigido, erat sepulcrum marmoreum magna peritia constructum, super quod vidi equitem iacentem ad longum corpus et non aeneum nec marmoreum neque iaspideum, ut alia sepulcra solent esse, sed ex pura carne et puris ossibus. Habebat manum dextram, mea opinione, aliquantulum pilosam ac nervosam, quo robora possessoris ostendebantur et quidem positam super latus cordis; et antequam aliquid ab eo quaererem cum videret me suspensum esse intuentem sepulcrum dixit mihi:

«–Hic est amicus meus Durandarte, flos speculumque equitum captorum amore et strenuorum temporis sui; hic eum incantatum habet, tamquam me et alios multos et multas Merlinus, francogallus, ille incantator de quo dicunt eum filium diaboli fuisse; sed ego credo eum non fuisse filium diaboli, quia ipse novit etiam plus quam ipse diabolus. Tamen quomodo et cur incantavit nos nemo id scit, sed tempore properante poterimus scire et non erunt haec tempora procul a nobis, secundum quod imaginor ego. De quo vere miror est me scire, tamquam nunc est dies, Durandarte mortuum esse in bracchiis meis et post mortem eius extraxi cor eius meis propriis manibus et reapse pondus eius erat duobus libris ponderis et secundum homines scientiae, qui maius cor habet praeditus est maiore strenuitate quam qui habet cor parvum. Et cum hoc ita sit, et hic eques mortuus est, quomodo ergo hic eques lamentatur ac suspirat aliquando tamquam si vivus esset?»

Et, his verbis dictis, miserrimus Durandarte magna voce dixit:

«–O Montesinos, patruelis mi!
Postremum quod tibi dixi,
cum mortuus fuerim,
et animum a me abstulerint,
est ut cor meum adduceres
ad locum ubi Belerma esset

extrahendo ex meo pectore
tum sica tum pugione.»

Et, his verbis auditis, venerabilis Montesinos, genibus flexis, ante vulneratum equitem et oculis lacrimosis dixit ei:

«–O carissime patruelis Durandarte, iam feci quod mihi iussisti in saevo die stragis nostrae: egomet extraxi cor tuum quam melius potui nec minimam partem eius in pectore reliqui; ego id mundavi linteo et profectus sum cursu meo ad Galliam, sed antea sepelivi te in sinum terrae cum multis lacrimis, quibus potui manus meas lavare et sanguinem mundare, qui in eis erat, quia tetigi viscera tua; et ad accurate omnia dicenda, o patruelis animi mei, in primo loco ubi inveni, cum exirem de Roncesvalles, posui salem super cor tuum ne male olfaceret et perveniret, si non recens, tamen salsum in conspectu dominae Belermae, quam tecum ac mecum et cum Anna (Guadiana) tuo armigero, et cum domina Ruidera et septem filiabus ac duabus neptibus et cum aliis multis ex propinquis tuis et amicis, sapiens Merlinus habet hic hos omnes incantatos abhinc multos annos, et plus quam quingenti illi sunt et nemo nostrum mortuus est: tantummodo abest a nobis Ruidera cum filiabus et neptibus, quae plorantes propter commiserationem de eis quam habuit Merlinus, convertit eas in lacunas et nunc in mundo viventium atque in provincia Manicae vocant lacunas Ruiderae; ille septem lacunae pertinent ad reges Hispaniae et duae neptes ad equites Sanctissimae Congregationis quam Sancti Ioannis vocant. Anna (Guadiana) armiger tuus, plorans tuum infortunium factus est flumen eiusdem nominis, quod cum ad superficiem terrarum pervenit et vidit solem illius coeli, fuit ei tam magnus dolor relinquendi te ut denuo se submergeret intus in terram; sed ita ut hoc non fieri potest ad cursum suum ordinarium venit et aliquando surgit et ostenditur, ubi sol et homines eum videant. Lacunae illae dant aquam flumini cum quibus et aliis aquis, quae ad id perveniunt et introit superbum ac magnum in Lusitaniam. Nihilominus quocumque decurrit ostendit suam tristitiam ac melancholiam et non gloriatur de piscibus delicatis in suis aquis, sed de asperis ac rudibus dissimilibus quam quos habet aureus Tagus. Et hoc quod nunc tibi dico, o patruelis meus! multoties iam dixi, sed non respondisti mihi, quare puto te non credere mihi sive non audire me quod mihi afficit magnam tristitiam, sicut Deus bene scit. Tamen nonnullos nuntios tibi dabo ut leniant dolorem tuum, et nullo modo augeant. Scito te hic et nunc habere in conspectu tuo, et aperi bene oculos tuos, illum magnum equitem de quo sapiens Merlinus tam multa praenuntiavit: illum dominum Quixotum a Manica, dico, qui rursum et cum maiore excellentia ac praestantia resuscitavit equitatum itinerantem, qui fere oblitus erat, vi cuius fortasse nos in saeculis venturis solvemus incantamentum nostrum; quoniam magna facta magnis viris servabuntur.»

«–Et cum hoc non ita sit –respondit miserandus Durandarte languida et inerti voce–, et cum hoc non ita sit, o patruelis meus! dico ego, nil faciendum est nisi habere patientiam et chartas lusorias miscere.» Et vertit se ad latus suum et reversus est ad solitum silentium nec ultra verbum dixit. Tunc auditi sunt ululatus ac planctus, quos comitabantur profundi gemitus et amari singultus; et verti caput meum et en vidi per parietes crystalinas contigui vestibuli processionem duarum serium pulcherrimarum

virginum procedere, omnes amictae erant vestibus funebribus et cum albis pilleis turcicis super capita earum, et quidem turcico more. Denique et in fine seriei veniebat domina, quae sic videbatur propter gravitatem suam, quae induebat vestem atram cum velo candido tam amplo ac longo ut tangeret terram. Pilleus eius erat bis longior quam maior cuiusdam alterius; praedita erat superciliis coniunctis et naribus aliquantulum depressis; os eius magnum ac labia rubra erant; dentes, cum eos develavit, pauci et non bene collocati quamquam albi erant tamquam amygdalae dulces; suis manibus ferebat linteum subtile et in eo secundum quod potui videre erat cor ex carne mummia, quia siccum et fumicatum erat. Montesinos dixit mihi totam illam processionem esse famulorum Durandarte ac Belermae, qui etiam cum dominis eorum incantati erant et ultima earum, quae suis manibus cor in linteo ferebat erat domina Belerma, quae cum suis famulabus quater in hebdomada hanc processionem faciebat et cantabat, sive ut melius dicam, funebria carmina recitabat super corpus ac miserandum cor patruelis eius; et si mihi illa videbatur aliquantulum foeda sive non tam pulchra, tamquam fama de illa fertur, hoc erat propter malas noctes, quas habuit et pessimos dies quos Belerma transiebat ope illius incantamenti, quod bene videbatur propter magnum livorem palpebrarum ac pallidum colorem eius.»

«–Et non accepit pallorem suum et livorem palpebrarum ex menstruatione vel regula muliebri, quia abhinc multos menses annosque eam non habet nec per portas patefecit nisi dolor, quem cor eius sentit et quod semper in manibus suis habet, quod renovat atque ad memoriam adducit infortunium sui infelicis amantis; quia si hoc modo non esset vix similis ei esset in formositate, elegantia ac fortitudine magna Dulcinea a Toboso, tam illustris in his omnibus regionibus necnon et in toto mundo.»

«–Siste! –dixi tunc ego–, domine Montesinos: enarra tuam historiam ut debeas, quoniam bene scis omnem comparationem odiosam esse et non necesse est referre quemdam cuidam quoad pulchritudinem. Impar Dulcinea a Toboso est quae est et domina Belerma etiam est quae est et quae fuit et omnia in suo adaequato loco sint.» Cui ille respondit mihi:

«–Domine Quixote, ignoscas mihi, quia confiteor me male egisse et non bene dixisse ut domina Dulcinea paene aequalis esset dominae Belermae, et satis erat mihi intelligere, et nescio quare, te esse equitem illius ita ut linguam meam morderem ante quam eam similem facerem nisi ipso coelo.»

Hac satisfactione, quam magnus Montesinos mihi dedit, animus meus quievit ex hac perturbatione, quam accepi audiendo dominam meam relatam esse cum ipsa Belerma.

–Et etiam miror ego –dixit Sanctius– cur non conculcasti illum vetulum ac percussisti calcibus omnia ossa eius atque eradicasti barbas et non reliquisti capillum in eis.

–Nequaquam, Sancti amice –respondit dominus Quixotus–; non decebat me hoc facere, quoniam omnes debemus senes venerari, quamvis non sint equites, praesertim si vere sunt et immo incantati; et egomet bene scio nos mutuo debuisse persolvere alias quaestiones et responsa, quae inter nos fuerunt.

Ad hanc opportunitatem dixit patruelis:

–Nescio, domine Quixote, quomodo tu in parva mora temporis, qua fuisti infra, tam multa vidisti, locutus es ac tot verba respondisti.

–Quantum temporis est me descendisse? –quaesivit dominus Quixotus.

–Parum plus quam hora –respondit Sanctius.

–Hoc non fieri potest –obiecit dominus Quixotus–, quoniam ibi nox facta est et luxit dies et denuo nox facta est et luxit et quidem ter, quare fui per tres dies in illis remotis atque occultis regionibus a conspectu nostro.

–Dominus meus debet veritatem dicere –dixit Sanctius–; sed cum omnia, quae acciderunt sunt per incantamentum, quod nobis videtur una hora ibi videbitur tres dies cum suis noctibus esse.

–Hoc ita erit –respondit dominus Quixotus.

–Et, quid comedisti in toto hoc tempore, domine mi? –quaesivit patruelis.

–Ego non edi ullum ientaculum –respondit dominus Quixotus–, nec laboravi fame nec cogitavi de hoc.

–Eduntne incantati? –dixit patruelis.

–Nec edunt –respondit dominus Quixotus–, nec habent excrementa maiora, quamvis sit opinio ungues eis crescere et etiam capillos.

–Num forte dormiunt incantati, domine? –quaesivit Sanctius.

–Nullo modo –respondit dominus Quixotus–; saltem his tribus diebus quibus apud eos fui nemo clausit oculum nec etiam egomet.

–Hic bene venit proverbium –dixit Sanctius– dic mihi cum quo ambulas et tibi dicam quis eris: vadas tu, domine, cum incantatis ieiunis et vigilantibus; videte utrum multum sit ut nec comedas neque dormias dum cum eis maneas. Tamen ignoscas mihi, domne, si dicam tibi, et adducat me Deus secum, et fere dicerem diabolus, de his tuis verbis nec ullam rem putavi ut veram.

–Cur non? –ait patruelis–. Num dominus Quixotus mentiretur et si quidem vellet num poterit componere atque imaginari tot milliones mendaciorum?

–Ego non credo dominum meum mentiri –respondit Sanctius.

–Aliter, quid ergo credis? –quaesivit ab eo dominus Quixotus.

–Credo –respondit Sanctius– illum Merlinum sive illos incantatores, qui incantaverunt hanc totam plebeculam, quam dicis te vidisse et locutum fuisse infra, introduxisse in mentem tuam sive in memoriam hanc magnam machinationem quam narrasti et reliqua, quae etiam narranda sunt.

–Haec omnia fieri possunt, Sancti –obiecit dominus Quixotus–, sed non ita sunt, quoniam egomet enarravi, quae meis propriis oculis vidi ac meis propriis manibus tetigi. At quid dices cum nunc enarrabo tibi, quomodo (inter innumeras ac miras res quas ostendit mihi Montesinos, quas tibi pedetentim et tempore eius narrabo in decursu itineris nostri, quoniam non omnes sunt huius momenti) ostendit mihi tres rusticas, quae in illis amoenis agris saltus dabant tamquam capellae, et simul atque eas vidi, cognovi unam ex eis esse Dulcineam a Toboso et alias duas illae rusticae, quae eam comitabantur, et quas vidimus in exitu ex urbe Toboso? A Montesinos quaesivi si eas cognoverit; et respondit mihi se non eas cognovisse, tamen imaginabatur eas dominas incantatas ac magni momenti esse, quae nuper apparuerunt in illis pratis; sed hoc non erat mirandi, quoniam ibi erant multae dominae saeculorum praecedentium ac praesentium incantatae in diversis atque insolitis figuris, inter quas ille cognoscebat reginam Genovefam (Ginebra) et dominam eius Quintannonam (Quintañona), effundentem vinum Lanceloti

cum ex Britannia venit.

Cum Sanctius Pansa auvidit dominum eius hoc dicere, putavit se amittere iudicium sive risu mori; quia ille bene sciebat veritatem huius ficti incantamenti Dulcineae, nam ipse fuit incantator et qui hoc testimonium erexit et cognovit dominum suum omnino amentem esse et dementem in extremo, quare sic ei dixit:

–In adversa occasione atque in peiore opportunitate et die infausto descendisti, o carissime patrone, in alterum mundum atque in pessimo statu rerum invenisti dominum Montesinos, quia mutatus hoc modo ad nos ita reversus es. Bene eras hic in terra cum tuo sano iudicio, quod Deus tibi dedit, et loquebaris bonas sententias et dabas bona consilia omnibus, sed nunc enarras tales ineptias, quas nemo imaginari potest.

–Quia te cognosco, Sancti –respondit dominus Quixotus–, nil facio de tuis verbis.

–Neque ego de verbis tuis, domine –obiecit Sanctius– quamvis vulneres me sive me occidas propter ea quae dixi sive per ea quae aliquando dicam, nisi tua corrigas et emenderis. Sed dicas mihi nunc cum simus in pace: quomodo potuisti cognoscere dominam meam? Et si cum ea locutus es, quid ei dixisti vel quid illa respondit tibi?

–Eam recognovi –respondit dominus Quixotus– quoniam easdem vestes induebat quibus amicta erat cum tu eam mihi ostendisti. Cum ea locutus sum, sed illa non respondit mihi verbum; sed dorsum vertit a me et fugit tam celeriter ut sagitta non nancisceretur eam. Tunc volui eam persequi et quidem fecissem, nisi Montesinos dederit mihi consilium ne facerem et ne defatigarem me, nam hoc esset inutile et praesertim quoniam appropinquabat hora ascendendi ex illa spelunca. Ille autem dixit mihi ut tempore prodeunte dicturus esset mihi, quomodo ipse solveretur ab incantamento ac Belerma et Durandarte et cuncti qui ibi erant; sed quod magis mihi affecit dolorem fuit videre, dum loquebar cum Montesinos, ut ad latus meum veniret, et non vidi eam ad me venientem, unam ex sociabus imparis Dulcineae, quae oculis lacrimosis et turbata ac submissa voce dixit mihi:

«–Mea domina Dulcinea a Toboso osculatur manus tuas et quaerit de tua valetudine et ecce nunc eget magna penuria et illa vellet te ei dare quid pecuniae ad indigentiam eius superandam, si vere potes, propter hanc novam vestem laneam quam hic habeo, mutuum dare sex argenteos sive quos habeas et illa pollicetur, sua fide, eos tibi restituere quamprimum ac breviter.» Dubitavi et miratus sum de illa legatione et vertens me ad dominum Montesinos quaesivi ab eo:

«–Num fieri potest, domine Montesinos, ut incantati qui sunt magni momenti etiam habeant quamdam penuriam?»

«–Credas mihi, domine Quixote a Manica, sed haec, quam vocant indigentiam, ubique invenitur et quoquoversus extenditur et omnes nanciscitur et nec incantatis parcit. Et si domina Dulcinea misit ad hos sex argenteos quaerendos, pignus bonum est, mea sententia, et oportet ut eos ei des, quia illa erit in magna angustia.»

«–Nullum pignus accipiam –respondi ei–, nec dabo ei quod quaerit, quoniam tantum quattuor argenteos habeo.» Quos ei reapse dedi (et fuerunt quos tu, Sancti, mihi nuper dedisti alio die ad eleemosynam dandam pauperibus quos in itinere invenirem) et sic ei dixi:

«–Dicas, quaeso, amica mea, tuae dominae quam multum dolet meus animus

propter labores eius et me vellem esse alium argentarium Fúcar ad eos medendos; et etiam vellem ei dicere me nullam valetudinem habere cum sim orbatus a laeto conspectu eius ac prudente colloquio, quare magnopere flagito ab ea ut hic captus servus ac moestus eques possit eam videre. Necnon et ei dices me fecisse iusiurandum, quemadmodum quod fecit marchio Mantuae, ad vindicandum sobrinum suum Valdovinum cum eum invenit exanimem in mediis montibus et hoc fuit non edere panem cum mappis et alia additamenta donec eum ulcisceretur et eodem modo etiam ego faciam et nullo modo quiescam et proficiscar per septem partes huius mundi et accuratius quam fecit princeps dominus Petrus Lusitaniae, donec solverem eam de incantamento.»

«–Haec omnia et immo amplius debeas facere pro domina mea –respondit mihi virgo». Et accepit quattuor argenteos, sed pro reverentia dedit saltum et ascendit duas ulnas in aerem.

–Per Deum Sanctum! –dixit ad hanc occasionem ac magna voce Sanctius–. Num fieri potest ut incantamenta atque incantatores habeant tam magnas vires in hoc mundo ut sanum iudicium domini mei hoc modo mutent in ineptam dementiam? O domine, et in nomine Dei, venias ad quaerendum tuum honorem et ne credas has stultitias, quae abstulerunt bonum sensum tuum!

–Quoniam me diligis bene, Sancti, loqueris hoc modo –inquit dominus Quixotus–, sed non habes experientiam harum rerum et haec omnia tibi videntur non fieri posse, quoniam quaedam difficultas est eis. Sed tempore prodeunte, sicut iam dixi tibi, enarrabo quae vidi deorsum et tunc credes omnia quae narravi tibi, cuius veritas non acceptat rixam vel litigium.

Capitulum 24. Ubi narrantur mille additamenta tam impertinentia quam necessaria ad hanc veram ac magnam historiam intelligendam

Qui vertit hanc magnam historiam ex architypo originali, quod scripsit primus auctor Cide Hamete Benengeli, cum ad hoc capitulum pervenit rerum gestarum cavernae Montesinos, dixit, ad calcem paginae, haec argumenta scripta esse ex propria manu illius Hamete:

«Non possum intelligere nec mihi persuadere ut strenuo domino Quixoto accurate acciderint quaecumque scripta sint in capitulo praecedenti. Et causa huius argumenti est, quia omnes res gestae, quae hucusque ei acciderunt, fieri possunt ac verosimilia sunt; tamen nullo modo invenio verum eventum huius cavernae, quia excedit omnes terminos rationabiles. Quomodo possum ego cogitare dominum Quixotum mentiri, cum esset verissimus fidalgus ac nobilissimus eques suo tempore? Hoc non fieri potest, quia non diceret mendacium, quamvis proiicerent in eum sagittas. Alia ex parte credo eum narravisse historiam cum hoc statu rerum et non potuit machinari tam brevi

tempore tot ineptias; sed si hae res gestae videntur apocryphae, quid hoc ad me? Quamobrem hanc historiam scribo, sed nec affirmo utrum ea falsa an vera sit. Tu autem, lector, quia prudens es, iudicabis quod bene tibi videatur, ego non amplius faciam, quia non licet mihi; tamen certum est eum tempore suae mortis retractavisse ex illis verbis et quidem dixit se hanc narrationem machinatum esse, quia sic ei bene videbatur et suis factis conveniebat secundum quod in suis historiis legerat.»

Postea prosecutus est dicens:

Patruelis autem turbatus est tum de audacia Sanctii Pansae tum de patientia domini eius et iudicavit hoc fuisse ex magno contentu, quem habebat, quia vidit suam dominam Dulcineam a Toboso, quamvis esset incantata, et nata est in eo illa mollis condicio quam tunc ostendebat, sin autem Sanctius dixit verba et sententias, quibus mereretur vapulare; nam reapse ei videbatur nimis audacem eum fuisse erga dominum suum cui patruelis dixit:

–Ego, domine Quixote a Manica, puto me bene transisse hunc diem tecum, quia in illo quattuor obtinui. Primo, melius cognovi te quod est mihi magna felicitas. Secundo, noveram quod in caverna Montesinos est cum mutationibus fluminis Annae (Guadianae) et lacunarum Ruiderae, quae servient mihi ad librum meum *Ovidium hispanicum* quem inter manus habeo. Tertio, cognovi antiquitatem chartarum lusoriarum, quae saltem iam notae erant tempore imperatoris Caroli Magni, secundum collegi potest ex verbis quae dicis Durandarte dixisse cum, longa mora elapsa, Montesinos loqueretur cum eo et ille experrectus est dicens: «Patientia et chartas lusorias miscere.» Et hunc modum loquendi non potuit discere cum esset incantatus, sed cum nondum esset et viveret in Gallia et quidem tempore illius dicti imperatoris Caroli Magni. Et haec indagatio convenit meo alteri libro, quem compono et est *Supplementum Vergilio Polydoro, de inventionibus antiquitatum*; et secundum quod credo nihil scripsit de chartis lusoriis tamquam egomet ponam et hoc erit magni momenti et praesertim propter grave nomen ac veram auctoritatem domini Durandarte. Quarto enim est scire magna certitudine originem fluminis Annae (Guadianae), quae hucusque ignota omnino erat hominibus.

–Recte iudicasti, domine –ait dominus Quixotus–; tamen ego volui scire, Deo volente, si dant tibi licentiam ad tales libros imprimendos, quod quidem dubito, cuinam vis eos dicare.

–Domini et nobiles sunt in Hispania, quibus eos dicare possum –dixit patruelis.

–Non tanti –respondit dominus Quixotus–; et non quoniam id non mereantur, sed quia nolunt eos admittere ne subeant debitam retributionem propter laborem atque urbanitatem auctorum. Quemdam principem ego cognosco, qui bene potest supplere quod aliis deest et magnis praestantiis et si has auderem enumerare fortasse suscitarem invidiam et non tantum quattuor pectoribus magnanimis; sed maneat hoc inter nos et ad aliam et meliorem opportunitatem et commodum et quaeramus ubi possumus hac nocte pernoctare.

–Non procul hinc –respondit patruelis– est sacellum rusticum, ubi habitat eremita de quo dicunt eum bonum militem fuisse et, ut fertur, etiam est valde bonus christianus, prudens ac misericors. Iuxta sacellum habet parvam domum quam construxit suis manibus; sed, quamquam parva, potest nonnullos hospites accipere.

–Habetne forte gallinas talis eremita? –quaesivit Sanctius.

–Perpauci eremitae sunt absque gallinis –respondit dominus Quixotus–, quoniam hodierni eremitae non sunt ut illi, qui erant in desertis Aegypti, qui induebant folia

palmae et radices terrae edebant. Tamen intelligatur bene me noluisse benedicere illis et non hodiernis, sed tantum exprimo nunc poenitentias hodiernas non habere rigorem et asperitatem illius temporis; nihilominus omnes sunt boni; saltem egomet omnes iudico ut bonos; et cum res turbidae sint minus male facit hypocrita, qui fingit se bonum esse quam peccator publicus.

Et, his rebus peractis, viderunt ad eos virum ambulantem venire et quidem celeriter, qui etiam fustigabat mulum onustum lanceis et hastis. Cum pervenit ad eos salutavit eos et praeterivit. Dominus Quixotus tamen dixit ei:

–Bone vir, siste; quoniam videtur mihi te plus festinare quam quod mulus sustinere potest.

–Nullo modo possum me detinere, domine –respondit ille vir–, quia arma, quae hic vides, oportet ut in crastinum diem eis utantur, quare necesse est ne detineam me et valete omnes. Tamen si vere vultis scire quare ego ea mecum adduco, hodie pernoctabo in caupona, quae supra sacellum est, et si idem iter facitis quam ego, ibi me invenietis et vobis res miras narrabo. Et iterum dico valete.

Et taliter mulum incitavit ut dominus Quixotus non potuit eum denuo rogare, quaenam essent illae res mirae, quas narraturus erat eis, sed propterea quod defatigabant ei desideria cognoscendi res novas, iussit ut statim proficiscerentur ad pernoctandum in illa caupona et praeterirent sacellum, ubi patruelis voluit manere.

Sic enim fecerunt et ascenderunt in equos et secuti sunt omnes tres iter prorsum ad cauponam (ad quam pervenerunt parum ante quam nox caderet). Patruelis dixit domino Quixoto ut detinerent se in sacello ad bibendum haustum vini. Vix Sanctius Pansa haec audivit, duxit asinum ad sacellum et idem fecerunt dominus Quixotus patruelisque; sed adversa fortuna Sanctii disposuit ut eremita non esset domi; et sic dixit famula eremitae, quam in sacello invenerunt. Ab ea quaesiverunt bonum vinum; illa autem respondit dominum suum hoc non habuisse, sed si vellent aquam libenter eam daret eis.

–Si quaererem aquam –respondit Sanctius–, putea sunt in itinere, ubi sitim meam mitigare potuissem. Eheu, utinam essent hic illae nuptiae Camacho atque abundantia domus domini Didaci, et quoties frustra memini vestrarum!

Illi autem, his rebus peractis, reliquerunt sacellum et incitaverunt iumenta ad cauponam et parumper postea invenerunt virum iuvenem, qui ante eos iter faciebat, sed non tam celeriter, quare ad eum pervenerunt. Gladium super umerum ferebat et in eo habebat peram sive involucrum, ut videbatur cum vestibus eius, quae essent femoralia et pallium, et quaedam subucula, quia induebat thoracem sericum similem raso, sed subucula pendebat foris; tibialia erant serica, calcei quadrati secundum usum elegantiae aulicae; aetas eius duodeviginti vel undeviginti annos natus, laetus facie et ut videbatur agilis corporis. Deambulabat cantitando carmina [vulgo *seguidillas*] ad lassitudinem viae obliviscendam. Cum ad eum pervenerunt, finiebat carmen ex eis, quod patruelis tradidit memoriae et dicunt sic dicere:

Bellum facio
propter necessitatem
si pecuniam haberem
non facerem ad veritatem.

Dominus Quixotus primus fuit, qui cum eo locutus est, cuique dixit:

–Nimis celeriter properas, domine mi. Et quonam gentium pergis? Videamus si id vere vis dicere.

Cui ephebus respondit.

–Calor et paupertas sunt causa deambulandi tam celeriter et quonam vado est ad bellum.

–Quomodo propter paupertatem? –quaesivit ab eo dominus Quixotus–. Propter calorem bene potest esse.

–Domine –obiecit ephebus–, in hoc involucro fero femoralia serica, quae huic thoraci conveniunt; si eis in itinere utor non potero honorari eis in urbe et non habeo pecuniam ad alia emenda; quare et ad aerem respirandum hoc modo deambulo, donec inveniam cohortem peditum, quae non magis quam duodecim leucas hinc aberit, ubi accipiam locum meum et iumenta non deficient nobis ad iter faciendum prorsus usque ad portum quem dicunt esse Carthaginem Novam (Cartagena). Atque insuper regem volo ut dominum habere eique servire in bello et non cuidam pauperi latroni in Aula Regia.

–Et num habes quamdam commendationem sive quemdam sponsorem? –quaesivit patruelis.

–Si ministrarem cuidam magno Hispaniae sive cuidam nobili –respondit puer–, absque dubio hanc commendationem mecum tulissem, quia hoc provenit ex servitio optimorum: nam ex coenaculo famulorum exeunt illi qui perveniunt ad gradum vexillarii [vulgo *alférez*] vel ductoris sive cum quodam bono oblectamento; tamen, me miserum! ministravi eis, qui erant parvi momenti et advenis pro esu et salario tam misero ac parvo quod ad collum vestis componendum solvi dimidium salarium meum; sed magnum miraculum esset si ephebus advenae nancisceretur saltem mediocrem fortunam.

–Et dicas mihi, per vitam tuam, amice –quaesivit dominus Quixotus–: num fieri potest post multos annos in hoc ministerio ut nondum habeas quoddam symbolum vestiarium?

–Duo dederunt mihi –respondit ephebus–, sed sic ut quidam qui ex coenobio religioso egreditur, ante suam sacram ordinationem, ab eo auferunt habitum et reddeunt ei vestes eius, sic mihi fecerunt domini mei et cum negotia sua finiebant, quibus ad Aulam Regiam venerunt, symbola vestiaria recuperabant et domum redebant, quia tantum mihi haec dederunt ad ostentationem faciendam.

–Notabilis *spirlocheria* sicut dicit italus –ait dominus Quixotus–; nihilominus bona fortuna est exire de Aula Regia cum hac bona voluntate, quam vere habes, quoniam nihil est in terra honoratius ac maioris utilitatis quam servire imprimis Deo et postea suo regi ac naturali domino, praesertim in exercitatione armorum, quibus nanciscuntur non magnas divitias, sed saltem maiorem honorem, quam per litteras, sicut pluries dixi; quoniam litterae plura bona primigenia instituerunt quam arma, tamen illa quae ex armis proveniunt superant nescio quo modo primigenia bona litterarum, sed ego vere cognosco splendorem, qui in eis est ad omnia superanda. Et hoc quod tibi dicere volo debes tradere memoriae tuae et quidem erit magnae utilitatis in tuis laboribus et hoc est ut avertas mentem ex rebus gestis adversis, quae possint venire; nam peior omnium est mors et si haec bona est, melior omnium erit mori. A Iulio Caesare, illo strenuo imperatore romano, quaesiverunt quaenam esset melior mors; et respondit

dicens inexspectata, repentina atque impraevisa; ille autem respondit tamquam gentilis et alienus a cognitione veri Dei, nihilominus, bene dixit et hoc ad vitandum sensum humanum; nam si interficiunt te in primo proelio et impetu, tum ex explosione tormenti bellici tum ex explosione fossae subterraneae, quid hoc tibi erit? Omnis est mors et omne negotium cum ea finitur; sed secundum Terentium melius est miles mortuus in proelio quam vivus in fuga; et tanta fama obtinet miles oboediens tum suis ductoribus tum eis, qui possunt ei imperare. Atque animadverte, fili, melior est militi redolere pulverem catapultarium quam aroma et si senectus venit ad te in hac exercitatione honorabili, quamvis plenus sis vulneribus et valde debilis sive claudus, non apprehendent te sine honore et taliter ut paupertas non eum minuat; praesertim quoniam nunc iubent ut adiuvent senes milites ac debiles sive vulneratos et non est conveniens ut faciant tecum quod solent facere cum liberant nigros cum sint senes et non possunt amplius dominis eorum servire et eiiciunt domo sub titulo libertatis, sed efficiunt eos servos famis ex qua tantum possunt invenire mortem. Tamen hic et nunc nolo tibi amplius de hoc dicere, sed ascende in dorsum equi mei donec perveniamus ad cauponam ibique coenabis mecum et in crastinum diem iter tuum prosequaris et Deus det tibi bonam fortunam tamquam desideria tua merentur.

Ephebus non accepit invitationem ascendendi in equum, sed tantum coenandi cum eo in caupona et ad hanc occasionem dicunt Sanctium inter se haec dixisse:

–Adiuvet te Deus ut dominus! Num fieri potest ut vir qui talia dicit ac tam bona, sicut quae hucusque dixit, etiam dicat ineptias, quae nullo modo credantur, tamquam quas enarravit de caverna Montesinos? Tamen amplius de hoc dicemus.

Et, his rebus peractis, ac vespere autem facto, pervenerunt ad cauponam, cum magno gaudio Sanctii, videndo dominum eius hanc iudicavisse ut cauponam et non tamquam castellum. Ut primum intraverunt dominus Quixotus a caupone quaesivit ubi erat qui lanceas hastasque adduxerat; eique respondit eum in stabulo esse et quidem alendo mulum pabulo. Eadem fecerunt suis iumentis patruelis et Sanctius et quidem Rocinanti dederunt meliorem partem praesepii ac meliorem locum stabuli.

Capitulum 25. Ubi narrantur res gestae ruditus asini et faceta facta magistri theatruli pupulorum sive neurospastorum [vulgo *títeres*] cum memorabilibus divinationibus simii harioli

Valde impatiens erat dominus Quixotus et avidus, ut dici solet, audiendi et cognoscendi res miras quas ductor armorum ei in via promiserat. Quare eum quaesivit, ubi caupo ei dixerat, et quidem eum invenit eumque rogavit ut diceret ei, quod dicturus erat secundum quod ab eo quaesiverat in itinere. Vir ille respondit ei:

–Paulatim ac lentius et non hoc modo stantes accipienda est narratio mea: sine, o bone vir, ut iumentum meum alam pabulo et tunc dicam tibi tales res ut vere miraris.

–Nullam obiectionem faciam –respondit dominus Quixotus–; et etiam adiuvabo te in omnibus.

Et sic fecit et posuit hordeum iumento et mundavit praesepium et, hac humilitate conspecta, ille vir etiam motus bona voluntate voluit ei narrare quod ab eo quaereret; quare sedit super podium et dominus Quixotus etiam sedit iuxta eum et habuit patruelem, ephebum, Sanctium Pansam et cauponarium tamquam senatum auditoriumque et sic incepit hoc modo dicere:

–Scitote vos omnes quod accidit rectori cuiusdam pagi, qui ab hac caupona quattuor leucas et dimidiam abest, nempe ut amitteret asinum suum et hoc propter versutiam et dolum suae famulae, et hoc est nimis longum narrandi, quamquam rector illius pagi multas diligentias fecit ad eum inveniendum, sed hoc non fieri potuit. Et, quindecim diebus elapsis, secundum quod fertur et est vox publica famaque, cum asinus aberat, dum esset in platea illius pagi rector, qui eum amisit, etiam alter rector eiusdem pagi erat cum eo et dixit ei: «–Magnas congratulationes, collega, quia iumentum tuum inventum est.» «Ego etiam tibi congratulor, collega mi –respondit alter–, sed videamus ubi ille apparuit.» «–In monte –respondit qui eum invenit– eum vidi hodie mane, absque clitellis atque ullo capistro et tam macer ut commisererer videndi eum. Volui eum apprehendere et tibi eum adducere, sed factus est vagus ac silvester et cum ad eum perveni ille fugit a me et intravit in absconditum montis. Tamen si vere vis ambo possumus eum quaerere sed sine ut hanc asinam relinquam domi meae et postea huc veniam.» «–Magnum gaudium dabis mihi –dixit ille qui iumentum amisit– et eodem modo solvam tibi quidquid possim.» His adiunctis rerum peractis, atque huiusmodi sicut ego vobis haec enarro cuncti haec explanant, qui vere cognoscunt veritatem huius eventi. Breviter, ambo duo rectores pedibus et una coniuncti iter fecerunt ad montem et pervenerunt, ubi crediderunt se posse asinum invenire, tamen eum nullo modo invenerunt nec asinus apparuit in illis regionibus, quamquam bene eum quaesiverunt. Cum viderunt eum non apparuisse dixit rector qui asinum viderat alteri: «–Vide, collega: astutia venit ad mentem meam, qua possumus absque dubio hoc animal invenire, quamvis sit intus in media terra et non in monte, et haec est me optime scire rudere et, si tu scis aliquid huiuscemodi facere, hoc negotium erit perfectum.» «–Tantum aliquantulum dicis, collega?» dixit alter. «Per Deum, nemo superabit me nec quidem asini in ruditu.» «–Nunc videbimus –respondit rector secundus– quia decrevi te ire per hanc partem montis et ego per alteram partem ita ut circumeamus omnem montem et aliquando tu rudis et aliquando egomet id faciam et asinus audiet nos et nobis respondebit, si ille est in hoc monte.» Cui dominus asini respondit: «–Ego dico hanc astutiam excellentem esse et dignam tuae magnae mentis.» Secesserunt se ad invicem secundum quod statuerunt et accidit ut fere ipso tempore ambo rudiverunt et unusquisque decepit alterum et ambo venerunt ad quaerendum se mutuo, credendo asinum vere apparuisse; sed cum viderunt se ad invicem dixit qui asinum perdiderat: «–Num fieri potest, collega, non fuisse asinum meum qui ruderet?» «–Non fuit nisi egomet», respondit alter. «–Nunc dico –ait dominus asini– nullam esse distinctionem inter te et asinum quoad ruditum; quia numquam in omni vita mea vidi nec audivi accuratiorem ruditum.» «–Hae laudationes atque exaggerationes –respondit qui habuit astutiam– melius ad te pertinent quam ad me, collega; quia per Deum, qui creavit me, potes duos ruditus dare et quidem superare meliorem ac peritissimum ruditorem totius huius mundi;

quia sonus quem habes est altus; vocem suffultam atque ad tempus et mensuram; silentia multa ac rhythmica sunt et breviter, ego tibi dabo victoriam et do palmam et vexillum huius rarae habilitatis.» «Nunc dico –respondit dominus asini– in meliorem me habebo ex hoc et in futurum, nam aliquid excelsum est in me; sed quamquam putavi me bene rudere numquam putavi ad talem extremum hoc pervenire tamquam dicis.» «–Etiam dicam egomet nunc –respondit secundus– in mundo esse habilitates amissas et quibus male utuntur, quia qui eas habent nesciunt quid facere.» «Nostrae autem non possunt nobis proficere nisi in hoc statu rerum et utinam placeat Deo ut vere nunc proficiant nobis.» Et, his verbis dictis, denuo secesserunt se ad invicem et iterum ad suos ruditus rediierunt et omni tempore decipiebant se mutuo et veniebant obviam alteri usque dederunt signum peculiare, ne amplius se deciperent ad intelligendum se rudere et non asinum, nempe ut bis ruderent una vice et postea altera vice. His rebus duplicabant ruditus et montem circumibant, sed asinus amissus nullo modo respondebat nec alio modo. Sed quomodo potuisset asinus respondere si eum invenerunt dilaniatum ac devoratum a lupis? Et cum dominus eius eum vidit dixit: «–Certe mirabar quomodo asinus non responderet, quia si mortuus non esset profecto responderet sive non esset asinus; tamen in compensatione audiendi te rudere et quidem tam magna habilitate, collega, hunc laborem ad asinum quaerendum ut perfectum accipio, quamvis eum mortuum invenerim.» «Et quid dicam ego de te, collega –respondit alter–, nam si bene cantat abbas monachelus non manet a longe eius.» His rebus peractis et dictis, lassi ac rauci reversi sunt ad pagum eorum ubi narraverunt amicis, vicinis oppidanis et propinquis suis, quae acciderant eis quaerendo asinum et eodem modo exaggerabant habilitatem alterius ad rudendum et haec fama cognita ac propagata est inter pagos circumvicinos. Et diabolus qui numquam dormit, cum sit amicus seminandi et spargendi insidias discordiasque ubique, suscitando calumnias in aerem ac magnas chimaeras ex nihilo, statuit et quidem fecit ut incolae aliorum pagorum cum viderent quemdam nostri oppidi ruderent ad iniuriam faciendam in vultum ope ruditus eorum. Pueri etiam hanc consuetudinem habuerunt et hoc idem fuit quam invenire omnes daemones inferni, et ruditus ita propagatur in hoc et altero pago ut cogniti sint incolae pagi huius ruditus tamquam cogniti ac diversi sunt nigri ab albis; et ad talem extremum pervenit infortunium huius dedecus ut multoties etiam cum armis exeant laesi et offensi turmatim ad oppugnandos iniuriantes et ad proelium impendendum et quidem nemo potest hoc impedire neque propter timorem neque propter verecundiam. Et sic credo cras sive alio die incolas mei oppidi, qui sunt illius ruditus, exituros esse ad debellandum contra incolas alterius loci, qui abest duas leucas a nostro pago, et illi sunt qui maximo impetu persequuntur nos et ut melius sit nobis emi has lanceas hastasque quas iam antea vidistis. Et hae sunt res mirae, quas dixi me narraturum esse vobis et si tales non vobis videntur alias quidem nescio.

Et, his verbis prolatis, narrationem suam finivit ille bonus vir et tunc per portam cauponae intravit homo amictus pelle subacta, tibialibus, femoralibus et thorace ac magna voce dixit:

–Domine hospes, habesne cubiculum mihi? Hic enim venit simius hariolus et theatrulum spectaculi libertatis Melisendrae.

–Per sanctum Coelum! –dixit caupo–, hic est magister Petrus! Beata nox erit nobis.

Oblitus sum dicendi magistrum Petrum habuisse oculum sinistrum coopertum et fere dimidiam partem faciei ope viridis telae sericae, propter quoddam morbum illius lateris faciei; et cauponarius prosecutus est dicens:

–Benedictus sit adventus tuus, magister Petre. Ubinam gentium est simius et theatrulum quos nondum video?

–Iam prope veniunt –respondit homo amictus pelle subacta–, sed volui quamprimum scire si esset locus ad pernoctandum in caupona.

–Ab ipso duce de Alba auferrem hunc locum ad dandum magistro Petro –respondit caupo–; veniat simius et theatrulum, quia hodie spectatores sunt in caupona, qui libenter solvent ad videndum et etiam pro habilitate simii.

–Hoc sit in bona fortuna –respondit vir coopertus tela serica– et ego minuam pretium et pro sumptu pernoctandi contentus ero et festinabo ad adducendum plaustrum, ubi venit simius et theatrulum.

Et continuo egressus est ex caupona.

Dominus Quixotus quaesivit a caupone quisnam esset hic magister Petrus et quidnam illud theatrulum et qualem simium ille haberet. Cui caupo respondit:

–Hic est notus magister qui habet theatrulum pupulorum vel neurospastorum [vulgo *títeres*] qui per multos dies deambulat per hanc Manicam regionem [montis] Aragoniae et ostendit spectaculum Melisendrae, quae liberata est a claro equite domino Gaiferos et haec est historia ex melioribus ac valde bene repraesentatis, quae in hoc regno videntur. Necnon et affert simium, qui habet raram habilitatem, quae numquam apud simios videtur neque imaginatur inter homines, quia, si quaerunt ab eo aliquid, simius attente audit quaestionem et dat saltum super umerum domini sui et ad aurem eius dat responsum et magister Petrus statim hoc responsum dicit. Ex rebus praeteritis plus dicit quam de futuris et quamvis non semper attingat rem plerumque non errat et sic credimus eum diabolum habere in corpore. Omnis quaestio constat duobus argenteis si simius respondit, nempe dominus eius respondit pro eo, postquam loqueretur ad auditum eius. Et hoc modo creditur magistrum Petrum ditissimum esse et etiam est «vir munificus» (*uomo galante*) velut dicunt in Italia et *buon compagno* et gaudet de meliore vita huius mundi; loquitur plus quam sex homines et bibit plus quam duodenos et omnia propter linguam suam et simium suum et propter theatrulum suum.

Tunc reversus est magister Petrus et in curru ferebat theatrulum et simium, hic erat magnus corpore atque absque cauda et cum clunibus coactilibus, sed facetus facie; et, ubi primum eum viderit, dominus Quixotus quaesivit ab eo:

–Dicas mihi, domine divinator: *che pesce pigliamo*? Quid accidet nobis in futurum? Et videas hic sunt duo argentei mei.

Et iussit Sanctio ut daret eos magistro Petro, qui respondit pro simio et dixit:

–Domine, hoc animal non respondit nec dat nuntium de rebus quae venturae sunt; aliquid cognoscit de rebus praeteritis et parum de rebus praesentibus.

–Mehercle! –dixit Sanctius–, nullum nummum darem propter res quae acciderint mihi, quia quis potest eas melius quam egomet cognoscere? Et dare pecuniam ut

dicant mihi quod iam scio esset magna stultitia; sed si vere cognoscit res praesentes hic sunt duo argentei mei et dicas mihi, domine *simissime*, quid facit nunc uxor mea Teresia Pansa et quomodo oblectatur?

Magister Petrus noluit accipere pecuniam dicens:

–Nolo praemia anticipata accipere nisi servitia mea praecedant.

–Et duos ictus manu dextra dedit super umerum sinistrum et simius saltu ascendit in umerum et adduxit os suum ad aurem eius et dentem cum dente movebat magna celeritate; et his rebus peractis, per moram unius *Credo* descendit etiam ope saltus in terram et statim ac magna festinatione magister Petrus flexit genua ante dominum Quixotum et amplexus est crura eius et dixit:

–Haec crura amplector tamquam si amplecterer columnas herculeas, o insignis resuscitator equitatus itinerantis in oblivione! O eques numquam bene laudatus, o domine Quixote a Manica, suscitator miserantium, adiutor miserorum, bracchium cadentium, baculus et consolatio omnium pauperum!

Dominus Quixotus stupuit, Sanctius admiratus est, patruelis dubius, attonitus ephebus, perturbatus ille qui egit de ruditu, confusus caupo et denique obstupuerunt omnes, qui argumenta illius histrionis audiverunt, qui prosecutus est dicens:

–Et tu, o bone Sancti Pansa! melior armiger optimi equitis huius mundi: laetare quia tua bona mulier Teresia bene se habet et hac hora carminat libram lini et ad alia signa danda illius ad suum latus sinistrum habet urceum apertum continentem bonam copiam vini, quo oblectatur in labore suo.

–Hoc credo valde bene –respondit Sanctius–, quia est benedicta et si non esset zelosa non permutarem eam pro giganta Andandona, quae secundum dominum meum fuit mulier valde prudens ac digna; et mea Teresia non est ex eis quae male transeunt, quamvis hoc debeant solvere heredibus.

–Nunc ergo dicam –inquit ad hanc occasionem dominus Quixotus–, qui multum legit et ambulat multum scit. Et hoc dico quoniam quis potest persuadere mihi simios esse in mundo, qui possint divinare, quomodo vidi propriis oculis meis? Nam egomet sum ipse dominus Quixotus a Manica sicut hoc animal dixit, quamquam aliquantulum exaggeravit laudes meas; sed cum ego sim, gratias ago coelo, qui dedit mihi animum mollem, clementem ac pronum semper sum ad bonum faciendum omnibus et malum nulli.

–Si habuissem pecuniam –dixit ephebus–, quaererem a domino simio quid eveniet mihi in mea peregrinatione.

Cui respondit magister Petrus, qui iam surrexit de pedibus domini Quixoti:

–Iam dixi hanc bestiolam non respondere de rebus futuris, et si vere responderet non necesse erat pecuniam habere; quia propter ministerium domini Quixoti, qui hic est omnia lucra huius mundi libenter relinquerem. Et nunc et ad eum honorandum volo theatrulum meum erigere ad oblectandos omnes, qui sunt in hac caupona, et sine ullo lucro ex mea parte.

Caupo, his verbis auditis, valde laetus est et designavit locum, ubi ille posset theatrulum struere quod confestim fecit.

Dominus Quixotus non erat nimis contentus cum divinationibus simii, quoniam ei non bene videbatur simium divinavisse res praeteritas nec futuras; et dum magister

Petrus struebat suum theatrulum dominus Quixotus secessit seorsum cum Sanctio ad angulum stabuli ubi, nemine audiente, ei dixit:

–Vide, Sancti, ego consideravi bene raram habilitatem huius simii et, mea opinione, et absque dubio, credo hunc magistrum Petrum, dominum eius, habere pactum, tacitum sive expressum, cum daemone.

–Si *patius*» [hispanice *cohors*, pro *pacto*] est *spissus* [hisp. *non mundus*, pro *expresso*] et daemonis est –dixit Sanctius–, sine dubio immunda erit haec cohors; sed quid utilitatis erit magistro Petro has *cohortes* [hisp. *patios*, pro *pactos*] habere?

–Non intelligis me, Sancti: tantum volo dicere magistrum Petrum habuisse pactum sive consensum cum daemone ex quo orta est haec rara habilitas simii, qua possit lucrari ad comedendum et cum vere dives sit animum suum dabit daemoni, et hoc est quod hic inimicus universalis conatur facere et vult. Et hoc credo quoniam simius tantum respondit de rebus praeteritis sive praesentibus, nam sapientia diaboli non propagatur amplius et quae futurae sunt nescit nisi per coniecturas et non semper; nam soli Deo reservatum est cognoscere tempora et momenta neque Ei est praeteritum nec futurum, quoniam omnia praesentia sunt. Et cum hoc ita sit, quod apertum est, hic simius loquitur secundum modum dicendi diaboli et miror quomodo nondum accusaverunt eum ad Sanctum Officium [Inquisitionis] ad eum inquirendum et extrahendam hanc virtutem divinandi; quoniam hic simius non est astrologus neque dominus eius nec possunt has figuras horoscopi suscitare, quas vocant iudiciarias et, quae tam notae sunt in omni Hispania, ubi non est muliercula nec ephebus nec sutor, qui non praesumat suscitare has figuras tamquam si essent chartae lusoriae et inter has quam *peditem* appellant et cum eis volunt omnem veram ac miram scientiam deperdere suis mendaciis et ignorantia. De quadam domina audivi dicere eam quaesivisse a quodam astrologo ex eis, qui suscitant has figuras, et quae voluit scire si catella melitensis [ex Melita, (Malta)] sua gravida esset quot catulos haberet et cuius coloris essent catuli quos paritura esset. Quibus quaestionibus astrologus ille sive dominus iudiciarius, figura illius canis suscitata, respondit ei dicens catellam futuram esse gravidam ac parituram tres catulos, alterum viridem, alterum rubrum atque alterum mixtum, sed sub condicione ut talis catella fecundaretur inter horam undecimam et duodecimam diei vel noctis et hic esset dies Lunae vel Sabbato; tamen accidit talem catellam mortuam esse post duos dies ex indigestione et astrologus ille illustris fuit, quoniam accurate iudicavit tamquam plures astrologi suscitatores.

–Nihilominus, vellem –dixit Sanctius– ut diceres magistro Petro ut ille quaereret a suo simio utrum verum esset quod accidit tibi in caverna Montesinos necne, quia secundum me omnia mendacia sunt, cum tua venia, domine, sive saltem omnia somnia fuerunt.

–Omnia fieri possunt –respondit dominus Quixotus–; et faciam secundum consilium tuum et quamvis etiam apud me sit quid scrupuli.

His rebus dictis, magister Petrus venit ad dominum Quixotum quaerendum et quidem dicendum ei theatrulum iam paratum esse et ut ille posset venire ad id videndum, quia vere dignum erat spectandi. Dominus Quixotus communicavit ei suas cogitationes et rogavit eum ut quaereret a simio de quibusdam rebus, quae ei acciderunt in caverna Montesinos utrum in somnio an realiter essent, quoniam ei videbantur diversimodi esse. Cui magister Petrus, nullo verbo adhibito, reversus est ad suum simium et stetit coram domino Quixoto et Sanctio et dixit:

–Vide, domine simie, hic eques vult scire utrum quaedam res quae acciderint ei in caverna appellata Montesinos verae an falsae sint.

Tunc fecit signum solitum et simius ascendit saltu in umerum sinistrum et locutus est cum eo, ut videbatur, ad auriculam eius et continuo dixit magister Petrus:

–Simius dicit res, quas dominus Quixotus vidit in hac caverna, partim veras et partim falsas esse; et tantum hoc est quod simius scit et non aliter, quoad hanc quaestionem. Tamen si vis amplius scire proximo die Veneris respondebit tibi omnes quaestiones, quae ab eo quaeras; sed nunc non habet amplius virtutem divinandi usque ad proximum diem Veneris sicut iam dixi.

–Nonne dixi ego –inquit Sanctius–, me non posse credere omnia quae tu, domine, narravisti de factis in caverna, nempe ea vera esse, nec immo dimidiam partem eorum?

–Ipsa facta de se dicent, Sancti –respondit dominus Quixotus–; quoniam tempus develabit omnia et nihil manebit occultum quod non edat in lucem solis, quamvis abscondatur in profunda terra. Sed nunc sufficit hoc et videamus spectaculum theatruli huius boni magistri Petri et, mea sententia, habebit aliquam novitatem.

–Quomodo aliqua? –respondit magister Petrus–. Sexaginta milia in se continet spectaculum meum; et etiam dicam domino Quixoto hanc rem mirabilem esse quam hodie mundus habet et *operibus credite et non verbis*, quia sero est et oportet operam navare ne amplius dilatetur, nam multa sunt facienda ad dicendum et manifestandum.

Dominus Quixotus Sanctiusque oboedierunt ei et venerunt ubi iam paratum erat theatrulum atque apertum plenumque candelis cerae accensis, quibus videbatur ornatum ac fulgurans. Cum ad id pervenerunt magister Petrus introduxit se intus, quia ipse erat qui illos pupulos sive figuras artificii movebat et foras stetit puer famulus magistri Petri ad interpretanda atque explananda mysteria illius spectaculi; habebat virgulam in manu qua indicabat figuras, quae suo tempore apparebant.

Omnes, qui erant in caupona, aderant, alii sedentes nonnulli autem stantes atque erecti coram theatrulo, et dominus Quixotus Sanctiusque, ephebus ac patruelis sedebant in melioribus locis. Tunc interpres incepit exponere quod audiet et videbit, qui audiat sive legat proximum capitulum.

Capitulum 26. Ubi prosequuntur iucundae res gestae magistri theatruli pupulorum sive neurospastorum [vulgo *títeres*] cum aliis rebus vere valde bonis

Conticuerunt omnes, tum tyrii tum troiani, ut ita dicam, et attenti animum tenebant omnes, qui spectaculum intuebantur, pendentes de ore interpretis harum mirarum rerum, cum audiverunt sonare in theatrulo multa tympana ac tubas et explodere tormenta bellica, quorum sonus breviter elapsus est et postea puer levavit vocem et dixit:

–Haec est vera historia, quae vobis repraesentatur, et exhausta est litteraliter ex libris chronicis francogallicis et ex carminibus hispanicis [vulgo *romances*], qui sunt

in ore omnium gentium et puerorum per has vias mundi. Agitur de libertate quam dominus Gaiferus dedit uxori suae Melisendrae, quae capta in Hispania, apud mauros erat, in urbe Sansuenna (Sansueña), quae sic nuncupabatur quae hodie est Caesaraugusta (Zaragoza). Videte quomodo ibi dominus Gaiferus est in ludo scrupulorum, secundum quod cantatur:

> Dominus Gaiferus erat in ludo scrupulorum
> atque iam oblitus est Melisendrae.

Et illa dramatis persona, quae ibi apparet amicta corona super caput et habet sceptrum in manibus, est ipse imperator Carolus Magnus, pater putativus Melisendrae, qui moestus videndi otium ac negligentiam sui generis Gaiferi venit ad eum reprehendendum. Atque animadvertite quomodo eum enixe ac magna vehementia increpat, et immo videtur se caput eius saltem sexies percutere velle ope sceptri, et sunt auctores qui dicunt eum hos ictus ei dedisse et quidem fortes; et, multis verbis prolatis, de periculo sui honoris, quia non curavit de libertate uxoris et fertur eum ei dixisse:

> «Multoties iam dixi vobis: inspicite eum.»

Videte vos etiam quomodo imperator vertit dorsum et relinquit dominum Gaiferum iratum, qui impatiens iracundia proiicit procul a se tabulatum et ludum scrupulorum et celeriter petit arma sua atque a domino Orlando (Roldano) quaerit gladium vocatum Durindanam et quomodo Orlandus (Roldanus) non vult eum ei commodare, sed ei offert suum comitatum in hac difficili expeditione; tamen eques iratus non vult comitatum eius accipere; antea dicit se solum sufficere ad uxorem educendam, quamvis esset in profunda abysso terrae; et, his verbis dictis, introit ad sese armandum et ad iter faciendum. Tamen porrigite oculos vestros ad illam turrim, quae hic apparet et supponitur esse una ex turribus palatii Caesaraugustae, quae nunc vocatur *Aljafería*; atque illa domina quae apparet in pergula, amicta more arabico est impar Melisendra, quae multoties inspiciebat viam Francogalliae dum fingebat animo Lutetiam Parisiorum et suum maritum, atque hoc modo consolabatur de sua captivitate. Videte etiam quod nondum acciderat nec visum est. Nonne videtis illum maurum, qui pedetentim ac tacitus deambulat dum habet digitum in ore et venit a tergo Melisendrae? Videte quomodo ille eam osculatur in mediis labiis et inspicite celeritatem, qua illa exspuit ac mundat os suum, ope manicae candidae subuculae et quomodo lamentatur et pulchros capillos eradicat tamquam si culpabili essent huius maleficii. Videte etiam illum gravem maurum, qui est in illis faucibus, ille est rex Marsilius Sansuennae (Caesaraugustae); et, insolentia illius mauri conspecta, quia propinquus eius erat et magnus benevolus ei, iubet ut eum apprehendant et ducenta flagella dent ei eumque per solitas vias urbis adducant,

> cum vociferantibus a fronte
> et ministris iustitiae a tergo

et nunc videtis quomodo sententiam exsequuntur, vix culpa facta, nam apud mauros non datur «confrontatio partium» neque «testimonium et appellatio» sicut apud nos.

–Puer, puer –inquit magna voce ad hanc occasionem dominus Quixotus–, prosequere tuam historiam recte et ne immisceas te in curvas sive transversas vias; quoniam ad veritatem inveniendam necesse sunt multae probationes et comprobationes.

Etiam magister Petrus ex intro dixit:

–Puer, noli te immisceri in difficultatibus, sed fac sicut hic dominus tibi iubet quod melius erit; sequere tuam simplicem narrationem et ne introeas in diversitates quae franguntur, quia debiles erunt.

–Sic faciam –respondit puer, et prosecutus est dicens–: Haec figura quae hic apparet super equum, amicta pallio gasconico ipsa est domini Gaiferi. Et ibi est uxor eius iam vindicata ab audacia illius mauri capti amore et praedita meliore ac tranquillo vultu, ex pergula turris cum suo marito loquitur, credens eum esse viatorem peregrinum, et inter eos haec fuerunt argumenta et colloquia illius carminis dicentis:

Eques, si ad Francogalliam iter facis
quaere de domino Gaifero.

Et haec omnia non dicam propter prolixitatem, quae generat nauseam; satis est videre quomodo dominus Gaiferus revelatur et per laeta signa, quae Melisendra facit, intelligimus illam eum cognovisse et praesertim nunc cum descendat de pergula ad sedendum super dorsum equi boni mariti. Sed, proh dolor! hanc misellam! quia illa extremam vestem prehendit ex ferris pergulae et pendet in aere et non attingit terram. Tamen videtis pium coelum succurrere ei in magnis angustiis, nam dominus Gaiferus advenit et, Melisendra nolente, ac, nullo intuitu adhibito, utrum vere vestem locupletem rumpat necne eam demisit ad terram et confestim ope saltus ponit eam super dorsum equi ac modo virili eique iubet ut arcte iuxta se sedeat et amplectetur a tergo ita ut bracchia sua super pectus eius ponat ne cadat, quia domina Melisendra non solita est ad tales equitatus faciendos. Etiam videtis quomodo equus hinnit et hoc vult dicere se laetum esse cum strenuo ac pulchro onere quod fert, nempe dominum et dominam. Videtis quomodo dorsum vertunt et ex urbe exeunt laeti atque exultantes et iter faciunt Lutetiam Parisiorum (París). Ite in pace, o par inaequalis et veri capti amore! Utinam perveniatis ad vestram desideratam patriam et fortuna ne ponat vobis obstaculum in vestro felici itinere! Utinam oculi amicorum vestrorum ac propinquorum videant vos gaudere de pace tranquilla omnes dies et hi longi sint, tamquam dies Nestoris, omnes reliqui dies vestrae vitae!

Hic denuo magister Petrus levavit vocem et dixit:

–Simplicitas, puer, ne nimis ascendas sursum; quia omnis affectatio nociva est.

Nil autem respondit interpres, sed prosecutus est dicens:

–Non defuerunt otiosi oculi, qui omnia vident et quidem viderunt descensum atque ascensum Melisendrae de quo nuntium dederunt regi Marsilio, qui iussit ut tuba signum daret, atque en videte quam celeriter id faciunt, quia urbs submergitur sub sonitu campanarum, quae in omnibus meschitis sonant.

–Hoc minime verum est! –dixit ad hanc occasionem dominus Quixotus–. In hac quaestione campanarum magister Petrus improprie agit, quoniam mauri non utuntur campanis, sed tympanis et tibiis, quae similes sunt nostris fistulis. Sed sonare campanas Sansuennae (Caesaraugustae) est magna ineptia.

Magister Petrus, his verbis auditis, statim desiniit sonare et dixit:

–Ne videas has subtilitates, domine Quixote, neque velis has extremas res taliter ducere quin has etiam invenias. Nonne repraesentantur hic mille comoediae, quae plenae sunt mille improprietatibus atque erroribus, et feliciter cursum consumant atque eas audiunt non tantum plausu, sed immo magna admiratione? Prosequere, puer, et sine eos dicere et si vere saccum meum impleo nil faciam repraesentando plures improprietates quam atomos habeat sol.

–Hoc verum est –obiecit dominus Quixotus.

Et puer dixit:

–Videte quam magnus ac fulgidus equitatus exit ad persequendos hos duos catholicos amantes; quot tubae sonant, quot tibiae sonum dant, quot tympana resonant. Timeo quominus eos possint apprehendere et revertantur cum eis ligatis ad caudam equi eorum, quod vere esset teterrimum spectaculum.

Cum dominus Quixotus audivit et vidit tam multam turbam maurorum bene ei videbatur iuvamen dare fugientibus et stans erectus ac magna voce dixit:

–Nullo modo assentiar meis diebus atque in mea praesentia ut faciant iniuriam tam claro equiti ac tam audaci capto amore ut domino Gaifero. Sistite, male nata plebecula! Nolite eos sequi nec persequi; aliter mecum pugnate!

Et haec dicens et quidem faciendo, gladium e vagina extraxit et saltu se constituit iuxta theatrulum et celeriter ac numquam exspectato furore incepit percutere ictus gladii contra turbam multam parvorum pupulorum maurorum, quosdam diruit, aliis capita amputavit, alios conculcavit, alios destruxit et inter alios etiam ictum a vertice deorsum proiiecit ac si magister Petrus non se demitteret, et vitaret ictum, caput suum amitteret facilius quam si ex marcipane esset. Et magister Petrus dabat magnas voces dicens:

–Siste, domine Quixote, et animadverte hos non veros mauros esse, quos destruis, sed dramatis personas fictiles, pupulos sive neurospasta. Et videas, me miserum, ne destruas me et omnia mea bona deperdas!

Tamen dominus Quixotus non minuebat suos ictus, sectiones, ictus aversos et omnes ictus artis gladiatoriae tamquam pluvia. Denique per tempus recitandi bis *Credo* diruit omne theatrulum in terram et quidem in fragmenta ac fregit omnes apparatus eius et omnes figuras: rex Marsilius male vulneratus, imperator Carolus Magnus habens coronam fractam et caput in duas partes. Senatus spectantium turbatus est, simius fugit per fenestram super tectum tegulaneum, patruelis timuit, ephebus defecit animo et usque ipse Sanctius Pansa pavit magno metu, quia tamquam ipse iuravit, hac procella elapsa, numquam vidit dominum suum praeditum tam magna iracundia. Et dominus Quixotus, destructione huius theatruli facta, pacavit se, et dixit:

–Nunc vellem habere ante oculos meos omnes, qui non credunt equites itinerantes esse in mundo tam magnae utilitatis: videte, si ego non essem hic praesens quid ergo fuisset huius boni Gaiferi atque huius pulchrae Melisendrae? Absque dubio hi canes apprehendissent eos et fecissent magnum infortunium in eos. Breviter, vivat equitatus itinerantis super omnia, quae in terris sunt!

–Vivat et magna congratulatione –dixit ad hanc occasionem et voce infirma magister Petrus– et peream ego, quia tam infortunatus sum ut possim cum rege Roderico dicere:

Heri fui dominus Hispaniae
et hodie nullam pinnam castelli habeo
quam possim dicere meam!

Abhinc dimidiam horam, sive abhinc momentum minimum, eram dominus regum atque imperatorum, stabula mea erant plena et arcae meae et sacci mei innumeros equos et vestes festivas habebant, nunc autem desolatus sum et contemptus, pauper ac mendicans, et insuper sine simio meo et ante quam eum denuo apprehendam sudabo per dentes meos et omnia propter furorem male consideratum huius domini equitis de quo dicitur eum orphanos protegere, adversa bene reparare et facere opera misericordiae, sed tantummodo defuit mihi voluntas magnanima eius, et benedicti sint coeli, ubi sublimes mansiones sunt! Denique Eques Tristis Figurae erat qui debebat meas figuras destruere.

Sanctius Pansa commotus est argumentis magistri Petri et dixit ei:

–Noli flere, magister Petre, et noli lamentari ne rumpas cor meum, quia oportet te scire meum dominum Quixotum tam catholicum et scrupulosum christianum esse et si vere intelligit quod fecit tibi, iniuriam solvet tibi et etiam amplius faciet.

–Satis esset si persolveret mihi dominus Quixotus partem ex damnis factis et contentus essem et tu haberes etiam conscientiam tranquillam, quia non potest salvus fieri, qui habet alienum contra voluntatem domini et non ei restituit.

–Hoc ita est –inquit dominus Quixotus–; sed hucusque nescio quid habeam quod tuum sit, magister Petre.

–Cur non? –respondit magister Petrus–. Et quaenam sunt reliquae quae iacent per duram ac sterilem terram, quisnam eas sparsit et destruxit nisi robur tui invincti bracchii? Et quorum erant corpora nisi mea? Et nonne ex his ego sustentabar?

–Nunc venio ad intelligendum –dixit ad hanc occasionem dominus Quixotus– quod multoties credidi; nempe incantatores persequi me et nil faciunt, nisi ante oculos meos figuras ponere et postea eas mutant et commutant in alias, quas illi vere volunt. Certe ac reapse dico vobis, domini, qui auditis me, mihi vere videbantur omnia, quae hic acciderunt, vera esse et quidem verbatim: Melisendra erat vere Melisendra, dominus Gaiferus erat dominus Gaiferus, Marsilius, Marsilius et Carolus Magnus ipse Carolus Magnus. Et haec fuit causa irascendi atque adimplendi meum munus equitis itinerantis quapropter volui iuvare ac favere fugientibus et hoc bono proposito feci quod vidistis; si haec omnia feci e contrario non est praecise culpa mea, sed eorum qui persequuntur me; tamen error meus non procedit ex malitia, quare volo egomet sumptum solvere; videat igitur dominus Petrus quod velit propter omnes figuras quas destruxi et libenter persolvam ei ilico in pecunia castellana cursus legalis pro damnis.

Magister Petrus inclinavit se ad eum dicens:

–Non minus exspectabam ego de inaudita christianitate strenui domini Quixoti a Manica, qui vere est adiutor et protector omnium egenorum et indigentium vagabundorum; hic dominus caupo et Sanctius Pansa erunt mediatores atque aestimatores inter te et me de pretio sive quam multo hae figurae destructae constent.

Cauponarius Sanctiusque dixerunt se hoc facere et continuo magister Petrus levavit ex terra regem Marsilium Caesaraugustae absque capite et dixit:

–Iam videtur non fieri posse ut hic rex redeat ad suum pristinum statum, salvo iudicio facto, ut dentur mihi pro sua morte quattuor aurei et dimidius.

–Procedamus ulterius –dixit dominus Quixotus.

–Propter hanc scissuram a vertice deorsum –prosecutus est magister Petrus, accipiens suis manibus imperatorem scissum Carolum Magnum–, non esset multum si quaererem quinque aureos et quartum.

–Non est parum –dixit Sanctius.

–Nec immo multum –obiecit caupo–; dimidietur quaestio et accipiantur quinque aurei.

–Dent ei quinque et quartum –dixit dominus Quixotus–; nam non est magni momenti quartus plus minusve huius magni infortunii; et finiat rapido magister Petrus, nam iam est hora coenandi et sunt mihi signa famis.

–Propter hanc figuram –dixit magister Petrus– quae amisit nares et oculum et est illustris Melisendrae volo, et hoc est iustum, duos aureos et duodecim teruntios.

–Adhuc hic esset diabolus –inquit dominus Quixotus–, si iam non esset Melisendra cum suo marito saltem in limine Galliae, quoniam equus, qui eos vehebat mihi videbatur volare et non currere; quapropter non est quaestio vendendi mihi felem pro lepore et nunc ostendere mihi Melisendram sine naribus cum altera sit nunc temporis gaudendo placide de maximis voluptatibus cum suo marito in Francogallia. Et Deus provideat unicuique cum suis bonis, domine magiter Petre, et iter faciamus plano gressu ac bona voluntate. Et prosequere.

Magister Petrus cum vidit dominum Quixotum reverti ad pristinum consilium suum noluit ut efugeret et sic dixit ei:

–Haec non erit Melisendra, nisi quaedam ex virginibus eius, quae ei ministrabant; quare possunt mihi sexaginta teruntios dare et contentus ero ac bene remuneratus.

Hoc modo posuit pretium multis figuris destructis et iudices arbitri moderaverunt pretia cum gaudio ambarum partium, et sic usque ad quadraginta argenteos et tres quartos pervenerunt quod Sanctius statim solvit et magister Petrus petivit duos argenteos amplius pro labore quaerendi simium suum.

–Da ei eos, Sancti –ait dominus Quixotus–, et non ad simium quaerendum, sed ad «simiam»; et ducentos darem libenter cuicumque dixerit mihi dominam Melisendram una cum domino Gaifero certe esse in Francogallia inter suos propinquos.

–Nullus hoc melius quam simius meus diceret nobis –inquit magister Petrus–, sed nullus diabolus nunc apprehendet eum, quamvis etiam credam dilectionem et famem impellere eum ad quaerendum me hac nocte et, primo mane, Deus providebit et iam videbimus.

Breviter, procella huius theatruli finita, cuncti coenaverunt in pace et bono comitatu ad sumptum domini Quixoti, qui munificus erat in extremis.

Tamen ante diluculum qui lanceas et hastas ferebat profectus est et, mane iam facto, patruelis ephebusque venerunt ad domino Quixoto valedicendum, alter ad revertendum ad suum pagum, alter ad iter faciendum et ad eum iuvandum dominus Quixotus dedit duodecim argenteos. Magister Petrus autem noluit ulteriores interlocutiones cum domino Quixoto habere, quem bene eum cognoverat et hoc modo et ante quam sol lucesceret e lecto surrexit, collegit reliqua ex suo theatrulo et suum simium et profectus est ad suas res gestas quaerendas. Caupo autem, qui nondum noverat dominum Quixotum, mirabatur de dementiis ac de munificentia eius. Et denique Sanctius solvit bene cauponi ex mandato domini sui et valedixit ei. Et hora fere octava illius diei reliquerunt cauponam et iter fecerunt, ubi nos eos relicturos, quia sic convenit ad narranda alia, quae etiam pertinent ad hanc celebrem historiam explanandam.

Capitulum 27. Ubi declaratur qui erat magister Petrus et simius eius, cum adversa fortuna quam dominus Quixotus habuit in rebus gestis ruditus, quas non finivit sicut ille voluit

Cide Hamete, chronista huius magnae historiae incepit hoc capitulum his verbis: «Iuro ut catholicus christianus ...», ex quibus traductor dicit cum Cide Hamete dicat se iurare tamquam catholicum christianum, cum absque dubio esset maurus, hoc vult dicere eum tantummodo velle iurare vel dicere veritatem, sicut catholicus christianus facit cum iuret et debet iurare veritatem et hanc dicere in his quae dixerit et hoc modo ille veritatem dicebat, tamquam si catholicus christianus iuraret in his, quae volebat scribere de domino Quixoto, praesertim ad explanandum quisnam esset magister Petrus et quis simius hariolus, quorum omnes incolae illius regionis de divinationibus eorum mirabantur.

Dicit igitur, qui legerit primam partem huius historiae bene meminisset illius Ginesii de Pasamonte, quem dominus Quixotus inter alios damnatos ad triremes liberavit in Montibus Fuscis, propter quod beneficium illa plebecula maligna et indigna postea male gratias egit et peiore modo eum remunerata est. Hic Ginesius de Pasamonte, quem dominus Quixotus vocavit Ginesillum de Parapilla, fuit ille qui rapuit asinum a Sanctio Pansa, sed in illa prima parte non constat nec quando nec quomodo, et hoc propter culpam typographorum imprimentium librum et haec omissio multis videbatur propter parvam memoriam auctoris. Sed breviter, Ginesius eripuit asinum dum Sanctius Pansa dormiebat super eum et fecit ipsam astutiam quam Brunelus cum Sacripante esset in obsidione Albracae et extraxit equum ex mediis cruribus eius, sed postea Sanctius recuperavit eum, sicut iam dictum est. Hic Ginesius autem timens quominus iustitia apprehenderet eum, quia quaerebat eum propter innumeras malitias eius delictaque, quae fuerunt tanta ac talia ut ipse componeret magnum librum narrando haec omnia, decrevit transire ad regnum Aragoniae et oculum suum sinistrum texit et officium magistri theatruli pupulorum accepit; quia hoc et ludere suis manibus optime faciebat in extremis.

Et accidit ut ex quibusdam christianis iam liberis, qui ex Barbaria reversi sunt, emeret illum simium, quem edocuit quoddam signum ut ascenderet super umerum suum et murmuraret sive videretur se murmurare ad aurem eius. His rebus peractis, et ante quam ad quemdam locum intraret cum suo theatrulo et simio, in proximo loco inquirebat res peculiares illius loci, quae ibi acciderant et de nominibus hominum, quae bene tradidit memoriae et primum quod faciebat erat theatrulum ostendere et aliquando erat haec historia et aliquando alia, sed omnes erant laetae ac facetae et omnibus bene cognitae. Et, spectaculo finito, proponebat habilitates simii, dicendo eum divinare praeterita et praesentia, sed quoad futurum id non faciebat tam bene. Pro responso quaerebat duos argenteos et aliquando etiam minuebat pretium secundum quaerentes. Et aliquando veniebat ad domus eorum, de quibus cognoverat res gestas, quamvis nihil ab eo quaererent, tamen ille faciebat signum simio et continuo dicebat eum sic ei dixisse et quod dicebat conveniebat cum factis quae ibi acciderunt. Hoc modo

acquirebat credibilitatem et cuncti eum quaerebant. Aliquando etiam, quia valde prudens erat, respondebat taliter et responsa eius conveniebant bene quaestionibus; et nemo ab eo quaerebat nec postulabat quomodo simius haec divinaret et hoc modo decipiebat omnes et ex omnibus suam crumenam replebat pecunia.

Et vix intravit in cauponam recognovit dominum Quixotum et Sanctium ex qua cognitione facile ei fuit excitare admirationem domini Quixoti et Sanctii Pansae et omnium circumstantium qui ibi erant, sed male ei eveniret si dominus Quixotus manum suam parum deorsum demitteret cum scidit caput regis Marsilii et omnem equitatum eius destruxit, ut dictum est in capite praecedenti.

Hoc est quod dicendum est de magistro Petro et de simio eius.

Tamen et revertendo ad dominum Quixotum a Manica, dico eum proficisci a caupona et statuit videre ripas fluminis Iberi (Ebro) et omnes confines eius ante quam perveniret ad urbem Caesaraugustam, nam erat ei tempus ante certamen ludi equestris. Praeditus hac voluntate iter prosecutus est, quo biduum ambulavit et ei nihil accidit quod esset dignum scribendi, usque ad tertium diem, cum ascenderet super collem, audivit magnum strepitum tympanorum, tubarum et sclopetorum. Imprimis arbitratus est hanc esse legionem militum, qui in illo loco transibant et ad eos videndos incitavit Rocinantem calcaribus et ascendit super collem. Et cum esset in summo cacumine vidit ad pedem illius, sua opinione, plus quam ducentos viros armatos diversis armis tamquam si diceremus lanceis, ballistis, hastis, pilis et sclopetis et multis scutis. Descendit de colle et ad turmam appropinquavit ac tantum ut videret vexilla et iudicavit de coloribus et vidit symbola quae ferebant, potissimum unum eorum et signum album, quo depictus vivide erat parvus asinus Sardiniae, qui habebat caput levatum et os apertum et linguam extra os in actu tamquam si esset rudendo et circa eum magnis litteris scriptum erant versus:

Non gratis rudiverunt
praepositi qui fuerunt

Ex hoc symbolo dominus Quixotus intulit eos esse ex pago ruditus et sic dixit Sanctio eique declaravit quod scriptum erat in vexillo. Etiam dixit ei virum illum erravisse, qui eis nuntium dedit de illis rebus gestis, quoniam non erant duo rectores, qui rudiverunt, sed duo praepositi oppidi, et hoc secundum versus vexilli. Cui Sanctius Pansa respondit:

–Domine, nil ex hoc deducitur, quia fortasse qui tunc rudiverunt erant rectores et tempore prodeunte facti sunt praepositi pagi, et hoc modo tum rectores tum praepositi erant, tamen hoc nil addet ad veritatem huius historiae, quia tam male est ut praepositus rudat tamquam si rector id faciat.

Denique noverunt et aperuerunt quomodo pagus offensus exivit ad pugnandum contra alium pagum, qui in eos plus aequo iniurias faciebant et quod debitum erat ad bonam et mutuam vicinitatem.

Dominus Quixotus ad eos pervenit, magna cum molestia Sanctii, qui numquam fuit amicus sese inveniendi in tali statu rerum. Gens illius turmae eum in medio receperunt credentes eos esse suae propriae factionis. Tamen dominus Quixotus levavit operculum cassidis, magno vigore et voluntate, et ad vexillum asini venit et duces

turmae admirati sunt solito more, qui eum prima vice intuebantur. Dominus Quixotus cum vidit eos eum ipsum attente intueri, nemo autem cum eo locutus est nec ab eo quidnam quaesivit et voluit arripere silentium et occasionem illius et incepit loqui magna voce et dixit eis:

–Viri boni, quam arcte possim rogo vos ne interrumpatis argumentum, quod vobis exponam, donec molestum sit et displiceat vobis; si hoc vere accidit facite signum mihi et, quamvis minimum sit, taceam et ponam frenum linguae meae.

Cuncti dixerunt ei ut diceret quidquid vellet et laeto animo eum auscultarent. Dominus Quixotus, hac venia prolata, prosecutus est dicens:

–Ego, domini mei, sum eques itinerans cuius exercitium est armorum et cuius munus est favere egenis et succurrere indigentibus. Non abhinc multos dies cognovi infortunium vestrum et causam, quae movet vos ad arma accipienda omni tempore, ad vindicandam iniuriam ab inimicis vestris. Et ego mea mente ponderavi vestrum negotium et secundum leges duelli inveni vos non posse decipi et erratis si vere creditis vos offensos esse, quoniam nullus potest iniuriam afficere contra totam urbem integram; nisi hoc collective sit de proditione, quoniam nescivit qui vere proditionem commisit de qua agitur. Exemplum huius rei habemus in domino Didaco Ordóñez de Lara, qui omnem urbem Ocelum (Zamoram) ad duellum provocavit, nam nesciebat tantummodo fuisse Vellido Dolfos, qui hanc proditionem fecit occidendo regem eorum, et sic omnes accusavit omnesque impulit ad pugnam et cuncti debuerunt vindictam facere et respondere ad omnia; quamvis etiam verum sit dominum Didacum nimis poposcit et limina illius provocationis ulterius praeterivit, quoniam non necesse erat provocare ad pugnam mortuos nec aquas nec panes nec nascituros nec alias parvitates, quae ibi declarantur. Et cum iracundia ex suis liminibus exit, lingua non habet nec patrem nec educatorem nec frenum ut corrigatur. Et cum hoc ita sit, vir solus non potest totum regnum provocare nec provinciam nec urbem nec rem publicam nec totum populum, qui mundus atque innocens manet et non necesse est ut exeat ad vindicandam iniuriam, quoniam haec non talis est; nam bonum esset ut interficerent inter se incolae oppidi «Horologii» (la Reloja) cum illis, qui sic vocant eos nec «cazoleros», «melongenas» (berenjeneros), «balenas» (ballenatos), «opifices saponis» (jaboneros) et alia nomina et cognomina, quibus utuntur pueri et plebecula! Bonum esset ut hi insignes pagi paverent et vindicarent inter se ope gladii ad omnem rixam quamvis parva sit! Minime, nec Deus permittat nec faxit! Viri prudentes, res publicae bene statutae tantum per quattuor causas debent arma prehendere et gladios e vagina extrahere et vitas hominum in periculum ponere et bona eorum: primo ad defendendam fidem catholicam, secundo ad vitam defendendam, quae est lex naturalis ac divina; tertio ad defendendum honorem et familiam et bona; quarto ad serviendum regi in iusto bello et etiam quinto, quod potest esse secundo, ad patriam defendendam. Ad has quinque causas capitales alias possunt addere si iustae et rationabiles sunt, quare gerunt obligationem accipiendi arma. Tamen accipere arma propter parvitates et res, quae ad risum sunt et magis oblectamenti quam iniuriae, videtur carere omni rationabili consilio et nullo modo ad vindictam iniustam faciendam, quoniam minime erit iusta et contra sanctam legem quam profitemur, qua iubent nobis ut faciamus bonum nostris inimicis et etiam nos debemus amare illos qui abhorrent nos, quamvis hoc difficile sit adimplendi, sed non illis, qui

minus habent de Deo quam de mundo et plus de carne quam de spiritu, quoniam Iesus Christus, Deus et homo verus, qui numquam mentitus est nec potuit nec potest mentiri cum sit legislator noster, dixit «iugum enim meum suave et onus meum leve» (Mt. 11.30) et sic non iuberet nobis quod non fieri posset adimplendi. Hoc modo, domini mei, oportet pacari et hoc tum per leges divinas tum per humanas.

–Diabolus adducat me secum –dixit ad hanc opportunitatem Sanctius inter se– si hic dominus meus non est «thologus», quia saltem similis est tamquam ovum alteri ovo.

Dominus Quixotus detinuit se parumper ad halitum accipiendum et cum vidit eos adhuc servavisse silentium, voluit ulterius procedere in sua concione et vere fecisset, si Sanctius non interrumperet eum suo sale et lepore, et cum vidit dominum suum detinuisse accepit suum locum et dixit:

–Dominus meus Quixotus a Manica antea nuncupabatur Eques Tristis Figurae et nunc appellatur Eques Leonum. Ille est fidalgus valde prudens, qui cognoscit linguam latinam et linguam vernaculam tamquam si esset baccalaureus et, in omnibus quae dicit et consilium dat, procedit tamquam bonus miles et habet in unguibus omnes leges atque ordinationes illius, quod vocatur duellum; et sic opus est faciendi quod ille dicit et super me si erraret; immo quia vere est magna stultitia accipere iniuriam propter ruditum. Et ego memini cum essem puer etiam ego rudebam cum vellem et nemo veniebat ad me et tam bene id faciebam et tam magna proprietate ut cum egomet id facerem omnes asini oppidi mei rudebant mecum. Sed non propter hoc desinebam esse filius parentum meorum, qui valde honorati erant; et propter hanc habilitatem rudendi invidebant mihi plus quam quattuor ex vanis iuvenibus mei pagi, sed ego nil de hoc faciebam. Et ut videatur me verum dicere exspectate et audite, quia haec scientia est tamquam ars natatoria: qui semel eam didicit numquam potest eius oblivisci.

Et continuo posuit manus ad nares et incepit rudere tam magnis viribus ut omnes valles circumvicini resonarent. Tamen quidam ex his, qui iuxta eum erant, arbitratus est illum irridere eos et baculum levavit, quem manu tenebat, et dedit talem ictum Sanctio, quamvis non esset tam fortis, sed ille cecidit per terram inconsciens. Dominus Quixotus cum vidit Sanctium vexatum, lancea impetum fecit in eum qui dederat ei ictum; sed fuerunt tam multi, qui in medio erant, ut non posset ab eo recte vindicare; sed cum vidit super se pluviam lapidum cadere et mille ballistae in eum minari et tot sclopeta quaerere eum, habenas Rocinantis volvit et cucurrit celeri cursu ex eis, commendando se ipsum Deo toto corde ut liberaret eum a periculo ac timens quin pila catapultaria attingeret eum per dorsum et exiret per pectus eius et omni momento quaerebat halitum suum ad videndum si vere eum haberet.

Tamen gens illius turmae tantum fuerunt contenti videndi eum fugere, sed non exploserunt in eum. Posuerunt Sanctium super asinum eius, cum compos sui factus est, et siverunt ut sequeretur dominum suum, quamquam ille non habuit sensum ad ducendum eum; sed asinus secutus est vestigia Rocinantis sine quo non inveniebatur bene. Cum profectus esset longius dominus Quixotus volvit caput suum et vidit Sanctium ad eum venire et, nemine veniente, eum exspectavit.

Viri illius turmae ibi permanserunt usque ad noctem et cum adversarii non venerunt ad pugnandum contra eos reversi sunt ad oppidum eorum laeti et exultantes et si vere cognovissent veterem consuetudinem graecorum ibi erigerent trophaeum.

Capitulum 28. Ubi narratur de rebus, quas Benengeli dicit et eas cognoscet, qui legeret, si attente legerit

Cum strenuus fugit, dolus develatur, sed prudentium virorum est cavere sibi ad meliorem occasionem. Haec veritas verificata est apud dominum Quixotum, qui dedit locum furori incolarum et ad adversas voluntates illius indignatae turmae et posuit pedes in celerem fugam, Sanctio omnino neglecto, et nullis cogitationibus de periculo Sanctii perspectis, et hoc modo discessit quantum ei videbatur satis esse ut maneret securus. Sanctius sequebatur eum transversus super dorsum asini sui, sicut dictum est. Hic autem denique compos sui factus est et cum pervenit, sivit se cadere de suo iumento ad pedes Rocinantis, contusus, lassus et omnino percussus. Dominus Quixotus descendit ad vulnera eius videnda, sed cum eum invenit sanum e summo capite usque deorsum, magna iracundia ad eum ait:

–Tam mala fortuna potuisti rudere, Sancti! sed ubinam gentium invenisti bonum esse funem nominare in domo suspensi de patibulo? Et haec musica rudituum quid esset ad harmoniam nisi ictus fustium? Et age gratias Deo, Sancti, nam ope baculi et non ope gladii arabici hoc «per signum crucis» fecerunt tibi.

–Hoc non possum nunc respondere –dixit Sanctius–, quia videtur me loqui per dorsum meum. Tamen ascendamus ac discedamus hinc et silentium ponam meis ruditibus; sed non taceam dicendo equites itinerantes fugere et armigeros suos relinquere contusos tamquam ligustrum sive tamquam residuum apud inimicos eorum.

–Non fugit qui recedit –respondit dominus Quixotus–, quoniam oportet te scire, Sancti, strenuitas quae non sustinetur ope prudentiae vocatur temeritas et res gestae temerarii magis tribuentur bonae fortunae quam suo animo. Quare ego confiteor me recessisse, sed non fugisse et hoc modo imitatus sum multos strenuos, qui servaverunt se ad meliora tempora et ex his plenae sunt historiae; sed nunc nullius utilitatis haec sunt nec tibi nec mihi et nolo eas nunc narrare.

Tunc iam erat Sanctius super asinum suum cum iuvamine domini Quixoti, qui etiam ascendit in Rocinantem et paulatim intraverunt in silvam, in populetum, quod illinc quartum leucae aberat. Aliquando Sanctius suspirabat profunde acerbos gemitus; et cum dominus Quixotus ab eo quaereret causam huius amarae commotionis, ille respondit se maximum dolorem habere a cervice cerebri usque ad extremam spinam dorsalem quare sensum amittebat.

–Causa huius doloris, absque dubio –dixit dominus Quixotus–, est fustem percussisse ad longum per totum dorsum tuum, ubi continentur hae partes quae dolent tibi; et si maiorem partem attingerent magis doleret tibi.

–Per Deum –dixit Sanctius–, eduxisti me, domine, ex hoc magno dubio et haec explanasti optimis verbis. Mehercle! Tam difficile erat dicere causam doloris contusionem esse et praecise dicere mihi dolere omne, quod fustis percussit me? Si talus tibiae doleret mihi, possem divinare quare doleret; sed si dolet mihi quia percusserunt me non est multum divinandi. Profecto, domine mi, perfacile est sustinere malum alienum et in dies intelligo quam parum possum de te exspectare, quia nunc permisisti ut percuterent me et alia vice ad ludum straguli in altum et alias multas

parvitates, quae hoc tempore ad dorsum meum venerunt et alia vice venient ad oculos meos. Melius facturus essem, sed barbarus ego sum et nil boni faciam in tota vita mea, et melius facturus essem, denuo dicam, si ad domum meam reverterer cum mea uxore et meis liberis ad eos nutriendos et sustinendos, sicut Deus posceret a me et non deambularem tecum per tales vias absque ullo recto itinere et per semitas et cursus, qui non habent finem, bibendo male et comedendo peius. Et quid dicendum est de dormitu? Dinumera tibi, frater armiger, septem pedes huius terrae et si amplius vis dinumerabis alios septem, quod tibi perfacile erit, et quiesce ad nutum tuum et utinam videam combustum vel in pulverem reductum primum auctorem, qui scripsit de hoc equitatu itinerante vel saltem primum, qui voluit esse armiger talium stultorum, velut fuerunt absque dubio cuncti equites itinerantes praeteriti. Nil autem dicam de praesentibus, quia tu, domine, es unus eorum et habeo reverentiam erga te et etiam, quia vere scio te cognoscere parum plus quam diabolus in omnibus, de quibus loqueris et arbitraris.

–Sponsionem vellem tecum facere, Sancti –inquit dominus Quixotus–: quia nunc loqueris et nemo venit ad interrumpendum te, puto te nullum dolorem habere in toto corpore tuo. Loquere ergo, fili mi, de omnibus, quae veniant ad tuam mentem et ad os tuum; quoniam hoc liberabit te de omni dolore, quamvis impertinentiae tuae vere vexent me. Et si tam magnum desiderium habes revertendi domum tuam cum tua uxore ac liberis, Deo volente, nullo modo impediam ut hoc facias. Pecuniam meam habes, et considera quanto tempore fuisti mecum in hoc tertio egressu a nostro pago; vide quod debeas lucrari omni mense et accipe pecuniam ex tua propria manu.

–Cum servirem –respondit Sanctius– Tomé Carrasco, patri baccalaurei Samson Carrasco, quem tu, domine, valde bene nosti, duos denarios lucrabar omni mense praeter cibum; tecum autem nescio quam multum possum lucrari, quia nescio quis plus laboret utrum armiger equitis itinerantis an qui servit agricolae in agro; qui igitur servimus agricolis, quamvis multum per diem laboremus, et male eveniat nobis, semper erit nobis olla ad coenandum et dormimus in lecto, in quo non dormivi dum servio tibi, nisi per breve tempus in domo domini Didaci de Miranda et in expeditione cum spumato quod extraxi ex ollis Camacho et quod comedi et potavi apud Basilium, aliter omni tempore dormivi super duram terram et sub divo, subiectus ad intemperiem tempestatis coeli, et nutriendo me caseo et duris frustis panis et potando aquas tum de rivis tum de fontibus, quos invenimus in nostris deambulationibus.

–Confiteor –inquit dominus Quixotus– omnia, quae dixisti, vera esse. Quam multum magis debeo tibi dare, secundum te, quam quod dabat tibi Tomé Carrasco?

–Mea opinione –dixit Sanctius–, si adderes, domine, duos argenteos omni mense bene remuneratus essem. Sed hoc quoad salarium propter meum laborem, sed ad adimplendam promissionem et verbum quod pollicitus es dandi mihi gubernaculum cuiusdam insulae, iustum esset ut adderes alios sex argenteos, qui essent cuncti triginta.

–Hoc valde bene est –obiecit dominus Quixotus–; et secundum hoc salarium quod decrevisti abhinc viginti quinque dies qui exivimus ex nostro oppido: enumera tibi, Sancti, pro rata parte et vide quantum debeo tibi et accipe ex tua manu sicut dixi tibi.

–Hercle! –dixit Sanctius– quia erravisti, domine, in hoc calculo et ratione, nam promissio insulae enumeranda est a die quo pollicitus es eam hucusque ad praesentem horam, qua nos sumus.

–Tam multum abhinc temporis ut eam pollicitus sim tibi? dixit dominus Quixotus.

–Ni fallor –respondit Sanctius–, abhinc plus quam viginti annos et tres dies plus minusve.

Dominus Quixotus dedit magnum ictum palmae super frontem suum et incepit ridere magno gaudio et dixit ei:

–Nondum deambulavi nisi paene duos menses per Montes Fuscos et per egressus nostros et dicis, Sancti, abhinc viginti annos me pollicitum esse insulam tibi? Nunc autem dico te velle omnem pecuniam meam pro salario tuo accipere et si vere hoc placet tibi ex hoc dabo tibi et bene prosit tibi; quoniam melius erit mihi amittere talem indignum armigerum et manere pauper sine ulla pecunia. Sed dicas mihi, praevaricator ordinationis armigerorum equitatus itinerantis, ubi vidisti sive legisti ullum armigerum equitis itinerantis locutum esse cum domino suo ad contendendum de salario quod debeat ei solvere omni mense pro famulatu eius? Vade, vade, maleficus, ignavus, spectrum, quoniam haec omnia tu ipse videris, vade, dico per «mare magnum» harum historiarum; et si vere invenias quemdam armigerum dixisse vel putavisse quod dixisti, volo te hoc super frontem meum figere et incidere et ut additamentum quattuor colaphos super vultum meum des. Verte habenas sive capistrum asini tui et revertere domum, quoniam nec gressum ultra mecum proficisceris. O panem male cognitum! O promissiones indignae factae! O vir qui plus beluae quam hominis habet! Nunc, cum cogitarem de te, ut possent te excellentiam vocare, tua uxore invita, valedices mihi? Nunc vero proficisceris cum habuissem firmam ac validam voluntatem faciendi te dominum optimae insulae huius mundi? Sed verum est sicut multoties tu ipse dixisti, non est mel ... et cetera. Asinus es et asinus eris et asinus facturus es cum finias cursum vitae et secundum me, antea finiet illa quam intelligas te beluam esse.

Sanctius inspiciebat dominum Quixotum attente dum talia vituperia ei dicebat et commisertus est taliter ut oculi sui lacrimas effunderent et voce demissa ac dolorosa dixit ei:

–Domine mi, confiteor tantum caudam mihi deesse ut vere asinus sim, si tu, domine, vis eam mihi ponere ego eam accipiam ut bene positam et tibi serviam omnes reliquos dies vitae meae. Et quaeso te ignoscere mihi et patiaris meam inexperientiam et animadverte me parum scire et si vere multum loquor, hoc magis est de debilitate quam de malitia mea. Tamen qui errat et emendatur Deo commendatur.

–Mirarer, Sancti, ne introduceres quoddam proverbium in tuam loquelam. Nunc autem ego ignosco tibi, sed oportet ut emenderis et ex hoc non ostendas te ipsum tam cupidum tui lucri et etiam possis cor tuum dilatare et habeas patientiam ad exspectandas promissiones meas quae, quamvis demorentur, vere fieri possunt.

Sanctius respondit se sic facturum esse, quamvis educeret vires ex sua debilitate.

Illi autem, his colloquis peractis, intraverunt in populetum et dominus Quixotus sese commodavit ad pedem ulmi Sanctiusque ad pedem fagi, quia tales arbores aliaeque similes semper habent pedes et non manus. Sanctius autem pernoctavit cum doloribus propter ictum fustium, quia in quiete noctis plus eos sentiebat. Dominus Quixotus pernoctavit suis cogitationibus et continuis memoriis, sed denique oculi invenerunt somnum; et prima luce iter fecerunt quaerentes ripas clari fluminis Iberi (Ebro), ubi eis accidit quod in proximo capitulo narrabitur.

Capitulum 29. Ubi narrantur res gestae cymbae incantatae

Duobus diebus elapsis, et gressibus numeratis et alii ad numerandum post egressum ex illo populeto dominus Quixotus et Sanctius ad flumen Iberum (Ebro) pervenerunt. Et magnum gaudium habuit dominus Quixotus cum id vidit, quia conspexit et intuitus est amoenitatem riparum, claritatem aquarum et cursum placidum atque abundantiam liquidorum crystallorum ad cuius facetum conspectum sua mens mille amorosas cogitationes renovavit. Praesertim gavisus est de his, quae viderat in caverna Montesinos et, ita ut simius magistri Petri dixerat ei partim ea vera esse et partim falsa, ille magis sese attenebat ad vera quam ad falsa, Sanctius autem e contrario faciebat et omne ut ipsum mendacium habebat.

Hoc modo deambulantes, ante oculos eorum apparuit cymba sine remis nec aliis instrumentis, quae in ripa ad truncum arboris ligata erat. Dominus Quixotus intuitus est ubique et neminem vidit et continuo descendit de Rocinante et iussit Sanctio ut idem faceret de asino et ambas bestias ligaret valde bene iuxta truncum populi vel salicis, quae ibi erat. Sanctius eum rogavit causam illius rapidi descensus de iumentis et de ligatione eorum. Dominus Quixotus respondit:

–Oportet te scire, Sancti, hanc cymbam esse hic recte atque abque ullo dubio ad invitandum me ut intrem in eam et succurram cuidam equiti sive praecipuo nobili egeno, qui nunc habet magnam angustiam, quoniam sic est consuetudo et modus loquendi in libris historiarum equitum atque incantatorum, qui in eis inveniuntur et hoc modo loquuntur: Cum eques sit in magno cruciatu et non potest ab eo liberari, nisi per manum alterius equitis, quamvis distantes sint inter se duo vel tria milia leucarum et immo longius; aliquando eum arripiunt in nube sive praebent ei cymbam ut intret in eam et in ictu oculi eum auferunt per aerem sive per mare, quonam volunt et ubi oportet ut adiuvet egenum. Sic ergo, o Sancti, haec cymba est hic parata ad hoc negotium, et hoc tam verum est, tamquam nunc est meridies, et ante quam hic dies transeat, religa igitur iunctos asinum et Rocinantem, et Deo providente, ipse ducat nos; et certe in navim intrabo, quamvis monachi discalceati quaerant a me quin hoc faciam.

–Cum hoc ita sit –respondit Sanctius–, atque id vis passim facere has, quas dicerem ineptias, sed opus est oboediendi et caput demittere secundum proverbium quod dicit: fac quod dominus tuus tibi iubeat, et accumbe cum eo mensae; tamen et ad conscientiam meam liberandam, tibi volo, domine, dicere hanc cymbam non esse ex incantatis, sed ex piscatoribus huius fluminis, quia in eo piscantur meliores alusae huius mundi.

Sanctius haec dicebat dum ligabat bestias et relinquebat eas ad protectionem et tutelam incantatorum cum magno dolore sui animi. Dominus Quixotus autem dixit ei ne curaret de bestiis derelictis; nam qui eos per longinquas vias regionesque adduceret etiam curabit de eis alendis.

–Nescio quid sit «logiquus» –dixit Sanctius–. Neque audivi hoc verbum in omnibus diebus vitae meae.

–«Longinquus» –respondit dominus Quixotus– vult dicere «remotus» et non est mirandi te hoc non intelligere, quia non necesse est te scire linguam latinam ut nonnulli, qui faciunt coniecturam cognoscendi, tamen vere eam nesciunt.

–Iam ligavi eos –obiecit Sanctius–. Quid nunc faciendum est?

–Quid ergo? –respondit dominus Quixotus–. Signum crucis facere et ancoras levare, id est, ascendere in navim et scindere funem qua ligata est.

Et ascendit in navim saltu ac Sanctius secutus est eum, funem scidit et cymba paulatim a ripa secessit et cum Sanctius vidit se duas vel tres ulnas intus in flumine, incepit tremere, timens suam perditionem; sed de nihilo doluit tantum quam cum audivit asinum rudere et videre Rocinantem voluisse sese liberare, quare dixit domino suo:

–Asinus rudit moestus propter nostram absentiam et Rocinans quaerit liberare se ad proiiciendum se post nos. O carissimi amici, manete in pace ac dementia quae secedit nos a vobis, mutata pro contemptu, faciat ut revertamur ad vos!

Ille autem, his verbis dictis, incepit flere et quidem tam amare ut dominus Quixotus acerbus et stomachosus ad eum ait:

–Quid times, ignave? Quare ploras, o cor butyri? Quisnam persequitur te, sive quis te premit, anime muris domestici, quid ergo deficit tibi, num egenus es in media abundantia? Num ambulas pedibus et discalceatus per Montes Riphaeos (rifeas), sed e contrario sedes super tabulam tamquam archidux per placidum cursum huius iucundi fluminis, ex quo per breve tempus erimus in spatiosum mare apertum? Sed iam erimus foras ibi et veheremur navi saltem septingentas sive octingentas leucas et si esset mihi astrolabium ad dimitendam altitudinem Poli tunc dicerem tibi quam multum iter fecimus, quamquam parum scio sive iam transgressi sumus líneam aequinotialem, quae dividit polos eadem distantia.

–Et cum ad hanc «lennam» [pro «lineam»] perveniamus quam dicis, domine –quaesivit Sanctius–, quam multum vecti erimus?

–Multum –obiecit dominus Quixotus–, quoniam ex trescentis et sexaginta gradibus, quos habet globus aquae et terrae, secundum computum Ptolomaei, qui fuit maior cosmographus cognitus, dimidiam partem vecti sumus cum perveniamus ad hanc lineam quam dixi.

–Per Deum –dixit Sanctius–, quod tu, domine, adducis testimonium hominis gentilis, «putus et gaphus» et etiam «mingens» vel «meo» vel nescio quomodo sit.

Dominus Quixotus risit de interpretatione, quam Sanctius fecit illius nominis et de computo et calculo cosmographi Ptolomaei et dixit ei:

–Oportet te scire, Sancti, hispanos, qui ad naves ascenderunt Gadibus (Cádiz) versus Indias Orientales, signum habuisse ad intelligendum eos hanc lineam aequinotialem transire et hoc erat ut omnibus, qui vehebantur navi, moriebantur omnes pediculi corporis, quia nec unus quidem vivus manet nec in omni navi, quamvis pro auro ponderarent eos, quare, Sancti, attrecta manibus tuis coxam tuam et si ibi aliquam rem vivam invenis ex hoc dubio possumus exire, aliter iam hanc lineam transivimus.

–Nil huius rei credo –respondit Sanctius–, nihilominus faciam quod a me quaeris, domine, quamquam nulla est necessitas ad hoc faciendum, quia video meis propriis oculis nos non secedere a ripa plus quam quinque ulnas nec recessimus ex loco, ubi sunt iumenta nostra duas ulnas, quia ibi est Rocinans et asinus meus in ipso loco, ubi reliquimus eos; et si inspicio, tamquam ego nunc facio, video, et iuro per talem! nos non moveri nec progredimur plus quam formica.

–Fac, Sancti, hanc indagationem quam dixi tibi et ne cures de alia re; quoniam tu

nullo modo scis quid sint coluri, lineae, paraleli, zoodiaci, eclipticae, poli, solstitii, aequinotii, planetae, signa, puncta, mensurae de quibus componitur sphaera coelestis ac terrestris; et si haec omnia vere scires, sive partim ex eis, tunc aperte videres quot paralelos secavimus, quot signa vidimus, quot imagines a tergo reliquimus et nunc relinquimus. Et semel iterumque dico tibi ut attractes te ipsum et videas; nam egomet credo te limpidum esse tamquam charta papiracea alba et lubrica.

Sanctius tetigit se et cum pervenit ad coxam sinistram cum sua manu, porrexit caput et inspiciens dominum suum dixit:

–Sive haec experientia est falsa sive nondum pervenimus ubi tu dicis nec ad multas leucas.

–Quid ergo? –quaesivit dominus Quixotus–. Invenistine aliquid?

–Et plus quam aliquid! –respondit Sanctius.

Et excussit suos digitos et abluit totam manum in flumine, in quo lente cymba delababatur per medium cursum illius, nullo intellectu secreto impellente, neque ullo incantatore abscondito adducente, sed tantummodo ope ipsius sereni suavisque cursus aquae.

Tunc repente viderunt magnas molas aquarias, quae in medio flumine erant; et simul atque eas vidit dominus Quixotus magna voce dixit Sanctio:

–Videsne? Ibi, o amice! detectatur urbs, castellum sive arx, ubi quidam eques captus est sive quaedam regina vel principessa oppressa et ad eos iuvandos ego huc vehor.

–Per omnes diabolos! –Quid dicis, domine, de urbe sive de castello vel de arce? –ait Sanctius–. Nonne vides has esse molas aquae, quae sunt in medio flumine, ubi frumentum teritur ope molarum?

–Tace, Sancti –inquit dominus Quixotus–; quoniam quamvis videantur molae aquae esse, non verae sunt; et iam dixi tibi haec incantamenta transmutare omnes res ex sua essentia naturali. Et nolo dicere eos mutare ea, sed non esse quod videntur, sicut, et teste experientia, accidit in transformatione Dulcineae, quae est refugium spei meae.

His rebus dictis, navis intravit in medium cursum fluminis et incepit navigare non tam lente quam hucusque. Molinarii illius molae aquae, qui viderunt cymbam per flumen venire, quae trahebatur per viam rotarum molae, exierunt celeriter multi eorum cum longis fustibus ad navim detinendam, sed cum essent pleni farina, et vultus vestesque obtectae essent ex pulvere farinae triticeae, horridum aspectum ostendebant. Et magnis vocibus dicebant:

–Daemones hominum! Quonam pergitis? Estisne desperati? Quid ergo vultis facere? Num submergi et devorari sub his rotis?

–Nonne dixi tibi, Sancti –inquit ad hanc occasionem dominus Quixotus–, nos ostensuros esse quonam perveniet strenuitas mei bracchii? Vide tot multos ignavos maleficosque obviam mihi venire; vide quot spectra contra me opponi; inspice quam foedos vultus gestus faciunt; sed nunc videbitis, maledicti!

Et stans erectus super navim magnis vocibus incepit minari in molinarios dicens eis:

–Plebecula maledicta ac peius consiliata, relinquite in libertate et libero arbitrio nobilem captum, quem habetis in vestra arce vel carcere, sive excelsus sive humilis cuiusdam qualitatis ille sit; ego sum dominus Quixotus a Manica et etiam alias

nuncupor Eques Leonum, cui alti coeli decreverunt hoc eventum ad felicem finem adducendum.

Et, his verbis dictis, apprehendit gladium suum et incepit in aerem dimicare contra molinarios, qui, his stultitiis auditis, sed nullo modo cognitis, posuerunt longos fustes suos ad navim detinendam, quae iam introibat per derivationem aquarum et cursum rotarum.

Sanctius autem, genibus flexis, devote coelum rogavit ut liberaret eum de hoc noto periculo, quod vere fecit per sollertiam et celeritatem molinariorum, qui ope fustium suorum cymbam detinuerunt, sed non potuerunt impedire quin everterent navim et dominus Quixotus et Sanctius in aquam caderent. Tamen bene evenit domino Quixoto, qui sciebat natare tamquam anser, quamvis esset sub onere armorum et bis in profundum aquarum submersit; sed si non esset propter auxilium molinariorum, qui eiecerunt se in aquam et ambos ex ea extraxerunt, ibi esset Troia duobus illis.

Tunc positi super terram, et madidi plus quam sitientes, Sanctius, genibus flexis, manibus iunctis et oculis fixis in coelum a Deo quaesivit ut liberaret eum, longa ac devota oratione facta, ab audacibus desideriis et impetu domini sui.

Tunc piscatores possessores cymbae venerunt, quibus rotae illius molae aquae naviculam destruxerunt et cum hanc viderent ruptam, impetum in Sanctium fecerunt ad eum denudandum et ad quaerendum a domino Quixoto ut sumptum eis solveret. Hic autem placido modo tamquam si nihil accidisset dixit molinariis piscatoribusque se libenter soluturum esse cymbam sub condicione ut liberarent, sine cautione, nobilem sive nobiles, qui in illo castello oppressi erant.

–Quinam nobiles vel quod castellum dicis –respondit quidam ex molinariis–, insane? Visne tecum adducere illos, qui huc veniunt ad triticum terendum in hac mola aquae?

–Satis! –dixit inter se dominus Quixotus–. Hic erit praedicare in deserto et hanc plebeculam inducere per rogativas ut faciant quid virtutis. Fortasse in his rebus gestis erunt duo strenui incantatores, quorum alter impedit ne alter aliquid faciat: quoniam hic praebuit mihi navim et alter proiecit me seorsum. Deus providebit, quoniam in hoc mundo omnia sunt machinationes atque insidiae, alterae contrariae alteris. Et amplius non possum facere.

Et elevans vocem prosecutus est dicens atque inspiciens molas aquae:

–Amici, quicumque sitis, qui in hoc carcere manetis, ignoscite mihi, quoniam propter infortunium meum et vestrum non potui vos ex hac angustia eripere. Absque dubio hae res gestae alii equiti servabuntur.

Et, his verbis prolatis, concertavit se cum piscatoribus et solvit pretium cymbae quinquaginta argenteos, quos Sanctius dedit omnino invite, dicens:

–Cum duabus cymbis tamquam his omnis pecunia nostra ibit in profundum aquarum.

Piscatores molinariique autem admirati sunt de his duabus figuris tam insolitis et extra usum hominum et non potuerunt intelligere sensum argumentorum et quaestionum, quas dominus Quixotus dixit eis; et ambos habuerunt ut dementes eosque reliquerunt et ad suas molas aquae pervenerunt et piscatores ad sua tuguria. Dominus Quixotus et Sanctius ad sua iumenta reversi sunt et etiam tamquam bestiae facti sunt modo agendi eorum et hic fuit finis rerum gestarum cymbae incantatae.

Capitulum 30. Ubi narratur de his quae evenerunt domino Quixoto cum pulchra venatrice

Nimis melancholici ac depressi venerunt ad iumenta eorum eques atque armiger, praesertim Sanctius, qui valde sentiebat diminutionem pecuniae, quia ei videbatur amississe omnem pecuniam quam deperderant tamquam si eam extraxissent ex pupillis oculorum eius. Tandem, nullis verbis prolatis, ascenderunt in iumenta eorum et secesserunt de noto flumine, dominus Quixotus meditabundus cogitando de amoribus suis et Sanctius de sua spe acquirendi fortunam, quae illo tempore ei videbatur procul a se, quia quamquam stultus bene intelligebat facta domini sui plena esse ineptiis, quare quaerebat occasionem valedicendi domino suo, nullis disputationibus praetermissis, et petere domum suam; tamen fortuna disposuit res e contrario de quo timebat.

Et quodam die, vespere autem facto, cum exirent de quadam silva dominus Quixotus intuitus est per viride pratum et procul in eo vidit multitudinem hominum et cognovit eos esse venatores ope artis falconis. Appropinquavit ad eos et en elegans domina super equum phaleratum sive album equum tolutarium [vulgo *hacanea*] ornatum viridibus phaleris ac sella muliebri. Illa domina veniebat eodem modo amicta viridi colore, laute ac magna elegantia, nam ipsa elegantia transmutabatur in ipsam. Sua manu sinistra ferebat falconem, quod erat signum eam magnam dominam esse et etiam omnium illorum venatorum et sic videbatur domino Quixoto, qui hoc modo dixit Sanctio:

–Accurre, fili, Sancti, et dic illi dominae equi phalerati et falconis me Equitem Leonum esse ac me velle manum huius magnae formositatis osculari et si magnifica domina dat mihi veniam egomet et manus eius osculabor eique serviam secundum vires meas et quod haec excelsa domina mihi iuberet. Et cura, Sancti, modum quo loqueris cum ea et cave ne introducas ullum proverbium in tua legatione.

–Iam bene invenisti introductorem! –respondit Sanctius–. Quid hoc mihi! Num haec est prima legatio mea, nonne alias ad excelsas ac validas dominas in hac vita feci?

–Nisi loquaris de legatione ad dominam Dulcineam –obiecit dominus Quixotus–, nescio te alias adduxisse, saltem cum esses mecum.

–Hoc verum est –respondit Sanctius–, sed qui sumptum bene solvit non curat de pignore et in domo abundantiae plena celeriter paratur coena: et his verbis exprimere volo non necesse est animadvertere sive dicere mihi quidquam; quia ad omnia valeo et de omnibus parum intelligo.

–Hoc firmiter credo, Sancti –inquit dominus Quixotus–; vade libenter et Deus adducat te.

Profectus est Sanctius suo cursu et asinum fecit festinare ac pervenit ad locum, ubi erat venusta venatrix; descendit de asino, flexit genua in conspectu eius et dixit ei:

–Formosa domina, ille eques, qui ibi apparet, nuncupatur Eques Leonum atque est dominus meus et ego sum armiger eius, quem vocant Sanctium Pansam. Hic talis Eques Leonum, qui nuper appellabatur Eques Tristis Figurae misit me ad dicendum tibi, o magnifica domina, ut sinas ei dare veniam et quidem ut, tuo proposito, beneplacito et consensu, ille veniat ad adimplendum desiderium suum quod non aliud est, secundum quod ille dicit et

ego etiam cogito, quam servire tibi, excelsa ac formosa domina; et si tu, o domina, dabis ei hanc veniam hoc redundabit pro eo et recipiet signatissimum contentum ac beneficium.

–Profecto, bone armiger –respondit domina–, tu optime tuam legationem fecisti cum omnibus adiunctis rerum, quae requiruntur in legationibus. Surge ergo de terra, quoniam armiger tam magni equitis, ut est Eques Tristis Figurae, de quo nos iam nuntium habuimus, non decet ut maneat genibus flexis; surge, amice, et dic tuo domino ut quam primum veniat ad nos et benedicta sit hora cum possemus ei servire tum ego tum dux, maritus meus, in quadam domo quam ad oblectamentum hic habemus.

Sanctius surrexit et admiratus est tum de pulchritudine illius bonae dominae tum de urbanitate eius atque elegantia; et insuper quia dixit se cognovisse dominum eius Equitem Tristis Figurae et fortasse si non vocavit eum Equitem Leonum hoc esset, nam nuperrime hoc nomen erat ei. Ducissa autem, cuius titulus nondum notus est nobis, ab eo quaesivit:

–Dic mihi, frater armiger: nonne hic dominus tuus est quidam de quo impressa est historia, quae vocatur *Ingeniosus Fidalgus Dominus Quixotus a Manica* et habet Dulcineam a Toboso pro domina sua?

–Idem est, domina –respondit Sanctius–, et ille armiger eius, qui ambulat sive debet ambulare in tali historia et quem vocant Sanctium Pansam egomet sum, nisi permutarent me in cunabulis; et volo dicere si non transmutarent me in illa impressione.

–His omnibus rebus vere valde gaudeo –ait ducissa–. Vade, frater Pansa, ac dic domino tuo nos exoptare ei prosperum adventum ad nostros lares et nihil fuisset, quod maioris contentus esset mihi quam adventus eius.

Sanctius, hoc laetissimo responso et praeditus maximo gaudio reversus est ad dominum suum cui narravit, quod excelsa domina dixit ei exaggerando in altum, cum suis rusticis sententiis, venustatem atque elegantiam illius, necnon et urbanitatem et modum navandi operam. Tunc dominus Quixotus se praebuit elegantem super sellam, bene pressit calcaria, operculum cassidis in loco eius posuit et Rocinantem incitavit et festinanter venit ad osculandas manus ducissae; quae, dum dominus Quixotus veniebat, vocavit ducem, maritum suum, cuique narravit legationem eius; et ambo, prima parte huius historiae convenienter lecta, valde bene intellexerunt dementiam domini Quixoti et eum exspectaverunt magno gaudio et avido desiderio cognoscendi eum, et quidem cum proposito fovendi eum in his, quae diceret eis et faceret, tamquam si vere eques itinerans esset omnes dies qui apud eos maneret et cum omnibus ac solitis caeremoniis, quae legerant in libris equitatus, quos vere studiosi legendi erant.

Tunc autem dominus Quixotus advenit, operculo cassidis levato, et voluit descendere de equo ac Sanctius festinavit ad pedem eius tenendum; tamen adversa fortuna fecit, cum descenderet de asino, ut pes suus funem clitellarum inveniret et non potuit ex fune se liberare, sed cecidit et mansit pendens cum capite et pectore super terram. Dominus Quixotus, qui non solitus erat descendere, nisi pedem eius sustinerent et credendo Sanctium ibi esse ad id faciendum, etiam ille cecidit et dedit magnum ictum corpore suo et etiam proiecit sellam Rocinantis, quia fortasse male cinxerunt eam et sella atque ille ad terram ceciderunt, cum magna verecundia eius et multis maledictionibus inter dentes contra infortunatum Sanctium, qui adhuc habebat pedem pendentem de laqueo.

Dux iussit venatoribus suis ut accurrerent ad adiuvandum equitem et armigerum et levaverunt equitem contusum ex lapsu eius et claudicantem et sic, ut potuit, venit

ad genua flectenda in conspectu amborum; tamen dux nullo modo voluit hoc assentiri; et descendens de suo equo venit ad amplectendum dominum Quixotum eique dixit:

–Me poenitet huius, domine Eques Tristis Figurae, quod primum ut faceres in terra nostra tam adversum sit; tamen negligentiae armigerorum sunt causae pessimorum infortuniorum.

–Fortuna, quam vere habui videndi te, strenue princeps –respondit dominus Quixotus–, nullo modo erit mala, quamvis lapsus meus non detineret me usque ad profundam abyssum, quia inde surgerem et gloria videndi te educeret me. Armiger meus, cui Deus maledicat, melius aperit os ad malitias dicendas quam ad sellam bene cingendam ut maneat in loco idoneo; tamen tamquam sim, sive erectus sive in terra, pedibus sive super equum, semper paratus ero ad tibi serviendum necnon et ducissae dominae meae, quae digna coniux tua est ac digna domina formositatis atque universalis principessa urbanitatis.

–Paulatim, paulatim, domine Quixote a Manica! –ait dux–; ubi sit domina Dulcinea a Toboso non oportet ut aliae formositates laudentur.

Sanctius Pansa iam liberatus erat de laqueo et cum ibi esset, ante quam dominus eius responderet dixit:

–Non oportet negare, sed affirmare dominam Dulcineam a Toboso pulcherrimam esse, sed ubi minus creditur lepus surgit, et ego audivi dicere de hac, quam vocant naturam, et est tamquam figulus, qui efficit vasa ex luto terrae, et si facit vas pulchrum etiam duo potest facere et tria et centum, et quamvis ducissa domina mea dicat se foedam esse, non post dominam Dulcineam a Toboso veniet.

Dominus Quixotus vertit se ad ducissam et dixit ei:

–Imaginare, o magnifica domina, nullum equitem itinerantem in hoc mundo habuisse armigerum loquaciorem et facetiorem quam egomet habeo, et ille efficiet me certiorem esse, si per quosdam dies, excelsa domina, velles mea servitia habere.

Cui ducissa respondit:

–Multi facio bonum Sanctium laetum facetumque esse, nam signum est eum esse prudentem; quia virtutes et facetiae ut bene cognoscis, domine Quixote, non inveniuntur in ingeniis stultis et si bonus Sanctius est facetus ac virtuosus ex hoc eum habebo ut prudentem.

–Et ut loquacem garrulumque –addidit dominus Quixotus.

–Immo melius –ait dux–, quia multae facetiae non dicentur paucis verbis. Sed ne amittamus tempus his rebus, venias nobiscum, magnus Eques Tristis Figurae ...

–Eques Leonum dices, excellens domine –dixit Sanctius–, quia iam non amplius est Eques Tristis Figurae.

–Tunc sis Eques Leonum –prosecutus est dux–: Tamen dico tibi, domine Eques Leonum, ut venias ad meum castellum, quod prope hinc est, ubi invenies iustam hospitalitatem debitam tibi, velut ego et ducissa solemus facere omnibus equitibus itinerantibus, qui huc veniunt.

Tunc Sanctius, sella Rocinantis bene cincta, adiuvavit dominum Quixotum ad ascendendum et dux super pulchrum equum sedit, ducissam posuerunt in medio eorum et cuncti ad castellum iter fecerunt. Ducissa autem iussit Sanctio ut iuxta seipsam ambularet, quia multum gaudebat audiendo loquelam eius. Sanctius libenter id fecit et inter illos tres colloquium factum est et ille fuit quartus in eo cum magna delectatione ducissae ducisque, quibus fuit bona fortuna accipere in castellum talem equitem itinerantem ac talem armigerum experimentatum.

Capitulum 31. Ubi multae magnaeque res narrantur

Magna erat laetitia, quam Sanctius secum habebat, cum vidit se ipsum, sua opinione, in favore ducissae, quia imaginabatur se inventurum esse in hoc castello, quod invenit apud dominum Didacum atque apud Basilium, nam ille studiosus erat semper bonae vitae et occasionem accipiebat per comam capillorum in oblectamentis cum vere posset.

Historia autem narrat, et hoc antequam ad domum voluptatis sive castellum pervenirent, ducem festinavisse ad ordinandum omnes famulos, quomodo tractandus esset dominus Quixotus. Et cum dux, una cum ducissa, pervenerunt ad portas castelli continuo exierunt duo pedisequi sive agasones, amicti vestibus, quae vocant talares, ex purpureo raso serico, qui apprehenderunt dominum Quixotum bracchiis eorum, eo omnino insciente, cuique dixerunt:

–Vade, magnifice domine, ad adiuvandam dominam ducissam ut descendat de equo.

Dominus Quixotus sic fecit et inter illos duos fuerunt complimenta, sed ducissa superavit eum in hac contentione, et noluit descendere de suo equo phalerato nisi in bracchiis ducis, dicendo se non esse dignam onerandi tali equiti suo inutili pondere. Denique exivit dux ad eam demittendam et cum introirent in magnam cohortem advenerunt duae pulchrae virgines et super umeros domini Quixoti posuerunt magnum pallium suavissimum coccinneum et statim pleni sunt omnes fauces illius cohortis cum famulis famulabusque ducis ducissaeque dicentibus magnis vocibus:

–Macte, eques itinerans! Et sit adventus tuus benedictus, o flos omnium equitum itinerantium!

Et omnes sive plerique aspergebant aquas odorantes super dominum Quixotum ac super ducem et ducissam; de quibus rebus dominus Quixotus admirabatur; atque ille fuit dies quo credidit se verum equitem itinerantem esse et non fictum, quoniam vidit se tractari eodem modo sicut legit tales equites fuisse in saeculis praecedentibus.

Sanctius vero reliquit asinum atque ad ducissam se iunxit et sic introivit in castellum, tamen conscientia eius remordebat eum, quia reliquit asinum neglectum et ad quamdam dominam nutricem reversus est, quae ad recipiendam ducissam egressa erat, et voce demissa dixit ei:

–Domina González, sive sicut voceris, domina...

–Domina Rodríguez de Grijalba nuncupor –respondit domina illa–. Quid ergo vis, frater?

Cui Sanctius respondit:

–Vellem ut exires, domina, per portam castelli et ibi invenies asinum meum, et quidem vellem ut ordinares, domina, ut ponant eum sive ut eum ponas in stabulum, quia miser ille est valde pudicus et timet inveniendi se solum.

–Si dominus est tam prudens quam famulus –respondit domina illa–, malum eveniat nobis! Vade, frater, et mala fortuna sit tibi eique qui te adduxit huc, et cura de tuo asino, quia nutrices huius domus non solitae sumus ad talia facienda.

–Nihilominus –respondit Sanctius– audivi dicere dominum meum, qui est valde peritus in his historiis, cum narraret illam Lanceloti,

cum de Britannia venit
mulieres curabant de eo
et dominae de suo equo;

et quoad asinum meum non permutarem eum pro equo domini Lanceloti.

–Frater, utrum sis ioculator necne –obiecit illa domina– serva facetias tuas ad locum, ubi bene videantur ac solvant tibi pro eis; quia ex me nil accipies nisi ficum.

–Et immo –respondit Sanctius– valde maturum, quia, tu domina, non perdes computum annorum tuorum!

–Fili moechae –dixit domina illa, adirata suo furore–, utrum vetula domina sim necne Deo dabo rationem, sed non quidem tibi, maleficus, manducator alliorum.

Et, his verbis prolatis et quidem magnis vocibus, ducissa haec audivit et vertens se vidit dominam illam iratam atque oculis accensis et ab ea quaesivit quid hoc esset et cum quo se haberet.

–Haec habeo –respondit illa domina– cum hoc bono viro qui a me quaesivit magnopere ut ponerem in stabulum asinum eius, qui est ad portam castelli et adduxit mihi exemplum quo sic fecerunt mulieres, quae de Lanceloto curaverunt et dominae de equo eius, et insuper et in extremum vocavit me vetulam.

–Hanc rem haberem pro iniuria –respondit ducissa–, et quidem maiorem quam possent mihi dicere.

Et loquens cum Sanctio dixit ei:

–Animadverte, Sancti amice, dominam Rodríguez esse valde iuvenem et hoc velum induit propter auctoritatem et consuetudinem et non pro annis.

–Mali anni sint, quos victurus sum –respondit Sanctius– et si verum hoc dixi, tantum fuit propter magnam amicitiam quam habeo erga asinum meum et sic putavi nulli meliori commiseranti committere, quam dominae Rodríguez.

Dominus Quixotus qui omnia audivit dixit ei:

–Num sint loquelae hae dignae huius loci, Sancti?

–Domine –respondit Sanctius–, unusquisque debet loqui de suis rebus ubi sit. Et hic memineram asini mei et hic locutus sum de eo, sed si in stabulo illius meminissem ibi de eo loquerer.

Cui dux dixit:

–Sanctius bene iudicavit et oportet eum de nihilo culpare; de asino curabunt quam primum et Sanctius potest credere eos de asino curaturos esse tamquam de eo ipso.

Illi, his facetis argumentis peractis, quae omnibus placuerunt praeter dominum Quixotum, pervenerunt ad tabulatum altum et introduxerunt dominum Quixotum in vestibulum ornatum telis locupletissimis ex auro et serico contexto; sex virgines denudaverunt eum de armis eius et servierunt ei pro ephebis, omnes instructae atque edoctae erant a duce et a ducissa de modo quo tractarent eum ita ut reapse crederet se equitem itinerantem esse. Dominus Quixotus, convenienter denudatus, remansit amictus suis angustis femoralibus et thorace ex pelle, siccus, altus corpore, cum maxillis quae altera alteram tangebat intus: et si virgines illae non dissimularent ac tenerent risum magnum cachinnum facerent –et hoc fuit primum mandatum, quod a suis dominis acceperunt.

Ab eo quaesiverunt ut sineret eas omnino denudare eum ad induendam subuculam; ille autem non consensit eis ullo modo, dicens honestatem tam bonam esse equitibus itinerantibus quam ipsam strenuitatem. Tamen rogavit ut darent hanc subuculam Sanctio et, habitaculo clauso, ubi erat lectus locuples, denudavit sese ac subuculam induit et cum vidit se solum cum Sanctio dixit ei:

–Dic mihi, hodiernus scurra ac vetus stolidus; num tibi bene videtur iniurias inferre in illam dominam venerandam et dignam magnae reverentiae? Num erat tempus memorandi asinum tuum sive hi domini sunt ad relinquenda iumenta sine pabulo cum tam optime curent de dominis eorum? Per Deum, Sancti, cura de te ipso et ne develes filum ex quo putent te ex rustica tela contextum esse. Vide, peccator, nonne magni aestimatur dominus cum habeat honorabiliores famulos et meliores natu? Et nonne maior praestantia est principibus, qui utuntur famulis, ut sint tam boni quam ipsi domini. Quomodo nondum animadvertisti, te miserum, ac me infortunatum, si fortasse videant te tardum rusticum esse sive facetum stolidum, nonne etiam iudicabunt me mendacem sive equitem contemptibilem esse? Minime vero, Sancti amice, fuge, fuge ex his obtaculis, nam qui fit loquax ac facetus, primo ictu, postea fiet infortunatus scurra. Frena linguam tuam, considera et rumina verba tua antequam ex tuo ore exeant atque animadverte nos pervenisse ad partem ubi, Deo iuvante, et, robore mei bracchii, exibimus magnopere meliorati sive tertio et quinto in fama ac divitiis.

Sanctius pollicitus est potissimum os claudere sive linguam mordere antequam verbum inopportunum atque inconsideratum diceret, tamquam ille ab eo quaereret et ne amplius de hoc curaret; quare numquam ex sua causa develarent quos illos esse.

Dominus Quixotus induit balteum cum gladio, posuit super umeros pallium coccineum et pilleum ex serico viridi, quem virgines ei dederunt atque hoc ornatu exivit ad magnum vestibulum, ubi illas virgines invenit ordinatas in duas series, tot earum in hac parte et tot in altera et omnes habebant instrumenta ad abluendas manus eius, quod ipsae fecerunt multis reverentiis et caeremoniis.

Postea advenerunt duodecim ephebi cum magistro escario ut adducerent dominum Quixotum ad prandium, ubi dux ac ducissa erant. Posuerunt eum in medio et magna pompa ac maiestate comitati sunt eum ad triclinium, ubi locuples mensa parata erat cum quattuor ferculis ad convivium. Ducissa et dux venerunt ad ianuam vestibuli ad eum recipiendum et cum eis erat gravis ecclesiasticus ex his qui gubernant domus principum; tamen hi cum non nati sint principes non semper bene docent quomodo debeant facere illi, qui veri principes sunt; ex his qui volunt excellentiam enumerare ex angustia animorum suorum; ex his qui volunt eos probos esse et efficiunt eos miseros; ex his, ut dico, ille gravis ecclesiasticus erat, qui una cum duce et ducissa venit ad dominum Quixotum recipiendum. Fecerunt ad invicem mille urbanitates ac reverentias et denique receperunt dominum Quixotum in medio et accubuerunt mensae.

Dux invitavit dominum Quixotum ad sedendum in capite mensae, hic autem recusavit, sed tanta fuit importunitas ducis ut ille accederet et tandem accepit. Ecclesiasticus sedit ex adverso et dux ducissaque sederunt ad duo latera.

Sanctius autem erat praesens ad haec omnia et attonitus ac stupefactus erat videndi sicut principes honorabant dominum eius, atque has multas caeremonias et rogationes quae fuerunt inter ducem et dominum Quixotum ut sederet in capite mensae et dixit:

–Si vos, excellentes domini, datis mihi veniam narrabo vobis fabellam, quae accidit in meo pago de praeeminentia in sedilibus.

Ubi primum Sanctius haec dixerit, dominus Quixotus tremuit, quia credidit absque dubio eum dicturum esse magnam stultitiam. Sanctius intuitus est eum eumque intellexit ac dixit ei:

–Ne timeas, domine mi, quin discedam a via neque dicam quae non bene conveniant quaestioni; quia non oblitus sum tui consilii, quod nuper dedisti mihi de nimia loquela sive de parvitate illius et de bene sive de male loquendo.

–Nullius memini, Sancti –respondit dominus Quixotus–; dic quidquid velis cum haec breviter facias.

–Quod dicere vellem –dixit Sanctius– valde verum est et meus dominus Quixotus, qui hic praesens est, non sinet me mentiri.

–Quoad me –inquit dominus Quixotus–, potes mentiri si vere vis, quoniam ego nihil dicam contra te, tamen animadverte quid dicas.

–Tam multum vidi et conspexi ut bene sit qui campanam pulsat ut videbitur per hanc fabellam.

–Melius esset –inquit dominus Quixotus– si vos, principes excellentes, iubeatis huic stulto foras ire, quoniam mille stultitias dicet.

–Per vitam ducis –ait ducissa– nullo modo a me amoveam Sanctium: multum ego eum diligo et praesertim, quia valde prudens est.

–Cautos ac multos dies –dixit Sanctius– habeas, sanctissima domina, propter tuam bonam opinionem de me, quamvis hoc in me non sit. Tamen fabella quam narrare vellem haec est:

Fidalgus mei pagi, valde dives ac nobilis, quia proveniebat ex genere de Alamos Methymnae Camporum (Medina del Campo) et qui duxit dominam Menciam de Quiñones uxorem, quae fuit filia domini Ildephonsi (Alonso) de Marañón, equitis habitus Congregationis Sancti Iacobi, qui submersus est in Solea Ferrea (la Herradura), et propter quem fuit contentio abhinc multos annos in nostro loco et, mea opinione, dominus Quixotus etiam fuit in ea et ex qua exivit vulneratus Thomasulus Irrequietus (Tomasillo el Travieso), filius Balbastri, fabri ferrarii ... Nonne haec omnia vera sunt, domine mi? Dicas, per vitam tuam, ne credant hi domini me loquacem ac mendacem esse.

–Hucusque –inquit ecclesiasticus–, magis credo te loquacem esse quam mendacem; sed ex hoc et in futurum nescio quid credam de te.

–Tam multa testimonia, Sancti, ac tam multa signa das horum omnium ut non possim arbitrari quominus dicas veritatem. Tamen procede ulterius et breviter, quoniam, mea sententia, non finies fabellam intra duos dies.

–Nullo modo abbreviabit eam –ait ducissa–, et quidem ad faciendum nutum meum, sed narrabit sicut ipse scit, quamvis non eam finiat intra sex dies; ac si tales essent ut meliores habebo in mea vita.

–Dico enim, domini mei –prosecutus est Sanctius–, hunc talem fidalgum, quem ego cognosco tamquam manus meas, quia domus mea a sua tantum abest ad iactum ballistae, invitavisse agricolam pauperem, sed honoratum ...

–Perge ultra, frater –ait ad hanc occasionem ecclesiasticus–; quia secundum iter tuum non finies fabellam tuam usque in alterum mundum.

–Ante quam ad medium eius perveniam consistam, Deo iubente –respondit Sanctius–. Et sic dico, cum talis agricola venit ad domum fidalgi, qui invitavit eum, et utinam quiescat in pace animus eius, quia iam mortuus est, et de eo fertur eum habuisse mortem tamquam angelum, sed egomet abfui, nam illo tempore veni ad messem in Tembleque ...

–Per vitam tuam, fili, ut breviter ex Tembleque revertaris et, fidalgo nondum sepulto, neque aliis exsequiis perfectis, finias fabellam tuam.

–Et ecce accidit –obiecit Sanctius– cum duo accumberent mensae, et mihi videtur eos intueri melius quam numquam ...

Dux ducissaque magnum gaudium habebant ex iracundia ecclesiastici propter dilationem pausasque, quibus Sanctius enarrabat suam fabellam et dominus Quixotus magna ira ac rabie consumebatur.

–Et sic dico –ait Sanctius– cum essent, secundum quod dixi, ad accumbendum mensae ecce agricola contendebat cum fidalgo ut acciperet caput mensae et fidalgus pugnabat cum agricola ut ipse acciperet hoc caput, quia in sua domo oportebat facere quod ipse iuberet; tamen agricola, quamvis esset urbanus ac nobilis natu, numquam voluit id facere, donec fidalgus moestus posuit ambas manus super umeros eius et violenter fecit eum sedere eique dixit: «Consede, pertinax; quia ubi sedeam ego tu eris ad caput mensae.» Et haec est fabella et reapse credo hanc huc venire magna opportunitate.

Dominus Quixotus erubuit, quod super subnigram cutim suam dabat ei colorem iaspideum; dux ducissaque risum dissimulabant ne dominus Quixotus nimis in extremum irasceret, quoniam intellexit malitiam Sanctii. Et ad colloquium mutandum ita ut Sanctius ne prosequeretur suis ineptiis, ducissa quaesivit a domino Quixoto de nuntiis dominae Dulcineae et si fortasse mitteret ad eam aliquos gigantes sive maleficos, quia absque dubio multos vicisset. Quibus rebus dominus Quixotus respondit:

–Domina mea, infortunia mea, quamvis habuerint principium nunquam habebunt finem. Gigantes vici, ignavos et maleficos misi ad eam; sed ubi possent eam invenire si haec incantata est et facta est foedissima rustica, quae imaginari possit?

–Hoc ego nescio –dixit Sanctius Pansa–: quia mihi videtur pulcherrima huius mundi; saltem in celeritate ad saltum faciendum non eam superabit peritus saltator, et equidem, domina ducissa, sic facit saltum super asinam tamquam si esset feles.

–Vidistine eam incantatam, Sancti? –quaesivit dux.

–Et quomodo si eam vidi –respondit Sanctius–. Quisnam enim, per omnes diabolos, fuit primus qui intellexit eam incantatam fuisse? Tam incantata est tamquam pater meus!

Ecclesiasticus, qui audivit loqui de gigantibus, de maleficis et de incantamentis, cognovit eum esse dominum Quixotum a Manica, cuius historiam dux frequenter legebat, quod ipse ei multoties reprehenderat dicens ineptiam esse talia legere, sed cum vidit verum esse, quod crederet, magna iracundia dixit ipsi duci:

–Excellens domine, Domino Nostro rationem reddes de his quae hic bonus vir faciat. Hic dominus Quixotus, sive dominus Stultus sive ut nuncupetur, imaginor non esse tam stultum sicut tu, excellens domine, vis eum sic esse, quia das ei occasionem ut prosequatur suis ineptiis atque insanitatibus.

Et vertens se ad dominum Quixotum dixit ei:

–Et tu, simplicissime, quisnam induxit ad credendum te esse equitem itinerantem et gigantes vincere ac maleficos apprehendere? Vade in bona fortuna et bene sit tibi si dixerint: Revertere domum tuam et cura de tuis liberis, si forsitan eos habeas, et noli vagari per hunc amplum mundum, vorando ventos ac faciendo ridere omnes, qui cognoscunt te et qui ignorant te. Ubi novisti, Hercle, gigantes esse in Hispania sive maleficos in Manica, nec Dulcineas incantatas nec omnem magnam catervam simplicitatum, quae dicuntur de te?

Attentus mansit dominus Quixotus ad argumentationes illius venerabilis viri, et cum vidit eum tacere, ac nullo respecto servato duci ducissaeque, et vultu irato ac perturbato stetit erectus et dixit ...

Sed hoc responsum in se novum capitulum meretur.

Capitulum 32. Ubi narratur responsum quod dominus Quixotus dedit suo reprehensori cum aliis gravibus ac facetis rebus gestis

Tunc dominus Quixotus stetit erectus et tremens e vertice capitis usque deorsum, tamquam si esset conturbatus hydrargyro et turbata lingua dixit:

–Locus ubi egomet sum et quoniam in conspectu dominorum, et propter viros tui status, o reverendissime domine, quos semper honoravi et propter venerationem muneris, quo tu fungeris, manus meas cohibent et religant meam iracundiam; necnon et quoniam scio arma virorum togatorum eadem esse quam mulierum, quae sunt tantum lingua, etiam lingua mea oppugnabo te, ex quo potius bona consilia exspectarem quam tua indigna vituperia. Sanctae reprehensiones ac bonae voluntates requirunt alium statum rerum et meliores locutiones. Tamen propterea quod palam transivisti omnia limina bonae reprehensionis et quae conduntur bonis verbis superant asperitatem rerum et non est bonum, nullo peccato cognito, reprehendere peccatorem neque gratis eum vocare stultum stolidumque. Sin autem, dicas mihi, o reverendissime domine: ex quanam stultitia condamnas et vituperas me atque iubes me reverti domum meam ad meam uxorem ac liberos meos gubernandos et quidem nescis utrum eos habeam necne? Hoc est introire in domus alienas et, velis nolis, inducere dominos ad gubernandas cum nonnulli sint in quadam difficultate; et hoc cum nondum videas mundum nisi per regionem viginti vel triginta leucas et tunc nonne repente introis in leges equitatus et iudicas equites itinerantes? Num vanum est tempus quod accipitur ad vagandum per mundum, spretis voluptatibus, ad quaerendas asperitates, quibus boni ascendunt ad thronum immortalitatis? Si equites, magnifici, munifici ac nobiles natu me diiudicarent stultum, tunc haberem hoc ut iniuriam irreparabilem; sed si tantum me vocant stolidum illi scholastici, qui numquam iter semitarum equitatus fecerunt, hoc pro nihilo facio; eques sum et eques moriturus sum, Deo providente. Quidam eunt per amplum campum aviditatis superbiae; alii per adulationem servilem atque ignobilem; alii per hypocrisim

mendacem ac nonnulli per veram religionem; sed ego pronus ad stellam meam vado per angustam semitam equitatus itinerantis, quo sperno divitias, sed non honores. Egomet reparavi iniustitias, adversa refeci, punivi insolentes, vici gigantes et spectra conculcavi; captus sum amore et hoc tantum, quoniam oportet ut eques itinerans sic sit amans et non sum ex vitiosis, sed ex platonicis et continentibus. Desideria mea ad bonum finem duco et haec sunt bonum omnibus facere ac malum nulli; si quis talia conatur, sive facit, vel si quis, qui hoc agit, meretur ut eum vocent stolidum dicite vos, domini magnifici, dux ducissaque excellentes.

–Macte, per Deum! –dixit Sanctius–. Nil amplius dicas, domine mi, pro tuis bonis rebus, quia nil dici potest nec amplius ad cogitandum neque amplius ad perseverandum in hoc mundo. Et praesertim cum hic dominus negaverit in mundo habuisse equites itinerantes, quid erit si nescit quae dixit?

–Num –ait ecclesiasticus– es tu, frater, ille Sanctius Pansa de quo dicunt dominum tuum promissurum esse insulam tibi?

–Utique sum –respondit Sanctius–; et egomet sum qui tam bene hanc meretur tamquam quicumque alter; nam ego sum ex illis de quibus dicitur «veni cum bonis et eris unus eorum»; et etiam sum ex his de quibus fertur «non ex quibus nasceris, sed cum quibus pasceris»; et ex his tamquam «qui sub bona arbore protegitur in bona umbra invenitur». Et ego iuxta bonum dominum veni per multos menses in cuius comitatu sum et fiam alter ei similis, et, Deo volente, vivat ille et vivam ego: et non deerunt ei imperia ad gubernanda neque mihi insulae.

–Minime vero, Sancti amice –ait ad hanc opportunitatem dux–; quia ego in nomine domini Quixoti tibi dabo insulam, quam habeo vacantem ad gubernandam et non parvae magnitudinis.

–Flecte genua, Sancti –inquit dominus Quixotus–, atque osculare pedes excellentissimi domini propter magnum munus factum tibi.

Sic fecit Sanctius; quod cum vidit ecclesiasticus surrexit de mensa moestus et quidem dicens:

–Propter habitum quem induo, fere dicturus sum tibi, o excellentissime domine, te stolidum esse tamquam hi peccatores. Videte si non erunt illi insani dum compotes mentis laudant dementias eorum! Maneas, domine excelentissime, cum eis; et dum hi hospites sint in hac domo, manebo egomet domi meae et nullo modo reprehendam, cui non possum mederi.

Et, nullo verbo addito, nihil amplius comedit et egressus est et dux ducissaque non potuerunt eum detinere, quamquam dux non multa ei dixit, affectus risu, propter impertinentem iracundiam eius, quae animum ducis suscitavit. Et, risu autem finito, dixit domino Quixoto:

–Tu autem, domine Eques Leonum, respondisti tam alte ac bene ut nihil remaneat huius iniuriae, quae nullo modo est, quoniam sic ut mulieres non possunt iniuriam inferre, ecclesiastici non possunt laedere, sicut tu, domine, melius scis.

–Hoc ita est –respondit dominus Quixotus–; et causa huiuscemodi est non posse iniuriam inferre, qui non potest eam accipere. Mulieres, pueri atque ecclesiastici, sicut non possunt sese defendere, quamvis offensi sint, non possunt suggillari. Nam inter offensionem et suggillationem est haec diversitas, ut tu, domine excellentissime, bene

cognoscis: suggillatio venit ex parte illius qui hanc potest facere et facit et sustinet; iniuria autem vel offensio potest venire ex qualibet parte quamvis non eam sustineant. Verbi gratia: quidam est in via otiosus; tunc veniunt decem viri armati et percutiunt eum fustibus, hic vero accipit gladium suum ad defendendum se; sed multitudo adversariorum impedit et non sinet ut faciat suam voluntatem, quae est vindicandi se; hic manet offensus, sed non suggillatus. Et aliud exemplum id explanabit: quidam est versus a tergo; alter venit et percutit eum fustibus et confestim fugit et non exspectat, ille sequitur eum et non pervenit ad eum; qui ictum accepit iniuriam recepit, sed non suggillationem; quoniam suggillatio debet sustineri. Si ille, qui eum percussit, repente atque improviso apprehenderet gladium suum et maneret in suo loco exspectans inimicum hic maneret suggillatus atque eodem modo offensus; offensus quoniam insidiose percusserunt eum; et suggillatus, nam qui eum offendit sustinuit iniuriam et non fugit. Sic, secundum leges maledicti duelli, offensus ero, sed non suggillatus, quoniam pueri non possunt offendere nec mulieres nec possunt fugere nec debent exspectare et idem, qui constituti sunt in sacra religione, quoniam haec tria genera hominum carent armis offensivis ac defensivis; et quamvis, naturaliter debeant sese defendere, non possunt quemdam offendere. Et quamvis nuper dixi me posse esse offensum, nunc dico minime vero, et nullo modo, quoniam qui non possunt offensam accipere numquam possunt eam inferre, per quas rationes nec debeo sentire neque sentio, quae ille bonus vir dixit de me; tantum vellem ut moram faceret ad probandum crassum errorem in quo est, quia cogitat et dicit numquam fuisse equites itinerantes in mundo; nam si talia audiret Amadis, sive quidam ex innumeris sui generis, nescio utrum bene eveniret huic reverendo domino necne.

–Hoc iuro ego bene –dixit Sanctius–; ictum gladii darent ei et scinderent eum e summo usque deorsum tamquam malum punicum sive melonem valde maturum. Boni erant illi ad tales titillationes sustinendas! Et propter fidem meam, pro certo habeo si Reginaldus de Montalbán audivisset haec argumenta huic homunculo dedisset alapam super os eius, ita ut non loqueretur per tres annos. Bonum esset de eis ridere, iam videret quomodo opus esset fugere ex manibus eorum!

Ducissa torquebatur risu audiendo Sanctium loquentem et sua opinione eum facetiorem habebat atque insaniorem quam dominum eius et multi etiam fuerunt huius ipsius sententiae. Denique dominus Quixotus pacavit se et prandium finivit, et, mappis levatis, en quattuor virgines advenerunt quaedam ferebat lancem argenteam suis manibus, alia aquaemanile etiamtum argenteum, alia habens duo albissima ac locupletissima manutergia super umeros et quarta bracchiis nudis usque ad dimidium ac suis candidis manibus –quae absque dubio candidae erant–, globulum saponis neapolitani (Neapolis) habebat. Advenit quae lancem argenteam ferebat et faceto modo et quadam procacitate posuit lancem sub barbam domini Quixoti; qui, nullo verbo prolato, admiratus de hac caeremonia quam credebat secundum consuetudinem illius regionis, vi cuius in loco manuum abluebant barbas et sic protendit suam quantum ipse potuit et continuo ex aquaemanile pluit aqua ac virgo saponaria fricuit barbas celeriter et levavit floccos niveos, quae non erant minus candidi per totum vultum et non tantum per barbas et immo per oculos patientis equitis et taliter ut deberet eos fortiter claudere.

Dux et ducissa autem, inscientes omnino, exspectabant quid esset illa insolita lotio. Virgo tonstrix cum eum haberet plenum spumae saponis, et quidem plus quam palmum, simulavit penuriam aquae et iussit virgini aquaemanilis ut statim aquam quaereret, dum dominus Quixotus hanc exspectaret. Sic enim fecerunt et dominus Quixotus mansit per quamdam moram hac insolita figura, quae imaginaretur ad risum tenendum.

Omnes circumstantes, qui erant multi, eum inspiciebant et ecce ille habebat collum procerum longum plus quam ulnam, coloris subnigri, oculos clausos, barbas plenas sapone et mirum fuit ac magna prudentia risum tenere; virgines illarum facetiarum, oculis demissis, non audebant dominos conspicere; illi autem repleti erant iracundia et risu in corpore et nesciebant quid faciendum esset: sive punire audaciam famularum sive praemium eis dare propter delectamentum videndi dominum Quixotum huiusmodi.

Denique virgo aquaemanilis advenit et finierunt abluendi dominum Quixotum et postea, quae manutergia ferebat mundavit ac lentiter detersit eum et, profunda inclinatione reverentiaque facta, quattuor virgines illae voluerunt egredi; tamen dux voluit vitare dominum Quixotum credere has facetias esse et a virgine illius lancis quaesivit dicens:

–Venite et abluite me ac videte ne deficiat vobis aqua.

Iuvenis virgo intelligens ac perspicax posuit lancem duci tamquam fecit cum domino Quixoto et festinanter abluit eum ac valde bene posuit saponem eumque siccum et mundum reliquit ac, reverentia facta, egressae sunt. Postea compertum est ducem iurasse, si non abluerent eum tamquam dominum Quixotum, se puniturum esse procacitatem earum, tamen, lotione facta, illae prudenter emendaverunt.

Sanctius autem, his caeremoniis attenter conspectis, inter se dixit:

–Adiuvet me Deus! Nonne in hac regione est mos abluendi barbas armigerorum tamquam equitum? Quia in Deo et in animo meo, hoc bene egeo et, si adhuc raderent barbas ope novaculae, haberem ut magnum beneficiuum.

–Quid dicis inter te, Sancti? –quaesivit ducissa.

–Dico, domina –respondit ille–, in aulis regiis aliorum principum semper audivi dicere, mappis levatis, dare aquam manibus, sed numquam lixiviam barbis; quamobrem bonum est longe vivere ad multum videndum; quamvis etiam dicant, qui multum vivit multa passurus est, tamen habere hanc lotionem magis erit delectamentum quam labor.

–Ne doleat tibi, amice Sancti –ait ducissa–, et ego faciam ut virgines meae abluant te et immo introducant te in ipsam detersionem si opus esset.

–Satis erit mihi lotio barbarum –respondit Sanctius– saltem nunc temporis; et tempore prodeunte, Deus providebit.

–Audi, magister escari –ait ducissa– quod bonus Sanctius quaerit atque adimple verbatim secundum voluntatem eius.

Magister escarius respondit ut domino Sanctio servirent in omnibus et tunc ivit ad prandendum et secum duxit Sanctium, dum dux et ducissa una cum domino Quixoto loquebantur de multis ac diversis rebus, sed omnibus de exercitatione armorum et de equitatu itinerante.

Ducissa rogavit dominum Quixotum ut depingeret ac describeret formositatem atque efigiem Dulcineae a Toboso, quia ei videbatur eum bonam memoriam habere et secundum quod fama de ea dicebat interpretabatur eam pulcherrimam creaturam esse

totius orbis et etiam totius Manicae. Dominus Quixotus, petitione ducissae auscultata, suspiravit et dixit ei:

–Si vere possem cor meum extrahere ac ponere in conspectu tuo, magnifica domina, hic super mensam et super catinum, vitarem laborem linguae meae dicendi, quod vix cogitabitur, quoniam ibi videres, excellentissima domina, eam in ipso corde depictam ac figuratam. Tamen quare debeam ego nunc delineare ac describere omnem venustatem inaequalis Dulcineae cum hoc labor dignus sit aliorum et non mei, quoniam penicillus Parrhasii, Timanthi, Apellis et scalprum Lysippi necessarii essent ad eam pingendam sive sculpendam super tabulas sive ex marmoribus vel aeneis et rhetorica ciceroniana ac demostheniana ad eam laudandam?

–Quid vult dicere «demostheniana», domine Quixote –quaesivit ducissa–, quod est verbum quod nondum audivi in omnibus diebus vitae meae?

–«Rhetorica demostheniana» –respondit dominus Quixotus– idem est ac «rhetorica Demosthenis», tamquam «ciceroniana» est Ciceronis, nam illi fuerunt maximi rhetorici huius mundi.

–Hoc ita est –ait dux– et insipientiam ostendisti in hac quaestione. Tamen dominus Quixotus magnum delectamentum daret nobis si vere eam depingeret; quamvis hoc sit quodam delineamento atque adumbratione et illa exeat talis ut invidiam habeant venustiores.

–Profecto facerem –respondit dominus Quixotus–, nisi deleta esset a cogitatione mea propter infortunium, quod nuperrime ei accidit quod tale est ut magis velim flere quam eam describere, nam oportet ut sciatis vos, magnifici domini, cum irem ad manus eius osculandas atque ad accipiendam benedictionem eius ac beneplacitum et licentiam ad hunc tertium egressum meum, me aliam invenisse in loco eius quam quaererem; en inveni eam incantatam ac mutatam de principessa in rusticam, de pulchra in foedam, de tranquilla in saltus facientem, de luce in tenebras et denique de Dulcinea a Toboso in rusticam de Sayago.

–Adiuvet me Deus! –dixit dux magna voce ad hanc occasionem–. Quis enim fuit qui tam magnum damnum fecit mundo? Quis igitur abstulit formositatem, quae tam multum gaudium dabat, elegantiam qua oblectabatur atque honestatem qua confirmabatur?

–Quisnam? –respondit dominus Quixotus–. Quis potuit id facere nisi maleficus incantator ex multis, qui praediti invidia persequuntur me? Haec stirps maledicta, nata in mundo ad obscurandas res gestas bonorum atque ad levanda adversa facinora malorum. Incantatores persecuti sunt me, incantatores me persequuntur ac persecuturi erunt me donec impellant me cum meis altis equitatibus in profundam abyssum oblivionis et praecise damnant me ac vulnerant me, ubi credunt maximum dolorem afficere mihi, quoniam abstulere dominam ab equite itinerante idem est tamquam ab eo auferre oculos, quibus intuitur et solem, qui lucet et sustentaculum, quo sustinetur. Multoties dixi et denuo iterum dicam; eques itinerans sine domina est tamquam arbor sine foliis, aedes sine fundamento atque umbra sine corpore quod eam efficiat.

–Nihil amplius est dicendi –ait ducissa–; tamen si debemus creditum dare historiae, quae nuper edita est in lucem mundi, ac magno plausu omnium hominum, ex illa colligitur, ni fallor, te numquam eam vidisse et hanc dominam non esse in mundo, sed

est domina phantastica, quam tu genuisti et peperisti ex tua mente atque eam depinxisti praeditam illis virtutibus perfectionibusque quas voluisti.

–De hoc multum est dicendi –respondit dominus Quixotus–. Deus vere scit utrum Dulcinea sit in hoc mundo necne, et num sit phantastica; sed hae non sunt res quae discernendae sint usque ad ultimum extremum rerum. Neque ego genui neque peperi dominam meam, quoniam ego eam intueor tamquam convenit dominam esse et quidem video eam habere partes quibus faciunt pulchram inter omnes huius mundi, tamquam sunt: formosa sine macula, gravis absque superbia, delectabilis honestate, laeta urbanitate, nobilis natu et denique alta genere eius propter sanguinem purum ac fulgentem, qua de causa in ea est formositas in maximis gradibus perfectionis quam in quadam pulchra, sed humili natu.

–Hoc ita est –inquit dux–; domine Quixote, sed da mihi veniam ut dicam quod historia tuarum rerum gestarum, quam legi, impulit me ut dicerem et ex qua colligitur cum sit haec Dulcinea a Toboso sive extra hanc urbem et quae sit pulchra et summo gradu tamquam tu eam depingis, sed quoad stirpem non appropinquat ad illas Orianas, Alastraxareas (Alastrajareas) vel Madasimas aliasque huiuscemodi, quibus historiae plenae sunt sicut tu bene scis.

–Ad hoc dicendum est –respondit dominus Quixotus– Dulcineam filiam esse operarum suarum et etiam dicam virtutes efficere sanguinem meliorem, quoniam magis est aestimandi humilis virtuosus quam vitiosus superbus. Et etiam Dulcinea habet praestantiam ut fiat regina coronae et sceptri; nam meritum mulieris pulchrae et virtuosae pergit ad maiora miracula facienda et quamvis non formaliter saltem virtualiter habeat in se ipsa maximam fortunam.

–Ego dico, domine Quixote –ait ducissa–, in omnibus quae dixisti procedis pedetentim et lentibus passibus, ut dici solet, et modo dicendi plumbeo in manu, sed ex hoc et in futurum credam et faciam omnes credere, saltem domi meae, et etiam ducem dominum meum, si opus esset, talem Dulcineam esse in urbe Toboso eamque vivere hodie ac formosam esse et nobilem natu ac mereri ut talis eques ut dominus Quixotus serviat ei et hoc est summum quod dicere possum. Tamen etiam habeo scrupulum sive quamdam malevolentiam contra Sanctium Pansam: scrupulus est, quia illa historia dicit talem Sanctium Pansam invenisse Dulcineam cum ad eam mitteret epistulam et cribrabat saccum tritici quod accuratius erat rubeum, quare dubito de excelsitudine illius generis.

Cui dominus Quixotus respondit:

–Excellentissima domina mea, tu cognoscis omnes sive plerasque res, quae mihi acciderunt, esse extra vias ordinarias ex his, quae aliis equitibus itinerantibus accidunt, tum sit per voluntatem fatorum inexcrutabilium, tum propter malitiam incantatorum invidorum; et sic revera est ut omnes sive plurimi illustres equites itinerantes alius habeat virtutem contra omne incantamentum, alius habeat carnes impenetrabiles, ita ut non possint eum vulnerare, tamquam fuit clarus Orlandus (Roldanus), qui fuit unus ex Duodecim Paribus Galliae, et de quo narratur eum non posse vulnerari nisi in solea pedis sinistri et hoc praecise cum acicula crassa, sed non cum quibuscumque armis; et sic cum Bernardus a Carpio interfecit eum in Roncesvalles, cum videret se non posse eum vulnerare ope gladii sui, levavit eum

ex terra inter bracchia sua et suffocavit eum, et meminerat mortis quam Hercules dedit Antaeo, feroci giganti, quem dicebant filium Terrae esse. Ex quibus rebus volo egomet inferre fortasse me quamdam virtutem habere et non praecise ut non possint me vulnerare, quoniam multoties ac, teste experientia, vidi carnes meas molles esse et penetrabiles necnon et posse subire incantamenta, nam iam vidi me in quadam cavea captum fuisse, ubi totus mundus non posset me introducere, nisi per incantamentum. Sed cum me liberavi ab eo pronus sum ad credendum nullum esse, quo possint me male afficere; et cum viderint incantatores se non posse mecum maleficas astutias eorum adimplere sese vindicaverunt a re quam magis diligo et vitam volunt a me auferre et vexant vitam Dulcineae, pro qua egomet vivo; et hoc modo cum armiger meus legationem adduxit ei, eam transmutaverunt in rusticam et quidem facientem humile exercitium ut sit cribrare frumentum; tamen iam dixi hoc non fuisse frumentum neque triticum rubeum, sed globulos margaritarum orientalium et ad hanc veritatem probandam etiam dicam vobis, excellentissimi, ut cum nuper veni ad urbem Toboso nullo modo potui invenire palatium Dulcineae; et immo crastino die armiger meus vidit eam in propria figura eius, tamen mihi videbatur rustica foeda atque inculta et nihil rationabilis cum ipsa sit maxima prudentia huius mundi. Et si ego non sum incantatus nec possum esse, secundum bonum iudicium, illa est incantata, offensa ac transmutata et in ea fecerunt vindictam inimici mei contra me et propter eam vivam in perpetuis lacrimis, donec possim eam videre in pristino statu eius. Haec omnia dixi ut nemo videat quod Sanctius dixit de cribratione tritici ac de qualitate illius frumenti Dulcineae; quoniam, mea opinione, mutaverunt eam et hoc non mirum est ut transmutarent eam. Dulcinea nobilis est atque illustris natu et ex generibus, quae sunt in Toboso, quae multa vetera sunt ac valde bona et non parva pars eorum erit ei, procul dubio, huic impari Dulcineae pro qua locus ille notus erit in saecula futura tamquam etiam fuit Troia pro Helena, Hispania pro «La Cava», quamvis cum meliore titulo famaque. Aliter etiam volo vos, excellentissimi domini, intelligere Sanctium Pansam esse unum ex facetissimis armigeris, qui umquam equiti itineranti servivit; tamen aliquando habet simplicitates valde acutas et difficile est discernere utrum sit acutus vel simplex, sed hoc est causa maioris contentus; etiam habet malitias, quae eum ut maleficum efficiunt et negligentias, quae faciunt eum esse stultum; dubitat de omnibus rebus et eodem tempore omnia credit; et cum arbitror eum proiicere ut stultum, ille venit cum maxima prudentia et supra coelum ascendit. Denique non permutarem eum pro alio armigero, quamvis darent mihi urbem pro additamento; quare etiam dubito utrum bonum sit eum ad gubernandum mittere propter tam magnum beneficium quod tu, magnifice domine, ei praebuisti, quamvis eodem modo videam quamdam aptitudinem ad gubernandum et cum parum intellectum suum bene dirigat, posset ex hac gubernatione bene exire tamquam rex ex suis vectigalibus. Et potissimum iam novimus non necesse est multas litteras cognoscere nec magnam habilitatem habere ad bene gubernandum, quoniam sunt plus quam centum, qui paene legere possunt et gubernant tamquam optimi legisperiti; quaestio praecipua est ut vere habeant rectam voluntatem et velint omnia bene facere et numquam deerunt eis, qui bonum consilium dent et adducant eos ad perficiendum, tamquam gubernatores militares, qui non sunt iurisconsulti et dant sententias cum

assessore sive consiliario. Egomet darem ei consilium ne accipiat subornationem nec amittat quoddam ius et alias parvas res, quae manebunt in meo stomacho, sed suo tempore exibunt ad utilitatem Sanctii atque ad beneficium insulae quam gubernabit.

Hucusque pervenerunt in colloquio dux, ducissa et dominus Quixotus cum audiverunt multas voces ac magno strepitu gentium in palatio et continuo intravit Sanctius in vestibulum affectus magno pavore et cum praecinctorio sub barba et post eum veniebant multi iuvenes sive, ut melius dicam, furciferi culinae et alia plebecula, quidam ferebant alveum aquae, quae propter colorem videbatur non mundam, sed ad defricandos catinos esse; sequebatur ac persequebatur ille cum alveolo et conabatur eum sub barbas confestim ponere, sed alius furcifer volebat eas abluere.

–Quid est hoc fratres? –quaesivit ducissa–. Quidnam gentium est hoc? Quid vultis facere huic bono viro? Et quomodo non cogitatis eum electum gubernatorem esse?

Cui respondit furcifer tonsor:

–Non vult ut abluamus eum secundum consuetudinem ac sicut lotus est dux dominus meus et dominus eius.

–Ego utique volo –respondit Sanctius affectus magna iracundia–; sed vellem ut facerent cum mundis manutergiis et clariore lixivia et manibus non tam sordidis; quia non est tam magna disparitas inter dominum meum et me, ita ut abluant eum cum aqua angelorum et me cum lixivia diabolorum. Consuetudines regionum et palatiorum principum bonae sunt cum non afficiant molestias et fastidia; sed mos huius lotionis, quem hic faciunt peior est quam flagellantium poenitentium. Barba mea munda est et non eget similibus refrigeriis, et si quidam veniat ad me abluendum sive tangere capillum capitis mei, dico barbae meae, servatis servandis et cum debita reverentia, ei dabo talem colaphum pugno meo ut vestigium pugni maneat in vultu eius; quia tales caerimoniae ac saponaturae magis videntur nugae quam honores hospitibus.

Ducissa torquebatur risu videndo iracundiam atque argumenta Sanctii; sed non multum placuit domino Quixoto cum vidit eum inordinatum manutergio sordido ex pinguedine et circumdatum tantis otiosis culinae et, reverentia facta duci ducissaeque, tamquam ab eis veniam quaerens ad loquendum ac voce serena dixit plebeculae:

–Salvete, domini equites! Relinquite hunc virum et revertimini ad locum ex quo venistis, sive ad alium si melius vultis, quoniam armiger meus mundus est tamquam alius et hos alveolos parvi sunt gutturi eius. Atque accipite consilium meum et relinquite eum, quoniam nec ille nec egomet gaudemus de facetiis.

Tunc Sanctius prosecutus est secundum haec argumenta dicens:

–Sin autem, venite ad facetias facere huic indomito et sic patiar ego ut nunc est dimidia nox! Afferte mihi pecten sive quidquid velitis et pectite has barbas et si invenietis in eis quid offendat munditiae bene potestis me tondere.

Ad hanc occasionem ducissa non potuit risum tenere et dixit:

–Sanctius Pansa recte iudicat in omnibus quae dicit et sic erit in omnibus quae dicat: ille mundus est, velut dicit, et non eget quadam lotione, sed si consuetudo nostra non est ei conveniens, faciat sicut vellet, sed vos ministri munditiae valde remissi fuistis ac negligentes ne dicam nimis audaces et ad barbas eius abluendas attulistis, quae non digna sunt, et in loco lancis et aquaemanilis aurei ac manutergii Hollandiae,

adduxistis alveolos et utensilia lignea culinae. Sed denique maligni estis et innobiles natu tamquam plebecula et contra armigeros equitum itinerantium odium habetis.

Famuli atque immo magister escarius, qui cum eis veniebat, crediderunt ducissam verum locutam fuisse et praecinctorium abstulerunt ex pectore Sanctii et omnes perturbati et pavescentes egressi sunt et eum reliquerunt; qui cum videret se extra periculum quod magnum ei videbatur, venit ad genua flectenda ante ducissam cuique dixit:

–De magnis dominabus magna beneficia ac munera exspectantur; haec autem quam hodie mihi fecisti non solvam in omnibus diebus vitae meae ad serviendum tam excellenti dominae. Rusticus sum, Sanctius Pansa vocor, uxorem duxi, liberos habeo et fungor armigero; utrum quadam ex his rebus possim tibi, magnifica domina, servire statim veniam ad oboediendum quod iubere velis mihi.

–Bene videtur, Sancti –respondit ducissa–, te didicisse urbanitatem in schola ipsius urbanitatis; et fere videtur te natum esse in gremio vel in sinu domini Quixoti, qui vere est flos urbanitatis et caeremoniarum, sive «cirimoniarum» sicut tu ipse dicis. Benedictus sit talis dominus ac talis famulus, alter, quia est Stella Polaris equitatus itinerantis et alter, quia est stella fidelitatis armigerorum. Surge, Sancti amice, et vere adimpleam urbanitates tuas et faciam ut dux dominus meus, quam primum, adimpleat promissum munus tibi ad gubernandam insulam.

Atque, his verbis prolatis, colloquium cessavit ac dominus Quixotus ivit dormitum postmeridianum, sed ducissa quaesivit a Sanctio si vere nollet dormire ut veniret cum ea ad oblectamentum inveniendum una cum virginibus eius in vestibulo frigido. Sanctius, quamquam verum est se quotidie dormire per quattuor vel quinque horas tempore quietis postmeridianae aestivae, respondit se libentissime et ad serviendum optimae dominae curare ut non peteret dormitum illo die et ad adimplendum hoc mandatum venit. Dux etiam dedit dispositiones ad tractandum dominum Quixotum tamquam equitem itinerantem et nihil praeter modum agendi narrationes, quas libri dicunt de veteribus equitibus.

Capitulum 33. Ubi narratur laetum ac facetum colloquium quod ducissa et virgines eius cum Sanctio Pansa habuerunt, dignum legendi et notandi

Historia igitur narrat Sanctium non dormivisse illa quiete postmeridiana, sed, prandio finito, venit ad verbum promissum adimplendum et ad videndam ducissam; quae gaudebat audiendo eum et ab eo quaesivit ut sederet super parvum scamnum iuxta eam, quamquam Sanctius propter urbanitatem noluit sedere; sed ducissa ait ad eum ut sederet tamquam gubernator et loqueretur tamquam armiger et propter has duas res merebatur habere scamnum illius Cid Roderici (Ruy) Díaz «Campeador».

Sanctius umeros contraxit, ei oboedivit ac sedit et omnes virgines et dominae

ducissae attente circumierunt eum magno silentio ad auscultandum quid diceret. Ducissa autem prima fuit, quae locuta est dicens:

–Nunc nos hic soli sumus et nemo audit nos, quamobrem vellem ut tu, domine gubernator, solveres quaedam dubia quae habeo, nata ex historia, quae de magno domino Quixoto impressa est; unum ex his dubiis est bonum Sanctium numquam vidisse Dulcineam, dico dominam Dulcineam a Toboso nec ad eam litteras domini Quixoti dedit, quia hae relictae sunt in illo codicillo in Montibus Fuscis; quomodo ergo ausus es fingere responsum et etiam te invenisse eam cribando triticum, dum omnia erant facetiae et mendacium? et quidem in detrimento bonae opinionis imparis Dulcineae et haec omnia non bene conveniunt cum qualitate et fidelitate bonorum armigerorum.

Sanctius autem, his verbis auditis, ac nullo responso prolato, surrexit de sella et lentis gressibus et gravi corpore et digito super labia posito, per omne vestibulum deambulavit et levavit stragula parietis; et continuo, his rebus factis, iterum sedit et dixit:

–Nunc, domina mea, vidi neminem audire nos occulto modo, praeter circumstantes, atque absque timore ac metu respondam huic quaestioni et ad omnia quae velis a me quaerere. Et primum quod dicam est me credere dominum Quixotum omnino insanum esse, quamvis aliquando dicat res, quae vere valde prudentes sint ac per rectam viam, ita ut nec ipse Satan posset eas melius dicere; tamen vere dicam eum stolidum esse. Et sic ut hoc habeo in mente mea, ausus sum facere eum credere quod non fieri potest, tamquam responsum epistulae et quod accidit abhinc sex sive septem dies et adhuc non erit in historia, id est: quod pertinet ad incantamentum dominae meae Dulcineae, quia feci ut crederet eam incantatam esse et hoc nullo modo verum est.

Ducissa rogavit eum ut ei narraret illud incantamentum sive mendacium et Sanctius enarravit omnia et tali modo sicut acciderunt, quo non parum gavisae sunt omnes circumstantes; et prosecuta est suis dubiis ducissa eique dixit:

–Ex his quae bonus Sanctius narravit mihi, ortum est novum scrupulum in animo meo et quidam susurrus advenit ad aures meas et quidem dicit mihi: «Si dominus Quixotus a Manica insanus est, stultus et stolidus et Sanctius Pansa armiger eius eum cognoscit et nihilominus ei servit, eum sequitur et credit vanas promissiones eius, procul dubio, ille insanior erit ac stultior quam dominus suus, et cum hoc ita sit, sicut vere est, o domina ducissa, si tali Sanctio Pansae das insulam ad eam gubernandam, et nescit gubernare se ipsum, quomodo gubernabit alios?

–Per Deum, domina –dixit Sanctius– hoc scrupulum venit per partum directum: sed dicas ei ut ille loquatur clare et aperte sive sicut velit et ego cognosco eum dicere veritatem: si vere prudens essem iam reliquissem dominum meum, sed haec est fortuna mea atque eodem tempore adversa fortuna mea; non possum amplius facere; et secuturus sum eum: oppidani ex eodem loco sumus, panem eius comedi, eum diligo bene, gratus erga me est, dedit mihi asinos suos, et praesertim fidelis sum et sic oportet ut nullae res gestae nos separent, nisi homo palae et ligonis [scilicet Mors]. Et si tu, excelsa domina, non vis ut dent mihi promissam gubernationem, Deus fecit me sine ulla gubernatione et, hac gubernatione negata, melius esset pro mea conscientia, quia, quamvis stultus sim, etiam intelligo proverbium quod dicit: «formica habet alas in suo

detrimento». Et quis scit utrum Sanctius armiger melius ad coelum perveniat quam gubernator. Et tam bonum panem faciunt hic quam in Francogallia; et noctu omnes feles sunt fusci; et nimis infortunatus est qui hora secunda postmeridiana manet ieiunus; et nullus stomachus est palmum maior quam alius et quidem implentur palea et foeno; et parvae aves campi habent Deum provisorem et administratorem; et plus calefiunt quattuor ulnae panni lanei Conchae (Cuenca) quam alterae quattuor panni subtilissimi Segoviae; et si relinquimus mundum et introducimus nos in terram intus, per angustam semitam it princeps tamquam operarius; et corpus Papae non occupat plures pedes in terra quam corpus sacristae, quamvis alter altior altero sit; et ad introiendum in fossam omnes nos adaequamus et contrahemus sive adaequant et contrahent nos et hoc praeter nos et valedicunt nobis et bona quies in nocte. Et iterum dico si tu, excelsa domina, non vis mihi dare insulam, quia stultus sum, egomet ut prudens non plus aequo lamentabor, quia audivi dicere a tergo crucis est diabolus et nimium ne credas colori, et ex bubus, ex aratris et ex iugis boum eduxerunt agricolam Wambam ut fieret rex Hispaniae atque ex acupictis sericis aurisque eiecerunt Rodericum ut ederetur a serpentibus, si vetera carmina [vulgo *romances*] non mentiuntur.

–Et quomodo non mentiuntur! –dixit ad hanc occasionem domina Rodríguez, quae erat inter auscultantes–: est enim «romance» qui dicit regem Rodericum fuisse vivum in sepultura plena ranis, serpentibus et lacertis et, duobus diebus elapsis, rex intus in sepultura dixit voce dolente ad demissa:

Iam comedunt, comedunt me
ubi abundabat peccatum.

Et secundum hoc, hic dominus recte iudicat cum dicat melius esse ut sit agricola quam rex si eum serpentes devorabunt.

Ducissa non potuit risum tenere auscultando simplicitatem dominae et admirata est de proverbiis atque argumentis Sanctii, cui dixit:

–Bonus Sanctius bene scit quidquid semel eques pollicetur certe adimpletur, et hoc quamvis sit in periculo mortis. Et dux, maritus ac dominus meus, quamvis non sit ex equitibus itinerantibus etiam est eques et adimplebit promissum verbum de insula praeter invidiam ac maledictiones huius mundi. Macte Sancti! nam cum minus de hoc facias, videbis te sedentem in throno insulae tuae et in tuo statu et sceptrum gubernationis habebis in tuis manibus nisi ad aliam habendam ex bysso trium telarum. Quod vere te moneo est ut cures de tuis subditis et videas quomodo gubernes eos, atque animadvertas eos omnes fideles ac bonos esse natu.

–Non necesse est –respondit Sanctius– ut dicas me eos bene gubernare, quia benignus sum de me et commisereor pauperum et ab eo qui coquit et conficit massam non auferas panem focarium, et iuro eos non daturos esse mihi falsum cubum; egomet sum canis vetulus et sentio et cognosco eos propter odores eorum ac scio ad tempus opportunum expergefieri et non patiar insecta ante oculos habere, quia bene scio ubi dolet mihi calceus; et hoc dico nam boni habebunt in me bonam manum atque acceptationem convenientem, mali autem nec aditum neque pedem. Et mea opinione, quoad gubernationem difficultas est in initio rerum et ex hoc et in quindecim dies

cognoscam officium et munus gubernatoris et quidem melius quam labores agri in quo natus sum.

–Bene iudicasti, Sancti –ait ducissa–, quoniam nemo natus est sciens omnia et ex hominibus fiunt episcopi et non ex lapidibus. Sed veniamus denuo ad colloquium nostrum, in quo nuper tractavimus incantamentum dominae Dulcineae, quia habeo pro certo et revera voluntatem Sanctii fuisse ad decipiendum dominum suum ita ut crederet illam rusticam fuisse Dulcineam et dominus eius non recognovit eam propter incantamentum, et hoc fuit inventum incantatorum persequentium dominum Quixotum; quia ego certe ac revera scio rusticam, quae saltum dedit super asinam, fuisse Dulcineam a Toboso, et bonus Sanctius, qui putavit esse mendax vere fuit deceptus et non est dubitandi huius rei quam in rebus quae numquam vidimus; ac sciat dominus Sanctius Pansa nos etiam hic habere incantatores, qui nos bene diligunt et dicunt quod accidit in mundo et quidem pure ac simpliciter sine dolo et machinationibus; et credat Sanctius illam rusticam, quae saltum dedit, fuisse atque esse Dulcineam a Toboso, quae est incantata tamquam mater quae eam peperit; et saltem cum minus de eo cogitemus videbimus eam in propria figura eius; et tunc exibit Sanctius ex hoc dolo in quo vivit.

–Omnia bene fieri possunt –dixit Sanctius Pansa–; et nunc volo credere quod dominus meus narrat se vidisse in caverna Montesinos, ubi dicit se vidisse dominam Dulcineam a Toboso in ipsis vestibus atque habitu, quibus dixi me eam vidisse cum eam incantarem mea voluntate; et omnia e contrario fuit, tamquam tu, domina mea, dicis, quia pauper mens mea nec scit nec potest in ictu oculi hoc mendacium tam perfectum fabricare neque possum cogitare dominum meum tam insanum esse ad haec omnia accipienda cum parva persuasio mea crederet quod extra omnem terminum est. Tamen, optima domina, non per hoc credas me maleficum esse, quia stolidus tamquam ego sum, non opus est ut habeam cogitationes ac malitias pessimorum incantatorum: ad vitandas rixas domini Quixoti simulavi, extra voluntatem offendendi eum; si e contrario hoc accidit, Deus est in coelo qui iudicabit corda hominum.

–Hoc verum est –ait ducissa–; sed dicas mihi, Sancti, quid est hoc quod dicis de caverna Montesinos; quia hoc audire vellem.

Tunc Sanctius Pansa narravit accurate quod iam dictum est de talibus factis.

Et ducissa, his verbis auditis, dixit:

–Ex his rebus gestis deducitur magnum dominum Quixotum dixisse ipsam rusticam, quam Sanctius vidit exientem ex Toboso, Dulcineam sine dubio esse atque hic incantatores sapientes ac nimis activos esse.

–Haec etiam dico ego –dixit Sanctius Pansa–; et si mea domina Dulcinea a Toboso incantata est hoc in damno eius est; et ego nihil faciam cum inimicis domini mei, qui multi erunt ac vere maligni. Verumtamen est me eam vidisse tamquam rusticam et sic eam iudicavi: sed si illa erat vera Dulcinea hoc non debet esse super umeros meos, quia nil habeo in hoc negotio. Nec opus est ut omni momento dicant de me, «Sanctius dixit, Sanctius fecit, Sanctius egressus est, Sanctius reversus est», tamquam si Sanctius quispiam esset et non ipse qui est in libris per hunc mundum secundum quod dixit mihi baccalaureus Samson Carrasco, qui saltem est scholasticus Salmanticae et ut talis mentiri non potest nisi si vere vellet vel si ad occasionem veniat; quamobrem non oportet hanc quaestionem mihi tribuere, quia bona fama est mihi et secundum audivi

dicere a domino meo, melius est bonus homo esse quam multas divitias habere, hanc gubernationem mihi praebeant et videbunt res miras, nam qui fuit bonus armiger etiam erit bonus gubernator.

–Quae hucusque dixisti, bone Sancti –ait ducissa–, sententiae sunt catonianae, sive saltem ex ipso corde Michaelis Verino, qui *–florentibus occidit annis*. Denique, et loquendo secundum Sanctium, sub pallio indigno invenitur bonus bibax.

–Profecto, domina –respondit Sanctius–, numquam in vita mea bibi ex malitia; cum sitim habeam absque dubio, quia nullo modo hypocrita sum; quare bibo cum bibere volo, sed cum nolim et dant mihi etiam bibo ne ostendam me inurbanum sive nimis timidum; quia ad bibendum ut prosit amico, quid cor erit marmoreum, quod non faciat libentissime? Et quoad femoralia ea induo, sed non ea maculo; et armigeri equitum itinerantium plerumque bibunt aquam, quia ambulant per nemora, silvas, montes et rupes ac nullam miserationem vini inveniunt, quamvis oculum pro ea darent.

–Sic credo egomet –respondit ducissa–. Et nunc eas cubitum, Sancti, et postea longius loquemur et disponamus quomodo venias ad sedendum super hanc gubernationem sicut tu dicis. Sanctius manus ducissae denuo osculatus est eamque rogavit ut faceret ei gratiam curandi de suo «cinereo», quia erat lux oculorum suorum.

–Quisnam est hic cinereus? –quaesivit ducissa.

–Asinus meus –respondit Sanctius–, quia ne vocarem eum hoc modo soleo aliquando eum vocare cinereum et cum intravi in hoc castellum ab hac nutrice quaesivi ut curaret de eo et expavit tamquam si dixissem eam fuisse foedam sive vetulam et proprius esset, mea opinione, ut tales dominae nutrices curarent de iumentis quam de vestibulis parandis auctoritate earum. O, iuvet me Deus, et quam male se habebat fidalgus oppidanus mei pagi erga illas dominas!

–Absque dubio esset rusticus indoctus –dixit domina Rodríguez–; quia si esset fidalgus ac nobilis natu eas collocaret super cornua lunae.

–Nunc autem –ait ducissa–, nil amplius est dicendi: taceat domina Rodríguez, et quiescat tranquillus dominus Pansa, ego curabo de valetudine asini cinerei, et ut gemmam ipsius Pansae ponam super pupillas oculorum meorum.

–Satis est si in stabulo maneat –respondit Sanctius–, quia super pupillas oculorum tuorum, magnifica domina, neque ille neque ego digni sumus manendi nec parvam moram temporis, et sic acceptarem tamquam dare ictus pugni super vultum meum; quia dominus meus dicit in urbanitate melius est perdere propter exaggerationem quam propter parvitatem, sed in his quae pertinent ad iumenta atque ad nimias res convenit ire, habens mensuram in manu et in iusto termino.

–Adduc asinum tuum, Sancti –ait ducissa–, ad gubernationem insulae et ibi fac cum eo sicut velis immo dare ei emeritam cessationem ex labore ut rude donato.

–Ne credas, domina ducissa, te multum dicere –dixit Sanctius–; quia vidi plus quam duos asinos ad gubernandum ire et nil novi esset si ego meum mecum adducerem.

Argumenta Sanctii denuo effecerunt ducissae risum et contentum, sed iussit ei ut iret cubitum atque illa ad ducem venit eique narravit quae acciderant; atque, inter ambos, machinati sunt facetias quas facerent domino Quixoto et moribus equitum convenirent; et quidem multas fecerunt ac prudentes et quidem sunt meliores res gestae, quae in hac historia continentur.

Capitulum 34. Ubi narratur quomodo oportebat solvere incantamentum Dulcineae a Toboso et hoc est eventum inter meliora huius libri

Magna erat laetitia quam dux ducissaque receperunt ex colloquio domini Quixoti et Sanctii Pansae et, voluntate faciendi nugas confirmata, quae viderentur ut res gestae. Et acceperunt ex illis, quas dominus Quixotus narravit eis de caverna Montesinos ad faciendum eventum, quod esset illustre –sed quod magis mirabatur ducissa erat ut simplicitas Sanctii tam magna esset ut ipse crederet verum esse Dulcineam a Toboso reapse incantatam fuisse, cum ipse esset verus incantator illius ac mendax in toto illo negotio–. Et hoc modo disposuerunt quid famuli facturi essent et, sex diebus elapsis, dominum Quixotum adduxerunt ad venationem faciendam cum tam magna turma venatorum, quam tantummodo rex coronatus secum ducere posset. Domino Quixoto dederunt vestes venatorias et Sanctio alteram vestem viridem ex optimo panno; tamen dominus Quixotus noluit illam induere, quia dixit se reversurum esse ad exercitium armorum et non poterat vestiarium secum ferre. Sanctius recepit quam ei dederunt cum voluntate vendendi eam quam primum.

Dominus Quixotus, illo exspectato die advento, armatus est suis armis ac Sanctius induit vestem viridem atque ascendit in asinum, quem noluit relinquere, quamvis ei darent equum et introduxit se inter turmam venatorum. Ducissa autem eleganter exornata exivit et dominus Quixotus, magna urbanitate accepit habenas equi phalerati, quamvis dux id non assentiretur et tandem venerunt ad silvam, quae inter duos altissimos montes erat et ibi unusquisque loca sua accepit necnon et stationes venatorum ac semitas; et magno strepitu ac vociferatione et multis clamoribus, inceperunt venationem ita ut alteri non poterant alteros audire tum propter latratus canum tum propter sonitus buccinarum.

Ducissa vero descendit de equo et cum acuta hasta in manu accepit locum suum, qua nonnulli apri transire solebant. Dux etiam descendit de equo et dominus Quixotus atque ambo ad latera ducissae steterunt; Sanctius posuit se a tergo omnium et non descendit de asino, quem non audebat relinquere absque protectione quin quid adversi accideret ei. Atque ubi primum posuerint pedes in locis opportunis cum aliis famulis eorum, ad eos venit immensus aper, fremens dentibus atque eiiciendo spumam per fauces et circumdatus canibus, quem venatores persequebantur. Et cum eum vidit dominus Quixotus scutum suum amplexus est atque accipiens gladium processit ad eum recipiendum. Idem fecit dux cum sua hasta; sed omnibus praecederet ducissa si vero dux ne eam impediret. Solummodo Sanctius, cum vidit robustum animal, reliquit asinum et cucurrit ut potuit et conatus est ascendere in altam quercum, si fieri posset, sed miser tantum ad dimidiam arborem pervenit, apprehendit ramum et hic fractus est atque ille cecidit deorsum et mansit in aere suspensus de ramo fracto illius quercus, sed non pervenit ad terram. Tunc putavit vestim viridem rumpi eique videbatur etiam animal ferox eum posse attingere et vorare, quare incepit tales voces dare ad auxilium petendum ac tam enixe ut omnes, qui eum audierunt, et nondum viderunt, crederent eum esse inter dentes cuiusdam ferae.

Denique aper quamquam praeditus erat suis dentibus caninis transfixus fuit ictibus hastarum, quas ante eum posuerunt, et cum dominus Quixotus vertit caput suum ad magnas voces Sanctii, quibus eum cognovit, vidit eum pendentem de quercu et quidem capite converso deorsum atque asinus iuxta eum, qui in hac calamitate non deseruit eum. Et dicit Cide Hamete raro vidisse Sanctium Pansam absque asino nec umquam asinum absque Sanctio: talis erat amicitia ac fiducia, quae inter ambos servabatur.

Dominus Quixotus advenit et demisit Sanctium, qui cum vidit se liberum atque in terra intuitus est scissuram vestis venatoriae et doluit ei in suo animo; quia putavit in illa veste se habere primogenitum. Tunc fortem aprum super mulum transversum posuerunt atque eum texerunt rosmarino ac ramulis myrti et eum adduxerunt tamquam signum victoriae ad magna tabernacula, quae erant in media silva et ubi mensas dispositas invenerunt ac magnum sumptuosumque prandium paratum, quo videbatur magnificentia de his qui ea offerebant. Sanctius ostendit scissuram vestis ducissae et dixit:

–Si haec venatio esset tantum leporum ac passerum, vestis mea secura esset in hoc extremo. Nescio vero quid exspectabitur de animale quod si quemdam attingeret suis dentibus caninis vitam ab eo auferre posset; et ego memini cuiusdam veteris «romance» qui dicebat:

Ab ursibus voratus sis
tamquam Favila illustris.

–Iste fuit rex gothicus –inquit dominus Quixotus–, qui ad venationem ivit et ursus eum voravit.

–Id est quod egomet dico –respondit Sanctius–: et non vellem principes et reges esse in similibus periculis et hoc propter voluptatem, quae nullo modo est talis, quia tantum agitur de occidendo animal, quod nullum damnum fecit.

–Omnino erras, Sancti –respondit dux–, quia exercitium venationis in montibus est valde conveniens ac necessarium regibus et principibus ut nullum aliud. Venatio est imago belli; quia in illa sunt astutiae, stratagemata, insidiae ad vincendum commode inimicum; in ipsa patiuntur magna frigora et calores intolerabiles, amittitur somnum atque otium, magna robora obtinent, membra venatoris flexibilia fiunt, et breviter hoc est exercitium quod perficere possunt damno nullius ac magno profectu plerumque. Et optimum quod in se habet est hoc non omnibus esse, tamquam alia genera venationis, aucupio sive venatione avium excepta, quae tantum regibus ac praecipuis dominis est. Quare, o Sancti! muta tuam opinionem et cum sis gubernator vaca venationi et videbis quomodo panis valet pro centum.

–Hoc tamen non faciam –respondit Sanctius–: quia bonus gubernator, et crus fractum, melius est ut domi maneat. Bonum esset ut mercatores ad eum veniant lassi de via atque ille esset in monte gaudendo venatione! Sic male eveniet gubernationi eius! Mea fide, domine, venatio atque oblectamenta melius propter otiosos quam propter gubernatores. Tamen oblectamentum meum et quidem tempore Paschatis, chartae lusoriae erunt provocantes pro triumpho et die Dominico ac diebus festivis trunculi; quia venationes non dicunt de mea condicione nec conveniunt meae conscientiae.

–Faxit Deus, Sancti, ut hoc ita sit, quia ex verbo ad factum est magnus tractus.

–Quamvis magna sit distantia –obiecit Sanctius–, qui sumptum bene solvit non curat de pignore et melius est quem Deus adiuvat quam qui primo diluculo surgit, et venter adiuvat pedes, sed non pedes ventrem; et volo dicere, Deo iuvante, si ego facio quod debeo ac bona voluntate absque dubio gubernabo melius quam peritus. Aliter introducant digitum in os meum et videbunt utrum premam dentibus necne!

–Maledictus sis a Deo atque ab omnibus Sanctis eius, Sancti maledicte –inquit dominus Quixotus–, et quando erit dies, sicut multoties iam dixi tibi, quo videam te loquentem tantum sententiam communem sine proverbiis! Magnifici domini, relinquite hunc stultum, quia animum vestrum importunabit et non tantum duobus proverbiis, sed mille et quidem nec tam accurate adductis nec tempore opportuno cum Deus ei dederit valetudinem sive mihi ad ea audienda.

–Proverbia Sanctii Pansae –ait ducissa–, plura sunt quam illius Commentatoris graeci, sed non propter hoc erunt minoris aestimationis mihi per brevitatem sententiarum. Et quoad me tantum dicam me vere gaudere de his, quamvis alia adducantur meliore occasione ac maiore ratione dicendi.

Illi autem, his atque aliis argumentis prolatis, exierunt ex tabernaculo in silvam et viderunt stationes venatorum et dies transivit celeriter et advenit nox et non tam clara neque tam placida ut tempestas climatica requireret et erat in dimidia aestate; tamen quaedam claritas adhuc videbatur et valde convenit propositis ducis ducissaeque, sub noctem autem et quidem, crepusculo elapso, repente videbatur omnis silva ubique ardere, et continuo hic et illic, atque huc et illuc innumerae buccináe aliaque instrumenta bellica audiebantur, tamquam multarum turmarum equitatuum, quae per mediam silvam transirent. Lumen ignis et sonus instrumentorum bellicorum fere obcaecaverunt oculos ac perturbaverunt aures circumstantium et omnium, qui tunc in silva erant.

Confestim auditi sunt innumerabiles «lelilies» ad modum maurorum cum introeunt in proelium; tubae ac buccinae sonum dederunt, tympana resonarunt, fistulae clanxerunt, ac fere omnes eodem tempore et tam subito et celeriter ut nemo maneret sine confusione ad sonitum plurium instrumentorum. Dux turbatus est, ducissa suspensa, dominus Quixotus admiratus, Sanctius Pansa tremuit ac tandem immo timuerunt, qui haec omnia sciebant. Magno tremore silentium cepit eos et tabellarius amictus ut daemon praeterivit coram eis et cornu dabat magnum ac vacuum sonitum pro buccina quod raucum ac teterrimum sonum faciebat.

–Salve, frater tabellari –inquit dux–; quisnam es tu, quonam pergis et quaenam est haec turma bellica gentium, quae per hanc silvam transit?

Quibus tabellarius voce teterrima atque aspera respondit:

–Ego sum Diabolus; dominum Quixotum a Manica quaero; gentes quae hic mecum veniunt sex turmae incantatorum sunt, qui super currum triumphantem imparem Dulcineam a Toboso adducunt. Illa venit incantata cum illustri francogallo Montesinos ita ut discant quomodo oportet hanc dominam solvere ab incantamento.

–Si vere esses diabolus, sicut dixisti et tamquam tua figura ostendit bene posses cognoscere dominum Quixotum a Manica, quoniam en hic coram te ipse est.

–Iuro per Deum et per meam conscientiam –respondit Diabolus– me hunc non vidisse, quia tam multae sunt cogitationes meae ut vere illius, quae maioris momenti est, omnino oblitus sim.

–Absque dubio –dixit Sanctius– hic daemon debet esse vir bonus atque etiam bonus christifidelis, quia aliter non iuraret «per Deum et meam conscientiam». Nunc autem quoad me teneo etiam in ipso inferno bonam gentem esse.

Postea Deaemon, qui non descendit, intuitus est dominum Quixotum et dixit:

–O Eques Leonum (et utinam inter ungues eorum te videam), infortunatus ac strenuus eques Montesinos misit me ut tibi dicerem ut exspectes eum in hoc ipso loco, quia secum adducet quam vocant Dulcineam a Toboso et ipse dabit tibi consilium, quomodo possis eam ab incantamento solvere. Et, missione mea finita, non demorabor nec maneam apud te. Daemones similes mihi maneant tecum et angeli boni cum his dominis.

Et, his verbis prolatis, immensum cornu sonuit, ille vertit dorsum suum et, nullo responso exspectato, profectus est.

Renovata admiratione, cuncti stupebant, praesertim Sanctius et dominus Quixotus: Sanctius quia, veritate spreta, videbat omnes velle Dulcineam incantatam esse; dominus Quixotus quoniam nequebat scire utrum verum esset quod in caverna Montesinos ei acciderit necne. Et meditabundus his cogitationibus erat et dux dixit ei:

–Vis ergo exspectare, domine Quixote?

–Quid aliter possum facere –respondit ille–. Hic exspectabo fortis atque imperterritus, quamvis omnis infernus impetum faciat in me.

–Ego autem si alium diabolum video et aliud cornu audio tamquam praeteritum sic exspectabo hic tamquam si essem in Flandria –dixit Sanctius.

Tunc nox atra facta est et multa lumina per silvam inceperunt ambulare tamquam per coelum decurrunt exhalationes siccae terrae, quae nobis videntur stellae fugaces. Eodem tempore auditus est teterrimus strepitus ad modum rotarum curruum boum ex quo acerbo et continuo sonitu dicitur lupos atque ursos fugere si forte sint ubi transeant. Ad hanc procellam additus est fragor, qui superavit omnes alios, quia ex quattuor partibus silvae eodem tempore erant quattuor proelia sive conflictus, quia illic sonabat strepitus tormentorum bellicorum, ibi infinita sclopeta explodebant, prope audiebantur voces omnium pugnantium ac procul auscultabantur «lelilies» agarenorum.

Denique, buccinae, cornua, tubae, avenae, tympana, tormenta bellica, catapultae et praesertim teterrimus strepitus curruum haec omnia una efficiebant sonum confusum atque horridum et opus fuit ut dominus Quixotus omnem suum magnum animum concitaret ad superandum. Tamen animus Sanctii ruit per terram et petivit iuvamen ducissae ad quam exanimis pervenit. Haec autem eum lassum recepit in suis vestibus et iussit ut aquam ei eiicerent in vultum. Sic fecerunt et ille denuo fuit compos sui cum currus rotis stridentibus advenit ad illum locum.

Currum trahebant quattuor tardi boves, omnes ornati atris paramentis atque ad unumquodque cornu religata erat magna fax cerea accensa. Super currum erat alta sella super quam sedebat venerabilis senex praeditus barba candida tamquam ipsa nix ac tam longa, ut ultra medium corpus perveniret; vestis eius erat vestimentum talare nigrum tinctum et cum innumerae luces erant super currum bene videbatur quod eo vehebatur. Duo foedi daemones ducebant eum amicti eodem vestimento tincto, ac tam foedis vultibus ut Sanctius, cum eos semel vidit, oculos suos clausit ad eos non amplius videndos. Cum currus ad locum pervenit ex sua sella, surrexit senex venerabilis, qui stans erectus magna voce dixit:

–Ego sum sapiens Lirgandeus.

Et, nullis verbis additis, currus prorsus secutus est. Post eum transivit alius currus eodem modo cum altero sene in suo throno, qui detinuit currum et voce gravi tamquam alius dixit:

–Ego sum sapiens Alquife, magnus amicus Urgandae Ignotae. Atque ulterius prosecutus est.

Postea vero et eodem modo advenit alter currus; sed qui in eo veniebat non erat vetus senex sicut alii, sed vir robustus ac foedus vultu; qui cum advenit surrexit, ut alter, et rauca voce ac magis diabolica dixit:

–Ego sum Arcalaus, incantator, mortalis inimicus Amadis a Gaula et omnis propinquitatis eius.

Et ulterius prosecutus est. Et parum procul ab illo loco tres currus detinuerunt se ac fragor rotarum desiniit, et continuo auditum est, non strepitus, sed sonitus suavis cuiusdam musicae harmonicae, qua Sanctius gavisus est et habuit ut signum prosperum; et sic dixit ducissae de qua nec gressum discedebat:

–Domina, ubi est musica non erit res adversa.

–Et etiam ubi est lux et claritas –respondit ducisssa.

Cui Sanctius obiecit:

–Ignis dat lucem et focus claritatem, velut videmus ea, quae circumdant nos et bene poterit esse ut comburerent nos, tamen musica semper est indicium exultationis ac festivitatis.

–Hoc videbimus –ait dominus Quixotus, qui omnia auscultabat.

Et bene dixit sicut ostendetur in proximo capitulo.

Capitulum 35. Ubi prosequitur nuntius quem habuit dominus Quixotus de solvendo incantamento Dulcineae cum aliis rebus gestis admirabilibus

Ad sonum huius laetae musicae illi viderunt currum ad se venientem de his quos vocant triumphales, qui vehebatur a quattuor mulis fuscis, ornatis linteo albo et super unamquamque erat flagellans lucis et eodem modo amictus colore albo, sed tenens in manu magnam facem ceream accensam. Hic currus erat bis sive ter maior quam alii praeteriti atque ad duo latera et super eum erant duodecim flagellantes coloris albi tamquam nix atque omnes ferebant faces accensas, de quorum visu omnes mirabantur ac stupescebant; at super thronum excelsum sedebat nympha, amicta mille velis ex tela argentea, et in eis micabant innumera folia cum lenticulis aureis, quibus efficiebant ornatum si non lautum saltem valde elegantem. Illa autem habebat faciem coopertam translucido velo serico et hoc modo non impediebat ut pulcher vultus virginis develaretur per fila illius veli ac multae luces etiam iuvabant ad formositatem videndam atque aetas illius ut videbatur nondum impleverat viginti annos et non minus quam septemdecim.

Iuxta eam veniebat figura amicta veste, quam vocant talarem, usque ad pedes deorsum, caput autem coopertum atro velo; sed ubi primum currus advenerit coram duce ac ducissa et domino Quixoto, musica fistularum cessavit et postea harpae et citharae, quae in curru sonabant; et figura illius vestimenti surrexit ac secessit vestem ad duo latera illius et auferens velum de vultu suo aperte ostendit ipsam figuram Mortis esse, foedam atque ex puris ossibus de qua visione dominus Quixotus magnam molestiam accepit, Sanctius vero metum et dux ducissaque ostenderunt magnum timorem habere. Tamen haec Mors viva stetit erecta et voce demissa ac sopora et lingua non valde expergefacta incepit hoc modo dicere:

Ego Merlinus sum, de quo historiae
dicunt habuisse daemonem pro patre
(temporum horum mendacium acceptum),
princeps monarcha ac magicus scientiae
etiam archivus sapientiae Zoroastri,
aemulus aevi et tot saeculorum,
quae has res gestas deglutere intendunt
itinerantium equitum strenuorum,
quos ego tantum diligo et dilexi.

Incantatorum tamen est officium
et magicorum, quia magi continuo
hanc condicionem ingratam et duram
habent, sed tenera mea amorosa,
prona ad faciendum quod omnibus bonum.
Mens mea erat in cavernis Fati
rhombos pictabat quosdam characteres.
Illuc vox dolens pulcherrimae venit
et inaequalis Dulcineae erat,
Novi infortunium et incantamentum
et mutationem ope sortilegii
quia ex eleganti et aulica puella
facta est rustica et vilis omnino.
Et valde doluit mihi, quare secessi
et foras veni ad foramen speluncae
ibi introduxi in anatomiam saevam.
Milia librorum quaesivi et legi
huius diabolicae scientiae adversae
et tandem potui medelam idoneam
aptamque ad morbum et magnum dolorem.

Honor et gloria sit tibi inter omnes
qui cingunt tunicam adamantinam
ferreamque in mundo, lux, Stella Polaris
semita et ductor omnium qui, relicto

somno et otiosis pennis, hoc officium
strenuum et durum armorum exercent
sanguinolentum et quidem violentum.

Haec tibi dico, o vir tam laudatus
strenue Quixote a Manica splendor,
stella Hispaniae et magna corona,
ut habeat pristinum statum haec puella,
haec Dulcinea a Toboso regina,
armiger Sanctius debet sibi dare
verberum milia tria et trecenta
in suis validis clunibus ita
ut valde ei pruriant, doleant, amarescant
palam ad aerem apertis hoc modo.
Omnes auctores tunc incantamentum
et hunc cruciatum solutum videbunt
et hac de causa, o domini, veni.

–Iuro per talem! –dixit ad hanc occasionem Sanctius–. Nolo dicere tria milia flagellorum, sed sic dabo ego tantum tria flagella sicut tres ictus pugionis. Vade retro, diabole! propter modum tam molestum solvendi incantamentum! Nescio quid habeant clunes meae cum his incantamentis! Mehercle! Sed si dominus Merlinus non invenit alium modum solvendi hoc incantamentum Dulcineae a Toboso, haec potest incantata ad sepulturam ire!

–Egomet apprehendam te –inquit dominus Quixotus–, dominus rusticus et manducator alliorum, ac religam te ad arborem, nudum tamquam mater tua peperit te, et non dico tria milia et trecenta, sed sex milia ac sescenta flagellorum dabo tibi et quidem tam fortia ut ne cadant ex tribus milibus et trecentis impetuum. Et nullum verbum mihi obiectabis nisi animum a te eripiam.

Merlinus autem, his verbis auditis, dixit:

–Hoc non erit ita, quia flagella quae bonus Sanctius recipiet erunt libentissime et non coacte, et etiam tempore opportuno cum ille vellet; quia non statuitur ei limes; sed si ipse vellet melius redimere cruciatum pro dimidia flagellatione alius potest eum verberare, quamvis manus aliquantulum gravis sit.

–Neque manus aliena neque propria neque gravis neque ad ponderandum –obiecit Sanctius–: nulla manus tanget me. Num peperi ego dominam Dulcineam a Toboso, ut debeant clunes meae solvere pro ea, quod peccaverunt oculi eius? Dominus meus utique est pars illius; quia omni momento vocat eam *vitam meam, cor sive corculum meum*, sustentaculum et nexus eius est, ille debet sese verberare pro ea ac facere omnes diligentias opportunas ad solvendum incantamentum; sed me flagellare ego ...? Abrenuntio!

Sanctius simul ac finivit dicendi haec, illa argentea nympha, quae iuxta personam Merlini erat, surrexit, abstulit velum subtile de sua facie et develavit semetipsam talem ut omnibus videretur nimis pulchra, sed cum libertate virili ac voce non nimis feminea, locuta est cum Sanctio Pansa eique dixit:

–O tu, armiger infortunatus, animus hydriae, cor suberis, viscera dura et silicea! Si forsitan iuberent tibi, latro petulans, ut deiiceres te de alta turri deorsum, si fortasse

peterent a te, inimicus humani generis, ut comederes duodenas ranas, bis duodenos lacertos ac ter duodenos serpentes, si suaderent tibi ut interficeres uxorem tuam ac liberos tuos quodam teterrimo atque acuto gladio arabico, non mirum esset ut ostenderes te ipsum formidolosum et fastidiosum. Sed tantum agitur de tribus milibus ac trecentis flagellorum, quae omnis puer in schola doctrinae recipit omni mense, quamvis abiectus sit, atque hoc est mirandi, quia perturbat et metum afficit omnibus piis visceribus eorum, qui haec audiunt et immo eorum qui haec videbunt tempore properante. Conspice, o miserrimum atque induratum animal! inspice et iterum dico tibi, tuis propriis oculis, similibus oculis cuiusdam muli pavidi, et vide pupillas oculorum meorum, similes stellis rutilantibus, et faciendo sulcos, cursus et semitas per pulchros campos genarum vultus mei. Moveat te, versutum ac malitiosum monstrum, quia mea florida iuventus, quae adhuc sum decem et ... annos nata, nam undeviginti annos nata sum et nondum adimplevi viginti, et iuventus mea consumitur et languescit sub cortice rusticae agricolae; et si nunc non videor ut talis, haec est gratia peculiaris, quam dominus Merlinus, qui praesens est, fecit mihi ut pulchritudo mea emolliat te; quia lacrimae afflictae formositatis possunt rupes facere ut lanam ac tigrides ut oves. Verbera, verbera tuam magnam copiam carnis, belua indomita, et expergefac animum tuum, qui tantum ad edendum et comedendum impellit te; ac libera suavitatem meae carnis et mansuetudinem meae condicionis ac pulchritudinem faciei meae. Tamen si non vis per me ipsam hoc facere, fac hoc propter hunc miserum equitem, qui iuxta te est; propter dominum tuum dico ego, ut patet, quem video habentem animum transversum in gutture distantem minus quam decem digitos ex labiis suis, et tantum exspectat tuum responsum tum prosperum tum adversum ut exeat foras per os suum aut ut devoret stomachum suum.

Dominus Quixotus, his verbis auditis, tetigit manu guttur suum, ac vertens se ad ducem dixit ei:

–Per Deum, domine, ego puto Dulcineam dixisse veritatem; quoniam hic habeo animum transversum in gutture tamquam nucem ballistae.

–Quid ergo dicis ad hoc, Sancti? –quaesivit ducissa.

–Ego dico, domina –respondit Sanctius–, idem quod antea dixi: quoad flagella, «abernuntio».

–*Abrenuntio* dices, Sancti, et non sicut dixisti –ait dux.

–Relinque me, magnifice domine –respondit Sanctius–; quia nunc non possum parvitates inspicere nec litteras plus sive minus, quia haec flagella quae danda erunt mihi, sive quae daturus sum, me perturbaverunt taliter et nescio quid dicam nec quid vere faciam. Tamen vellem cognoscere, ubi domina mea Dulcinea a Toboso didicit hunc modum rogandi quem habet: quia quaerit ut aperiam carnem meam ope flagellorum et vocat me animum hydriae ac beluam indomitam et seriem nominum atque iniuriarum, quae tantummodo diabolus patiatur. Num carnes meae aeneae sunt, sive quid boni erit mihi utrum incantamentum eius solvatur necne? Quod canistrum lintei albi, subucularum, sudariorum vel tibialiorum, quamvis eis non utar, offert mihi ad molliendum animum meum? Sed e contrario vituperat me, proverbio noto, asinus onustus auro ascendit in montem velox ac munera frangunt rupes, et Deum rogando ac malleo percutiendo, et melius est «accipe» unum quam bis tibi «dabo»? Sed dominus meus deberet iuvare me suis manibus ad ascendendum super collem atque allicere me, ita ut induam lanam et

byssum, sed e contrario dicit se apprehendere me et ligaturum esse me nudum ad arborem ut duplicem computum flagellorum daret mihi. Nonne hi commiserandi domini deberent considerare quomodo quaerant ut verberet se tantum armiger, sed immo gubernator; et hoc est tamquam dicere «multo peius». Discant, discant quomodo quaeritur a quolibet et quomodo oportet ut vere quaerant et quidem urbaniter, quia non omnia tempora eadem sunt nec omnes homines semper eiusdem dispositionis animi. Egomet nunc sum moestus propter viridem tunicam meam diruptam et veniunt ad quaerendum ut, me omnino invito, verberem me, cum hoc tempore tam alienus sim ab hac re tamquam si fierem tyranus indianorum, nempe, et ut dicunt *cacique*.

–Equidem, amice Sancti –inquit dux–, si non vis mollire temetipsum et quidem magis quam ficus maturus, non fungeris gubernatione insulae. Bonum esset me mittere meis insulanis gubernatorem crudelem, praeditum visceribus siliceis, qui non flecteretur pondere lacrimarum virginum afflictarum nec propter supplicationes prudentium, potentium, ac veterum incantatorum et sapientium! Breviter, Sancti, si non flagellabis te vel verberabunt te non eris denique gubernator.

–Domine –respondit Sanctius–, cur non dabunt mihi biduum ad cogitandum quid faciendum quod melius sit?

–Minime vero –dixit Merlinus–. Hic et nunc oportet ut constet quid faciendum sit in hoc negotio: aliter Dulcinea reversura est ad cavernam Montesinos et ad pristinum statum rusticae, sive, sicut illa reapse est, adducant eam ad Elysium, ubi exspectabit computum huius verberationis.

–Eheu, bone Sancti –ait ducissa–, macte animo et propter panem quem manducasti age gratias domino Quixoto, cui omnes debemus servire et placere propter suam bonam indolem ac magnum equitatum. Dic «volo», fili, huic verberationi et vadat daemon ad diabolum et sit temor pusillanimis; quia cor bonum frangit adversam fortunam, tamquam tu bene scis.

Sanctius, his argumentis prolatis, respondit his imprudentibus, quae dixit loquendo cum Merlino a quo quaesivit:

–Dicas mihi, domine Merline: cum diabolus tabellarius venit huc atque ad dominum meum dedit missionem domini Montesinos, dixit ut sua ex parte hic exspectaret, quia ipse Montesinos venturus erat ad dandum mandatum solvendi Dulcineam a Toboso de incantamento eius, et hucusque nondum vidimus hunc dominum Montesinos nec ullum similem ei.

Cui respondit Merlinus:

–Diabolus, amice Sancti magnus ignorans est, ac maximus subdolus: egomet misi eum ad dominum tuum quaerendum, tamen non cum legatione Montesinos, sed mea, quia Montesinos est in sua caverna, sive ut melius dicam, exspectando solutionem incantamenti et adhuc requiritur quod difficilius est. Si quid tibi dicere debet, sive utrum aliquid debeas cum eo tractare vel negotiare ego adducam eum ad te, ubi melius tibi sit. Nunc autem da hoc «volo» in hac disciplina et crede mihi hoc erit magni momenti tum tuo animo tum tuo corpori: tuo animo propter misericordiam quam facies; et tuo corpori, quia secundum complexionem sanguineam tuam parum afficiet tibi parum sanguinis extrahere.

–Multi medici sunt in hoc mundo: immo incantatores sunt medici –obiecit Sanctius–; sed si cuncti hoc dicunt mihi, quamvis hoc non videam, etiam dicam me contentum esse cum tribus milibus flagellorum, sed sub condicione ut dem ea quando egomet

vellem, sine limine temporis nec dierum; et curabo exire ex hoc debito quam primum fieri possit ita ut mundus gaudeat de formositate dominae Dulcineae a Toboso, nam secundum quod mihi videtur, est e contrario quod cogitabam et profecto pulchra est. Etiam erit in mea condicione non opus sit sanguinem extrahere cum flagellis et si nonnulla flagella sunt tamquam ad muscas vitandas etiam acceptanda erunt in computo finali. Item, si autem esset quidam error in computo vel ratione flagellorum, dominus Merlinus, qui omnia scit curet de numerare ea accuratius atque animadvertat mihi, quae desint sive supersint.

–Si vero supersunt non necesse est animadvertere –respondit Merlinus–, quia cum perveniant ad computum perfectum subito solvetur incantamentum dominae Dulcineae et veniet ad bonum Sanctium quaerendum atque ei gratias agere et immo praemia propter commiserationem eius. Quamobrem nulla cura erit de hoc scrupulo utrum supersint an desint, neque coelum permittat ut nemini decipiam ego, quamvis sit solo capillo capitis.

–Tunc autem, ad manum Dei –dixit Sanctius–. Et ego meae malae fortunae consentiam et dico me acceptare poenitentiam sub his dictis condicionibus.

Vix Sanctius dixit haec ultima verba, denuo musica fistularum dedit sonum atque innumera sclopeta exploserunt et dominus Quixotus amplexus est collum Sanctii eumque osculatus est mille oscula super frontem ac super genas. Ducissa duxque atque omnes circumstantes ostenderunt ei maximum gaudium et currus incepit iter facere; et cum transiret pulchra Dulcinea inclinavit caput duci et ducissae ac magnam fecit reverentiam Sanctio.

His rebus peractis, atque aurora laeta, ridente et albescente, festinabat crastinus dies; parvuli flores camporum extollebant et fere surgebant ac liquidi crystalli rivorum murmurantes per albos et fuscos lapides et ibant ad tributum dandum fluminibus quae eos exspectabant. Laeta terra, clarum coelum, limpidus aer, lux serena unusquisque suo tempore et omnes uno ore dabant signa manifesta diei, qui secuturus esset auroram ut serenus placidusque. Dux ducissaque etiam contenti fuerunt illius venationis, quoniam prudenter ac feliciter consecuti sunt desiderium suum et hoc modo reversi sunt ad castellum, cum proposito sequendi facetias eorum, nam nihil erat eis quod maioris gaudii atque oblectamenti esset.

Capitulum 36. Ubi narrantur insolitae atque inauditae res gestae dominae Dolorosae, alias comitissa Trifalda, cum epistula quam Sanctius Pansa scripsit ad uxorem suam Teresiam Pansam

Dux habebat villicum, qui erat valde facetus atque expeditus ingenio, et quidem ille fuit qui fecit figuram Merlini, paravit omnem machinam rerum gestarum praeteritarum, composuit versus et fecit ut ephebus repraesentaret personam Dulcineae. Denique ad machinationem dominorum eius perficiendam, ille disposuit aliam versutiam et quidem maximo artificio, quae imaginari possit.

Ducissa quaesivit a Sanctio crastino die utrum iam inciperet laborem poenitentiae ad solvendum incantamentum Dulcineae necne. Ille dixit se iam incepisse, quia illa nocte dedit sibi quinque flagella. Ducissa quaesivit quomodo dedisset ea. Ille autem respondit se manu fecisse.

–Hoc –obiecit ducissa– magis est alapam dare quam flagellum. Secundum me sapiens Merlinus non erit contentus hac maxima suavitate; atque opus erit ut bonus Sanctius faciat quoddam flagellum ex plantis tribulis sive ex nodis ferreis ut sentiat ea, quia littera sanguine intrat et nullo modo erit libertas huius magnae dominae tam minimo pretio; et animadverte, o Sancti, beneficia caritatis facta tam languida ac remissa parvum meritum habere sive pro nihilo aestimabuntur.

Cui Sanctius respondit:

–Da mihi, excellentissima domina, flagellum sive funem convenientem et eis verberabo me, quae non doleant mihi plus aequo; quia tu, domina, debes scire carnes meas similiores esse lanae quam sparto, quamvis rusticus sim, et non est bonum ut peream pro beneficio alieno.

–Hoc sit tamen in bonam fortunam –respondit ducissa–; ego autem cras dabo tibi bonum flagellum iustum et conveniens tuis teneris carnibus, tamquam si essent sororibus eius.

Cui Sanctius dixit:

–Excellentissima domina animi mei, debes scire me scripsisse litteras ad uxorem meam Teresiam Pansam, quibus enarro ei omnia quae acciderunt mihi post secessum meum ab ea; hic habeo eas in sinu meo et tantum carent superscripto, tamen vellem ut tu, domina, ope tuae prudentiae eas legeres, quia secundum me litterae sunt ad modum quas gubernatores scribere debent.

–Quis enim has dictavit? –quaesivit ducissa.

–Quisnam dictaret nisi egomet, me miserum? –respondit Sanctius.

–Sed scripsisti eas tumetipse? –ait ducissa.

–Nec nominetur –respondit Sanctius–, quia nescio legere nec scribere quamquam scio subsignare nomine meo.

–Videamus eas –ait ducissa–; quoniam in eis ostendes qualitatem atque habilitatem tui ingenii.

Sanctius extraxit epistulam apertam ex sinu suo eamque ducissa accepit et vidit hanc sic dixisse:

EPISTULA SANCTII PANSAE AD UXOREM SUAM TERESIAM PANSAM:

Si bona flagella dabant mihi, bonum erat etiam beneficium pro eis; si bonam gubernationem habeo, debeo bona flagella solvere. Hoc non certe intelliges, Teresia mea, saltem nunc temporis; sed iam convenienter capies. Oportet te scire, Teresia, me decrevisse ut veharis carpento, et hoc est quod decet, quia deambulare res omnino alia est quam procedere quattuor pedibus. Tu vere uxor es gubernatoris; videas si quis murmurabit de te! Hic mitto tibi meam viridem vestem venatoriam, quam nuper ducissa, domina mea, mihi dedit, fac ut conveniat corpori filiae nostrae, tamquam

stola adaptata. Meus dominus Quixotus, secundum quod in his regionibus de eo audivi, est demens sanus et stolidus facetus atque ego non multum a suo genere absum. Fuimus in caverna Montesinos, et sapiens Merlinus usus est meis viribus ad solvendum incantamentum Dulcineae a Toboso, quae in suo pago nominatur Ildephonsa Laurentii (Aldonza Lorenzo); ope trium milium ac trecentorum flagellorum minus quinque, quae daturus sum, illa solvet incantamentum suum et manebit sicut mater quae eam peperit. Tamen nemini hoc dicas et accipe hoc consilium, nam nonnulli dicent hoc album esse et alii hoc nigrum fuisse. Ex hoc et in paucos dies proficiscar ad gubernationem meam quo perveniam magno desiderio lucrandi pecuniam, quia dixerunt mihi omnes novos gubernatores idem desiderium habere; statum rerum videbo et tibi nuntiabo utrum opus sit ut venias mecum necne. Asinus sua salute valet ac bonam fortunam tibi exoptat eumque nolo relinquere, quamvis fiam Magnus Turcarum [«Gran Turco»]. Ducissa, domina mea, manus tuas milies osculatur; bene poteris ei duo milia osculorum reddere, quia nil est quod pro minore detur quam maxima urbanitas. Deus non providit mihi aliam sarcinam cum aliis centum aureis, tamquam primam de qua iam tibi dixi; tamen ne doleat tibi, Teresia mea, quia salvus est qui pulsat campanam auxilii et omnia bene apparebunt in negotio huius gubernationis. Nihilominus me poenitet meorum factorum, quia dicunt si una vice probarem hoc munus, aperiet cupiditatem meam et hoc non erit pro parvo pretio, quamvis qui mutilati sint et quidem manibus iam inveniunt canonicatum suum in eleemosyna quam quaerunt; quapropter sive hac via sive alia tu eris dives ac bonam fortunam habebis. Deus hoc tibi provideat ut sit et protegat me ad serviendum tibi.

Datum in hoc castello, die vigesimo mensis Iulii 1614 anno Domini.

Tuus maritus gubernator

SANCTIUS PANSA

Cum ducissa finivit lectionem huius epistulae, ait ad Sanctium:

–Duo sunt quae bonus gubernatur male intellexit: primo, cum dicat sive ostendat hanc gubernationem dari ei propter flagella quae datura sunt ei, cum ipse sciat et quidem non potest negare ducem, dominum meum, ei promisisse cum nullo modo putabat de his flagellis in hoc mundo; secundo, ut ostendat se ipsum nimis cupidum et, sua opinione, hoc non est bonum, quia aviditas rumpit saccum; et si gubernator nimis cupidus est nullam bonam iustitiam ministrabit insulanis.

–Nolo haec dicere propter tam multum, domina –respondit Sanctius–, sed si tibi, domina, videtur talis epistula non convenire opus est scindendi eam et aliam novam scribere, quia peius esset si tantum mea mente id facerem.

–Minime vero –obiecit ducissa–; haec bona est, atque etiam volo ut dux eam videat.

Omnes illi autem, his rebus peractis, venerunt ad viridarium, ubi prandium manducaturi erant illo die. Ducissa ostendit duci has litteras Sanctii et accepit magnum gaudium. Comederunt et, mappis levatis, postea cum oblectarentur sapido colloquio Sanctii, improviso auditus est sonus tristissimus fistulae ac rauci et dissoni tympani. Cuncti pavidi sunt illa confusa, martiali ac tristi harmonia, praesertim dominus Quixotus, qui in sua sella nimis perturbatus erat; nihil dicendum est de Sanctio, cuius metus

impulit eum ad suum refugium quod erat latus sive vestis ducissae, quia reapse ac vere sonus, qui auscultabatur tristissimus ac melancholicus erat.

Et, cunctis hoc modo dubitantibus, in viridarium introierunt duo viri amicti vestibus talaribus funebribus, quae per terram trahebant. Hi autem veniebant pulsantes duo magna tympana eodem modo cooperta colore nigro. Ad latus eorum erat tibicen etiam amictus colore atro et piceo ut reliqui. Quidam praeditus gigantea figura corporea illos tres sequebatur indutus magno pallio et non tantum veste, amictus nigrissima lupa talari, quae erat immensa. Super hanc lupam talarem cingebat transverso modo balteum etiam nigrum de quo pendebat gladius arabicus cum fimbriis et vagina etiam nigra. Veniebat vultu cooperto velo translucido nigro per quod videbatur barba longissima candida ut nix. Ambulabat suis gressibus ad sonum tympanorum magna gravitate et quiete. Demum, magnitudo eius, motus corporeus, nigritia et comitatus, haec omnia bona erant ad perturbandos omnes magno dubio, qui eum intuebantur et non cognoscebant.

Hic vir, hac tranquillitate et circumspectione peracta, pervenit in conspectu ducis ante quem genua flexit, ille autem erectus attendit eum una cum reliquis qui cum eo erant. Tamen dux non consensit ut loqueretur donec surgeret e terra. Sic fecit mirus giganteus vir, qui erectus levavit velum illius larvae de facie sua et ostendit horridum vultum ac longissimam, densissimam et candidissimam barbam quam oculi humani numquam viderunt, et postea ex suo amplo pectore extulit gravem ac raucam vocem et intuens ducem suis oculis dixit ei:

–Excellentissime ac potens domine, Trifaldinum me vocant illius Albae Barbae; et armigerus sum comitissae Trifaldae, alias vocata domina Dolorosa, ex cuius parte legationem fero tibi, domine excellens, ut des ei veniam ad angustiam eius exprimendam, quae esset ex novissimis ac mirabilibus cogitationibus totius orbis, quae imaginari possent. Imprimis illa domina vult scire utrum in hoc castello sit strenuus et invictus eques dominus Quixotus a Manica necne, quem vere quaerit veniens pedibus atque ieiune ex suo regno Candaiae usque ad hunc statum tuum, quod revera fere miraculum est sive tamquam incantamentum. Illa autem manet foris extra hoc castellum sive arcem et ad introiendum tantum exspectat tuum beneplacitum. Dixi.

Postea tussivit, attrectavit barbam ambabus manibus e summo usque deorsum et magna quiete exspectavit responsum ducis quod sic fuit:

–Iam, optime armiger Trifaldine ab Alba Barba, abhinc multos dies novimus nuntium calamitatis dominae comitissae Trifaldae, quam incantatores dominam Dolorosam vocant; bene potes, o magnifice armiger, ei dicere ut introeat huc, quia en hic est strenuus eques dominus Quixotus a Manica de cuius magnanima condicione certe promittitur omnem protectionem atque iuvamen et eodem modo ei dices mea ex parte, si munus meum necessarium esset, non deficere ei, quia egomet eques sum cui annexum est favere omnibus mulieribus ac praesertim nutricibus viduis, afflictis et dolorosis tamquam tuae dominae.

His verbis auditis, Trifaldinus flexit genua usque ad terram et dedit signum ut tibicen tibiam et pulsator tympani denuo sonum darent atque, eodem gressu ac sonitu quo intravit, egressus est e viridario, et reliquit omnes miratos de praesentia ac modestia eius. Et dux vertens se ad dominum Quixotum dixit ei:

–Denique, illustris eques, tenebrae malitiae vel ignorantiae non possunt celare et obscurare lumen strenuitatis virtutisque. Et hoc quidem dico quia tu, bone domine, tantum abhinc sex dies es in hoc castello et ecce iam veniunt ad te quaerendum ex longinquis et remotis regionibus terrae et non plaustris sive raedis nec camelis, sed pedibus atque ieiune, tristes et afflicti, confidentes se inventuros esse medelam suis laboribus et calamitatibus in hoc fortissimo bracchio, propter magnas res gestas tuas, quae propagantur et circumeunt per totam terram cognitam.

–Utinam hic esset praesens, domine dux –respondit dominus Quixotus–, ille benedictus religiosus, qui accubitus mensae erat nudius tertius et ostendit tam malum animum ac tale odium in omnes equites itinerantes ut videret suis propriis oculis utrum vere tales equites necessarii sint in hoc mundo necne; ac saltem tangeret suis manibus afflictos insolito more et moestos in magnis aerumnis atque in immanibus infortuniis non quaerere remedium apud iurisconsultos nec sacristas pagorum neque apud equitem, qui numquam exivit ex liminibus sui loci neque apud aulicum pigrum, qui magis quaerit nuntios ad eos narrandos quam ipse curat de operibus sive vult res gestas adimplere ut alii enarrent et scribant; quia medela infortuniorum, auxilium necessitatum, protectio virginum, consolatio viduarum, nullo modo invenitur quam apud equites itinerantes, et quamobrem gratias ago coelo atque ut bonum accepto omnes labores et difficultates, quae acciderint mihi in hoc exercitio tam honorabili. Veniat ad me haec domina et quaerat quidquid sit, quoniam ego eam liberabo et dabo ei medelam cum robore bracchii mei atque intrepido vigore strenui spiritus mei.

Capitulum 37. Ubi prosequuntur illustres res gestae dominae Dolorosae

Dux ducissaque valde gavisi erant videndo quam bene dominus Quixotus respondebat consilio eorum, at ad hanc opportunitatem Sanctius dixit:

–Non vellem ut haec domina poneret quoddam obstaculum promissioni gubernationis meae, quia audivi dicere a quodam pharmacopola toletano, qui loquebatur tamquam passer carduelis, ubi sunt dominae nutrices nil boni eveniet. Adiuvet me Deus! Et quam male erat talis pharmocopola erga illas dominas nutrices. Ex quibus infero omnes nutrices molestas atque importunas esse ex qualibet condicione sive indole quae illae sint. Quid ergo si illae sunt dolorosae sicut dixerunt hanc comitissam ex Tribus Laciniis sive ex Tribus Caudis esse? Quia in meo pago laciniae et caudae, caudae ac laciniae, plus minusve eaedem sunt.

–Tace, Sancti amice –inquit dominus Quixotus–; quoniam haec domina nutrix venit ex regionibus longinquis ad me quaerendum et non erit ex his de quibus pharmacopola habebat in suo computo; praesertim haec, quae etiam est comitissa, et si comitissa agit ut nutrix hoc erit in ministerio cuiusdam reginae vel imperatricis, quae domi earum dominissimae sunt et ab aliis dominabus nutricibus ministrantur.

Cui respondit domina Rodríguez, quae praesens erat:

–Nutrices habet mea domina ducissa in suo famulatu, quae vere possent esse comitissae si fortuna id vellet; sed illic vadunt leges quo reges volunt et nemo quid loquatur male de dominabus nutricibus, praesertim de his veteribus ac de virginibus quia, quamvis ego non sim earum, bene intelligo nutricem virginem maiorem praestantiam habere quam dominam nutricem viduam; et qui nos totondit forfices habet in manu.

–Nihilominus –obiecit Sanctius–, multum est ad tondendum in nutricibus, secundum dicit tonsor meus, sed melius erit non movere oryzam quin conglutinetur.

–Semper armigeri –respondit domina Rodríguez– sunt inimici nostri; et sunt tamquam dei penates vestibulorum ac vident nos omni tempore cum non sint in oratione, id est plerumque, et tunc murmurant de nobis, develando nostras res occultas et sepeliendo nostram bonam famam. Tamen iubeo ut eant ad ligna mobilia, ad *galeras*, quominus omnes inviti vivamus in hoc mundo atque in praecipuis domibus, et moriamur fame et cooperiamus molles carnes nostras vestibus nigris ut cuiusdam monialis, tamquam qui cooperit sive tegit sterquilinium ope straguli in die processionis. Et iuro, si mihi concesum esset et si tempus id requireret, ut possim probare et non tantum circumstantibus, sed etiam omnibus hominibus huius mundi, nullam esse virtutem, qua careat domina nutrix.

–Mea fide –ait ducissa–, bona amica mea domina Rodríguez recte iudicavit ac magnopere; sed oportet ut quamdam moram faciat ad perveniendum ad semetipsam et ad alias nutrices ad malam opinionem confundendam illius pharmacopolae necnon et ad eradicandam opinionem quam Sanctius Pansa habet in suo corde.

Cui Sanctius respondit:

–Ex hoc egomet cum habeam fumos gloriae gubernatoris amisi vapores armigeri, et pro omnibus nutricibus huius mundi nec ficum dabo.

Ulterius proficiscerentur in colloquio de nutricibus nisi denuo audirent sonitum tibiae et tympanorum, quibus intellexerunt dominam Dolorosam introiisse. Ducissa autem quaesivit a duce utrum bonum esset obviam ei venire ad eam recipiendam an non, nam illa erat comitissa ac nobilis.

–Propter nobilitatem huius comitissae –respondit Sanctius, ante quam dux responderet–, bene accederem ut tu, dominus excellentissimus, venias ad eam recipiendam; sed quoad nutricem puto nec gressum ulterius moveas.

–Quisnam introduxit te in his negotiis, Sancti? –dixit dominus Quixotus.

–Quis enim, domine? –respondit Sanctius–. Ego introduco me, quia possum ut armiger qui didicit terminos urbanitatis in schola tua, quia tu es eques urbanissimus inter omnes urbanitates; et in his rebus audivi dicere tantum deperditur per incrementum quam per defectum atque intelligenti pauca.

–Hoc ita est ut Sanctius dicit –ait dux–; videamus igitur formam corpoream huius comitissae et hoc modo probabimus quaenam urbanitas ei debita sit.

His rebus peractis, introiierunt pulsatores tympanorum ac tibicen, tamquam prima vice.

Atque hic, auctor finivit hoc breve capitulum et aliud incepit earum rerum gestarum, quod ex notabilioribus huius historiae est.

Capitulum 38. Ubi narratur quod domina Dolorosa dixit de suo malo evento

Post tristes pulsatores musicos, inceperunt intrare in viridarium duodenae dominae nutrices, divisae in duas series, omnes amictae amplis vestibus monialibus, ut videbatur ex lana tunsa cum albis velis subtilibus ex gossypio ac tam longis ut tantum develarent fimbriam vestis monialis. Comitissa Trifalda post eas veniebat, quam manu comitabatur armiger Trifaldinus Barbae Candidae et quae amicta erat subtilissima ac nigra tela lanea ad crispandum, nam si crispata esset develaret globulos magnitudinis ciceris ex optimis, qui inveniuntur in oppido Martos. Cauda autem, sive lacinia, sicut tamquam eam vocare vellent, erat ex tribus punctis, quam tres ephebi apprehendebant manibus, et eodem modo amicti erant vestibus funereis, quae faciebant figuram speciosam et geometricam illis angulis acutis ex cauda, quapropter eam *comitissam Trifaldam* vocabant, tamquam si dixissent *comitissam ex Tribus Laciniis*; et sic Benengeli dicit verum fuisse ex proprio cognomine et hoc modo vocabatur *Comitissa Lupina*, quia in comitatu eius multi lupi geniti sunt et si in loco luporum essent vulpes eam vocarent *comitissam Vulpinam* secundum consuetudinem illarum regionum, quibus domini nuncupabantur nominibus rerum, quae ibi abundabant, sed haec comitissa voluit propter novitatem caudae non *Lupina*, sed *Trifalda* nominari.

Duodecim nutrices illae atque haec domina comitissa procedebant lento gressu processionis et quidem vultibus coopertis, quia amictae erant velis atris et densis per quae nihil videbatur et nullo modo erant translucida tamquam erat velum Trifaldini.

Et simul atque haec turma nutricum apparuit, dux, ducissa et dominus Quixotus steterunt pedibus et omnes qui hanc tardam processionem spectabant. Duodenae dominae nutrices steterunt et dederunt locum spatiosum per mediam viam, qua comitissa Dolorosa processit, Trifaldino eam manu semper comitante; sed ut primum dux, ducissa ac dominus Quixotus haec viderunt, processerunt circa duodecim gressus ad eam recipiendam. Illa autem genu flectens ad terram, et inepta ac rauca voce plus quam tenera, dixit:

–Excellentissimi domini, curate ne faciatis tantam reverentiam huic famulo, dico, huic famulae, quia secundum ego dolorosa sum, nescio quid dicam vel respondere debeam, propter insolitum ac numquam conspectum infortunium quod adduxit meum intellectum neque scio quonam et fortasse debeat esse procul ac longissime et plus eum quaero minus eum invenio.

–Absque ullo intellectu esset –respondit dux–, o domina comitissa, qui non videret te per tuos actus ac strenuitatem, quae vere mereris omnem florem urbanitatis atque omnes dignas caeremonias.

Dux eam levavit sua manu atque adduxit ad sedendum super sellam iuxta ducissam, quae eam accepit magna urbanitate.

Dominus Quixotus tacebat et Sanctius vere cupiebat videre faciem illius comitissae Trifaldae ac vultus quarumdam nutricum eius; sed hoc non fieri potuit donec ipsae hoc libenter facerent ac develarent.

Et omnes pacati et taciti exspectabant illum qui silentium rumperet et fuit domina Dolorosa et quidem his verbis:

–Confidens sum, o domine potentissime, o pulcherrima domina ac prudentissimi circumstantes, vos accepturos esse me «afflictionissimam» in vestris animis strenuissimis non minus placide quam generose ac dolorose; quia haec afflictio mea talis est ad marmora emollienda atque adamantes et ferros mollificandos ex durissimis cordibus huius mundi. Sed ante quam afflictio mea veniat ad vestras aures, ne dicam auriculas, vellem scire utrum hic in hoc coetu sit nitidissimus dominus Quixotus a «Manicissima» et armigerissimus eius Pansa necne.

–Pansa ille –et ante quam alius responderet, dixit Sanctius– hic vere est, et dominus Quixotissimus eodem modo; et sic potes, o afflictissima dominissima, dicere quidquid «velissis»; quia omnes paratissimi ac prompti sumus ut tui famulissimi.

Tunc dominus Quixotus surrexit atque argumenta sua ducens ad dominam Dolorosam, dixit:

–Si afflictiones tuae, o anxia domina, possunt quamdam spem medelae habere ope strenuitatis sive virtutis cuiusdam equitis itinerantis, hic sunt meae quae, quamvis flaccae ac breves sint, omnibus utar in tuo servitio. Egomet sum dominus Quixotus a Manica cuius munus est succurrere egenis omnium generum. Et cum hoc ita sit, non necesse est, domina, ad benevolentiam captandam uti praeambulis, sed palam, clare, aperte et sine circumlocutionibus dicere tuas afflictiones, quoniam aures, quae auscultant te, possunt si non vere remedium adhibere saltem de eis dolere.

Domina Dolorosa autem, his verbis auditis, ostendit se velle proiicere ad pedes domini Quixoti et vere se proiecit dum conabatur eos amplecti et dixit:

–Coram his pedibus et cruribus me proiiciam, o invicte eques! quia sunt columnae ac fundamenta equitatus itinerantis; hos pedes osculari volo de quorum gressibus pendet ac suspensum est remedium mei infortunii, o strenue itinerans! cuius vera facta antecedunt res gestas fabulosas omnium Amadisium, Esplandianorum et Belianisiorum!

Et illa domina, domino Quixoto relicto, se vertit ad Sanctium Pansam cuius manus accepit dixitque:

–O tu, fidelissime armiger, qui umquam servivit equiti itineranti in saeculis praesentibus sive in praeteritis, longior in bonitate quam barba Trifaldini, comitantis mei, qui hic praesens est! Bene potes exsultare serviendo magno domino Quixoto et aliquo modo servies omni catervae equitum, qui exercuerunt arma in hoc mundo. Coniuro tibi per quod debeas tuae fidelissimae bonitati ut sis intercessor meus erga dominum tuum ad favendum huic humillimae atque infortunatissimae comitissae.

Cui Sanctius respondit:

–Parvi momenti erit mihi, domina mea, ut bonitas mea longior sit quam barba armigeri tui; animum meum habeo barbatum et cum mystace cum ex hac vita evadam et hoc est quod vere interest, quia de barbis huius loci parum faciam ego; sed, his artificiis ac supplicationibus praetermissis, dominum meum rogabo, qui bene diligit me et praesertim nunc qui eget me ad quoddam negotium mutuum ut faveat atque iuvet te, domina, in omnibus quae possit. Dicas enim, domina, tuum infortunium et enarra nobis et sine ut faciamus et omnes ad invicem intelligamus nos.

Dux ducissaque et eodem modo omnes qui tales res gestas machinati sunt, his rebus auditis, risum non potuerunt tenere, et laudabant ingenium ac simulationem Trifaldae, quae denuo sedit et dixit:

–In noto regno Candaiae, quod situm est inter magnam Trapobanam et mare Meridionale, duas leucas ultra promontorium Comorini, domina fuit regina domina Maguntia, vidua regis Archipielae, mariti dominique, de quo conubio habuerunt et procreaverunt principessam Antonomasiam heredem regni et haec principessa Antonomasia genita est et crevit sub tutela ac doctrina mea, quia ego eram prima ac praecipua nutrix matris eius. Et, tempore prodeunte, accidit ut haec puella Antonomasia cum fuit quattuordecim annos nata obtinuit magnam perfectionem formositatis, quam natura non potuit quid augere. Et quid dicamus nunc de prudentia huius puellulae! Illa erat tam prudens quam pulchra atque erat pulcherrima huius mundi et nunc etiam erit, si Fata invida et Parcae induratae non sciderint filum vitae eius. Sed profecto non facient sic, quia coeli non permittent tam magnum damnum huic terrae, id esset educere viridem racemum uvae ex pulcherrima vite viridis agri. Et hanc venustatem, et non tamquam mea turpis lingua id enarrat, arserunt amore innumeri principes, tum incolae huius regionis tum peregrini, inter quos ausus est cogitationes suas levare ad coelum huius magnae speciositatis eques, qui in aula regis erat, et quidem confidens ac praeditus sua iuventute atque elegantia et multis habilitatibus ac virtutibus necnon et facilitate ac felicitate ingenii; quia oportet ut vos, excellentissimi domini, cognoscatis, nisi id habeatis pro molestia, eum pulsare citharam tali modo ut eam faciat loqui; etiam erat vates ac magnus saltator, struebat caveam passerum et tantummodo faciendo eas iam potuit lucrari vitam suam si vero esset in extrema necessitate; quia hae omnes virtutes atque habilitates sufficiunt ad montem ruendum, et non tantum debilem virginem. Tamen omnis elegantia, facetiae ac peritiae eius perpaucae essent ad meam puellam expugnandam, nisi latro petulans non usus esset imprimis astutia ad me subiugandam. Primo hic maleficus atque impius vagabundus voluit meam voluntatem allicere et gustum meum ope munerum corrumpere ita ut ego tamquam custos perversus darem ei claves munitionis castelli. Breviter, adulatus est meum intellectum et voluntatem meam oppugnavit nescio quibus monilibus atque inaures quas mihi dedit. Sed quod vere eiecit me per terram fuerunt carmina, quae audivi eum cantare nocte ex quodam reticulo fenestrae apud viam, ubi ille erat et ni fallor sic dicebant:

Ex dulci inimica oritur
malum vulnerans meum animum,
et ad hunc cruciatum maximum
non sentitur, sed exprimitur.

Hoc carmen videbatur mihi optimum ac vox eius valde dulcis ut mel, postea vero, secundum quod dico, ex hoc cum viderem quam male cecidi per terram ego propter haec et alia carmina similia, consideravi opus esset ut expellerent poetas ex bona ac statuta re publica, tamquam Plato consiliabat facere, saltem quoad poetas lascivos, quia scribunt carmina non tamquam ad marchionem Mantuae, quae oblectant et faciunt flere pueros et mulieres, sed alia plena astutiae et quae ad modum spinae suaves perforant animum et tamquam fulgura vulnerant eum, quamvis non scindant vestem. Et quondam cantavit:

Veni ad me abscondita mors,
et ne sentiam te venire,
quamvis videam me perire
et ad vitam redeat mea sors.

Et alia carmina huiusmodi et glossae, quae cum ea cantabat me delectabant et si ea scribunt delectabimur. Quid dicendum est cum veniunt ad componendum genus versuum, qui tunc in Candaia scribere solebant et qui nuncupabantur «seguidillas»? Tunc erat oblectamentum animi, adducendo ad risum, ad commotionem corporum et denique ad turbationem omnium sensuum. Et sic dico, domini mei, vates, sive ioculatores, «trovatores» vel cantores illi iusto consilio deberent eiicere in exsilium ad insulas Lacertorum. Tamen non damnandi sunt simplices, qui eos laudant atque insipientes, qui eis credunt. Si autem ego essem tam bona domina quam deberem esse, nullo modo allicerent me suis marcidis conceptibus, nec crederem verum esse dictum illud: «Vivo moriendo, ardeo in gelu, tremo in igne, spero absque spe, proficiscor atque hic maneo», et res huiuscemodi, quae non fieri possunt, quibus scripta eorum plena sunt. Quid ergo cum promittant aurum Arabiae, coronam Ariadnae, equos Solis, margaritas Meridiei, aurum Tibar et balsamum Pancaiae? Hic est ubi illi longiores faciunt calamos, quia parum constat promittere quod numquam putant adimplere. Sed quonam gentium pergo egomet? Me misellam! Quae amentia ducit me ad narrandas indigentias alienas cum tam multa mea habeam ad dicendum? Proh dolor! ac me miseram! quia non oppugnaverunt me versus, sed mea propria simplicitas; non musicae allexerunt me, sed levitas mea; ignorantia mea et parva animadversio mea aperuerunt viam ac semitam amoverunt gressibus domini Clavixi (Clavijo), nam hoc est nomen huius equitis; et cum egomet sim lena mediatrix ille se invenit semel et multoties in cubiculo illius Antonomasiae a me decepta, et non tantum ab eo, et hoc quidem sub titulo promissi ac veri sponsi ad matrimonium; et hoc modo quamquam peccatrix non debui consentire ut ille, qui nondum erat maritus perveniret ad soleam calceamenti eius. Minime vero! Conubium debet semper antecedere his omnibus negotiis de quibus agitur! Tantum damnum in hac re fuit inaequalitas inter ambos, quia hic Clavixus erat quidam eques et principessa Antonomasia heres regni, ut dictum est. Per aliquos dies haec implicatio abscondita mansit in sagacitate meae prudentiae. Tamen videbatur mihi quamdam protuberantiam ventris Antonomasiae haec omnia celeriter develare ex quo timore impulit nos tres ad deliberandum et ex quo consilio dominus Clavixus debuit, ante quam in lucem ederet, a vicario quaerere Antonomasiam uxorem ducere ope schedulae, quia principessa sic scripsit ei ut promissa sponsa, et quae dictata fuit a meo ingenio et tanta claritate ac vi ut Samson non posset rumpere. Et, diligentiis convenientibus factis, vicarius vidit schedulam, accepit declarationem dominae Antonomasiae et quidem aperte illa confessa est atque ille decrevit ut apud ministrum honoratum aulae regiae ...

Ad hanc occasionem dixit Sanctius:

–Etiam in Candaia sunt ministri aulae regiae, vates et «seguidillas»? Ex quibus imaginor ac possum iurare totum mundum eumdem esse. Sed festina, domina Trifalda, quia iam advesperascit et cupio cognoscere finem huius tam longae historiae.

–Sic faciam –respondit comitissa.

Capitulum 39. Ubi comitissa Trifalda prosequitur mirabilem memorabilemque historiam suam

Ducissa autem gaudebat quolibet verbo quod Sanctius diceret et quidem tantum ut dominus Quixotus desperabatur atque ei iubebat ut taceret, Dolorosa prosecuta est dicens:

–Denique post multas quaestiones ac responsa, sic ut principessa manebat in sua resolutione et non mutavit primam suam declarationem, vicarius iudicavit pro domino Clavixo, cui tradidit eam ut legitimam uxorem, quo tanto ac tam magno incommmodo accepit hunc nuntium regina, domina Maguntia, mater principessae Antonomasiae, quapropter, tribus diebus elapsis, eam sepelivimus.

–Absque dubio mortua est –dixit Sanctius.

–Ut patet! –respondit Trifaldinus–, quia in Candaia numquam sepeliunt vivos, sed mortuos.

–Iam accidit, domine armiger –obiecit Sanctius–, aliquando sepelivisse corpus exanimatum credendo mortuum esse et, mea opinione, regina Maguntia debuit esse languida ante quam moriretur, quia multa in vita obtinent remedium et non fuit tam magnus lapsus principessae ad tantum dolendum de eo. Si ipsa domina nuberet cuidam ephebo sive famulo suae domus tamquam multae aliae faciunt, secundum audivi dicere, damnum non haberet medelam; sed nubere equiti ac nobili natu et praedito magno intellectu secundum quod nobis descripsisti, vere ac reapse si fuit insipientia non fuit tam magna ut arbitretur; quia secundum regulas domini mei, qui hic praesens est, et non sinet me mentiri, sic ut ex hominibus iurisperitis fiunt episcopi, ex equitibus et insuper si itinerantes sunt, fiunt reges atque imperatores.

–Recte iudicasti, Sancti –inquit dominus Quixotus–, quia eques itinerans, cum duos digitos habeat bonae fortunae in potentia propinqua est perveniendi maximus dominus huius mundi. Sed prosequere, domina Dolorosa, quia secundum me adhuc oportet ut narres partem amaram ac saevam huius hucusque dulcis historiae.

–Et quomodo dicam amaram! –respondit comitissa–. Et valde amara est, quia in comparatione huius dulcia sunt limonia et saporatus rhododendron. Mortua regina, et non languida, sepelivimus eam et simul atque eam cooperuimus terra eique ultimum «vale» diximus cum

quis talia fando temperet a lacrymis (Aeneida, II, 6-8)

super equum ligneum apparuit super sepulturam reginae gigas Malambrunus, consobrinus Maguntiae, crudelis incantator, qui suis malis artibus ad vindicandam mortem suae consobrinae et ad damnandam audaciam Clavixi ex despectu lapsus Antonomasiae super sepulturam, eos incantatos reliquit, eam ut simiam aeneam eumque ut horridum crocodilum cuiusdam metalli nondum bene cogniti atque inter hos duos erat inscriptio litterarum syriaci sermonis, quae versa in linguam candaiescam et nunc in hispanicam dicunt hanc sententiam: «Hi duo audaces amantes non recuperabunt pristinam formam donec strenuus vir Manicae mecum veniat ad proelium

singulare; quia Fata servaverunt hoc numquam conspectum eventum virtuti eius». Atque his verbis lectis, eduxit e vagina amplum ac magnum gladium arabicum et accipiens me ex capillis, finxit amputare guttur meum et scindere caput meum. Tunc turbata sum, vox ad guttur meum adhaesit et moesta mansi in extremis, sed conata sum magnopere et voce tremula ac dolorosa eique tam multa dixi ac talia ut suspenderet executionem huius maximae damnationis. Denique omnes nutrices palatii ad se adduxit et illae fuerunt, quae hic etiam praesentes sunt et, damnatione culpae nostrae exaggerata, ac vituperata condicione nutricum, nempe malas industrias earum et peiores calliditates atque astutias et exaggerando culpabilitatem meam dixit se noluisse nobis damnare nisi cum poenis, quae darent nobis mortem civilem et continuam; et ex ipso momento cum haec dixit cunctae nos sensimus poros vultus sese aperire ac pungere tamquam ope acuum. Manibus attrectavimus facies nostras atque invenimus tamquam nunc videtis.

Et Dolorosa et reliquae nutrices levaverunt vela ac larvas earum, quibus cooperiebantur, et develaverunt vultus plenos barba, aliqua fulva, alia nigra, alia alba, alia variegati coloris, de quo conspectu dux ducissaque mirati sunt, dominus Quixotus et Sanctius perturbati et omnes reliqui praesentes attoniti.

Trifalda autem prosecuta est:

–Hoc modo ignavus ac malitiosus Malambrunus punivit nos tegendo mollitiem ac teneritatem vultuum nostrorum asperitate horum capillorum vel harum sagittarum; et faxit coelum ut antea suo magno gladio arabico amputaret capita nostra et nullo modo obscuraret lumen vultuum nostrorum hac lana indigna, quae cooperit nos, quia si vere de hoc cogitamus, domini mei, (et hoc quod nunc dictura sum ego vellem dicere, cum oculi mei essent fontes aquarum, sed consideratio infortunii nostri et maria, quae hucusque ploraverunt siccos ac sine ulla humiditate eos habent tamquam aristas paleae, quare sine lacrimis haec dicam) et dico ergo, quonam gentium perget nutrix praedita barba? Quis pater sive mater dolebit de ea? Quisnam enim iuvabit eam? Nam quamvis habeat cutim tersam et vultum obiurgatum mille pinguibus, difficulter inveniet qui eam diligat, quid facient cum videant vultum factum silvam capillorum? O dominae nutrices et sodales meae, natae sumus magno infortunio ac tempore adverso parentes nostri genuerunt nos!

Et cum haec dixit, finxit exanimis languida esse.

Capitulum 40. Ubi narratur de his quae pertinent ad has res gestas atque ad hanc memorabilem historiam

Verumtamen omnes qui delectantur similibus historiis ut haec est, debent gratias agere Cide Hamete, qui primigenus auctor fuit, propter curam quam habuit ad minima enarranda et ex quibus nihil reliquit, quamvis parva essent quin in lucem distincte ederet. Sic depingit cogitationes, develat voluntates, respondet rebus tacitis, dubia patefacit, solvit argumenta; denique ostendit atomos curiosissimi desiderii. O celeberrime auctor! O tu, dominus Quixotus beatus! O tu Dulcinea illustris! O tu, Sanctus

Pansa facetus! Cuncti atque unusquisque ex se utinam vivatis per innumera saecula et quidem ad delectamentum atque oblectamentum omnium viventium!

Et historia dicit, mox ac Sanctius vidit comitissam Dolorosam languidam ait:

–Per fidem viri boni iuro ac per saeculum omnium praeteritorum Pansarum me numquam audivisse neque dominum meum mihi narravisse, neque in cogitationibus eius potuerunt esse res gestae similes his. Iuvent me mille Satanae ne maledicam tibi, o Malambrune, pro incantatore et gigante, cur non invenisti alium modum puniendi quam dare his peccatricibus has teterrimas barbas? Sponsionem faciam eas non habere pecuniam ad eas radendas.

–Hoc ita est, domine –respondit quaedam ex illis duodecim–; nos non habere pecuniam ad nos radendas, et sic decrevimus uti his adhaesivis, quae ad barbas ponimus et postea ictu rapido eiicimus foras et repente manemus tersae tamquam fundum petrei mortarii; nihilominus sunt mulieres in Candaia, quae vadunt ex domo in domum ad villum de corpore evellendum et ad supercilia depilanda atque alias mixturas pro mulieribus facere, sed nos, quae sumus nutrices dominae meae, numquam has voluimus admittere, quia redolent lenam et non amplius puellam praecipuam; sed si dominus Quixotus non afficit nobis medelam ad sepulturam perveniemus praeditae his barbis.

–Ego libenter raderem meas –inquit dominus Quixotus– in regione maurorum, si non darem remedium vestris barbis.

Tunc ex languore reversa est Trifalda et ait:

–Sonitus huius promissionis, o strenue eques, in medio languore meo ad aures meas pervenit et iuvavit me ut reverterer et recuperarem sensus meos; et sic semel iterumque rogo te, inclitum itinerantem atque indomitum dominum, ut tua faceta promissio ex opere fiat.

–Hoc ita erit mea ex parte –respondit dominus Quixotus–: vide nunc, domina, quid facturus sim; quoniam animus meus paratus est ad vobis serviendum.

–Quaestio haec est –respondit Dolorosa– nam hinc usque ad regnum Candaiae si iter facimus per terram sunt quinque milia leucarum duas plus minusve; sed si per aerem et directe iter facimus tantum sunt tria milia ducenta viginti et septem leucarum. Etiam oportet scire Malambrunum mihi dixisse cum fortuna mihi offerret hunc equitem liberatorem, se missurum esse iumentum idoneum melius ac minoris malitiae quam quae locanda vel revertenda sunt, quia erit ipse equus ligneus super quem strenuus Petrus (Pierres) eripuit pulchram Magalonam, hic equus vehitur ope claviculae quam habet in fronte et est ei ut frenum et volat per aerem tanta celeritate ut videatur diabolos eum ferre. Hic equus, secundum traditionem antiquam compositus est a sapiente Merlino; hic eum commodavit Petro (Pierres), suo amico, quo multa itinera fecit, ac rapuit, ut dictum est, formosam Magalonam, et super dorsum equi eam vexit, relinquendo suspensos omnes intueuntes eum; sed non commodabat nisi cui ille quaerebat, sive cui pecuniam pro eo solvebat; atque ex magno Petro (Pierres) hucusque nescimus, si quis vectus sit hoc equo. Malambrunus eduxit eum suis artibus et apud eum habet eoque utitur ad sua itinera facienda, quae perficit in ictu oculi per diversas regiones huius mundi, et hodie est hic et cras in Francogallia et postridie in Potosí; et potissimum est hunc equum non comedere nec dormire nec uti soleis ferreis et vehitur maxima velocitate per aerem et nullas alas habet et qui vehitur eo posset poculum

aquae plenum in manu habere et nec guttam effunderet, quia ambulat quieto ac placido gressu; quare pulchra Magalona delectabatur vehendi hoc equo.

Cui Sanctius dixit:

–Ad gressum quietum ac tranquillum habeo asinum meum, quamvis non ambulet per aerem; sed per terram contenderet cum illis maximi momenti in hoc mundo.

Cuncti riserunt et Dolorosa prosecuta est:

–Hic equus, si vere Malambrunus vult res gestas nostri infortunii adimplere, ante dimidiam horam noctis erit in conspectu nostro et coram nobis; quia ille nuntiavit mihi hoc signum ita ut intelligerem me habuisse equitem idoneum requisitum, si ille mihi equum mitteret, quonam id melius esset ac magna commoditate et celeritate.

–Et quot possunt vehi hoc equo? –quaesivit Sanctius.

Dolorosa respondit:

–Duo: alter super sellam et alter super dorsum; sed hi potissimum erunt eques atque armiger si deest quaedam rapta virgo.

–Vellem scire, domina Dolorosa –dixit Sanctius–, quomodo vocatur hic ?

–Nomen –respondit Dolorosa– non est tamquam equus Bellorophontis, qui appellabatur Pegasus, neque equus Alexandri Magni vocatus Bucephalus, nec Orlandi (Roldani) furiosi, cuius nomen fuit Brilladorus, nec Baiarte, qui fuit illius Reginaldi de Montalbán, nec immo Frontinus, tamquam illius Ruggeri nec Bootes nec Perithous, tamquam dicunt nuncupari illius Solis, neque vocabatur Orelia, tamquam eques illius infortunati Roderici ultimi regis gothorum, qui introivit in proelium, quo vitam regnumque amisit.

–Sponsionem faciam –dixit Sanctius– si non invenerunt ei nomen horum equorum celebrium et tam cognitorum, tunc non dederunt ei nomen equi domini mei, Rocinantis, qui superat omnes quos nominavisti.

–Hoc ita est –respondit barbata comitissa–; tamen ei valde convenit nomen, quia vocatur *Clavilignum Alivelox*, eique convenit nomen propterea quod ex ligno est cum clavicula quam habet in fronte et propter velocitatem qua vehitur; et quatenus ad nomen potest contendere cum illustri Rocinante.

–Non displicet mihi hoc nomen –obiecit Sanctius–, sed quonam freno vehitur sive quonam capistro gubernatur?

–Iam dixi –respondit Trifalda– tantum hoc esse cum illa clavicula, vi cuius et torquens eam dextrorsum sive sinistrorsum eques, qui vehit equum, ducit eum ad suum nutum per aerem sive volat super terram sive prope terram vel per mediam viam quam quaerit et quaerendum est in omnibus actibus recte ordinatis.

–Libenter vellem eum videre –respondit Sanctius–; verumtamen credere me ascendere super eum sive super sellam sive super dorsum hoc est quaerere quod non fieri potest. Bonum est me difficulter tenere super asinum et super clitellas molliores quam sericum et nunc deberem sedere super dorsum ligneum sine ullo pulvinare neque cervicale! Hercle, nullo modo curabo de radendis barbis a nemine et unusquisque radat barbam suam sicut melius ei conveniat; quia non comitabor dominum meum in hoc tam longo itinere. Immo ego nullum negotium in hac re habeo ad barbas tondendas tamquam sum ad solvendum incantamentum meae dominae Dulcineae.

–Utique es, amice –respondit Trifalda–; et quam multum! quia sine tua praesentia, secundum quod intelligo nihil erit faciendi.

–Venite ad regem iuvandum! –dixit Sanctius–. Quid habent armigeri in rebus gestis dominorum suorum? Nonne illi habent famam factorum quae finiunt, et nos miseri armigeri facimus omnem laborem? Iuro per corpus meum! Si enim historiographi dicerent: «Talis eques finivit feliciter tales res gestas, propter iuvamen armigeri sui, quia sine illo id non fieri potuit ...» Sed si vero scribunt: «Dominus Paralipomenon Trium Stellarum finivit res gestas ex sex spectris», et nullo modo nominavit armigerum suum, qui semper praesens fuit omnibus rebus tamquam si non esset huius mundi! Nunc autem, domini mei, iterum dico dominum meum posse solum ire et bene prosit ei; quia ego manebo hic in comitatu ducissae dominae meae et fortasse posset esse ut ad suum reditum inveniret causam dominae Dulcineae melioratam tertio et quinto; quia in temporibus otiosis cogito seriem flagellorum mihi dare, quae auferat capillos ex meo corpore.

–Nihilominus, eum debes comitari si vere opus est, optime Sancti, quia nobiles rogabunt te; et vultus harum nutricum non manebunt tam barbati pro tuo timore inutili, quod aliter esset cruciatus.

–Denuo dicam, venite ad regem iuvandum! –obiecit Sanctius–. Si haec commiseratio esset pro quibusdam virginibus, sive pro puellis doctrinae, quilibet vir posset libenter in quodcumque periculum se introducere; sed haec pati ad tondendas barbas nutricum, me miserum! Melius esset omnes videre barbatas ex maiore ad minorem atque ex timorata ad complicatam.

–Quid mali est inter te et istas nutrices, amice Sancti? –ait ducissa–; nimis sequeris opinionem illius pharmacopolae toletani. Tamen in hoc non recte iudicas: nutrices sunt domi meae, quae possent esse exemplum omnium dominarum; en hic domina Rodríguez, quae nullo modo permitteret me aliter dicere.

–Melius est si tu, excellens domina, haec dicis –inquit domina Rodríguez–; quia Deus vere scit veritatem omnium, nempe bonas et malas, barbatas sive glabras si vere nutrices sumus, etiam mater nostra peperit nos tamquam alias mulieres et hoc modo Deus posuit nos in hoc mundo, atque Ille scit quare et Eius misericordiam petam ego et non barbas alterius.

–Nunc autem, domina Rodríguez –inquit dominus Quixotus–, et domina Trifalda et sodalitas illius, spero fore ut coelum videat bonis oculis angustias vestras; nam Sanctius faciet quod iubeam ei, veniat Clavilignum et me videat cum Malambruno; quoniam bene scio nullam esse novaculam, quae facilius raderet vos quam gladius meus tonderet sive amputaret ex umeris caput Malambruni; quoniam Deus tolerat malos, sed non in aeternum.

–Eheu! –dixit ad hanc opportunitatem Dolorosa–. Omnes stellae regionum coelestium videant te, magnifice domine, strenue eques, oculis beneficis et inspirent tuo animo omnem prosperitatem ac strenuitatem ut sis scutum et protectio huius contumeliosi et contusi generis nutricum, quod a pharmacopolis despectum est, ab armigeris murmuratum atque ab ephebis extortum: ac maledicta sit illa malefica, quae in tenera aetate suae vitae non facta est primo monacha ante quam nutrix. Miseras nostras nutrices! quia quamvis descendamus ex linea recta de viro in virum ex ipso Hectore Troiae, et dominae nostrae vocabunt nos tamquam si illae essent reginae! O gigas Malambrune, quia quamvis sis incantator semper sustines promissiones tuas! Mitte ad nos inaequale Clavilignum ita ut infortunium noster finiat; nam si calor introit et barbae nostrae perdurant, vae nobis ac vae nostris rebus gestis!

Trifalda haec dixit ac tam magno sensu ut educeret lacrimas oculorum omnium circumstantium et immo oculos Sanctii inundavit, quare Sanctius proposuit in suo corde ut comiteretur dominum suum usque ad finem omnium partium huius mundi, si vere hoc modo lanuginem ex illis vultibus venerabilibus eripere posset.

Capitulum 41. De adventu Claviligni et finis harum prolatarum rerum gestarum

His rebus peractis, et, nocte autem facta, et praecise fuit hora electa, qua illustris equus Clavilignum posset advenire, cuius mora iam dominum Quixotum vere fatigabat, quoniam ei videbatur Malambrunum retardare ad mittendum ei equum, tum propterea quod ille non erat eques cui res gestae illae servabantur, tum quia Malambrunus non audebat inire proelium singulare cum eo. Tamen en hic subito introiierunt per viridarium quattuor viri silvestres amicti viridi hedera et super umeros eorum ferebant magnum equum ligneum. Eum posuerunt erectum super terram et quidam horum silvestrium dixit:

–Ascendat in hanc machinam qui animum ad hoc habeat.

–Hic –dixit Sanctius– ego non ascendam, quia nec animum habeo nec eques sum.

Et silvester prosecutus est diciens:

–Et sedeat super dorsum armiger, si eum habet atque habeat fiduciam strenui Malambruni, quia nisi ex gladio eius ex nullo alio vel ex quadam malitia cuiuslibet offendetur; et tantum oportet hanc claviculam torquere, quae super collum equi est et ille per aerem vehet eos, quo Malambrunus eos exspectat; sed ad vitandum quin altitudo ac sublimitas aerum producat vertiginem eis oportet ut oculos cooperiant usque ad hinnitum equi et hoc erit signum finis huius itineris.

Illi autem, his verbis dictis, reliquerunt Clavilignum et faceto atque eleganti motu reversi sunt quo venerunt. Dolorosa vix vidit equum fere cum lacrimis dixit domino Quixoto:

–O strenue eques, promissiones Malambruni certae sunt, equus est domi, barbae *nostrae crescunt atque unaquaeque* nostrarum ab omni capillo rogamus te ut radas nos et tondeas, quia nihil aliud est faciendi nisi ascendere in eum tu et armiger tuus et bonum principium et optimum finem facias in tuo novo itinere.

–Id faciam libenter, domina comitissa Trifalda, ac libentissime, nullo pulvinare parato, nec calcaribus calceatis, quin demorer; tam magnum est desiderium videndi te, domina, et omnes has dominas nutrices rasas ac tonsas.

–Haec autem non faciam –dixit Sanctius–, nec libenter nec invite neque ullo modo; et si actio radendi non fiet nisi si ego ascendam in dorsum, bene poterit dominus meus alium armigerum quaerere ut comitetur eum, et hae dominae alium modum radendi vultus earum; quia ego non sum incantator cui placeat iter facere per aerem. Et quid ergo dicent insulani mei cum sciant gubernatorem eorum deambulare per ventos? Etiam et insuper hoc: cum sint tria milia leucarum hinc ad Candaiam, si equus defatigatur vel gigas irascitur et nos demorabimur sex annos ad revertendum et iam non erit amplius

insula nec «insuli» in mundo ut cognoscant me. Et velut proverbium dicit cum dederint tibi vaccam veni cum fune, et ignoscant mihi barbae harum dominarum et bene est Sanctus Petrus Romae, volo dicere, bene sum ego domi, ubi tam magnum beneficium faciunt mihi et a cuius domino exspecto breviter gubernator esse.

Cui dux dixit:

–Sancti amice, insulam quam promisi tibi non movetur nec fugit: radices habet et profundas in abysso terrae et eam non eradicabunt nec mutabunt, ex loco ubi est, tribus ictibus. Et tu bene scis me cognoscere nullum genus melius esse ad maximam fortunam nanciscendam quam ope cuiusdam subornationis plus minusve. Et quae oportet ad gubernandum tamquam pretium ad solvendum est ut iter facias cum domino Quixoto ad has res gestas perficiendas; et tum revertaris super Clavilignum maxima celeritate, ab eo promissa, tum venias pedibus si fortuna esset adversa tibi, tamquam si esses peregrinus ex diversorio in diversorium et ex caupona in cauponam, semper ad tuum adventum invenies insulam, ubi eam reliquisti et insulanos tuos eodem desiderio recipiendi te tamquam gubernatorem sicut semper desideraverunt. Et consilium meum etiam idem erit et nullo modo dubites de hac veritate, domine Sancti, nam esset iniuria contra voluntatem quam habeo favendi tibi.

–Nil amplius, domine –dixit Sanctius–; ego sum miser armiger et tam multas urbanitates non possum accipere: ascendat dominus meus et cooperiant oculos meos et commendent me Deo ac nuntient mihi utrum per has altitudines potero me commendare Domino Nostro an invocare angelos ut faveant mihi.

Cui Trifalda respondit:

–Sancti, bene poteris commendare te Deo sive cui volueris, quia Malambrunus, quamvis sit incantator etiam est christifidelis et sua incantamenta facit maxima sollertia et cura et nemini molestus est.

–Eheu –dixit Sanctius–, Deus adiuvet me ac Sanctissima Trinitas Caietae (Gaeta)!

–Ex memorabilibus rebus gestis fullonicarum –inquit dominus Quixotus–, numquam vidi Sanctium habentem timorem velut nunc temporis, et si egomet essem augur ut alii, timor eius faceret titillationes in animo meo. Sed veni ad me, Sancti: et cum venia horum dominorum tibi loquar seorsum tantummodo duo verba.

Et secedens cum Sanctio seorsum inter quasdam arbores viridarii et apprehendens eum ambabus manibus dixit:

–Iam vides, Sancti frater, longum iter quod nobis exspectat, et tantum Deus scit quando poterimus ex eo reverti, quare vellem ut in tuum cubiculum introeas tamquam si aliquid tibi necessarium quaereres ad iter faciendum et in ictu oculi dares tibi bonum computum ex illis tribus milibus et trecentis flagellorum, quae pollicitus es, saltem quingenta, quae iam facta erunt, quoniam incipere rem est eam fere dimidiam finitam habere.

–Iuro per Deum! –dixit Sanctius–, te, domine, ignavum esse! Hoc idem est ac dicere: «Vides me praegnantem et quaeris a me virginitatem?» Nunc debeo sedere super tabulam rasam et tu vis me lacerare clunes meos? Verumtamen, domine, non recte iudicas. Nunc oportet nos radere has dominas et ad reditum nostrum polliceor tibi, tamquam qui ego sum, celeriter ex computo meo exire ita ut contentus sis et nil amplius dicam.

Dominus Quixotus autem dixit:

–Hac promissione facta, optime Sancti, consolor me et credo te id adimplere quoniam, quamvis stultus sis, etiam es homo veridicus.

–Non sum viridis, sed subniger –dixit Sanctius–, sed quamvis essem admixti coloris quod pollicitus sum adimplebo.

Illi autem, his verbis dictis, ad Clavilignum reversi sunt ad ascendendum et dominus Quixotus cum ascenderet dixit ei:

–Cooperi te, Sancti, atque ascende, Sancti; quoniam qui ex tam longinquis regionibus misit ad quaerendos nos, non erit propter parvam gloriam, quae ei perveniet ad decipiendos nos, qui ei confidimus. Sed si omnia e contrario essent ex quo imaginor, nulla malitia poterit auferre a nobis gloriam initiandi has res gestas.

–Eamus ergo, domine –dixit Sanctius–, quia barbae lacrimaeque harum nutricum habeo fixas in meo corde et nihil comedam quod bene veniat mihi donec possim eas glabras videre ut antea in pristina figura earum. Ascendas, domine, et cooperias te primo, quia si ego sedebo ad dorsum tuum tu primus eris ad sedendum super sellam.

–Hoc ita verum est –obiecit dominus Quixotus. Et muccinium eduxit ex loculo suo et a Dolorosa quaesivit ut bene cooperiret oculos eius, et, his rebus peractis, denuo develavit eos et dixit:

–Ni fallor credo me legisse apud Vergilium eventum Palladionis Troiae, qui fuit *equus ligneus quem graeci divae Palladi obtulerunt* et plenus erat equitibus armatis, qui postea fuerunt totalis destructio Troiae; et sic bonum erit imprimis videre quid habeat Clavilignum in suo ventre.

–Non necesse est –inquit Dolorosa–; quia ego confido et scio Malambrunum nihil malitiosi habere nec traditoris, domine Quixote, ascende absque ullo metu, et ad damnum meum quod tibi accidere possit.

Dominus Quixotus putavit ut quidquid ipse obiectaret esset in detrimento suae strenuitatis et, nullo alio obstaculo conspecto, ascendit in Clavilignum et claviculam tentavit, quae facile torquebatur et, sic ut non haberet sustentaculum pedum, crura sua pendebant; quare similis erat tabulae pictae Flandriae in stragulo vel textae in quoddam triumpho romano. Nolens et lente pervenit Sanctius ad ascendendum et sese accommodavit quam melius potuit super dorsum equi, quod nimis durum invenit et nullo modo molle, quare a duce quaesivit ut ei darent quoddam pulvinar, quamvis ex strato ducissae sive ex lecto cuiusdam ephebi esset, quia dorsum equi magis videbatur marmoreum quam ligneum.

Trifalda, his verbis prolatis, dixit hoc nullo modo fieri posse, quia Clavilignum non tolerabat ullum genus ornatus super se; sed quod ille posset facere erat sedere modo muliebri et sic non sentiret tantum illam duritiem. Sic fecit Sanctius et omnibus «valedixit» ac sivit ut oculos eius cooperirent. Tamen postea se develavit et intuens omnes, qui in viridario erant, tenere et cum lacrimis in oculis dixit ut eum iuvarent in illo negotio et orarent pro eo quosdam *Paternoster* necnon et *Avemarias* ita ut Deus eodem modo ac simile statu rerum permiteret ut alii facerent pro eis si opus esset. Cui dixit dominus Quixotus:

–Latro, num paratus es ita ut suspendant te in furca vel in patibulo sive in fine tuae vitae ad tales preces dicendas? Nonne tu es, ignavus, in eodem loco ubi pulchra Magalona sedit, ex quo descendit et non quidem ad sepulturam, sed ut fieret regina

Francogalliae, si historiae non mentiuntur? Et ego qui iuxta te sedeo, nonne possum comparare me strenuo Petro (Pierres), qui hunc locum oppressit suis cruribus, quem egomet opprimo? Cooperi te, cooperi te, belua absque animo, ne veniat ad os tuum timor quem habes, saltem coram me.

–Cooperite me –respondit Sanctius–; et si non vultis ut me commendem Deo nec ab aliis commendar, quid multum est me pavere ne sit hic quaedam regio diabolorum et dent nobiscum in Peralvillo?

Et, ambibus convenienter coopertis, videns dominus Quixotus se sedere in suo loco, tentavit claviculam vehendi et mox ac digitos posuit super eam cum omnes nutrices et circumstantes levaverunt voces dicentes:

–Deus propitius sit tibi, strenue eques!

–Deus sit tecum, armiger intrepide!

–Iam vos per aerem vehimini, et quidem maiore velocitate quam sagitta!

–Iam incepistis vehi per altitudinem atque ad omnes mirandos, qui in terra inspiciunt vos!

–Sustine, strenue Sancti, quia vacillas. Vide ne cadas; nam lapsus tuus peior erit quam illius audacis iuvenis, qui voluit ducere currum Solis, patris sui, !

Sanctius audivit voces et premens se iuxta dominum suum et cingens eum bracchiis dixit:

–Domine, quomodo dicunt illi nos vehi tam magna altitudine ac voces eorum ad nos perveniunt tamquam si loquerentur iuxta nos?

–Noli curare de hoc, Sancti; quoniam volatus illi et volaturae illae sunt extra cursum ordinarium, fortasse ex mille leucis videbis audiesque quae velis. Et ne premas me tam multum quoniam deturbas me et potes me deiicere deorsum; et vere nescio de quo turbaris sive pavescis; nam egomet iurabo numquam in vita mea vectum fuisse equo tam quieto et gressu tam placido. Et quidem videtur nos non moveri a nostro loco. Educ a te, amice, metum; quoniam profecto hoc negotium it tamquam debet ire et est nobis ventus prosperus.

–Hoc ita est –respondit Sanctius–; quia ex hoc latere est mihi ventus ac tam fortis ut cum mille follibus insufflarent me.

Et hoc etiam ita erat; quia ope magnorum follium insufflabant aerem: quia hae res gestae optimo modo factae erant a duce ducissaque ac villico et nihilo carebant ad perfectionem earum.

Tamen dominus Quixotus sensit etiam ventum et dixit:

–Absque dubio, Sancti, iam erimus prope secundam regionem aeris, ubi grando gignitur et nives. Tonitrui, fulgura et fulmina gignuntur in tertia regione et si hoc modo sursum ascendimus cito perveniemus ad regionem igneam, sed nescio quomodo possum hanc claviculam movere ne ascendamus ubi comburamur.

Tunc, cum stupis quae facile incendebantur atque exstinguebantur, et ope harum stuparum, quae pendebant a longe de canna, calefaciebant vultus eorum. Cum autem Sanctius sensit calorem dixit:

–Peream ego, si non sumus in loco illius ignis sive valde prope, quia magna pars barbae meae combusta est et secundum me, domine, debeo develare me ad videndum in qua parte sumus.

–Ne facias hoc modo –respondit dominus Quixotus–, et memento verae fabellae licentiati Torralbae, quem diaboli ferebant volatu per aerem, sedentem super cannam scoparum, oculis clausis et duodecim horis elapsis, pervenit Romam, et descendit in Turri Nonae (Torre de Nona), quae est via illius urbis et vidit omnem perturbationem, oppugnationem et mortem Borbonis atque in crastinum diem iam reversus erat Matritum, ubi nuntiavit omnia quae vidit. Et cum volitaret per aerem, ipse ait diabolum iussisse ut aperiret oculos suos et quidem aperuit eos et vidit se tam prope corpus lunae esse, secundum quod ei videbatur, ita ut posset eam manu apprehendere, sed non ausus est intueri terram ne languesceret. Sic enim, Sancti, non necesse est ut develemur; nam qui curam habet de nobis in hoc negotio, computum dabit de nobis et fortasse properamus et ascendimus tam celeriter sursum in altum ut deiiciat nos deorsum super regnum Candaiae tamquam facit falco vel accipiter super ardeam ad eam apprehendendam, quamvis haec fugiat in altum. Et sic etiamsi nobis videatur non plus quam dimidiam horam proficisci ex viridario, potes credere nos longum iter fecisse.

–Nescio quid hoc sit –respondit Sanctius Pansa–; tantum dicam si haec domina Magallanes sive Magalona contenta fuit sedendi super hoc dorsum, eam non habuisse carnes nimis teneras.

Haec colloquia duorum strenuorum audierunt dux ducissaque et qui in viridario erant, quibus magnam delectationem invenerunt et contentum; et tandem voluerunt finire hoc insolitum ac bene machinatum eventum et per caudam Claviligni incenderunt stopas et continuo cum equus esset plenus pyrobolis et ignibus artificii tonitruantibus in aerem volavit raro strepitu et dominum Quixotum Sanctiumque Pansam per terram proiecerunt ac semicombustos.

Illo tempore iam ex viridario evasit turma nutricum barbatarum. Et Trifalda et omnes necnon qui in viridario erant ceciderunt per terram quasi affecti sopore tamquam languore. Dominus Quixotus et Sanctius contusi surrexerunt et ubique inspexerunt et attoniti erant videndi se ipsos in ipso viridario ex quo profecti essent et per terram tot homines iacentes. Sed immo admiratio eorum crevit cum iuxta viridarium viderunt magnam lanceam fixam in terra de qua pendebat ope duorum funium viridium sericorum charta membranacea, alba et lubrica, in qua scriptum erat:

Inclitus eques dominus Quixotus a Manica finivit et perfecit res gestas comitissae Trifaldae, alias domina Dolorosa, et sodalitatis eius tantum ope suae voluntatis perficiendi.

Malambrunus contentus est et quidem ad plenam voluntatem eius, quare barbae dominarum rasae sunt ac tonsae; reges dominus Clavixus Antonomasiaque sunt in suo pristino statu. Et cum vapulatio armigeri adimpleatur, candida columba liberabitur ex falconibus malignis, qui eam persequuntur et in bracchia sui amantis suspirantis quiescet; quia sic dispositum est a sapiente Merlino, protoincantatore omnium incantatorum.

Dominus Quixotus, his litteris chartae membranaceae lectis, aperte intellexit sensum sententiae fuisse solvendi incantamenti Dulcineae quapropter gratias egit coelo, quoniam tam parvo periculo tam magnas res gestas perfecit, reducendo vultus venerabilium dominarum nutricum ad statum pristinum earum, quae nunc non amplius

ibi videbantur. Et tunc ad ducem et ducissam pervenerunt, qui adhuc non erant compotes mentis propter soporem, sed accipiens manum ducis dixit ei:

–Eheu, bone vir, macte animo! macte animo quoniam nihil aliud accidit! Res gestae finierunt, atque absque ullo damno, ut ostendit scriptum huius chartae membranaceae quae hic pendet.

Dux paulatim et lente tamquam si vere ex sopore somni expergefieret et ad se reversus esset atque eodem modo ducissa cunctique, qui in viridario erant in terra lapsi, et magnopere admirati ac pavidi erant et fere videbatur hoc vere accidisse, quia tam bene simulaverunt facetias illas. Dux legit scriptum oculis semi clausis et postea, bracchiis apertis amplexus est dominum Quixotum, eique dixit eum optimum equitem esse quem umquam in saeculis vidisse.

Sanctius quaerebat Dolorosam ad eius faciem videndam sine barba et utrum esset pulchra ut elegans dispositio promittebat; sed dixerunt ei, vix Clavilignum ardentem volavisse per aerem et in terram cecidisse, omnem turmam nutricum, barbis et capillis superfluis amissis, evanuisse. Ducissa autem quaesivit a Sanctio quomodo fuit ei longum iter illud. Cui Sanctius respondit:

–Domina, arbitratus sum nos volare, secundum quod dominus meus dixit mihi, per regionem igneam, et quidem volui develare oculos meos; tamen dominus meus a quo veniam quaesivi noluit; sed ego, quia quid malitiosi vel curiosi est mihi et cupidus eram cognoscendi quid molestum esset et obstaret mihi, simpliciter et, nemine conspiciente, iuxta nares aperui parum muccinium, qui oculos meos operiebat, et ibi intuitus sum terram et mihi videbatur eam non maiorem esse quam granum sinapis et homines, qui super eam ambulabant, parum maiores avellanis ut videbatur quam alti essemus tunc.

Cui ducissa ait:

–Sancti amice, vide quod dicis; quia secundum quod videtur te non vidisse terram, sed homines ambulantes per eam; et hoc clarum est, quia si terra videbatur tamquam granum sinapis et unusquisque homo ut avellana, tantum unus homo operiebat omnem terram.

–Hoc ita verum est –respondit Sanctius–, sed nihilominus, develavi eam ex quodam latere et vidi eam integram.

–Vide, Sancti –ait ducissa–, quod per unum latus non videtur omne quod conspicitur.

–Nescio de conspectibus –obiecit Sanctius–; tantum scio quod tu, domina, debeas intelligere, quia volabamus per incantamentum et ope huius incantamenti potui etiam totam terram videre et omnes homines ubique inspicere. Et si hoc non credis etiam non credes tu, domina, quomodo develando muccinium in loco superciliarum me vidi prope coelum, quia non erat plus quam palmum et dimidium inter coelum et me, et quidem possum iurare praeterea valde magnum esse. Et ecce accidit cum essemus ubi sunt Septem Capellae sive Pleiades, et iuro per Deum et meum animum, cum a teneris annis in mea terra essem caprarius, mox ac vidi eas volui oblectari cum eis parumper. Et si hoc non facerem non bene esset mihi. Tunc veni et dixi mihi, quid faciendum est? Et, nullo verbo prolato, nec profecto domino meo, lente et paulatim descendi de Claviligno et oblectatus sum cum illis capellis, quae sunt tamquam ligustra et flores et moram feci per tres quadrantes horae, et Clavilignum non movit ex suo loco nec gressum ulterius processit.

–Et cum bonus Sanctius oblectabatur cum capellis –quaesivit dux–, quomodo oblectabatur dominus Quixotus?

Cui dominus Quixotus respondit:

–Haec omnia ac tales casus vadunt extra ordinem naturalem rerum, quare non est multum ut Sanctius dicat quod dicit. De me tantum dicam me neque desuper neque deorsum develavi, nec coelum nec terram nec mare nec arenas vidi. Verumtamen sensi per regionem aeris vehi et fere pervenire ad regionem igneam, sed non possum credere illinc ulterius transire, quoniam cum regio ignea sit inter coelum lunae et ultimam regionem aeris, non potuimus pervenire ad coelum ubi Septem Capellae sunt de quibus Sanctius dicit, absque ulla combustione nostra et si vere non combusti sumus sive Sanctius mentitur sive Sanctius somniat.

–Nec mentior nec somnio –respondit Sanctius–; aliter quaeras a me signa talium capellarum et videbis utrum verum dicam necne.

–Dic enim Sanctius –ait ducissa.

–Illae sunt –respondit Sanctius– duae virides, duae rubrae, duae caeruleae atque una variegati coloris.

–Caprae omnino diversae a nostris sunt –inquit dux–, et ex nostra hac regione non solitae sunt tales colores, dico quoad capras, tales colores habere.

–Hoc patet –dixit Sanctius–; utique, quia quaedam diversitas debeat esse inter capras coeli et terrae.

–Dic enim mihi –quaesivit dux–; num vidisti inter illas capras quemdam hircum?

–Non vidi ullum, domine –respondit Sanctius–, sed audivi dicere nullum transire ultra cornua lunae.

Noluerunt amplius de itinere eius ab eo quaerere, quia eis videbatur Sanctium posse per omnes coelos transire et nuntios dare de omnibus, quae in eis essent absque egressu ex illo viridario.

Breviter, hic fuit finis rerum gestarum dominae Dolorosae, quas dux ducissaque valde riserunt, sed non tantum illo tempore, sed per omnem vitam eorum et ad tam multa narranda ex parte Sanctii per saecula si vivere posset. Tamen dominus Quixotus advenit ad Sanctium eique ad aures inquit:

–Sancti, si tu vere vis me credere quod vidisti in coelo, etiam opus est ut credas quae vidi in caverna Montesinos. Et nil amplius tibi dicam.

Capitulum 42. De consiliis quae dominus Quixotus dedit Sanctio Pansae ante quam esset gubernator insulae et de aliis rebus bene consideratis

Dux ducissaque, facetis rebus gestis Dolorosae ac felici modo finitis, valde contenti fuerunt et statuerunt ulterius in suis facetiis procedere, quia viderunt se habere subiectum idoneum aptumque ad haec omnia ut vera paranda. Sic disposuerunt atque iusserunt suis famulis ac subditis quomodo agerent cum Sanctio quoad gubernationem illius insulae promissae, et crastino die, qui fuit post volatum Claviligni, dux dixit Sanctio

ut pararet se ipsum et ornaret ut fieret gubernator, quia insulani eum exspectabant tamquam aquam mensis Maii. Sanctius fecit ei reverentiam eique dixit:

–Postea quam de coelo descendi et inspexi terram deorsum ac vidi eam tam parvulam, aliquo modo magnum desiderium meum, ut fierem gubernator, temperatum est, quia quaenam excellentia est imperare in grano sinapis, vel quaenam dignitas vel imperium gubernare sex homines parvos tamquam avellanas, qui mea opinione, non erant maiores in tota terra? Si tu, excellens domine, velles mihi parvulam partem huius coeli dare, quamvis non sit plus quam dimidia leuca, melius eam acciperem ac libenter quam maximam insulam huius mundi.

–Vide, amice Sancti –respondit dux–, ego nullo modo possum coelum ulli dare, quamvis non maius quam unguis sit; quia soli Deo reservantur illa dona ac beneficia. Quod tibi dare possum do, et hoc est insula facta et parata, rotunda et bene ordinata atque insuper uberrima copiosaque, ubi si tu de ea curabis tua sollertia atque habilitate poteris ope divitiarum huius terrae divitias coeli lucrari.

–Nunc autem –respondit Sanctius–, veniat ad me haec insula; et egomet pugnabo ut fiam gubernator prae omnes versutos et veniam ad coelum. Sed hoc non erit propter cupiditatem meam ut egrediar ex tugurio meo ad ascendendum et altiora nanciscenda, sed ex desiderio meo probandi quid sit fieri gubernator.

–Si una vice probas, Sancti –inquit dux–, postea ungues arrodes et hanc gubernationem desiderabis, quia dulce est imperare atque ab aliis ministrari. Profecto cum dominus tuus fiat imperator, et quidem hoc erit absque dubio, sicut fortuna eius ultra procedat, difficile erit eum illinc eruere libenter, et ei dolebit in animo eius cum non amplius sit.

–Domine –obiecit Sanctius–, ego imaginor bonum esse imperare, quamvis sit gregi pecorum.

–Utinam sepeliant me tecum, Sancti, quia omnia scis –respondit dux–, et egomet exspecto te talem gubernatorem futurum esse secundum quod rectum iudicium tuum promittit, sed haec relinquamus, atque animadverte in crastinum diem te fore ut eas ad hanc insulam gubernandam et hodie vespere vestem idoneam tibi dabunt, quam indues et omnia necessaria ad egressum tuum.

–Induant me –dixit Sanctius– sicut vellent; quia omni modo ut id faciant ego semper ero Sanctius Pansa.

–Hoc ita erit –inquit dux–, tamen vestes accommodandae sunt muneribus vel dignitati illius qui ea fungitur, quia non decet ut iurisperitus amictus sit tamquam miles, nec miles tamquam sacerdos. Tu autem, Sancti, amictus eris partim tamquam iurisperitus et partim ut ductor militum, nam in insula, quam ego tibi dabo, necessaria sunt arma et litterae, ac litterae armaque.

–Parvas –respondit Sanctius– litteras habeo, quia nondum didici alphabetum, sed satis est mihi ut *Christus* in memoria sit cum bonus gubernator fiam. Quoad arma iam ea tractabo convenienter, quae dent mihi et Deus providebit.

–Cum Sanctius habeat tam bonam memoriam –ait dux–, nihil et numquam errabit.

Tunc advenit dominus Quixotus, qui cum sciret de quo agebatur ac de celeritate, qua Sanctius proficisceretur ad suam gubernationem, venia a duce quaesita, apprehendit Sanctium sua manu et pervenit ad habitaculum suum ad ei consilium dandum quomodo fungeretur suo munere.

Ambo in habitaculum introiierunt et dominus Quixotus ianuam clausit et impulit Sanctium ad sedendum iuxta se et quieta ac tranquilla voce dixit ei:

–Permultas gratias ago coelo, Sancti amice, quoniam, ante quam ego invenerim quoddam bonum beneficium, optima fortuna obviam tibi venit. Ego, qui volui propter famulatum tuum tibi pecuniam solvere, video te antecedere me, imprimis atque hoc ante tempus et contra omnem legem rationabilem, et vides desideria tua adimpleri. Alii sunt qui muneribus corrumpunt, instant inopportune, quaerunt, primo mane surgunt, rogant, pugnant et nihilominus non obtinent quod praetendunt; tamen alius venit et, nemine sciente, nisi omnino invito, invenit munus et negotium, quod permulti cupiunt habere. Et hic venit et convenit dictum illud, nempe, fortunam prosperam et adversam esse, quoniam tu es rudus et nullo modo ante primam lucem surrexisti nec pernoctasti vigilans nec alias diligentias fecisti, tantum halitus huius equitatus itinerantis tetigit te et omnino ac sponte vides te gubernatorem cuiusdam insulae, tamquam qui nihil de hoc diceret. Et haec omnia dico tibi, Sancti! ne tribuas hoc beneficium acceptum tuis propriis meritis, sed gratias agas coelo, quod suaviter res sic disposuit et postea etiam dabis gratias excelsitudini, quae continetur in equitatu itinerante. Dispone ergo, cor tuum ad credendum, quod dixi tibi, o fili! attende igitur hunc Catonem, qui tibi consilium dare vult ut sit tibi ut Stella Polaris et ductor ad te ducendum ad portum securum huius procellosi maris quo navigabis; quoniam negotia et excelsa munera nil aliud sunt, nisi sinus profundus confusionum.

«Primo, o fili! reverenter Deum timebis, quoniam in timore eius est sapientia et si esses sapiens nullum errorem facies.

«Secundo, oportet ut videas quis sis et quaeras cognoscere te ipsum et haec est difficillima cognitio, quae imaginari possit. Et ex hac cognitione curabis ne inflares pellem ut illa rana, quae voluit maior esse quam bos, nam si hoc facies videbis pedes foedos in gyro [pavonis, secundum Angelum Basanta] quod erit tuae dementiae, quoniam aliquando etiam fuisti porcarius in tuo pago.

–Hoc verum est –respondit Sanctius–, sed hoc fuit cum essem puer iuvenis; postea autem iam homunculus fui pastor anserum et non porcorum. Tamen mihi videtur hoc non venire ad casum; quia non omnes qui gubernant proveniunt ex stirpe regia.

–Hoc ita est –obiecit dominus Quixotus–; quapropter qui non habent principia nobilia debent comitari gravitatem muneris, quo funguntur, cum molle suavitate, duce prudentia, ita ut liberet eos de murmuratione malitiosa ex qua nemo potest evadere. Ostende, Sancti, humilitatem tui generis ac ne evadas dicere te provenire ex rusticis; quoniam si vident te non erubescere nemo audet pavefacere te; et gloriare magis ut sis humilis virtuosus quam superbus peccator. Innumeri sunt qui ex humili stirpe ascenderunt ad summam dignitatem pontificiam et imperialem et ex hoc tam multa possem tibi exempla adducere ut vere te fatigarent. Vide, Sancti: si accipis virtutem ut medium et gloriaris faciendi facta virtuosa nullam invidiam habebis principibus et nobilibus dominis; quoniam sanguis obvenit in hereditate, sed virtus obtinetur, et virtus ex se sola valet quod sanguis ex se non valet. Et cum hoc ita sit, et vere est, si forte quis propinquorum tuorum veniat ad visitandum te cum sis in tua insula ne despicias eum neque laedas; sed eum optime accipe et tracta tuis muneribus; quoniam hoc modo adimples mandatum coeli, quod vult ut neminem despiciant pro his quae fecerit et retribuas quod bene debeas naturae. Si autem uxorem tuam duxeris tecum (quoniam non decet gubernatores per longum tempus

abesse ab uxoribus propriis) doce eam, adiuva eam et educ eam ex naturali ruditate eius, quoniam uxor rustica atque ignorans potest disperdere quod gubernator prudens acquirit. Si casu viduus factus sis, quod tibi accidere possit, et velles ducere aliam uxorem ditiorem, cave ne sit tibi ut hamus et arundo piscatoria sive ut cucullus ad dicendum «nolo»; quoniam vere dicam tibi ut ex omnibus, quae mulier iudicis accipiat, maritus dabit computum et rationem in Die Iudicii, et quater solvet ex his quae non accepit in vita. Numquam accipias legem arbitrariam ad bene vivendum, quam libenter accipiunt ignorantes, qui gloriantur proprio intellectu. Maiorem commiserationem habeas lacrimarum pauperis, sed non maiorem iustitiam quam querelarum divitis. Quaere veritatem inter promissiones muneraque divitis velut inter singultus et importunitates pauperis. Cum quaerenda sit aequitas ne punias delinquentem omni rigore legis, quoniam non melior est fama iudicis rigurosi quam commiserantis. Et si casu virgam iustitiae debeas inclinare ne sit sub onere muneris, sed misericordiae. Cum debeas iudicare causam inimici tui, averte mentem tuam ab iniuria ab eo accepta et cogita de veracitate illius. Ne obcaecet te studium proprium in causa aliena; quoniam errores quos facias erunt sine remedio et, si vere habent remedium, contra tuam famam erunt, nisi etiam contra pecuniam tuam. Si mulier pulchra venit ad te quaerendo iustitiam averte oculos tuos a lacrimis eius et aures tuas a gemitibus eius ac respice pedetentim negotium requisitum, sin autem mens tua submergatur in planctu et bonitas tua in suspiriis eius. Ne offendas verbis quem damnabis opere, quoniam poena cruciatus satis est misero sine additamento horum argumentorum. Considera damnandum sub tua iurisdictione hominem miserandum esse et quidem subiectum condicionibus pravae naturae nostrae, sed ex tua parte ac, nulla iniuria adversa accepta, ostende te ipsum commiserantem et clementem erga eum; quoniam melius videtur nobis misericordia quam iustitia, quamvis omnia attributa Dei aequalia sint.

Si haec praecepta ac regulas sequeris, Sancti, dies tui erunt longinqui, fama tua erit sempiterna, praemia tua plena, felicitas tua inenarrabilis, liberi tui ducent uxores sicut vellent, eis erunt tituli et etiam nepotibus tuis, in pace vives ac beneplacito omnium gentium et in ultimis gressibus vitae adveniet mors, in senectute suavi et matura atque oculos tuos claudent manus nepotum tuorum ex tertia generatione. Haec quae hucusque dixi tibi sunt consilia, quibus ornandus est animus tuus. Tamen ausculta ea quae debeant etiam corpus tuum ornare.

Capitulum 43. De alteris consiliis, quae dominus Quixotus Sanctio Pansae dedit

Qui praeterita argumenta audiret, nonne dominum Quixotum pro viro valde sano et compote mentis haberet? Tamen, sicut multoties in progressu huius magnae historiae dictum est, ille a recta via tantum discedebat cum esset quaestio illius equitatus, sed in omnibus rebus ostendebat se ipsum habere mentem claram ac prudentem intellectum, quare omni tempore opera eius agebant contra iudicium eius et iudicium agebat contra

opera eius; sed in his alteris consiliis, quae dedit Sanctio, ostendit magnas facetias et posuit suam prudentiam et insaniam in excelso loco.

Sanctius attente, atque auribus arrectis, auscultabat eum et conabatur talia consilia tradere memoriae, quia ea vere volebat servare et ei videbatur bonum partum futurum esse post graviditatem suae gubernationis. Dominus Quixotus autem prosecutus est eique dixit:

–Quoad modum gubernandi te ipsum et domum tuam, Sancti, primum quod tibi commendo est ut vere mundus sis et ungues scindas ne eas sinas crescere tamquam nonnulli faciunt, quibus ignorantia facit credere ungues longas ornatus manuum esse, tamquam si haec excrescentia atque additamentum, quae relinquunt, essent ungues humanae et non ungues aquilae lacertariae: quod est immundus et inusitatus abusus. Ne ambules, Sancti, sine cingulo ac flaccido modo; quoniam vestis inordinata indicium est animi debilis, nisi hanc inordinationem ac negligentiam accipiant pro versutia, tamquam de Iulio Caesare iudicaverunt. Prudenter munus tuum aestima et, si vere oportet ut des symbolum vestiarium pedisequis ac famulis tuis, da eis hoc honestum atque utile, antequam speciosum et splendidum et reliquum da tuis famulis et etiam pauperibus: volo dicere si debeas induere sex ephebos, indue tantummodo tres eorum et alios tres pauperes et sic habebis ephebos propter coelum et terram; et hunc modum dandi symbolum vestiarium non cognoscunt gloriosi iactabundi. Ne comedas allios nec caepas, quin ex odore cognoscant te rusticum esse. Ambula lentiter; loquere quiete, sed non ut videaris auscultare temetipsum; quoniam omnis affectatio mala est. Ede parum et coena minus; quoniam salus corporis fit in officina stomachi. Esto temperatus bibendo, animadvertens multum vinum non bene servare secreta nec verba sustinere. Cave, Sancti, ne comedas ambabus maxillis nec quidem eructes coram quodam homine.

–Quid est hoc *eructare*, quod non intelligo? –dixit Sanctius.

Et dominus Quixotus dixit ei:

–*Eructare*, Sancti, vult dicere *ructuare* et hoc verbum est inter turpissima vocabula hispanici sermonis, quamvis sit valde significans et sic studiosi ad linguam latinam perveniunt et dicunt *eructare* pro *ructuare* [vulgo *regoldar]*; et *ructamen* pro *eructatione*, et etiamsi multi haec vocabula non intelligant hoc est parvi momenti, nam usus introducet ea, tempore properante, ita ut faciliter intelligant et hoc est modus acquirendi nova verba, quae vere pendent de vulgo et consuetudine hominum.

–Vere, domine –dixit Sanctius–, unum ex consiliis et monitis, quae vere volo tradere memoriae est non *ructuare*, quia saepe soleo facere.

–*Eructare*, Sancti, et non *ructuare* –dixit dominus Quixotus.

–Ex hoc et in futurum etiam dicam *eructare* –respondit Sanctius– et mea fide ne illius obliviscar.

–Etiam, Sancti, cura ne inmisceas in tuis colloquiis turbam multam proverbiorum sicut facere soles; quoniam proverbia sunt sententiae breves, sed multoties eas adduces non quidem accurate et plus videntur ineptiae quam sententiae sapientes.

–Hoc tantum Deus providebit –respondit Sanctius–, quia cognosco plura proverbia quam quae libri continent, et aliquando omnia una ad os meum veniunt tempore loquendi et inter se pugnant, quia cuncta volunt exire prae aliis; et lingua proiicit

primum quod invenit, quamvis non tam adaequatum ad casum sit. Tamen ex hoc et in futurum curabo de eis et tantum dicam, quae conveniant ad gravitatem muneris mei; quia in domo plena cito fit coena; et qui scindit chartulas lusorias non miscet eas; et salvus est qui campanas pulsat; et qui dat et habet in bono consilio manet.

–Perge ultra, ulterius, Sancti! –dixit dominus Quixotus–. Coniunge, copula, insere proverbia, quoniam nemo venit ad te iudicandum! Punit me mater mea et ego denuo decipio eam! Nonne dico tibi ut cures de tuis proverbiis? Quomodo uno ictu proiecisti longam seriem eorum, quae nullo modo veniunt ad hanc occasionem? Animadverte, Sancti, ego nolo dicere proverbium male videri, cum veniat ad casum idoneum; sed adducere proverbia sine sensu ac mensura facit colloquium stultum atque insipidum. Cum ascendas in equum, ne inclines corpus retrorsum nec crura nimis rigida habeas et extra locum ventris equi, nec flaccidus sis ut videaris vehi asino et non equo; quoniam vehi equo facit nonnullos equites et alios stabularios. Esto moderatus dormitu; nam qui non surgit ortu solis non vere gaudet de toto die; atque animadverte, o Sancti! diligentiam esse matrem bonae fortunae et pigritiam, adversariam eius, numquam pervenisse ad terminum boni desiderii. Et hoc consilium quod nunc tibi dabo, quamvis non sit ad ornatum corporeum, oportet ut tradas bene memoriae et, mea sententia, non erit minoris momenti quam alia, quae iam hucusque dedi tibi; et hoc est ut numquam audeas disputare de generibus stirpibusque, saltem comparando ea inter se, quoniam cum exorta sit comparatio oportet ut quidam eorum sit melior et alter victus et ex eo odiosus eris, sed numquam laudatus a primo quod extulisti sursum. Vestes tuae sint femoralia, thorax manicatus, pallium longum; ampla femoralia nec nominentur, nam haec nec equitibus nec gubernatoribus conveniunt. Nunc temporis haec omnia consilia sunt, quae ad mentem meam venerunt, Sancti, sed tempore prodeunte, et secundum occasiones sic alia convenientia erunt tibi, si vere nuntiabis mihi statum rerum tuarum.

–Domine –respondit Sanctius–, mea opinione, omnia quae dixisti mihi sunt res valde bonae ac maximae utilitatis, sed quid proderit mihi si fere nullius memini? Vere non aberit a mente mea nec obliviscar ut ungues ne plus aequo crescant et ut denuo ducam uxorem si opus esset, sed ex aliis complicationibus et implicationibus nec memini nec meminero tamquam ex nubibus quae transierunt praeterito anno, et sic oportet ut dent mihi talia consilia scripta; et quamvis nesciam legere nec scribere ea dabo confessori meo ut aliquando ac tempore opportuno ea legat mihi.

–O, me miserum! –respondit dominus Quixotus–, quam male videtur gubernatores nescire legere nec scribere! Quoniam oportet ut scias, o Sancti! cum homo nesciat legere, sive si sit scaevus, hoc provenit ex duobus causis: sive quoniam fuit filius parentum nimis pauperum et humilis condicionis, sive quia fuit nimis turbulentus atque inquietus, et sana doctrina et bona consuetudo non introivit in eum. Hic est defectus magnus quem tecum fers, quapropter vellem ut saltem disceres nomen tuum scribere.

–Nomen meum scribo –respondit Sanctius–; quia cum essem bedellus in pago meo, didici aliquas litteras scribere tamquam si essent signa super saccos, et dicebant ea dicere nomen meum; aliter fingam me manum dexteram inhabilem habere et alter signet nomine meo pro me; quia ad omnia remedium est, nisi propter mortem; et cum habeam virgam in mea manu faciam quidquid velim; praesertim qui habet patrem cum sit

praefectus urbis ... Et cum sim gubernator quod est magis quam esse praefectus loci, venite ad me et iam videbitis! Sin autem si veniunt ad despiciendum et calumniandum me; venient ad lanam quaerendam et revertentur tonsi; et quem Deus diligit, domus sapit ei ut bona; et stultitiae divitis sunt sententiae pro multitudine hominum; et cum sim gubernatur et munificus, sicut ero, nulla negligentia videbitur in me. Quia aliter si fis mel muscae venient ad te; et tam multum vales quantum habes, secundum quod avia mea dixit mihi; atque ex homine bene radicato numquam vindicaberis.

–O, maledictus sis a Deo, Sancti! –ait ad hanc occasionem dominus Quixotus–. Sexaginta milia diabolorum adducant te secum una cum tuis innumeris proverbiis! Abhinc horam coniunges ea et in unoquoque das mihi haustum magni cruciatus. Et securus sum dicendi tibi ut quodam die haec ipsa proverbia adducent te ad furcam vel ad patibulum; et propter ea subditi tui auferent a te gubernationem vel contra te rebellabunt. Dic mihi, ubi invenis ea, ignorans et quomodo eis uteris, stolide, quoniam ut egomet unum dicam et quidem adaequate sudo et laboro tamquam si foderem fossam?

–Per Deum, domine mi –obiecit Sanctius–, mea opinione, nimis dolet tibi de minimis rebus. Quare lamentaris, quia ego utor meis divitiis cum nullas alias habeam, nisi proverbia et plura proverbia? Et ecce nunc quattuor ad me veniunt, quae vere conveniunt accuratissime ad hunc casum sive ut pira ad cistam; sed non dicam ea, quia silentium opportunum vocatur Sanctius.

–Sed hic Sanctius non es tu –inquit dominus Quixotus–; quoniam non tantum non es tacitus, sed versutus garrulus et obstinatus. Nihilominus vellem haec quattuor proverbia cognoscere, quae ad tuam memoriam venerunt et quidem tam accurate ad hanc occasionem et ego percurro meam memoriam, quae non est mala et nullum invenio.

–Quid melius –dixit Sanctius– quam dicere «inter dentes molares duos numquam ponas pollices tuos» et «nil dicendum est cum dicitur: age foras domo mea et quid quaeris cum uxore mea?» et si «petra percutit hydriam et hydria petram, male eveniet hydriae» et omnia conveniunt ad hanc opportunitatem. Quare nemo audeat cum gubernatore contumelias habere, nec cum eo qui ei iubeat, quia male egredietur, tamquam qui ponit digitum inter dentes molares et quamvis non ultimi sint, dum vere sint molares, quod non facit ad casum. Et quod gubernator dicit non oportet obiectare tamquam si quis diceret: «age foras domo mea et quid quaeris cum uxore mea?» Quoad petram cum hydria etiam caecus videbit. Et sic, qui videt festucam in oculo alieno, oportet ut videat trabem in oculo suo, ne dicant de eo: «Expavit mortua videndo iugulatam», et tu, domine, bene scis ignorantem magis cognoscere domi suae quam sapiens in domo aliena.

–Minime vero, Sancti –respondit dominus Quixotus–; quoniam ignorans neque domi neque in domo aliena quid boni scit, quoniam additamentum insipientiae non pendet de ulla domo. Sed relinquamus has res hic, Sancti; nam si male adimples tuam gubernationem tantum erit culpa tua et verecundia mea; tamen mitigatus sum quoniam feci quod vere debui et consilium dedi tibi, secundum quod erat mihi verum et convenienter dicendi; quibus exeo ex obligatione mea atque ex mea promissione. Utinam Deus ducat te, Sancti, et gubernet te in tua gubernatione atque educat me ex meo scrupulo, qui manet mecum, ne evertas totam insulam in ruinam, quod egomet

nunc possem vitare si develarem duci quis vere tu sis, eique dicendo te totum esse saccum proverbiorum ac malitiae.

–Domine –obiecit Sanctius–, si vere credis me non esse idoneum ad hanc gubernationem, ex hoc habes plenam libertatem faciendi; quia magis existimo parvum nigrum unguis animi mei quam totum corpus meum; et melius comedam, cum sim Sanctius simpliciter panem et caepam quam ut gubernator perdicem caponemque; et insuper dum dormimus omnes sumus aequales, magni et parvi, pauperes divitesque, et si tu recte inspicis hoc negotium, videbis tantummodo te locutum fuisse mecum de gubernatione insularum; quia ego de hac gubernatione tantum scio quantum vultur scire posset; et si vere imaginaris diabolum adducturum esse me propter meam gubernationem melius erit mihi ut Sanctius in coelum perveniat quam gubernator in infernum.

–Per Deum altissimum, Sancti –dixit dominus Quixotus–, tantum propter haec argumenta, quae dixisti, credo te mereri mille insulas gubernare: bonam dispositionem naturalem habes, sine qua nulla scientia valet; commenda te ipsum Deo et cura recte iudicare primo ictu; id est ut semper habeas sanam voluntatem ac solidum propositum iudicandi recte omnes causas, quas adducant tibi, quoniam coelum semper favet bonis desideriis. Et eamus edere nam credo hos dominos iam exspectare nos.

Capitulum 44. Ubi narratur quomodo adduxerunt Sanctium Pansam ad gubernationem et de insolitis rebus gestis, quae in castello domino Quixoto acciderunt

Secundum quod dicunt in textu originali huius historiae, legitur quomodo Cide Hamete pervenit ad scribendum hoc capitulum, quia traductor eius id non vertit tamquam auctor ipse id scripserat, et haec fuit quaedam querela, quam habuit maurus ille de se ipso, quia accepit inter manus suas hanc historiam nimis aridam atque insulsam, tamquam haec est domini Quixoti et etiam quia ei videbatur se tantum de domino Quixoto et de Sanctio loqui et non ausus est ad alias disgressiones et fabellas sese extendere, quae essent maioris momenti atque oblectamenti. Tamen etiam dicebat se semper habuisse intellectum, manum et calamum paratum ad scribendum de uno subiecto et sic locutus est per ora paucorum hominum, quod vere erat labor valde incommodus et nullo modo redundabat ad bonum exitum auctoris, quapropter et ad hoc vitandum usus est artificio scribendi nonnullas fabellas, tamquam illam *Invidi mariti importuni* et *Ductoris captivi*, quae sunt tamquam seiunctae ab historia praecipua, nam aliae quae etiam narrantur sunt facta, quae acciderunt ipsi domino Quixoto et vere scribere debuit. Etiam auctor putavit, ut ipse dicit, multos praetermissuros esse has fabellas et quidem celeriter vel propter taedium pro rebus gestis domini Quixoti, quae vere requirunt magnam attentionem et non videbunt magnum artificium et ornatum, quod continent hae fabulae, quod melius ostenderetur

si solae illae essent et non adnexae ad dementias domini Quixoti et stultitias Sanctii et hoc modo in lucem editae essent. Et sic, in hac secunda parte noluit alias fabellas inserere sive seiunctas vel adnexas, sed tantum aliquas disgressiones, quae ortae essent ex ipsis rebus gestis narratis, quod verum est, et hoc tantum aliquando et brevibus verbis, quae sufficerent ad ea describenda, quia vere vult in strictis limitibus narrationis manere. Tamen cum habeat habilitatem, peritiam atque intellectum ad tractandum totum orbem terrarum, rogat lectores ne despiciant laborem suum et laudent eum si non per ea, quae scripsit, saltem per ea quae scienter praetermiserat.

Postea vero historia prosequitur et dicit: dominus Quixotus, prandio finito, ipso die quo dedit consilia Sanctio, etiam ipso vespere haec consilia dedit ei scripta ita ut quaereret quem ei legeret ea. Tamen simul atque ei dederat ex sua manu in terram ceciderunt et ad manus ducis pervenerunt, qui cum ducissa communicavit et ambo admirati sunt denuo de amentia ac sapientia domini Quixoti. Et hoc modo ambo prosecuti sunt suis facetiis ac Sanctium miserunt cum magno comitatu ad locum, qui futurus erat ei ut insula.

Et ipse villicus ducis erat, qui haec omnia machinabatur et erat vir valde prudens ac facetus nimis –quia nullae erunt facetiae ubi non sit prudentia–, et ille etiam fuit, qui personam Trifaldae repraesentavit, et quidem sale et lepore, ut dictum est; et huiusmodi et cum artificio dominorum suorum sciebat quomodo tractandus erat Sanctius ex suo labore et haec omnia optime perfecit. Et, ut ubi primum Sanctius viderit illum villicum, imaginatus est se videre comitissam Trifaldam et vertens se ad dominum suum dixit ei:

–Domine, diabolus adducat me secum hinc ubi ego sum, vir iustus et christifidelis, aut tu, domine, confitearis vultum huius villici ducis, qui hic est, ipsum esse illius dominae Dolorosae.

Dominus Quixotus inspexit attente villicum et, eo conspecto, dixit Sanctio:

–Non opus est ut diabolus adducat te secum, Sancti, neque ut iustum neque ut christifidelem, quoniam nescio quid vere dicere vis, scilicet vultum Dolorosae esse faciem villici, sed non propter hoc villicus est Dolorosa; nam si vere esset haberet magnam contradictionem inter se, et nunc non est tempus inquirendi atque introiendi in labyrinthos intricatos. Crede mihi, amice, opus est rogandi Dominum Nostrum fortiter ut liberet nos a malis incantatoribus et perversis incantamentis.

–Non sunt facetiae, domne –obiecit Sanctius–, sed quia antea audivi eum loquentem et videbatur mihi vocem Trifaldae audivisse in auribus. Nunc autem tacebo; sed ex hoc animadvertam utrum develem signum aliud quo mea suspicio confirmetur an evanescat.

–Bene facies ita, Sancti –inquit dominus Quixotus–, et nuntiabis mihi omnia, quae in hoc negotio invenies necnon et omnia, quae acciderent tibi in tua gubernatione.

Sanctius denique comitatus magna turba hominum profectus est, et quidem ut legisperitus amictus amplo pallio venatorio rubicundi coloris, cum petaso huiuscemodi et sedens super mulum brevibus sustentaculis [vulgo *a la jineta*] et post eum ac secundum dispositionem ducis erat asinus phaleratus eius idoneis ornamentis sericis. Sanctius vertebat retro aliquando caput suum ad videndum asinum, cum cuius comitatu tam contentus erat ita ut nollet sese transmutare pro imperatore Germaniae.

Cum valedixit duci ducissaeque osculatus est manus eorum et accepit benedictionem domini sui, qui eam ei cum lacrimis dedit et Sanctius etiam quadam gesticulatione planctus eam recepit.

Sine, benevole lector, ut bonus Sanctius eat in pace et in bona hora atque exspecta magnam copiam salis leporisque ad risum tenendum, cum videas quod accidit domino eius illa nocte; et si his rebus non vere ridebis saltem parumper labia tua aperies risu simiae; quia res gestae domini Quixoti caelebrandae sunt sive admiratione sive risu.

Et, Sanctio absente, etiam narratur ut ubi primum dominus Quixotus senserit suam solitudinem et dixerit se velle gubernationem a Sanctio auferre et eodem modo illam missionem revocare ab eo et quidem faceret si potuisset. Tamen ducissa cognovit melancholiam domini Quixoti et ab eo quaesivit quare moestus esset; utrum hoc esset ex absentia Sanctii necne, nam multi armigeri, nutrices virginesque erant domi eius, qui libenter ei servirent ad plenum gaudium et desiderium.

–Hoc verum est, domina mea –respondit dominus Quixotus–, me sentire absentiam Sanctii; sed haec non est praecipua ratio quare videor tristis et ex omnibus propositionibus quas tu, domina excellentissima, offers mihi tantum eligam voluntatem, qua haec omnia fecisti, sed ex aliis rebus rogo te ut concedas ac permittas ut intrem in meum cubiculum ita ut egomet serviam mihi.

–Hoc nullo modo ita erit –ait ducissa–, domine Quixote, quia quattuor virgines ministrabunt tibi, et omnes pulcherrimae ut flores.

–Quoad me –respondit dominus Quixotus– non erunt ut flores, sed tamquam spinae, quae pungant animum meum. Et sic introibunt illae in meum cubiculum nec quod ei simile sit, tamquam ego possim volare. Si tu, excellentissima domina, vis beneficium mihi tribuere, nullo merito meo, sine ut curem de meis rebus ac serviam mihi ex ianuis intus, ita ut ponam murum in media honestate desideriorum meorum, quoniam nolo hanc consuetudinem amittere propter liberalitatem quam tu, excelsa domina, vis mihi ostendere. Et breviter, melius dormiam amictus quam permitterem ut quaedam denudet me.

–Sufficit, domine Quixote –obiecit ducissa–. Mea ex parte iubebo ut nec musca quidem introeat in tuum cubiculum non autem quaedam virgo; quia non sum ego quae vellet dominum Quixotum amittere decentiam et praecise mea ex causa; nam secundum quod vidi virtus, quae alias omnes superat, est honestas. Denuda te, domine, solus atque indue ad tuum nutum ac tuo more, quando et quomodo velis; quia nemo impediet tibi et intus in cubiculo invenies vasa necessaria ad usum corporeum dormientis, ianuis clausis, quominus necessitas naturalis inducat ad aperiendum. Vivat mille saecula magna Dulcinea a Toboso et fama eius perveniat per totum circulum terrae, quia vere merita est amari a tam strenuo honestoque equite et benigni coeli infundant in cor Sanctii Pansae, nostri gubernatoris, desiderium finiendi celeriter flagella verberationis suae, ita ut iterum iterumque mundus gaudeat de formositate tam magnae dominae.

Cui dominus Quixotus dixit:

–Tu, excelsa domina, locuta es tamquam quae es, quoniam in ore bonarum dominarum nulla erit, quae non bona sit; ac maioris fortunae et famae in hoc mundo erit Dulcinea quoniam tu, domina, eam hoc modo laudavisti, quam propter omnes laudationes quas eloquentiores huius mundi possent ei proferre.

–Nunc autem, domine Quixote –obiecit ducissa–, hora coenandi appropinquat et dux iam exspectat. Veni ergo ad coenandum ita ut cito eas dormitum; quia iter quod heri fecisti ad Candaiam non fuit breve et fortasse lassus es atque aliquantum molestus.

–Nihil ex hoc sentio –respondit dominus Quixotus–, et quidem tibi, excellentissima domina, iuro me numquam ascendisse in iumentum tam tranquillum neque praeditum meliore gressu quam Clavilignum. Et nescio quid impulit Malambrunum ad equum tam optimum ac velocem relinquendum et eum comburendum nulla causa cognita.

–Hoc erit, mea sententia –respondit ducissa–, quia poenitet eum damni facti Trifaldae et sodalitati eius necnon et aliis hominibus, et propter malitias, quae ut maleficus atque incantator fecit, et hoc modo voluit instrumenta muneris sui destruere et praesertim voluit Clavilignum comburere, quia cum eo patravit multa et peragravit totam terram et, hac combustione facta, ac, triumpho illius chartae membranaceae scripto, in aeternum manebit strenuitas magni domini Quixoti a Manica.

Iterum dominus Quixotus gratias egit ducissae et, coena finita, secessit ad cubiculum suum, et quidem solus, quia noluit ut quidam cum eo introiret ad ei serviendum: tam multum timuit inveniendi occasiones quae moverent eum sive impellerent ad amittendum honestum decus debitum dominae eius, Dulcineae, et semper in suis cogitationibus meminerat castitatis Amadis, floris ac speculi equitum itinerantium. Tunc ianuam clausit post se et ad lucem duarum candelarum denudavit se et cum exuit calceos –et propter miseram propriam indignitatem!– soluta sunt ab eo non quidem suspiria nec alia, quae obscurarent munditiam personae atque urbanitatis eius, sed usque bis duodena puncta cuiusdam tibialis, quod factum est ut transenna fenestrae. Afflictus est in extremis hic bonus vir et libenter daret unciam argenteam ad inveniendum parum fili serici viridis coloris et dico ex serico viridi, quoniam tibialia erant huius coloris.

Hic Benengeli exclamavit et scribens dixit: «O paupertas, paupertas! Nescio quae causa impulit poetam cordubensem ad vocandam te

«Munus sanctum ingratum!»

Atque ego, quamvis maurus sim, bene scio, propter commercium et communicationem quam habui cum christianis, sanctitatem esse in caritate, humilitate, fide, oboedientia paupertateque; nihilominus dico si quis contentus sit paupertate multum habebit de Deo, nisi haec sit illa paupertas de qua unus ex maximis sanctis dixit: «Tamquam nihil habentes et omnia possidentes» (2 Cor 7.10) quam vocant paupertatem spiritus; sed tu, secunda paupertas de qua ego nunc loquor, cur vis allidere fidalgos et nobiles natu plus quam aliam plebeculam? Cur necesse est calceos perpolire et globulos vestium habere, qui nonnulli sunt serici, alii ex crinibus et alii vitrei? Cur colla vestium pleraque sunt plicata et non aperta ex forma? Et hoc modo videbitur valde antiquum esse usum imbuendi colla aperta amylo. Et prosecutus est: «Miserabilis est ille nobilis natu, qui sustentat se difficultatibus sui honoris, quia comedit parum et male et quidem ianua clausa, et ficto modo exit ad viam habens dentiscalpium in ore cum nihil aliud ederet, quin egeret hac necessitate mundandi dentes. Miserabilis est ille qui erubescit, quia timet ne videant fissuram calcei, sudorem petasi, maculam pallii et famem stomachi!»

Dominus Quixotus meminerat omnium harum rerum cum puncta illius tibialis soluta sunt ei, tamen mitigatus est videndo Sanctium ei reliquisse alios calceos ad iter faciendum, quos in crastinum diem induturus esset.

Denique accubuit meditabundus moestusque tum ex absentia Sanctii tum ex irreparabili infortunio tibialium, quae egebant sutura, quamvis haec esset ope fili alterius coloris, quoniam hoc erat signum maximae calamitatis quam fidalgus posset habere in decursu suae paupertatis. Tunc exstinxit candelas, calor magnus erat in cubiculo et non potuit dormire, e lecto surrexit et parum fenestram unius transennae aperuit, quae coram formoso viridario erat, et simul atque eam aperuit sensit et audivit homines in viridario deambulare. Tunc attente auscultavit. Qui ibi infra erant, voces levaverunt et haec potuit audire:

–Ne roges me ut cantem, o Emerentia! quia bene scis, ex hora qua hic peregrinus introivit in hoc castellum et oculi mei intuiti sunt eum iam nescio nec possum cantare, sed flere et insuper dormitus dominae meae levis est et non profundus, quare nolo ut inveniat nos hic et hoc modo per omnes thesauros huius mundi. Et dum ille forte dormiat et non expergefiat inanis esset canticus meus si vere dormit et non expergefit ad audiendum hic novus Aeneas, qui ad meas regiones pervenit ad me decipiendam.

–Noli credere hoc, Altisidora amica –responderunt–, nam absque dubio ducissa et omnes, qui in hac domo sunt, dormiunt, nisi hic dominus cordis tui et qui disturbat animum tuum; quia sensi eum aperuisse fenestram transennae cubiculi sui, et procul dubio, vigilans erit. Canta, ergo, o misella, quamvis sit demissa ac suavi voce ad sonitum tuae harpae, et si vere ducissa audit nos ei dicemus nos propter magnum calorem hoc fecisse.

–Non est praecise hoc, o Emerentia! –respondit Altisidora–, sed quia nolui ut cantus meus develet secretum cordis mei et qui non cognoscunt vires amoris iudicent me ut virginem inconstantem levemque. Sed veniat quidquid sit, quia melius est verecundia quam macula in corde.

Et continuo ille audivit harpam pulsare suavissimo modo. Et cum haec audivit dominus Quixotus expavit, nam subito ad memoriam eius venerunt innumerae res gestae similes illis, quae agebant de fenestris, transennis, viridariis, musicis, blanditiis et languoribus, quas in suis ineptis libris de equitatu legerat. Statim imaginatus est quamdam virginem ducissae ardere eum amore, quamvis honestas illius impelleret eam ad desiderium secretum servandum. Tamen timuit quin illa eum oppugnaret et proposuit in suis cogitationibus nullo modo subiugari, quapropter commendavit se ad dominam suam Dulcineam a Toboso et quidem omnibus suis viribus, nihilominus etiam decrevit se ad illam musicam audiendam et, ad ostendendum se ibi esse, protulit sternutum simulatum, quo valde gavisae sunt illae virgines, quae nihil aliud cupiebant nisi ut dominus Quixotus eas audiret. Altisidora tentavit et pulsavit harpam ad temperandam et sic incepit hoc carmen [vulgo *romance*]:

O tu qui in hoc lecto iaces,
et inter lintea ex Hollandia
quae optime te ad bonum somnum
die noctuque sic facias.

O tu, strenuissime eques,
quem genuit te haec terra digna
et nullum te beatiorem
inventus est in Arabia!

Audi tu nunc vocem puellae
pulchrae, quae est plena ira,
et in conspectu tuae lucis
ardebunt eius suspiria.

Tu quaeris bonas res gestas,
sed vides haec infortunia,
et vulneras et prohibes
nec dabis multa remedia.

Dicas mihi, iuvenis bone,
Deus iuvet tuas bonas anxias,
nonne tu natus es Iaccae (Jaca)
num ortus in magna Libya?

Num te serpentes nutrierunt
an haec sic fuit nutrix dira?
Quaenam asperitas montium
sive inhospita silva?

Bene potest Dulcinea
pulcherrima ac fortis diva
gloriari, nam oppugnavit
tigridem feram malignam.

A Fenario (Henar) hoc tam illustri
usque ad Iaramam sic fiat
a Tago usque ad Manzanares
Pisoraca (Pisuerga) Arlanzam viam.

Libenter omnem fortunam
mutarem quoque pro illa
et tunicam variegatam
coloris cum quadam rima.

Utinam posses me amplecti
tuis bracchiis in lecto sita
dum scabam hoc caput tuum
et tuam porriginem mittam.

Num haec tam multa a te quaero?
credis me esse indignam?
Sed satis esset si umquam
tuos pedes prope inspiciam.

Pilleos tot munerarem
tibi et bona tibialia,
tot calceolos Damasci,
tot pallia pulchra ex Hollandia.

Tibi haec munera darem
et optimas margaritas,
quae insolitae in mundo essent
nullis secundis in vita.

Incendium hoc, quo comburo
non est ex Rupe Tarpeia.
Visne tu istud videre,
Nero ex terra benigna?

Puella quae quindecim annos
non ultra explevi et enixa,
quattuordecim et tres menses
iuro tibi non invita.

Non ullo claudico pede
ab omni manu est mihi gratia,
capilli mei dum erecta
ad terram veniunt ut lilia.

Os aquilinum vere habeo,
nares depressae sunt ita
dentes topaci et albi,
venustas mea est polita.

Et vocem quam tu auscultas,
superat omnes has miras
et sic quoad meam figuram
parum sum plus quam quae privat.

Ex tua hac pharetra vides
virtutes meas et alia
et in hac domo sum virgo
Altisidora ancilla.

Sic finivit cantilenam illa Altisidora, vulnerata amore, et incepit stupor domini Quixoti sollicitati, qui magno suspirio prolato, inter se dixit:

–Quare debeo esse tam magnus infortunatus eques itinerans, quoniam non est virgo, quae intueatur me et non ardeat amore erga me! Et quam infortunata est inaequalis Dulcinea a Toboso, quae non potest gaudere de me ad incomparabilem fortitudinem meam acceptandam! Quid vultis de ea, o reginae? Quare persequimini eam, o imperatrices? Quare eam insequimini vos, puellae virgines, quattuordecim et quindecim annos natae? Permittite aliquid ei, sinite hanc misellam triumphari et gaudere

sua prospera fortuna, quoniam Amor voluit ei dare et cor meum oppugnare eique animum meum tradere. Videte, vos, o turba multa capta amore, me massam sacchari esse soli Dulcineae, sed cunctis aliis natus sum durus silex. Utique Dulcineae egomet sum mel, sed vobis amaritudo, tantummodo mihi Dulcinea est pulchra, prudens, honesta, praedita forma formosa, bona natu, et aliae sunt foedae, ignorantes, mutabiles ac minoris generis natae. Et ut sim illius Dulcineae et non alterius, natura in mundum misit me. Ploret sive cantet Altisidora, desperetur domina Madama propter quam mauri incantati percusserunt me in castello, sed futurus sum illius Dulcineae, coctus sive assus, mundus, urbanus atque honestus, prae omnibus potestatibus maleficis totius huius terrae.

Et, his verbis dictis, uno ictu fenestram clausit despectus ac molestus, tamquam si ei magnum infortunium acciderit et recubuit in lecto, ubi eum nunc temporis relinquemus, quia Sanctius Pansa vocat nos et quidem vult initium suae clarae gubernationis dare.

Capitulum 45. Ubi narratur quomodo Sanctius Pansa obtinuit suam insulam in possessionem et quomodo incepit suam gubernationem

O tu! qui es perpetuus develator antipodum, fax huius mundi, oculus coeli, motus laetus ad refrigerandas lagoenas, Thymbrius hic, Phoebus ibi, sagittarius illic, medicus ibi, pater Poeseos, inventor Musicae, tu qui semper oriris, et quamvis nobis videatur, numquam occidis! Tibi dico, o Sol, cuius iuvamine homo gignit hominem! Et hoc tibi dico, ut faveas mihi et illumines obscuritatem mei ingenii ut possim accurate narrare gubernationem Sanctii Pansae; nam absque te debilis, iners et confusus ero.

Dico enim Sanctium cum suo magno comitatu pervenisse ad locum, quem mille vicini circiter incolebant, et qui inter meliora loca ducis erat. Sanctio autem dixerunt locum appellari insulam Baratariam, et hoc quia locus vere vocabatur Baratarius, sive quia parvo pretio [vulgo *barato*] ei ut munus ad gubernandum dederunt. Et simul ac venit ad portas oppidi, et hoc erat consaeptum, omne concilium pagi ad eum recipiendum egressum est; campanas pulsaverunt et cuncti oppidani ostenderunt magnam laetitiam eumque maxima pompa adduxerunt ad ecclesiam maiorem ad gratias agendas Deo et continuo cum ridiculis caeremoniis ei tradiderunt claves oppidi atque eum ut perpetuum gubernatorem insulae Baratariae acceperunt.

Omnes autem mirabantur de veste, barbis, crassitudine ac demissa parvitate novi gubernatoris et praecise cuncti, qui nesciebant machinationem huius artificii et immo omnes, qui hoc cognoverant et multi erant. Denique ex ecclesia eduxerunt eum et ad sellam iudicandi adduxerunt super quam eum posuerunt et villicus ducis dixit ei:

–In hac insula, secundum veterem consuetudinem, domine gubernator, cum quidam veniat ad possessionem huius notae insulae debet respondere ad quaestionem quam ei faciant, quae sit aliquantum difficilis atque obscura, de cuius responsione populus

videt et intelligit ingenium sui novi gubernatoris et hoc modo gaudet de adventu eius sive moestus est.

Sanctius autem, his verbis a villico dictis, inspiciebat multas ac magnas litteras, quae in pariete scriptae erant coram sella eius et, sicut ille nesciebat legere, quaesivit quae illae picturae essent, quae in pariete erant. Et responderunt ei:

–Domine, ibi scriptus est dies quo tu, domine excellens, possessionem huius insulae accepisti et epitaphium dicit:

Hodierno die, ad tales calendas talis mensis illius anni, possessionem accepit huius insulae dominus Sanctius Pansa qui longos annos vivat in ea.

–Et quem vocant dominum Sanctium Pansam? –quaesivit Sanctius.

–Illi vocant te, excellens domine –respondit villicus–; quia nullus alius Pansa intravit in hanc insulam, nisi qui sedet super hanc sellam.

–Tunc animadverte, frater –dixit Sanctius–, quia ego non habeo titulum *domini* nec in toto meo genere umquam fuit: Sanctius Pansa vocor simpliciter et Sanctius appellatus est pater meus ac Sanctius meus avus et omnes fuerunt Pansa, sine ullo additamento nec *domini* nec *dominae*; atque imaginor in hac insula plures dominos esse quam lapides; sed hoc sufficit mihi: Deus intelligit me et si haec gubernatio perdurabit mihi quattuor dies eradicabo hos titulos *domini*, qui propter multitudinem eorum molesti erunt tamquam culices. Prosequere ulterius tu cum tua quaestione, dominus villicus: et respondebo quam melius possim tum moestus sit populus tum laetetur.

Tunc temporis introiierunt ad iudicandum duo viri alter amictus veste rustica et alter ut sartor, quia forfices in manu habebat, et sartor dixit:

–Domine, gubernator, ego et hic rusticus agricola ad te venimus, quia hic vir ad officinam meam die hesterno venit (quia ego, cum venia praesentium, magister sartor sum, et sit Deus benedictus) et posuit quemdam pannum in manus meas atque a me quaesivit: «Domine, sufficit pannus hic ad cucullum faciendum?» Ego consideravi attente pannum et respondi ei affirmative; ille autem imaginatus est, secundum quod credo, et bene imaginatus sum, me voluisse rapere pannum ab eo, quia sartores famam habent rapiendi et nixus sua opinione etiam quaesivit a me utrum possem duos cuculos facere necne. Animadverti cogitationes eius et etiam respondi affirmative; atque ille, praeditus sua adversa opinione ac prima voluntate, addidit cucullos et ego semper affirmative respondi et sic perveni ad quinque cucullos et nunc temporis venit ad eos recipiendos; ego do eos ei et non vult pro labore meo solvere; sed e contrario a me quaerit ut solvam pecuniam ei vel pannum ei reddam.

–Estne hoc ita, frater? –quaesivit Sanctius.

–Utique, domine –respondit ille vir–; tamen dicas ut ille ostendat hos quinque cucullos quos fecit mihi.

–Libenter –respondit sartor.

Et continuo eduxit manum suam, quam habebat sub pallio et ostendit in ea quinque cucullos positos super capita digitorum manus et dixit:

–En quinque cuculli, quos hic bonus vir a me quaerit, atque in Deo et in mea conscientia nullum pannum ab eo eripui et ostendam etiam laborem meum ante inspectores officii.

Omnes circumstantes riserunt de multitudine cucullorum ac de illius controversia. Sanctius autem mansit meditabundus paulisper et dixit:

–Mihi videtur haec causa non perdurabit longam moram, sed oportet iudicare secundum iudicium boni viri, et sic sententia mea est haec ut sartor amittat laborem suum atque agricola pannum et afferant cucullos ad captos in carcere, et nil amplius in hac causa sit.

Si sententia illius crumenae admiranda esset a circumstantibus haec autem incitavit ad risum, sed tandem factum est quod gubernator decrevit. In cuius conspectu duo viri senes venerunt, alter ferebat cannam ut baculum alter sine baculo erat et dixit:

–Domine, huic bono viro abhinc paucos dies decem aureos commodavi ad placitum eius faciendum et bonum opus, sub condicione ut eos mihi dederit cum eos ab eo quaererem. Dies vere elapsi sunt et nullos ab eo quaesivi ne augerem necessitatem eius restituendi mihi quam illam quam habuit cum a me eos quaesivit; sed videbatur mihi eum nimis negligere ad restituendum et ab eo denique eos quaesivi semel multoties et non tantum non restituit mihi, sed negat ac dicit me hos aureos numquam ei dedisse et si vero ei dederim eum iam restituisse mihi. Egomet nullos testes habeo neque de pecunia commodata neque de restitutione eius, quia nullam restitutionem fecit. Et nunc vellem ut tu, domine, iusiurandum eius acciperes et si iuraret se hos aureos mihi certe restituisse ego ei ignoscam eos ex hoc et in futurum in conspectu Dei.

–Quid dicis ad hoc, bone senex baculi? –dixit Sanctius.

Cui senex dixit:

–Ego, domine, confiteor eum mihi hos aureos commodavisse, sed inclina, domine, hanc virgam; et propterea quod ille omnia deponit sub meo iureiurando, quidem iurabo me ei eos iam restituisse certe ac revera.

Gubernator inclinavit virgam suam et interea senex dedit baculum suum alteri seni ut apprehenderet, dum ille faciebat suum iusiurandum, tamquam si baculus ei magnam molestiam afficeret et statim posuit manum super crucem virgae, dicendo verum esse eum ei eos commodavisse, sed etiam se eos restituisse ex manu sua in manum eius atque hanc rem non bene animadvertit et continuo illos ab eo denuo accipiebat. Magnus gubernator, his rebus conspectis, quaesivit a creditore quid ille responderet ad hanc rem sui adversarii; et dixit ut absque dubio debitor diceret veritatem, quia tenebat eum ut virum probum ac bonum christianum et fortasse ipse oblitus esset quomodo et quando eum ei restituisse, sed ex hoc numquam eos denuo rogaturum esse. Debitor denuo baculum suum accepit et, capite clino, exivit ex tribunale. Cum Sanctius haec vidit et quidem eum vere exire, nulla alia re facta, ac, patientia creditoris conspecta, caput suum super pectus inclinavit et posuit digitum indicem inter supercilia et nares et parumper cogitavit et continuo porrexit caput et iussit ut adducerent senem baculi, qui iam profectus erat. Cum eum adduxerunt simul atque eum vidit Sanctius dixit ei:

–Da mihi baculum, bone vir, quia eo egeo.

–Libenter –respondit senex–: en hic, domine.

Et posuit eum in manum eius. Sanctius accepit eum et continuo alteri seni dedit eique dixit:

–Vade in pace, quia iam restituit tibi.

–Mihi, domine? respondit senex–. Num haec canna valet decem aureos?

–Utique –dixit gubernator–; aliter ego sum stultissimus huius mundi. Et nunc videbitur utrum habeam ego mentem ad gubernandum totum regnum necne.

Et iussit ut palam omnibus frangerent et aperirent cannam. Sic fecerunt et intus invenerunt decem aureos. Cuncti valde mirati sunt atque iudicaverunt gubernatorem alium novum Salomonem esse.

Tunc ab eo quaesiverunt undenam intelligeret hanc cannam habuisse decem aureos, quibus respondit, quia vidit senem dare suo adversario baculum dum faciebat iusiurandum atque iuravit se vere ac reapse restituisse, sed, iureiurando facto, denuo baculum ab eo quaesivit et tunc venit ad memoriam eius in eo esse pecuniam requisitam. Ex quo colligitur gubernatores, quamvis stulti sint, fortasse Deus eos ducat in sententiis eorum; et insuper quia etiam audivit parochum sui loci, qui quondam casum similem narravit et praeterea se habuisse magnam memoriam et si non oblitus esset omnium, quae voluerit meminisse, nullus esset praeditus tali memoria in tota insula. Denique alter senex pavefactus atque alter contentus egressi sunt et circumstantes admirati sunt et scriba, qui haec omnia verba, facta et motus Sanctii describebat, nesciebat utrum eum haberet pro stulto an pro prudente.

Hac causa finita, introivit in tribunal mulier, quae apprehendebat virum amictum ut divitem pecuarium. Illa autem magnis vocibus clamabat dicens:

–Iustitia, domine gubernator, iustitia, et si eam non invenio in terris eam in coelo quaeram! Domine gubernator animi mei, hic malus vir apprehendit me in medio campo et abusatus est meo corpore tamquam si esset pannus immundus, ac, me miseram! eripuit quod tam bene servavi abhinc ultra viginti tres annos et quidem pugnando cum mauris et christianis, cum incolis et peregrinis atque ego semper dura tamquam suber, et servavi me incolumem integramque tamquam salamandra in igne, vel sicut lana in virgultis ut hic vir veniret nunc suis manibus mundis ad me palpandam.

–Adhuc oportet videre utrum hic venustus vir habeat manus mundas necne –dixit Sanctius.

Et vertens se ad illum virum quaesivit quid ille responderet de accusatione illius mulieris. Ille autem omnino turbatus respondit:

–Domini, ego sum pauper pecuarius porcinus et hoc mane egressus sum ex hoc loco in quo vendidi, cum tua venia, quattuor porcos, qui, vectigalibus et subdolis exactionibus exceptis, parum minus quam pretium eorum mihi dederunt; et ecce ego revertebar ad locum meum cum casu hanc bonam dominam inveni, ac diabolus, qui omnia perturbat et implicat, fecit ut ambo una iaceremus; solvi ei quod iustum est, sed illa, non satis contenta, apprehendit me et non reliquit me, donec adduceret me huc ad hunc locum. Illa dicit me eam violenter compulisse, tamen mentitur sicut sub meo iureiurando confitebor et faciam; et haec est omnis veritas nihil exceptum ex ea.

Tunc gubernator ab eo quaesivit si quid ferret secum numeratae pecuniae. Ille dixit se habere viginti denarios in suo sinu, in crumena coriacea. Eique iussit ut eam educeret et daret quaerenti mulieri; ille sic fecit tremulus; mulier autem accepit eam et multis reverentiis omnibus et longam vitam a Deo quaerendo pro domino gubernatore, qui tam bene de orphanis atque indigentibus virginibus curabat; et hoc modo egressa est

ex tribunale, crumena pecuniae inter ambas manus capta, quamvis antea inspexit utrum argentea esset pecunia quae intus erat necne.

Vix atque illa egressa est, Sanctius dixit pecuario fere lacrimanti, qui amittebat oculos et animum post crumenam suam:

–Nunc autem, bone vir, vade post illam mulierem atque eripe ab ea crumenam, quamvis ipsa nollet et revertere huc cum ea.

Et hoc non locutus est cum stulto vel surdo, quia statim, tamquam fulgur profectus est ad faciendum quod ei iusserunt. Cuncti circumstantes animum tenebant exspectantes solutionem huius causae et, parva mora elapsa, reversi sunt, ille vir et mulier, et quidem apprehendentes se mutuo et immo fortiter quam prima vice, illa autem veste levata et in cuius gremio posuit crumenam pecuniae et vir pugnans ad eam auferendam; sed hoc non fieri potuit secundum defensionem illius mulieris, quae magnis vocibus dicebat:

–Iustitia Dei et huius mundi! Videas, domine gubernator, penuriam verecundiae et timoris huius miserabilis, quia in medio hoc oppido et in via voluit a me auferre crumenam, quam iussisti ut daret mihi.

–Sed, num abstulit eam a te? –quaesivit gubernator.

–Quid auferret a me? –repondit mulier–. Antea deberet vitam meam tollere quam crumenam auferre. Pulchra est puella ad hoc patiendum! Alios feles contra meas barbas eiecerunt et non hic miserabilis atque immundus! Forfices et mallei, malleoli et scalpra non sufficerent ad eam auferendam ex meis unguibus nec immo ungues leonis: antea animum relinquam ex visceribus meis!

–Illa recte iudicavit –dixit vir–, et ego hoc vere accipio et succumbo absque viribus et confiteor me non potuisse ab ea crumenam auferre atque ei eam relinquo.

Tunc gubernator dixit mulieri:

–Ostende mihi, honesta et strenua mulier, hanc crumenam.

Illa autem ei eam ilico dedit et gubernator restituit viro atque impavidae et non coactae mulieri dixit:

–Soror mea, si eumdem halitum ac strenuitatem quam ostendisti ad hanc crumenam defendendam habuisses ad corpus tuum incolume defendendum et immo dimidiam partem, robora herculea non violarent te. Vade cum Deo et male eveniat tibi et noli in hac insula amplius manere sub poena ducentorum flagellorum. Abi statim, loquax, impudica ac seductrix!

Pavit mulier et, capite clino, atque omnino invita, egressa est et gubernator dixit viro:

–Bone vir, procede cum Deo ad tuum locum cum tua pecunia et ex hoc et in futurum noli eam amittere et cura ne velis iacere cum qualibet muliere.

Vir turbatus ei gratias egit et profectus est et cuncti circumstantes admirati sunt semel iterumque de iudiciis et sententiis novi gubernatoris. Chronista vero haec omnia accurate notavit et continuo scripsit duci, qui magno desiderio haec anxie exspectabat.

Et maneat hic bonus Sanctius, quia magna celeritate dominus eius requirit nos, qui cum musica Altisidorae valde perturbatus erat.

Capitulum 46. Ubi narratur terribilis strepitus felinus et crotalorum, quem accepit dominus Quixotus in decursu viae amorosae Altisidorae captae amore

Dominum Quixotum reliquimus turbatum cogitationibus, quas ei genuit musica Altisidorae, virginis captae amore. Accubuit affectus his molestiis tamquam si pulices essent, quae non siverunt eum dormire nec quiescere parvum momentum et ad hoc advenerunt cogitationes tibialium, quae reparanda erant. Sed tempus festinat et nullum obstaculum est ante quod detineatur et ut eques super horas currit et celeriter pervenit diluculum diei. Quod cum vidit dominus Quixotus et, mollibus plumis lecti relictis, nullo modo piger induit vestem pellitam et calceos ad iter faciendum ita ut tegeret infortunium tibialium; et desuper posuit pallium coccineum et super caput pilleum sericum viridis coloris ornatum fasciola argentea, balteum suspendit super umeros et suum bonum acutumque gladium et suis manibus accepit magnam coronam rosarii, quam semper secum habebat, et magna pompa ac paulatim egressus est ad vestibulum, ubi dux ducissaque iam vestiti ac parati erant ad eum convenienter recipiendum. Tamen cum praeteriret ambulacrum ibi erat Altisidora, quae cum alia virgine sua sodale eum exspectabat, et simul atque Altisidora dominum Quixotum vidit, simulavit languescere et amica eius eam accepit in suas vestes et magna celeritate statuit thoracem aperire. Dominus Quixotus autem, his rebus conspectis, ad eas pervenit et ait:

–Ego iam scio unde haec procedunt.

–Ego autem nescio quare –respondit amica–, quia Altisidora est virgo validissima huius domus et numquam audivi eam dicentem eheu! ex hoc ego eam cognosco; tamen malam fortunam habeant omnes equites itinerantes, qui in mundo sunt, si vere omnes tam ingrati sint. Vade, domine Quixote, quia haec puella non erit compos mentis dum tu hic maneas.

Cui dominus Quixotus respondit:

–Domina, facias ut hac nocte ponant mihi citharam in meo cubiculo et quam melius possim hanc virginem vulneratam consolabor, quoniam exprobatio amoris ab initio eius optimum remedium est.

Ille autem, his verbis prolatis, profectus est, ne eum viderent circumstantes. Tamen, simul ac discessit, languida Altisidora ad se reversa est atque ad suam sodalem ait:

–Oportet ut dent ei citharam; quia absque dubio dominus Quixotus vult nobis cantilenam canere et non erit mala cum sit eius.

Continuo nuntiaverunt ducissae, quae acciderant ac de cithara quaesita a domino Quixoto; atque illa omni modo laeta cum duce et suis virginibus disposuit facetias facere, quae essent magis salis et leporis quam damni erga eum. Et magno gaudio exspectaverunt noctem, quae celeriter advenit, tamquam dies elapsus, quem dux ducissaque transierunt sapidis colloquiis cum domino Quixoto. Et ducissa vere ac reapse ephebum suum –qui in silva personam incantatae Dulcineae repraesentaverat– misit ad Teresiam Pansam ut ferret secum epistulam mariti Sanctii Pansae et fascem vestium quam reliquerat ad mittendum ei, atque enixe ab eo quaesivit ut bonam relationem daret de his omnibus, quae ei acciderent.

His rebus peractis, et cum esset hora undecima noctis, dominus Quixotus invenit in suo cubiculo citharam; probavit eam, aperuit transennam fenestrae et vidit esse homines deambulantes in viridario, et cum bene adaptavit citharam ad optimum sonitum eius, exspuit et vocem edidit ex gutture suo et continuo et voce aliquantulum rauca, quamquam bene concinans hoc carmen [vulgo *romance*] cantavit, quod ipse illo die composuit:

Vires amoris ut solent
animos ducere foras
et hoc modo obtinetur
virginum vita otiosa.

Ars suendi atque arandi
numquam fuit periculosa
et est labor opportunus
in anxiam hanc amorosam.

Conubium bonum haec cupit
virgo quae manet in mora
et parat dotem honestam
qua laudationem sic probat.

Equites in aula regia
ambulant ibi et invocant
virgines has ad loquelam,
tantum honestas approbant.

Amores sunt qui nascuntur
et inter hospites sonant,
sed ad Occasum perveniunt,
quia cito citius evolant.

Amor qui nuper advenit
hoc die est, sed cras volat
nulla vestigia reliquit
quae aptentur et sint bona.

Pictura super picturam
iam non videtur, quia evolat,
et haec secunda autem fugit
ubi prima erat speciosa.

Dulcineam a Toboso
mea in tabula totam
habeo depictam hoc modo
tamquam aeterna corona.

Firmitas inter amantes
est pars quae totum comprobat.
Amor miracula patrat
eaque etiam honorat.

Hucusque pervenit dominus Quixotus suo cantu, quem dux ducissaque attenter auscultabant, necnon et Altisidora et fere omnes incolae castelli, cum improviso ex ambulacro quod super transennam fenestrae domini Quixoti pendebat, deorsum deiecerunt ope funis, ubi plus quam centum tintinnabula coniuncta erant, et confestim et post ea, deiecerunt magnum saccum plenum felibus, qui ad caudas eorum alia parva tintinnabula annexa habebant. Magnus fuit strepitus tintinnabulorum et clamor felinus, et quamvis dux ducissaque essent inventores harum facetiarum adhuc ex illis expaverunt; ac dominus Quixotus perturbatus timuit. Et fortuna voluit ut duo vel tres feles introirent per fenestram cubiculi et currebant per omnes angulos illius et similes erant legioni diabolorum, qui ibi perambularent. Feles quaerebant quonam possent fugere et extinguerunt candelas, quae in cubiculo ardebant. Machinatores autem non cessabant elevare et demittere funem cum magnis tintinnabulis; tamen plerique hominum castelli nesciebant veritatem totius negotii atque admirati ac suspensi erant.

Dominus Quixotus stetit erectus et apprehendens gladium incepit ictus percutere per fenestram et magnis vocibus clamabat dicens:

–Recedite, maligni incantatores! Apage, retro! plebecula malefica; egomet sum dominus Quixotus a Manica, contra quem nullam vim omnes adversae machinationes vestrae habent!

Et vertens se ad feles, qui per cubiculum circumibant, multos ictus contra eos proiecit; illi autem ad transennam fenestrae venerunt et per eam exiierunt, quamvis unus eorum, cum videret se persecutum ictibus domini Quixoti, saltum dedit super vultum eius et nares apprehendit unguibus et dentibus, ex quo dolore dominus Quixotus incepit maximas voces huius mundi clamare. Dux ducissaque, his vocibus auditis, perpenderunt quod esset et magna celeritate ad cubiculum pervenerunt quod aperuerunt ope clavis communis ac viderunt miserum equitem pugnantem totis suis viribus ad felem eradicandum ex suo vultu. Introiierunt cum lucibus et inaequalem pugnam viderunt; dux accurrit ad eos seiungendos ac dominus Quixotus dixit magnis vocibus:

–Nemo eum a me auferat! Sinite me pugnare cum hoc daemone sive malefico, cum hoc incantatore et faciam ut intelligat quisnam dominus Quixotus a Manica sit!

Feles autem, his minis omnino spretis, grunniebat eumque opprimebat. Sed denique dux potuit eum eripere et per fenestram proiecit deorsum.

Dominus Quixotus erat vultu vulneratus et nares non valde sanas habebat et omnino invite, quia non siverunt eum recte finire proelium quod cum illo malefico incantatore inierat. Eique oleum pharmacopolae Hyperici (Aparicio) adduxerunt et ipsa Altisidora suis candidis manibus quasdam fascias per vulneratam partem posuit et tunc ac demissa voce dixit ei:

–Haec omnia infortunia accidunt tibi, o eques, obduratus propter peccatum tuae obstinationis ac duritiae; placeat Deo ut Sanctius armiger tuus obliviscatur sese verberandi, ita ut numquam exeat ex incantamento tua amata Dulcinea neque gaudeas de ea nec ad thalamum cum ea pervenias, saltem me vivente, quia ardeo te amore.

Dominus Quixotus, his omnibus verbis prolatis, nihil respondit nisi profundum suspirium dedit et continuo accubuit super lectum, et gratias duci ducissaeque egit propter beneficium acceptum, et non quoniam timuit ab illa plebecula felina, incantatorum et tintinnabulorum, sed propter bonam voluntatem et celeritatem, qua

ad eum pervenerunt ad ei succurrendum. Dux ducissaque autem siverunt ut quiesceret et egressi sunt, et quidem moesti ex adversa fortuna illarum facetiarum, quas non putaverunt tam onerosas futuras esse propter quas, et ad haec facta superanda, dominus Quixotus debuit manere secluso quinque dies in lecto, ubi ei aliae res gestae acciderunt, quae fuerunt maioris delectamenti quam praeteritae, sed quas historiographus non vult nunc narrare, quia oportet ad Sanctium Pansam accedere, qui valde sollicitus ac facetus sua gubernatione erat.

Capitulum 47. Ubi prosequitur narratio gubernationis Sanctii Pansae

Secundum fertur in historia, adduxerunt Sanctium Pansam ex tribunale ad palatium splendidum, ubi in magno triclinio mensa regia ac munda parata erat; atque, ubi primum Sanctius introiverit in vestibulum, tubae sonuerunt et quattuor ephebi exiierunt ad abluendas manus, quod Sanctius magna gravitate accepit.

Musica finita, Sanctius autem ad caput mensae sedit, quia tantum illa sella erat et nulla alia utensilia apposita prandenti. Iuxta Sanctium stetit quidam, qui postea ostendit se medicum esse et quidem manu habebat parvam virgulam balaenae. Levaverunt lautum albumque manutergium, quo cooperti erant fructus et diversi cibi; et quidam autem, qui videbatur scholasticus, fecit benedictionem mensae et ephebus posuit salivarium ornatum Sanctio; alter homo qui fungebatur munere magistri escarii posuit catinum fructus coram Sanctio, sed vix hic morsum comedit, statim qui virgulam habebat, ea catinum tetigit et maxima celeritate eum abstulerunt ab eo; sed magister escarius adduxit alium catinum et alium cibum. Nihilominus et mox ac Sanctius eum gustaturus erat, et ante quam illum tangeret nec gustaret iam parva virga tetigit eum et confestim ephebus abstulit eum tamquam fecit cum illo fructuum. Cum Sanctius haec vidit, mansit stupefactus et intuens omnes circumstantes quaesivit utrum comedendum esset illud prandium tamquam ludus ablationis rerum. His rebus peractis, qui virgulam habebat dixit ei:

–Non comedendum est, domine gubernator, nisi secundum consuetudinem aliarum insularum ubi gubernatores sunt. Ego autem sum medicus et in hac insula curo gubernatores eius atque oportet ut curem de salute eorum plus quam de mea propria, quapropter die noctuque vaco studio valetudinis gubernatoris ad curandum eum cum infirmus sit; quare imprimis debeo ad prandia et coenas eius assistere eique permittere ut edat quod mihi ut conveniens videatur et ab eo removere quod mihi videtur nocivum ac perniciosum stomacho eius esse; sic iussi ut auferrent cibum fructus, quia nimis humidus est et cibum alium iussi auferre, quia nimis calidus ac multa aromata habet, quae sitim augent; nam qui nimis bibit humorem radicalem destruit et consumit, ubi ipsa vita sustentatur.

–Hoc modo, catinus ille cum perdicibus assis, quae ibi sunt, et mihi videntur bene conditas esse nil damni mihi afficient.

Cui medicus repondit:

–Has non comedet dominus gubernator dum ego vivus maneam.

–Cur hoc ergo? –dixit Sanctius.

Et medicus respondit:

–Quia magister Hippocrates, Stella Polaris et lux medicinae, in suis aphorismis dixit: *Omnis saturatio mala, perdicis autem pessima.*

–Cum hoc ita sit –dixit Sanctius–, videas, domine doctor, ex omnibus cibis, qui super hanc mensam sunt, quis melius veniat ad meam valetudinem ac minimo damno et sine ut comedam eum ad nutum meum, quin eum tangas tua virga, quia per vitam gubernatoris et utinam Deus faxit me ea gaudere, morior fame et vetare cibum a me, doctore autem omnino invito ac displicente, potius erit vitam meam auferre quam mihi favere.

–Recte iudicavisti, domine gubernator –respondit medicus–, et sic, mea sententia, ne comedas illos cuniculos coctos, qui ibi sunt, quia haec est esca difficilis vel hirsuta stomacho. Ex illa vitula si non esset assa et condimentata adhuc posses illam gustare, sed non est ad modum.

Tunc Sanctius dixit:

–Et quid illius catini, qui coram nobis est et exhalat vaporem et haec mihi videtur farrago ollaris esse [vulgo *olla podrida*» ex francogallico *potpourri*] et per diversitatem rerum, quae in ea sunt quamdam inveniam, quae sit mihi tum delectationis tum utilitatis?

–*Absit!* –dixit medicus–. Abeat procul a nobis haec mala cogitatio: nil est in mundo minoris sustentaculi quam farrago ollaris. Illae bonae sint canonicis sive rectoribus scholarum vel pro conubiis rusticis, sed liberent ex eis mensas gubernatorum, ubi erit omnis perfectio elegantiaque. Insuper ratio huius rei est, quia semper et ubique atque a quolibet magis aestimanda sunt pharmaca simplicia quam composita, quia in simplicibus nullus error erit, sed e contrario utique in compositis. Sed hoc tempore oportet ut dominus gubernator edat centum ac subtiles obelias confectas ex malo cydonio, quae bene conveniunt stomacho ad digestionem iuvandam et hoc ad valetudinem servandam et corroborandam.

Sanctius autem, his verbis auditis, nixus est dorso sellae suae et attenter talem medicum intuitus est et gravi voce ab eo quaesivit quomodo vocaretur atque ubi vacavit studiis. Quibus ille respondit:

–Ego, domine gubernator, nuncupor doctor Petrus Recio de Agüero et natus sum in loco qui vocatur Tirteafuera, qui est inter Caracuel atque Almodovariam Campestrem (Almodóvar del Campo), dextrorsum, et habeo gradum doctoris per Universitatem Ossunae.

Sanctius autem, his omnibus verbis auditis, respondit et quidem valde stomachatus iracundia:

–Domine Petre Recio «de Mal Agüero» [litt. «ex adversa fortuna»] natus in Tirteafuera, locus qui est dextrorsum cum iter facimus de Caracuel ad Almodovariam Campestrem, graduatus Ossunae, abeas a conspectu meo, sin autem, et iuro per solem! me accepturum esse fustem atque ictibus fustis tecum incipiam et non relinquam medicum in tota insula, saltem omnes medicos, qui ignorantes sint; quia prudentes medicos et circumspectos ponam super caput meum eosque honorabo tamquam divinos. Et iterum iterumque dico ut Petrus Recio recedat a me et vadat retro, sin autem, hanc sellam accipiam ubi nunc sedeo et proiiciam super caput tuum et quaerant a me

in Die Iudicii, et ego in defensione mea dicam me fecisse magnum servitium Deo interficiendo talem medicum, carnificem rei publicae. Et afferte mihi cibum ad comedendum, aliter accipite hanc gubernationem, quia munus quod non dat domino eius ad comedendum pro nihilo computandum est.

Doctor perturbatus est videndo gubernatorem irasci et voluit ex triclinio continuo exire, sed illo momento tuba cursualis dedit sonum in via et magister escarius per fenestram inspexit ac reversus est dicens:

–Tabellarius ducis venit, domine mi; aliquam legationem cuiusdam momenti secum adducet.

Tabellarius introivit perturbatus ac magno sudore et eduxit ex sinu suo epistulam papyraceam eamque in manus gubernatoris posuit, et Sanctius in manus villici a quo quaesivit ut legeret suprascriptum quod sic dicebat: *Domino Sanctio Pansae, gubernatori insulae Baratariae, in propria manu sive in manu secretarii eius.*

Sanctius, his auditis, dixit:

–Quisnam est hic meus secretarius?

Quidam circumstantium respondit:

–Ego, domine, quia scio legere ac scribere et insuper sum vasconicus.

–Cum hoc additamento potius potes esse secretarius ipsius imperatoris. Tunc aperi epistulam papyraceam et vide quid dicat:

Sic fecit secretarius nuperrime natus, et scripto lecto, dixit hoc esse negotium ad tractandum maximo secreto. Sanctius iussit ut omnes relinquerent triclinium et nemo ibi maneret nisi villicus et magister escarius; et reliqui omnes et etiam medicus egressi sunt. Confestim secretarius legit epistulam, quae sic dicebat:

Nuntius ad me pervenit, domine Sancti Pansa, et quidem dicens inimicos meos necnon et huius insulae impetum machinaturos esse violenter, nescio quadam nocte; quare oportet semper vigilare atque observare attenter, ne accipiant te improviso. Etiam per veros exploratores novi quattuor viros amictos fictis vestibus introiisse in insulam ad vitam tuam tollendam, quia timent de tuo ingenio; aperi igitur oculos et vide quisnam veniat ad loquendum tecum et noli edere quidquid adducant tibi. Ego autem curam faciam ad succurrendum tibi, tamen si esset tibi quaelibet difficultas fac quodcumque a te exspectetur secundum tuum intellectum.

Datum in hoc loco, die decimo sexto mensis Augusti, hora quarta matutina.

Tuus amicus

DUX

Sanctius mansit maxime perturbatus, et omnes circumstantes etiam ostenderunt esse huiusmodi, et vertens se ad villicum dixit ei:

–Quod nunc oportet facere et confestim faciam est introducere in carcerem doctorem Recio, quia si quis occisurus est me, ipse absque dubio erit ille, et quidem morte pessima ac miserrima, tamquam est mors famis.

–Etiam mihi videtur –dixit magister escarius– opus est ne edas quae super mensam sunt, quia quaedam monachae ea adduxerunt et ut dici solet a tergo crucis est diabolus.

–Haec minime nego –respondit Sanctius–, tamen hic et nunc quaeso ut detis mihi

frustum panis et quattuor libras uvae, quia in eis nullum venenum erit, nam profecto non potero vivere absque ullo cibo, praesertim si parati erimus ad haec proelia, quae minantur nobis, et necesse est bene nutriri, quia viscera ferunt cor et non e contrario cor viscera. Et tu, dominus secretarius, responde duci, domino meo, et dic ei spero fore ut omnia adimpleam tamquam ille iussit ac mea ex parte osculor manum dominae meae ducissae et etiam eam rogo ne obliviscatur mittendi epistulam meam et fascem vestium cum quadam legatione ad uxorem meam Teresiam Pansam, quo magnum gaudium recipiam et ei serviam omnibus viribus meis; et eodem tempore potes nomine meo etiam osculari manum domini Quixoti, ut videat me gratias agere; et tu ut bonus secretarius et bonus vasconicus potes adiungere quidquid velis sive quod melius ad rem pertineat. Et removeant has mappas et date mihi quid comedendi; et egomet conveniam cum omnibus exploratoribus, interfectoribus atque incantatoribus, qui super me ac super meam insulam veniant.

His verbis dictis, ephebus introivit et dixit:

–Hic est mercator agricola qui tecum de suo negotio loqui vult et, sua opinione, hoc est magni momenti.

–Mirandus et rarus est casus –dixit Sanctius– horum mercatorum. Num fieri potest eos tam stultos esse, quin videant tales horas non esse idoneas ad negotia tractanda? Nonne gubernatores sumus iudices et homines ex carne et ossibus, et oportet ut sinant nos quiescere quod necessarium sit, aliter fortasse volunt nos marmoreos esse? Et iuro per Deum et meam conscientiam, si paululum demoratur mihi haec gubernatio (quae secundum quod mihi videtur non multum demorabitur), plures mercatores adducam ad recte iudicandum. Nunc autem dic huic bono viro ut introeat; sed animadverte imprimis ne sit unus ex his exploratoribus sive ex interfectoribus meis.

–Nullo modo, domine –respondit ephebus–, quia videtur esse vir simplex, sive nihil egomet scio sive ille tam bonus est tamquam panis.

–Nil est timendi –dixit villicus–; quia hic omnes sumus.

–Num fieri potest –dixit Sanctius–, magister escari, cum nunc hic non sit doctor Petrus Recio, ut possem aliquid comedere quod vere sit cuiusdam ponderis et substantiae, quamvis hoc sit frustum panis et caepa?

–Hac nocte ad coenam habebis, quo prandium careat, et tu, domine, compensationem lucraberis –dixit magister escarius.

–Sic Deus faciat –respondit Sanctius.

Et, his verbis dictis, introivit agricola, qui habebat bonam figuram corpoream et procul videbatur se bonum esse. Primum quod dixit fuit:

–Quisnam est hic dominus gubernator?

–Quisnam erit –respondit secretarius–, nisi qui sedet super sellam?

–Et ego in conspectu eius humilio me –dixit agricola.

Et, genibus flexis, manum quaesivit ad eam osculandam. Sanctius autem noluit id facere eique dixit ut surgeret et diceret quidquid vellet. Sic fecit agricola et continuo dixit:

–Ego, domine, sum agricola natus in Miguel Turra, locus distans duas leucas a Civitate Regia (Ciudad Real).

–Alium Tirteafuera habemus! –dixit Sanctius–. Dic, frater, quia quod tibi dicere possum est me vere cognoscere bene Miguel Turra et haud procul a meo pago est.

–Est enim casus, domine –prosecutus est agricola–, me uxorem duxisse in pace et

in sinu Sanctae Ecclesiae Catholicae Romanae; et duos filios habeo scholasticos, quia minor natu vacat studiis baccalaureati ac maior natu studiis licentiati; nunc autem viduus sum, quia uxor mea mortua est, sive, ut accuratius dicam, malus medicus eam occidit, quia, cum esset praegnans, quodam pharmaco eam purgavit, sed si Deus provideret ita ut ederet in lucem partum et esset filius ego impellerem eum ad vacandum studio et fieret doctor et non invideret suis fratribus, nempe baccalaureo sive licentiato.

–Hoc modo –dixit Sanctius–, si tua mulier non esset mortua, sive eam non occidissent, nunc non esses viduus.

–Nullo modo, domine –respondit agricola.

–Male eveniat nobis! –obiecit Sanctius–. Prosequere ultra, frater, quia nunc hora est quiescendi magis quam tractandi negotia.

–Dico enim –ait agricola–, hunc filium meum quem futurum esse baccalaureum in eodem oppido arsit amore virginem, quae nuncupatur Clara Perlerina, filia Andreae Perlerini, divitis agricolae; atque hoc nomen Perlerini non provenit eis de quadam stirpe neque de nobili genere, sed quia omnes huius generis laborant paralyse [vulgo *perlatico morbo*] et ad nomen melius dicendum eos appellant Perlerinos, quamquam, ut verum dicam, haec virgo est tamquam margarita orientalis et si eam ex latere dextro inspicimus videtur ut flos campi; ex latere sinistro non tantum propterea quod caret oculo, quia eum amisit ex variola; et quamquam dicunt foveas faciei eius multas ac magnas esse, qui eam bene diligunt dicunt eas non esse foveas, sed sepulturas, ubi amantes illius sepeliuntur. At illa tam limpida ac munda est ut ad faciem nullo modo sordidam faciendam habet nares arrectas sursum, ut dicunt; et hoc videtur esse ad fugiendum ex ore, et hoc bene videtur in extremis, quia habet os magnum et si non deficerent ei decem vel duodecim dentes et molares omne bonum esset et tunc superaret meliora et perfectiora ora. De labiis nil est dicendi, quia tam subtilia ac tenua sunt et si facerent ex eis spiras fili bene possent eas perficere; et sunt variegati coloris et diversi ex his quae ad labia pertinent, quare videntur ut miraculosa, quia una ex parte videntur ex colore viridi et caeruleo necnon et melongenae, tamen, domine gubernator, ignosce mihi si tam accurate eam depingo, partim quia illa denique fiet filia mea eamque bene diligo et non mihi videtur male.

–Pinge quidquid velis –dixit Sanctius–, quia ego oblector hac pictura et si vere comedissem, nil melius quam pictura tuae effigiei ad finem prandii.

–Hoc faciam ego et quidem serviam –respondit agricola–; sed ad tempus opportunum hoc veniet, si nunc non sumus. Et dico, domine, si vere possem depingere elegantiam atque altitudinem corpoream haec esset res mirandi, sed hoc non fieri potest, quia curva est et contracta et genua iuxta os habet, sed nihilominus bene videtur si illa posset erecta esse suo capite ad tectum perveniret; et sic ut iam dedi ei manum sponsae meo filio baccalaureo, sed manum extendere non potest, quia est tamquam obstricta; nihilominus videtur bonitas eius ac bona figura in longis et striatis unguibus.

–Hoc bonum est –dixit Sanctius–, et potes credere te eam accuratissime pinxisse a summo capite usque ad pedes deorsum. Sed quid vis nunc facere? Et veni ad scopum huius rei sine ambagibus neque circumlocutionibus neque fragmentis nec additamentis.

–Nunc autem vellem, domine –respondit agricola–, ut dares mihi epistulam meo consocero, rogando eum ut vere vellet hoc conubium facere, quia non sumus inaequales in bonis fortunae neque in bonis naturae; quia ad totam veritatem dicendam, domine

gubernator, filius meus indaemoniatus est, et non est dies quo ter vel quater a spiritibus malignis male vexetur; et quondam cecidit in ignem et habet faciem rugosam tamquam ex charta membranacea et oculos lacrimosos; tamen habet condicionem cuiusdam angeli, et si non percuteret se ipsum et sese daret colaphos vere esset benedictus.

–Visne aliam rem, bone vir? –obiecit Sanctius.

–Utique aliam rem vellem –dixit agricola–; sed non audeo eam dicere; tamen ac denique ne putrefaciat in meo pectore, utrum ipsa conveniat necne. Dico, domine, etiam vellem ut dares mihi trecentos sive sescentos denarios ad dotem conficiendam mei fili baccalaurei; et hoc dico ad domum eius parandam, quia tandem ne sint obnoxii ad importunitates socerorum.

–Vide si quid aliud etiam vis –dixit Sanctius–, et noli hoc relinquere sive propter verecundiam vel timiditatem.

–Minime vero –respondit agricola.

Et, his rebus dictis, surrexit gubernator et accipiens sellam super quam sedebat, dixit ei:

–Iuro per talem! o domine, rusticus ac male conspectus, nisi recedas hinc et abeas a mea praesentia, hac sella caput tuuum aperiam! Fili moechae, versutus pictor ipsissimi daemonis, et ad hanc horam venis ad sescentos denarios quaerendos a me? Ubinam gentium enim habeo egomet hos denarios, o tu putidus? Et si eos haberem, cur debeo eos tibi dare, stolide ac stulte? Et quid hoc mihi de Miguel Turra nec de omni genere Perlerinorum? Vade retro a me, dico, aliter, per vitam domini ducis, faciam quod iam dixi tibi! Tu non eris ex Miguel Turra, sed stolidus quem infernum misit te ad temptandum me. Dic mihi, stolide, nondum diem et dimidium habeo hanc gubernationem et vis me habere sescentos denarios?

Magister escarius signum dedit agricolae ut exiret ex vestibulo qui, capite prono, ac metuens ne faceret gubernator quae dixerat propter iracundiam suam, quia versutus ille bene fecit suum negotium.

Tamen relinquamus nunc Sanctium affectum iracundia et pax sit omni illi sodalitati, et perveniamus ad dominum Quixotum, quem reliquimus cum fasciis in vultu eius ex vulneribus felinis, ex quibus sanavit post octo dies, sed in quodam die eorum ei accidit quod Cide Hamete promittit narrare accurate ac vere ut solet facere in narratione rerum huius historiae, quamvis minimae hae sint.

Capitulum 48. Ubi narratur de his quae acciderunt domino Quixoto cum domina Rodríguez, nutrice ducissae, et aliae res gestae dignae scribendi atque aeternae memoriae

Vulneratus dominus Quixotus non tantum erat moestus melancholicusque, habens vultum involutum fasciis et compunctum ac non praecise manu Dei, sed ope unguium

cuiusdam felis; haec infortunia adnexa erant equitatui itineranti. Sex dies mansit seclusus, quibus nullo modo ostendit sese palam, sed in quadam harum noctium, cum vigilans esset et insomnis, cogitando de sua infelicitate ac de persecutione Altisidorae, audivit ianuam cubiculi aperiri ope clavis et continuo credidit virginem captam amore venire ad honestatem eius perturbandam ita ut induceret eum in temptationem deficiendi a fide erga suam dominam Dulcineam a Toboso.

–Minime! –dixit credendo suis cogitationibus, et hoc vere voce audibili–; quoniam maxima pulchritudo huius terrae non quidem faciet me oblivisci illius quam sculptam habeo in medio corde meo et in meis visceribus, modo sis, o domina mea, transmutata in rusticam caepariam, modo in nympham aurei fluminis Tagi, texentem telas aureas sericasque, modo Merlinus vel Montesinos habeant te ubi illi vellent; nam ubicumque sis mea eris et quocumque vadam ego tuus ero.

His verbis prolatis, ianua aperta est et haec omnia in ictu oculi acciderunt. E lecto dominus Quixotus surrexit, involutus e summo usque deorsum raso stragulo pallidi coloris, pilleo super caput dum vultus et mystaces erant cum fasciis, vultus propter vulnera et mystaci ne languidi caderent; ille autem amictus huiuscemodi videbatur rarum phantasma esse.

Oculos fixit in ianuam et cum exspectabat per eam miseram ac lacrimosam Altisidoram videre, intuitus est reverendissimam dominam nutricem convolutam longis atque albis velis, quibus se cooperiebat e summo capite usque ad pedes. Inter digitos manus sinistrae dimidiam candelam accensam habebat et manu dextra faciebat sibi umbram ne incideret lux in oculos coopertos magnis conspicillis. Prodecebat parvis gressibus et pedes lentiter movebat.

Dominus Quixotus inspexit eam ex suo loco speculatorio et cum vidit ornatum eius et silentium, credidit maleficam sive lamiam esse, quae hoc modo veniebat ad mala facinora patranda et incepit signum crucis magna celeritate facere. Hoc spectrum pervenit ad medium cubiculum, porrexit oculos et vidit celeritatem, qua dominus Quixotus signum crucis faciebat, et si ille timuit videndi talem visionem, illa autem perturbata fuit videndo eum et simul ac vidit eum altum, pallidum et involutum stragulo et fasciis in vultu, qui eum omnino transformabant, magnam vocem dedit dicens:

–Iesu Domine! Quid est quod nunc video?

Et propter formidinem candela cecidit de suis manibus et in tenebris vertit dorsum ad egrediendum, sed causa metus offendit vestes suas et cecidit magno lapsu. Dominus Quixotus autem timens incepit dicere:

–Coniuro te, phantasma, sive quidquid sis, ut dicas mihi quisnam es et quid a me quaeris. Utrum sis animus damnatus necne, dic mihi et faciam quid facere possim, quoniam catholicus christianus sum et amicus faciendi bonum omnibus; nam ad hoc munus equitatus itinerantis accepi ordinationem qua fungor, quae immo pervenit ad favendum animis purgatorii.

Confusa domina hanc adiurationem audivit et, ex suo timore, collegit timorem domini Quixoti et afflicta ac demissa voce ei respondit:

–Domine Quixote, si forte tu es dominus Quixotus, ego non sum phantasma, neque spectrum nec animus in purgatorio tamquam credidisti, sed domina Rodríguez, nutrix nobilis meae dominae ducissae et est mihi necessitas ex his quibus tu soles remedium adhibere, quamobrem ad te, domine, venio.

–Dicas mihi, domina Rodríguez –inquit dominus Quixotus–: num venisti ad faciendum lenocinium? Quoniam in hac opportunitate et propter inaequalem pulchritudinem dominae meae Dulcineae a Toboso nullius utilitatis cuilibet erit. Dico tandem, domina Rodríguez, sicut tu bene scis et, omni amoroso incitamento remoto, bene potes denuo candelam accendere et venire huc ad me ut loquamur de omnibus quae cogites sive velis, servatis servandis, in quaestione honestatis.

–Quomodo potes credere me lenocinium alterius tractare? –respondit domina illa–. Male cognoscis me; quia nondum sum in provecta aetate ut similes nimietates faciam, nam, Deo laudato, adhuc habeo bonum animum in carnibus et omnes dentes et molares in ore meo, praeter quosdam amisos ope cuiusdam catarrhi, qui in hac regione Aragoniae tam frequentes sunt. Sed exspecta paulisper, domine, et exibo ad candelam accendendam et statim huc revertar ad infortunium meum narrandum, tamquam remediatori harum adversitatum huius mundi.

Et, nullo responso accepto, egressa est de cubiculo ubi dominus Quixotus mansit quietus et meditabundus eam exspectans; tamen ei mille cogitationes advenerunt de illis novis rebus gestis, quoniam ei male videbatur in periculum sese inducere, quin amitteret fiduciam promissam suae dominae et sic haec secum dicebat:

–Quis enim potest scire utrum diabolus, qui nimis subtilis est, velit hac nutrice me decipere necne? quod quidem non potuit adimplere imperatricibus, reginis et ducissis, marchionissis comitissisque? Nam multoties audivi dicere et quidem a prudentibus, si ille potest potius dabit vobis puellam praeditam naribus depressis quam naribus aquilinis. Et quisnam enim noverit si haec solitudo, hoc silentium, haec opportunitas expergefaciet voluptatem meam, quae dormit et efficiet ut ob multos annos meos etiam egomet cadam, ubi numquam obstaculum inveni? Et propter has temptationes nonne melius est fugere quam proelium exspectare? Sed non ero compos mentis, si vere credo nutricem amictam his candidis velis et praeditam his conspicillis posse libidinem sublevare in lascivo pectore cuiuslibet in hoc mundo. Num erit nutrix quae vere habeat corpus alliciens? Num erit domina nutrix in toto orbe terrarum, quae non sit molesta, gesticulans et timorata? Ite retro, plebecula dominarum, inutilis omni generi hominum ad quoddam oblectamentum! O, quam bene dicebatur de illa domina, quae duas effigies illarum nutricum habebat, quae praeditae erant conspicillis earum et pulvinaribus ad extremum stratum, et hae simulacra vel statuae nutricum simulabant laborare et eodem modo serviebant dominae ad quamdam auctoritatem ostendendam tamquam si verae nutrices essent!

Et, his argumentis perpensis, in lectum accubuit et conatus est ianuam claudere cubiculi et non concedere eam introire; sed cum venit ad id faciendum en domina Rodríguez quae revertebatur, habens accensam candelam candidae cerae in manu, et cum videret dominum Quixotum prope, involutum stragulo, cum fasciis, et pilleo super caput denuo timuit quapropter duos gressus retro dedit et dixit:

–Possumne quamdam securitatem habere, domine eques? Quia non mihi videtur signum magnae honestatis esse te e tuo lecto surgere.

–Eamdem quaestionem facio egomet, domina mea –respondit dominus Quixotus–, et hoc modo quaero utrum vere securus sim et nemo me invite violenter oppugnet.

–A quonam quaeris, domine eques, hanc securitatem? –respondit illa domina.

–A te hanc requiro –obiecit dominus Quixotus– quoniam non sum marmoreus neque tu aenea neque nunc est hora decima matutina, sed dimidia nox et fere parum ulterius, secundum quod imaginor, et in cubiculo clauso ac secreto sicut fuit caverna, ubi traditor atque audax Aeneas abusus est pulchra et pia Didone. Sed da mihi manum, domina mea, quoniam nullam aliam securitatem volo quam continentiam et castitatem meam et quam hae reverendissimae vestes mihi offerunt.

Et, his verbis dictis, manum dextram eius osculatus est et apprehendens eam sua manu quam illa ei eisdem caeremoniis dedit.

Hic autem Cide Hamete facit parenthesim et dicit se (per Mahometum, et ad illos duos recte videndos et quidem manibus apprehensis, et coniunctos ex ianua usque ad lectum) libenter daturum esse meliorem vestem, vulgo *almalafa*, ex duabus quas habebat.

Dominus Quixotus accubuit in suo lecto, et domina Rodríguez sedit super sellam a lecto parumper seorsum, et quidem praedita suis conspicillis et habens candelam. Dominus Quixotus sese compressit arctius et cooperuit omne corpus, relinquens tantum vultum suum; et cum ambo placati essent primus qui silentium rupit fuit dominus Quixotus, dicens:

–Nunc potes, domina Rodríguez, exponere ex omnibus quae intus habeas atque exonerare afflictum cor tuum et vulnerata viscera, et ego, auribus castis et arrectis, te auscultabo ac piis operibus subveniam tibi.

–Sic credo ego –respondit illa domina– quia ex dispositione animi atque idonea urbanitate tua, nullum aliud responsum nisi hoc tam christianum acceptandum esset. Et veniam ad quaestionem meam, domine Quixote, nam quamvis videas me sedentem super hanc sellam et in medio regno Aragoniae, et quidem amictam ut nutricem languidam et inanem, nata sum in Asturia Oveti (Oviedo) et quoad genus per hoc veniunt multi ex melioribus illius provinciae. Tamen fortuna mea brevis fuit et parentes mei per quamdam negligentiam pauperes facti sunt ante tempus, et nemine sciente, ad aulam regiam, Matritum, adduxerunt me, ubi ad bonam pacem et ad alia infortunia vitanda posuerunt me ad ministrandum ut famulam apud praecipuam dominam; et etiam ostendam tibi, domine, me posse optimo modo acu et filo laborare et quoad candidum laborem nulla potuit me superare in vita mea. Parentes mei reliquerunt me in hoc famulatu et reversi sunt ad terram eorum et, paucis annis elapsis, ad coelum debuerunt ascendere, quia ambo boni et catholici christiani erant. Orphana facta sum et ad miserum salarium attenta et ad misera beneficia, quae talibus famulabus dantur in palatio; et hoc tempore et nullam occasionem huiusmodi dedi, quidam armiger illius domus captus est amore erga me, vir iam provectus aetate, barbatus et praesertim fidalgus tamquam rex, quia erat cantabrus. Non tam secrete egimus in nostro amore quin hic perveniret ad nuntium dominae meae, quae ad vitanda colloquia fecit nos inire matrimonium in pace et ante Sanctam Matrem Ecclesiam Catholicam Romanam, de quo conubio nata est filia ad bonam fortunam meam adimplendam et ne morirer in partu, qui bonus fuit atque opportunus, et, parva mora elapsa, maritus meus mortuus est ex quodam pavore quem habuit, et si hic esset ad haec narranda, tu nunc vere de hoc mirareris.

Et, his verbis prolatis, incepit flere amare et dixit:

–Ignosce mihi, domine Quixote, quia non possum tenere et quoties memini infortunati mariti mei oculi mei inundantur lacrimis. Iuvet me Deus! et quam magna auctoritate vehebat dominam meam super dorsum fortis mulae nigrae tamquam gagatae! Quia tunc non utabantur raedis nec sellis tamquam nunc dicunt uti et dominae vehebantur equis ad dorsum cum armigeris earum. Sed hoc non possum relinquere de mea narratione ut videatur urbanitas atque optima condicio boni mariti mei. Et quondam cum introiret viam Sancti Iacobi (Santiago), Matriti, quae aliquantulum angusta erat, praepositus aulae regiae exibat per eam cum duobus satellitibus coram se et simul ac bonus armiger meus eum vidit habenas mulae vertit ad eum comitandum. Domina mea quae ad dorsum mulae erat voce demissa dixit ei: «Quid facis, infortunate? Nonne vides me hic esse?» Praepositus urbis urbanissimus detinuit habenas equi eique dixit: «Prosequere viam tuam, quia egomet meam dominam Casildam comitari debeo», hoc erat nomen quo nuncupabatur mea domina. Adhuc conabatur maritus meus comitari praepositum urbis, habens pilleum in manu, et domina mea, his rebus conspectis, eduxit magnam aciculam sive credo eum stilum ferreum fuisse ex quadam capsa et per dorsum eius introduxit et tali modo ut maritus meus dedit magnam vocem, corpus torsit et dominam in terram proiecit. Duo pedisequi illius venerunt ad eam levandam et idem fecit praepositus urbis et duo satellites eius; turbata est Porta vocata Caracra (Guadalajara), id est populus otiosus qui ibi erat. Domina mea reversa est pedibus, ac maritus meus pervenit ad tonstrinam cuiusdam tonsoris eique dixit se viscera transfossa habere ex parte in partem. Divulgata est urbanitas mariti mei et quidem tam multum ut etiam pueri per vias currerent et propter hoc et quia ille nimis myops erat, mea domina ducissa eum e domo eius dimisit, ex quo dolore et absque dubio, credo eum aegrotare et denique invenire mortem. Ego mansi vidua et sine ulla protectione et cum filia ad eam curandam, haec autem crevit in formositate tamquam spuma maris. Tandem cum haberem bonam famam bene laborandi acu et filo, domina ducissa quae nuperrime nupsit duci, domino meo, voluit me adducere ad regnum Aragoniae et etiam filiam meam secum, ubi, longa mora temporis elapsa, crevit filia mea et cum ea omnes facetiae huius mundi, quia illa cantat tamquam calandra, tripudiat in chorea optimo modo, et saltat populares choreas tamquam si amitteret mentem, legit, scribit tamquam magister scholae, et facit calculos tamquam avarus. De munditia eius nihil est dicendi, quia aqua quae currit non est tam limpida ut ipsa et nunc illa erit nata sedecim annos quinque menses et tres dies, plus minusve. Breviter, haec puella mea arsit amore filium cuiusdam agricolae ditissimi, qui est in pago ducis, domini mei, non procul hinc. Profecto, et nescio quomodo hoc accidit, nec quando illi coniuncti sunt, sed, sub verbo ducendi eam uxorem, decepit filiam meam et nunc non vult eam ducere, quamvis dux etiam rem cognoscat, quia iam locuta sum cum eo et non semel, sed multoties, et ab eo quaesivi ut iubeat agricolae ut ducat filiam meam uxorem, sed facit aures surdas et nec me audire vult; et causa huius rei est quia, pater huius fallacis viri, ditissimus est et commodat pecuniam duci et sponsor factus est in omnibus dolis eius et non vult ei molestus esse nec ei ullo modo contradicere. Quapropter vellem, domine mi, ut mandatum reciperes huius iniustitiae, et sive per supplicationes sive per arma, quia secundum quod omnes dicunt tu natus es ad iniustitias reparandas et adversa reficienda ac

miseros protegendos; tunc veni ad orbitatem filiae meae videndam, elegantiam eius et iuventutem, cum omnibus condicionibus de quibus locuta sum et, iuro per Deum et per meam conscientiam, nullam virginem habere dominam meam, quae ad soleam calceorum eius perveniat, et quaedam quam vocant Altisidora, quam habent ut elegantiorem atque expeditiorem, si possem comparationem facere cum mea filia non perveniret ad duas leucas eius. Quia oportet ut tu scias, domine mi, et nimium ne credas colori, hanc Altisidorulam magis praesumptionis habere quam venustatis ac magis impudentis et procacis quam modestiae et insuper non est nimis sana; quia halitus eius redolet lassitudinem, quod non facile toleratur prope eam nec momentum. Et quoad dominam meam ducissam ... Sed volo tacere quia, ut dici solent, parietes habent aures.

–Quid ergo habet ducisssa domina mea, per vitam meam, domina Rodríguez? –quaesivit dominus Quixotus.

–Hac adiuratione –respondit domina illa–, debeo respondere huic quaestioni omnem veritatem. Tunc videas, domine Quixote, pulchritudinem ducissae dominae meae, hunc colorem faciei eius, qui videtur ut tersus et politus gladius, atque illas duas genas lactis et iasmini, quarum altera habet solem alteraque lunam et illam speciositatem, qua procedit gressibus suis et terram spernit ita ut videretur eam effundere salutem quocumque illa ambulat? Tu autem debes scire ducissam hoc habere imprimis propter Deum et postea propter duas plagas, quas habet in duobus cruribus ex quibus omnem malum humorem segregat ex quo, secundum medicos, plena est.

–Per Sanctam Mariam! –dixit dominus Quixotus–. Num fieri potest ut ducissa, domina mea, habeat tales emissiones humoris? Hoc non crederem nisi mihi monachi discalceati dicerent, sed si domina Rodríguez id dicit hoc ita erit. Sed tales plagae, non segregabunt humorem, sed liquidum ambarum. Vere nunc intelligo quid significent has plagas bonas esse ad valetudinem corpoream.

Sed simul ac dominus Quixotus finivit loquendi hanc sententiam, ianuae cubiculi apertae sunt magno ictu et ex subitanea formidine candela dominae Rodríguez cecidit per terram et cubiculum mansit in tenebris et, ut dici solet, ut os lupi. Postea vero illa misera domina sensit duas manus fortes apprehendere eam gutture ac tam fortiter ut nec clamare posset, atque alius et quidem celeriter vestem eius levavit et ope calcei verberavit eam innumeris ictibus quod vere erat cruciatus. Et interea dominus Quixotus, quamvis haec senserat non movebatur e lecto suo et quidem nesciebat quid hoc esset, quare mansit quietus et tacebat, timens ne haec verberatio ad eum veniret. Et timor eius non fuit vanus, nam cum reliquerunt illam nutricem contusam –et quae non audebat lamentari– carnifices ad dominum Quixotum venerunt et linteum stragulumque ab eo abstulerunt et saepissime ac fortissime eum vellicaverunt et sese defendit pugnis atque haec omnia magno ac miro silentio. Per dimidiam horam demoratum est hoc proelium, et postea phantasmata egressa sunt, domina Rodríguez disposuit vestes suas et ingemiscens propter infortunium suum exivit per ianuam externam et, nullo verbo ad dominum Quixotum prolato, qui vellicatus et affectus dolore, confusus ac meditabundus mansit solus, sed relinquemus eum et quidem ille desiderabat cognoscere quis esset incantator, qui talia in eum disposuerat. Sed hoc erit tempore opportuno, nam nunc Sanctius Pansa vocat nos necnon et bona dispositio huius historiae etiam hoc requirit.

Capitulum 49. Ubi narratur de his quae Sanctio Pansae evenerunt cum insulam circumiret

Magnum gubernatorem molestum ac stomachatum reliquimus cum pictore ac versuto agricola, qui instructus a villico, sic ut villicus etiam a duce instructus erat ad Sanctium illudendum; tamen hic omnibus resistebat, quamvis stultus, impolutus rudusque esset et omnibus qui cum eo erant et doctori Petro Recio dixit, epistula ducis lecta, et, secreto finito, ut denuo introirent in vestibulum:

–Nunc vere intelligo cur iudices et gubernatores debeant esse aenei, sive tali modo ad sese defendendum ab importunitatibus mercatorum, qui omni tempore volunt ut auscultent eos et negotia eorum solvant, habentes curam tantum de negotio suo et accidat quidquid sit. Et si miser iudex ille non auscultat eos et recte solvit quaestiones sive quia non potest, sive propterea quod non est tempus idoneum ad audientiam faciendam, ei maledicunt et de eo murmurant et ossa eius rodent et genera familiae eius multis ignominiis insultant. Stulte mercator, stolide mercator, noli festinare; exspecta tempus et occasionem propitiam faciendi negotium: et noli venire cum sit hora prandii vel dormiendi, quia iudices ex carne et ossibus sunt et naturae dabunt quod haec naturaliter ab eis quaerit, nisi ego, me miserum, quia meae non do cibum et hoc propter hunc doctorem Petrum Recio Tirteafuera, qui coram me est et quidem vult ut fame moriar et affirmat hanc mortem vitam esse. Utinam Deus ei talem vitam det, ei et omnibus sui generis: dico omnibus malis medicis, nam boni merentur palmas laudationesque.

Omnes autem, qui Sanctium Pansam cognoscebant, mirabantur audientes eum tam eleganter loqui et nesciebant quare, nisi quia negotia et munera tum reficiunt mentem tum torporem ei inducunt. Denique doctor Petrus Recio Agüero de Tirteafuera promisit ei coenam dare illa nocte, quamvis esset contra omnes aphorismos Hippocratis. Gubernator, his verbis auditis, contentus fuit et magna anxietate noctem exspectabat et quidem horam coenandi, quamquam tempus ei videbatur stare et nullo modo festinare, sed denique advenit ei quod tam multum desiderabat eique dederunt carnem vitulinam conditam cum caepa et pedes coctos vitulae aliquantulum provectae aetatis. Et ad haec omnia pervenit maiore aviditate quam si ei dederant phasianos alpinos Mediolani (Milán), phasianos Romae, vitulam Surrenti, perdices Aruncorum (Morón), anseres Lavajos et tempore coenae vertit se ad doctorem eique dixit:

–Videas, domine doctor, ex hoc et in futurum noli curare de cibis delicatis atque excellentibus ad comedendum, quia hoc erit adducere stomachum meum extra consuetudinem eius, nam ille solitus est comedere capram, vaccam, lardum, carnem salitam, napos et caepas et si forte ei alios cibos palatii dant eos recipit quodam timore et aliquando immo cum nausea. Quod vere magister escarius potest facere est adducere mihi fartilia ollaria, sive «olla podrida» et dum «putridiores», sive si plura sint fartilia ciborum melius redolent, quia in eis ille omnia miscere potest cum bonum sit ad comedendum eique ego gratias agam et libenter ei solvam pro his cibis; sed nemo velit illudere me, quia sive sumus vel non sumus: vivamus omnes et comedamus bona pace et amicitia, quia cum Deus lucescit omnibus lucescit. Ego hanc insulam gubernabo et nullum ius auferam nec subornationem accipiam, et omnes animadvertant bene quid

faciant et inspiciant quid faciendum sit, quia egomet dico diabolum esse in urbe Cantillana, et si vere mihi dant opportunitatem res miras videbunt. Aliter, quid dicendum est, nisi ut fias mel et muscae comedent te.

–Profecto, domine gubernator –dixit magister escarius–, recte iudicasti in omnibus quae dixisti, et ego loquor in nomine omnium insulanorum huius insulae, qui accurate servituri sunt tibi amore et benevolentia, quia suavis est modus gubernandi quem dedisti in his principibus et non permittes eos nisi cogitare de his quae redundant in tuo servitio.

–Hoc ita credo –respondit Sanctius–, et illi essent stulti si aliter facerent sive cogitarent. Et denuo dico ut habeant curam de mea sustentatione et de meo asino ad hanc operam navandam et quod ad casum pertinet et iam est tempus ut faciamus nostrum circuitum nocturnum, quia est voluntas mea ut mundem hanc insulam ex omni genere immunditiarum ac vagabundorum, otiosorum atque hominum malae condicionis; quia oportet vos scire, amici, gentem otiosam ac pigram in re publica esse tamquam apes mares, quae edunt quod apes operariae faciunt. Verumtamen favebo agricolis, privilegia servabo fidalgis, praemia dabo virtuosis et praesertim colam religionem atque honorem religiosorum. Quid vobis hoc videtur, amici? Num ego aliquid dico, sive rumpo caput meum pro nihilo?

–Tam multa dicis, domine gubernator –ait villicus–, et vere miror videndo virum indigentem litteris tamquam tu es, domine, quia credo te nullas litteras cognoscere et nihilominus dicis tales sententias et monita, quae vere sunt praeter quodcumque ex tuo ingenio exspectabant, qui nos miserunt et qui nunc hic sumus. Omni die videntur res novae in hoc mundo; facetiae fiunt res verae et illusi sunt, qui illudere quaerebant.

Nocte autem facta, gubernator coenavit, venia domini doctoris Recio concesa. Tunc paraverunt se ad circuitum nocturnum faciendum et ille exivit una cum villico, secretario ac magistro escario et scriptore chronicarum, qui debebat curare de factis notandis ad describenda accurate omnia verba Sanctii; etiam exierunt satellites et scribae, et tanti erant ut possent bonam turmam efficere. Sanctius erat in medio eorum habens suam virgam in manu et quidem dignus erat videndi, et ecce per nonnullas vias illius loci deambularunt et audierunt strepitum ictuum gladiorum; illuc advenerunt et invenerunt duos viros qui inter se pugnabant, qui cum viderunt ad se venire omnis iustitia quieti manserunt et alter eorum dixit:

–Accedite huc in nomine Dei et regis! Quomodo possumus pati ut in hoc pago depraedentur et quilibet expolient in mediis viis? –Placa te, bone vir –dixit Sanctius–, et enarra mihi quaenam sit causa huius rixae, quia ego sum gubernator.

Alter adversarius dixit:

–Domine gubernator, haec dicam tibi et quidem breviter. Tu, domine, scire debes hunc nobilem virum lucratum esse nunc temporis in hac domo lusoria, quae est hic coram nobis plus quam mille argenteos, et Deus scit quomodo, atque ego praesens eram et quidem iudicavi pro eo et quidem contra quod mea conscientia dictabat mihi; denique ille surrexit cum suo lucro dum ego nonnullos aureos lucrari exspectabam, et hoc pro parvo pretio, nam secundum consuetudinem et usum datur hominibus principalibus tamquam mihi, qui circumstantes sumus sive ad bonum quam ad malum, et propter iniquitates eorum et quamvis hoc non rectum sit, sed quidem ad rixas vitandas, tamen ille omnem suam pecuniam accepit et egressus est domo. Ego autem secutus sum eum et quidem indignatus et bonis argumentis ab eo quaesivi ut daret

mihi saltem octo argenteos, quia ille scit me honoratum esse et nullo munere fungi nec beneficio, nam parentes mei nullum docuerunt me nec mihi dederunt et hic stolidus, qui est magis latro quam Cacus et dolosior quam Andradilla tantum voluit mihi quattuor argenteos dare; ut videas, domine, quam parvam verecundiam habeat et minimam conscientiam! Sed iuro, si tu, domine, non huc venires egomet facerem ut vomeret mihi lucrum suum, et eum docerem omnes rationes meas.

–Quid dicis ad haec omnia? –quaesivit Sanctius.

Alter autem respondit hoc verum esse, quod adversarius eius dixit, et voluit tantum quattuor argenteos ei dare, quia iam multoties ei dederat; et qui volunt lucrum pro parvo pretio obtinere, debent saltem habere urbanitatem et accipere quod dent eis et non tractare lucrum obtentum cum his qui lucrantur, nisi vere sciant eos lusores dolosos esse et quod lucrantur ex iniquitate provenire; sed ad ostendendum se virum bonum esse et nullo modo latronem, tamquam ille dicebat nulla melior ratio erat quam nihil ei dare; quia lusores dolosi extorquentur a spectatoribus circumstantibus qui eos cognoscunt.

–Hoc ita est –dixit villicus–. Videas, domine gubernator, quid faciendum sit cum his duobus viris.

–Hoc est quod faciam –respondit Sanctius–: tu qui lucratus es, bone sive male sive aliter da ilico tuo adversario centum argenteos, et etiam alios triginta dabis pro pauperibus in carcere; et tu qui nec officium nec beneficium habes et es in hac insula sine ullo iure, accipe hos centum argenteos et in crastinum diem egredere ex hac insula tamquam exsul per decem annos sub poena, si hoc non servas, adimplendi in alia vita, et ego suspendam te de patibulo, sive saltem carnifex id faciat sub mandato meo. Et nemo obiiciat quidquid sit, quia sentiet pondus manus meae.

Alter extraxit pecuniam de sua crumena, alter recepit eam, hic egressus est ex insula atque alter profectus est domum et gubernator remansit dicens:

–Nunc autem has domus lusorias auferam quia, mea opinione, valde perniciosae atque obnoxiae sunt.

–Hanc saltem –dixit quidam scriba–, non poteris auferre, quia vir nobilis hanc habet, et plus est quod ille amittit omni anno quam quod lucratur ex chartis lusoriis. Potes, absque dubio, contra alia fora aleatoria, quae sunt minoris momenti, omnem tuam potestatem ostendere et haec perniciosiora sunt, quia maius damnum efficiunt et maiorem insolentiam tegunt; quia in domibus equitum praecipuorum ac dominorum non audent hi famosi dolosi lusores uti suis machinationibus et sic ut vitium ludi aleatorii factum est exercitium commune, melius est ut illi ludant in domibus principalibus quam in quadam domo cuiusdam mercatoris, ubi si forte infortunatum apprehendunt post dimidiam noctem eum vere extorquent.

–Nunc autem, scriba –dixit Sanctius–, secundum quod ego scio multum est ad dicendum in hoc negotio.

Tunc advenit satelles qui apprehendit iuvenem et dixit:

–Domine gubernator, hic ephebus ad nos veniebat et simul ac vidit esse iustitiam, dorsum vertit et incepit currere tamquam cervus, quod signum est, ut patet, eum esse delinquentem. Ego autem post eum cucurri, sed si ille non offenderet obstaculum et caderet nullo modo eum assequerer.

–Cur ergo fugiebas, vir? –quaesivit Sanctius.

Cui iuvenis respondit:

–Domine, ad vitanda multa responsa quaestionum, quae facit iustitia.

–Quo munere fungeris?

–Munere textoris fungor.

–Quid ergo texis?

–Ferros lancearum cum venia tua, domine.

–Facetus videris mihi! Num scurra es? Bene, sed videamus. Et quonam pergebas nunc?

–Domine, ad aerem accipiendum.

–Et ubi accipitur aer in hac insula?

–Ex quo afflat.

–Bene: omnibus valde accurate respondes! Prudens es, iuvenis; sed imaginare me esse aerem et afflo te in puppa et adduco te ad carcerem. Apprehendite eum et adducite eum et egomet faciam ut dormiat in carcere absque aere.

–Per Deum –ait iuvenis–, sic facies, domine, me in carcere dormire tamquam me facere regem!

–Cur non faciam te dormire in carcere? –respondit Sanctius–. Num non habeo potestatem ad apprehendendum et liberandum te quoties vellem?

–Quamvis magnam potestatem habeas, domine –ait iuvenis–, non potes facere me dormire in carcere!

–Cur non? –obiecit Sanctius–. Afferte eum continuo, ubi suis propriis oculis videat suam deceptionem, et si custos carceris vult uti sua commoda largitate, multabo eum duobus milibus denariis si sinit te extra carcerem exire tantum unum gressum.

–Haec omnia faciunt me ridere –respondit iuvenis–. Sed quaestio alia est et nemo viventium faciet me dormire in carcere.

–Dic enim, daemon –dixit Sanctius–, num habes angelum qui educat te et compedes ferreos a te auferat quos ponam tibi?

–Nunc autem, domine gubernator –respondit iuvenis laeto ac faceto vultu–, veniamus ad rem et videamus totum negotium. Tu bene potes iubere ut introducant me in carcerem et ut ponant mihi compedes ferreos, et custos carceris afficiatur magnis poenis si sinat me exire et quidem ille adimplebit accurate secundum monitum tuum: sed, his omnibus rebus peractis, quid ergo si ego nullo modo volo dormire et, oculis apertis, vigilans ero per totam noctem, num facies me dormire si ego equidem nolo?

–Minime vero –dixit secretarius–, et hic vir vere ac recte iudicavit.

–Hoc modo –dixit Sanctius–, non dormies propter tuam voluntatem, sed non ad meam opponendam?

–Nullo modo, domine –ait iuvenis–, nec immo de hac re cogito.

–Cum hoc ita sit, potes procedere in pace –dixit Sanctius–; et vade dormitum domi tuae et Deus provideat tibi bonum somnum, quem nolo a te auferre; sed animadverte ex hoc et in futurum ne velis cum iustitia uti sale et lepore, quia aliquando invenies quemdam, qui nullo modo vellet ridere de tuis facetiis.

Iuvenis autem profectus est et gubernator prosecutus est circuitum nocturnum suum et, parva mora elapsa, viderunt duos satellites, qui ferebant virum apprehensum et dixerunt:

–Domine gubernator, hic qui videtur vir, non est talis, sed mulier et non foeda, quae amicta est vestibus viri.

Duas vel tres lanternas ad oculos eius adduxerunt et invenerunt vultum mulieris circa sedecim sive septemdecim annos natae, quae habebat capillos collectos in rete aurea ex serico viridi, et erat pulchra tamquam mille margaritae. Conspexerunt eam e summo usque deorsum et viderunt amictam esse tibialibus ex serico rubro, cum ligulis ex alba tela serica cum fimbriis aureis et parvulis margaritis; femoralia erant viridia ex tela aurea et thorax eius sive vestis ex eodem genere erat, apertus et sub quo induebat aliam vestem ex subtilissima candida tela aurea et calcei albi erant et cuiusdam viri. Non ferebat secum gladium, sed pretiosum pugionem et in digitibus multos et locupletissimos anulos. Denique haec iuvenis puella omnibus bene videbatur et nemo eam cognoscit ex his, qui eam intuiti sunt, et incolae illius pagi dixerunt se non posse scire quaenam esset et, qui facetias machinabantur Sanctio, magis mirabantur, quia illud eventum non dispositum erat ab eis et sic dubitabant exspectantes quid hoc esset.

Sanctius stupefactus fuit pulchritudine illius puellae et ab ea quaesivit quaenam esset, quonam ambularet et quare voluit induere hoc modo. Illa autem intuens in terram et praedita magna verecundia respondit:

–Non possum, domine, tam aperte ac palam dicere quod oportet ut secretum sit; tantum volo ut intelligant me: non sum fur, nec facinorosa, sed virgo infortunata, quae ope zelotypiae rupit decus debitum honestati.

Villicus, his verbis auditis, dixit Sanctio:

–Facias, domine gubernator, ut omnes recedant seorsum, ita ut haec domina possit maxima facilitate exponere quod dicere vult.

Sic iussit Sanctius et omnes secesserunt, nisi villicus, magister escarius secretariusque. Cum viderent se solos esse, virgo prosecuta est dicens:

–Ego, domini, sum filia Petri Pérez Mazorca, locatoris vectigalium lanae huius loci, qui solet ad domum patris mei saepe venire.

–Hoc non procedit bene –ait villicus–, domina, quia ego cognosco valde bene hunc Petrum Pérez et scio eum nullos liberos habere, nec filium nec filiam; et immo si insuper dicis eum saepissime venire ad domum patris tui.

–Iam animadverti hoc –dixit Sanctius.

–Nunc autem, domini, sum tam perturbata ut nesciam quid vere dicam –respondit virgo illa–; sed hoc verum est, nempe me esse filiam Didaci de la Llana quem vos omnes, procul dubio, cognoscitis.

–Hoc autem sequitur bonam viam –respondit villicus–, quia egomet cognosco hunc Didacum de la Llana, qui est fidalgus praecipuus ac dives, et quidem habet filium filiamque, sed ex tempore quo factus est viduus nemo in totis his locis umquam vidit vultum filiae eius; quia habet eam seclusam et nec sol videt eam, quamvis fama sit eam pulcherrimam in extremo esse.

–Haec est veritas –respondit virgo–, et haec ego sum; et utrum fama mentiatur necne de mea speciositate iam liberabitis ab errore, quia videtis me.

Et continuo incepit flere amare. Secretarius, his rebus conspectis, appropinquavit ad aures magistri escarii et lentiter dixit ei:

–Absque dubio aliquid cuiusdam momenti accidit huic miserae virgini, quia illa hac veste et hoc tempore noctis extra domum suam deambulat huiusmodi.

–Hoc non est mirandi –respondit magister escarius–, praesertim haec suspicio confirmatur lacrimis eius.

Sanctius consolatus est eam quam melius potuit et ab ea quaesivit ut absque timore diceret quid accidisset ei; quia omnes parati erant ad praebendum remedium ei totis viribus eorum atque omni modo.

–Quaestio haec est, domini mei –respondit illa–, pater meus abhinc decem annos seclusit me et ipsi sunt anni quibus mater mea sepulta est in terra. Apud nos Missa celebratur in ditissimo sacello et egomet hoc omni tempore tantum vidi solem coeli tempore diurno et lunam stellasque per noctes, quapropter nescio quid sint viae et plateae, templa et immo homines, praeter patrem et fratrem meum, et praeter Petrum Pérez locatorem, qui quotidie domum nostram introit, quare dixi eum patrem meum esse ne develarem nomen proprii patris mei. Haec seclusio mea et non permittere me exire domo nec quidem ad ecclesiam, abhinc multum tempus fecit me valde afflictam esse; quare volui mundum cognoscere, vel saltem pagum, ubi nata sum, et hoc desiderium mihi videbatur non esse contra bonum decus, vi cuius virgines praecipuae natu debeant se ipsas servare et protegere. Et cum audirem dicere esse agitationes taurorum sive ludos equestres vel comoedias repraesentari, quaerebam a fratre meo, qui est annum minor mei natu ut diceret mihi, quae haec essent, et alia multa quae nondum videram. Ille quam melius sciebat declarabat mihi, sed, his verbis auditis, desiderium meum crescebat videndi haec omnia meis propriis oculis. Denique et ut breviter dicam narrationem meae perditionis, dico me eum rogavisse et utinam numquam hoc fecissem ...

Et denuo renovavit fletum. Villicus autem dixit ei:

–Domina, prosequere et finias dicendi quidquid acciderit tibi, quia omnes suspensi ac pendentes sumus de tuis verbis lacrimisque.

–Pauca sunt mihi dicendi –respondit virgo illa–, quamvis multae lacrimae sint ad flendum propter desideria mea, quae male adimplevi et non adducent me nisi ad similem statum rerum.

Pulchritudo illius virginis pervenit ad cor magistri escarii, qui denuo voluit vultum eius inspicere et lanternam adduxit ei, eique videbantur lacrimae puellae non esse nisi parvulae margaritae sive ros prati et etiam ea superabant, quia perveniebant ad margaritas orientales et desiderabat ut infortunium illius virginis non esset tam magnum, tamquam signa planctus et suspiriorum ostendebant. Gubernator autem desperabatur videndo longam moram illius puellae ad narrandam historiam suam eique dixit ut curaret ne eos suspensos teneret, quia sero erat et multum ad faciendum circumiendo totum pagum. Illa inter singultus interruptos ac male facta suspiria, dixit:

–Infortunium meum nullum est nisi ut rogarem fratrem meum ut indueret me tamquam virum cum quodam ex vestibus suis et educeret me quadam nocte ad totum pagum videndum, praecise cum pater noster dormiret. Ille autem motus meis supplicationibus induit me hac veste atque ille sua ex parte induit vestem meam, quae bene ei conveniebat, quia ille adhuc glaber est et nec capillum habet in barba et ipse videtur pulcherrima virgo et hac nocte, abhinc horam plus minusve, ambo egressi sumus domo nostra atque adducti a nostro imprudente et inordinato desiderio totum pagum circumivimus et cum voluimus revertere domum, magnam turmam virorum vidimus et frater meus dixit mihi: «Soror, haec erit circuitio nocturna custodum, festina ad

currendum pedibus et vola tuis alis et sequere me celeriter, ne recognoscant nos, quod non erit bonum nobis.» Et, his verbis dictis, vertit dorsum suum et incepit non dico currere, sed volare; ego autem nec sex gressus ultra progressa sum et cecidi perturbata, tunc pervenit ad me custos iustitiae et adduxit me ad vos, ubi coram magna turba virorum debeo me affectam pudore ostendere, quia imprudens atque inconstas fui.

–Tunc, domina –dixit Sanctius–, nullum aliud infortunium accidit tibi, neque fuit zelotypia, sicut dixisti in initio tuae narrationis quod eduxit te domo tua?

–Nil aliud accidit mihi, neque zelus fuit qui eduxit me, nisi desiderium videndi mundum, qui non ultra vias huius loci pertingebat.

Et ad confirmandam veritatem huius puellae satellites adduxerunt apprehensum fratrem illius, quem quidam eorum potuit detinere cum fugeret una cum sorore sua. Hic autem amictus erat tantum tunica aperta et quodam pallio viridi damasceno cum subtilibus fimbriis aureis et caput sine velo neque alio ornamento nisi capillis, qui similes erant anulis aureis, quia fulvi et crispuli erant. Gubernator, villicus et magister escarius secesserunt cum eo ita ut soror non audiret eum loquentem et ab eo quaesiverunt, quod soror eius narraverat, quo magister escarius captus amore valde gavisus est. Sed gubernatur dixit eis:

–Profecto, domini mei, haec fuit magna puerilitas et ad hanc stultitiam et audaciam narrandam non necessae erant tantae lacrimae et tam multa suspiria; quia satis erat dicere: «Nos sumus tales, qui exivimus domo parentum nostrorum ad deambulandum cum hac voluntate, tantum propter cupiditatem cognoscendi novas res, ac nullo alio consilio», et fabella finiret absque gemitibus et sine lacrimis et ita prorsus.

–Hoc verum est –respondit virgo illa–; sed vos cognoscitis turbationem quam habui, quae fuit tanta ut non permitteret mihi res ordinate exprimere.

–Nil amisimus –respondit Sanctius–. Eamus ergo et relinquamus vos in domo parentum vestrorum; qui fortasse nondum noverunt absentiam vestram. Sed ex hoc et in futurum nolite agere ut parvuli pueri neque tam avidi videndi mundum; quia virgo honorata et crus fractum, melius est ut domi maneat; ac mulier et gallina deperduntur, quia nimis voluerunt foras exire; et quae vult videre etiam vult videri. Et nil amplius dicam de eo.

Iuvenis puer gratias egit gubernatori propter beneficium adducendi eos domum et sic omnes venerunt ad eam, quae haud procul ab illo loco erat. Et simul ac pervenerunt, frater proiecit lapillum ad fenestram et continuo descendit famula, quae eos exspectabat et portam aperuit eis, illi introiierunt et cuncti mirati sunt de elegantia, formositate ac magno desiderio videndi mundum, noctu et non egrediendo de loco. Tamen haec omnia erant fructus inexperientiae et iuventutis amborum.

Magister escarius illam iuvenem puellam adamavit et proposuit in crastinum diem eam a patre eius quaerere ad eam ducendam uxorem, quod ei perfacile videbatur tamquam famulus illius ducis; et immo etiam Sanctius habuit desiderium et putavit ut hic iuvenis duceret uxorem Sanctiulam filiam eius, quod deliberavit faciendum esset, quia intellexit nullum filiae gubernatoris recusaturum esse, quin illa nuberet cuicumque illa vellet.

His rebus peractis, circuitio nocturna finivit et ex hoc et in duos dies etiam gubernatio, quibus omnia bona desideria eius dissipata ac deleta sunt, sicut ulterius videbitur.

Capitulum 50. Ubi narratur quinam fuerunt incantatores et carnifices illi, qui dominam Rodríguez verberaverunt et dominum Quixotum vellicaverunt et laceraverunt cum evento, quod accidit ephebo qui litteras ad Teresiam Pansam, uxorem Sanctii Pansae misit

Dicit Cide Hamete, accuratissimus scrutator atomorum huius verae historiae, cum domina Rodríguez egressa est e cubiculo suo ad visitandum cubiculum domini Quixoti, alia nutrix, quae cum ea dormiebat, id sensit et ut omnes illae dominae nutrices cupiunt scire, intelligere et indagare, post eam venit et quidem tanto silentio ut bona domina Rodríguez nihil animadverteret. Et simul ac vidit eam introire in cubiculum domini Quixoti, ne amitteret bonam consuetudinem omnium nutricum, quae est murmurare, statim voluit enarrare suae dominae ducissae, quomodo domina Rodríguez intravit in cubiculum domini Quixoti.

Ducissa autem dixit duci et ab eo petivit veniam ut ipsa atque Altisidora venirent ad videndum, quid illa nutrix quaereret a domino Quixoto. Dux dedit ei hanc licentiam et ambae, magna quiete et silentio ac pedetentim iuxta ianuam cubiculi steterunt ac tam prope ut possent audire, quae intus dicebantur, sed cum ducissa audiret dominam Rodríguez narrare de secreto viridario Arae Iovis (Aranjuez) eius sive de fontibus vel plagis eius, haec non potuit sustinere nec etiam Altisidora et ambae plenae iracundia et quaerentes vindictam introiierunt uno ictu in illud cubiculum et vellicaverunt dominum Quixotum et illam dominam verberaverunt, sicut dictum est; quia iniuriae, quae contra formositatem et arrogantiam mulierum perveniunt, magnopere suscitant eas ad iracundiam et desiderium ulciscendi.

Ducissa narravit duci quod acciderat, quo valde gavisus est, et ducissa prosecuta est cum voluntate illudendi dominum Quixotum atque oblectandi, quare misit ephebum, qui figuram Dulcineae egerat in machinatione solvendi incantamenti –quod Sanctius Pansa iam oblitus erat omnino cum negotio suae gubernationis– ad Teresiam Pansam, uxorem eius cum epistula illius mariti et cum alia epistula sua et cum quodam torque coralliorum opulentorum.

Historia vero dicit ephebum valde prudentem ac sapientem esse et motus desideri serviendi dominibus suis libenter profectus est ad locum Sanctii et ante quam introiret vidit in rivulo multas mulieres, quae abluebant et quaesivit ab eis ut dicerent ei utrum in illo pago viveret mulier nuncupata Teresia Pansa, uxor cuiusdam Sanctii Pansae, armigeri equitis, qui vocabatur dominus Quixotus a Manica necne, et tunc surrexit puella, quae lavabat et dixit ei:

–Haec Teresia Pansa mater mea est, atque hic Sanctius dominus pater meus et talis eques noster dominus est.

–Tunc accede, virgo –dixit ephebus–, et ostende mihi tuam matrem, quia est mihi epistula ad eam necnon et munus tui patris.

–Hoc faciam libenter, domine mi –respondit puella, quae videbatur esse circa quattuordecim annos nata.

Et, linteis sociae eius relictis, et nihil induens super caput neque calceos, quia

discalceata erat et capillos habebat sine ulla ordinatione nec ornatu, properavit ante equum ephebi et dixit ei:

–Veni, domine, mecum; quia domus nostra est ad introitum pagi, et mater mea in illa est et quidem valde moesta, quia abhinc multos dies nil de patre domino meo novit.

–Ego autem nuntios valde bonos fero mecum –dixit ephebus–, et bene poterit pro eis gratias Deo agere.

Denique, dando saltus, currendo ac saliendo ad oppidum puella pervenit et ante quam introiret domum magnis vocibus dixit ex porta:

–Mater Teresia, exeas foras, exeas, quaeso, quia hic venit dominus qui litteras et alia boni patris mei ad te adducit.

His vocibus auditis, exivit Teresia Pansa, mater eius, amicta veste fusca, dum nebat vellus stupae. Vestis autem videbatur nimis brevis tamquam si scidissent eam quodam loco magnae verecundiae, tamen induta erat femineo thorace eodem fusco colore et subucula aperta. Non erat valde senex, quia ostendebat non ultra quadraginta annos nata esse, sed fortis et erecta, nervosa ac subnigra coloris; quae cum vidit filiam et ephebum super equum dixit:

–Quid est hoc, filia? Quisnam est hic dominus?

–Famulus est dominae meae Teresiae Pansae –respondit ephebus.

Et haec dicens descendit de equo et magna humilitate genua sua flexit in conspectu dominae Teresiae dicens ei:

–Da mihi manus tuas, o domina Teresia, tamquam legitima ac propria mulier domini Sanctii Pansae, ipsius gubernatoris insulae Baratariae.

–Eheu, domine mi, abeas hinc: et non facias hoc –respondit Teresia–; quia ego nullo modo sum aulica, sed misera rustica, filia agricolae glebarii et mulier cuiusdam armigeri itinerantis, sed non cuiusdam gubernatoris!

–Tu es –respondit ephebus– dignissima mulier archidignissimi gubernatoris, et ad hanc veritatem probandam, recipias hanc epistulam atque hoc munus.

Et tunc eduxit de suo sacculo torquem coralliorum cum extremis aureis, et posuit super collum eius dicens:

–Haec epistula est domini gubernatoris et aliam etiam habeo et haec corallia dominae ducissae, quae misit me ad te.

Teresia mansit stupefacta et filia sua eodem modo et puella dixit:

–Peream ego si dominus Quixotus non invenitur hic et dedit patri meo gubernationem sive comitatum quem toties promisit ei.

–Hoc ita est –respondit ephebus–; quia propter beneficium domini Quixoti nunc dominus Sanctius est gubernator insulae Baratariae, tamquam videbitur in his litteris.

–Legas eas, nuntius praeclarus –dixit Teresia–, quia quamvis sciam nere, nescio legere ullo modo.

–Neque egomet –addidit Sanctiula–; sed exspectate hic et vocabo quemdam qui potest legere tum sit parochus tum baccalaureus Samson Carrasco, qui libenter venient ad cognoscendos nuntios patris mei.

–Non opus est vocandi quemlibet; quia ego nescio nere, sed scio legere et legam hanc epistulam.

Et sic omnem illam legit, quae non scribitur hic, quia iam dicta est, et postea alteram ducissae eduxit, quae sic dicebat:

Amicae Teresiae salutem.

Optimae qualitates et ingenium tui mariti Sanctii moverunt me atque impulerunt me ut a duce meo marito quaererem dare gubernationem insulae ex multis quas habet. Audivi dicere eum gubernare tamquam iurisperitum, quo valde gaudio atque etiam dux dominus meus, quapropter gratias permultas coelo ago, quia non decepit me in electione ad talem gubernationem; et oportet ut scias, domina Teresia, perdifficile esse gubernatorem bonum invenire in hoc mundo, et sic faciat me Deus sicut Sanctius gubernat.

Hic autem mitto tibi, carissima mea, torquem coralliorum cum extremis aureis; vellem eas margaritas orientales esse; sed qui tibi dat os ad rodendum non vult te mortuam videre: tempus erit quo nos mutuo cognoscamus atque ad invicem loquamur, et Deus scit quando hoc erit. Meas salutationes Sanctiulae mitto, tuae filiae, et dicas ei mea ex parte me velle eam nubere cuidam nobili cum de hoc nullo modo cogitet.

Dicunt mihi in tuo oppido magnas glandes esse; tunc velis mihi, quaeso, bis duodenas mittere, et magni faciam, quia ex tua manu veniunt, scribe etiam mihi in longum et loquere mecum de tua valetudine ac de tua commoditate et si fortasse aliquid velles, tantum oportet hoc dicere: et adimplebo tuum desiderium et Deus curet de me.

Ex hoc loco

Amica tua quae aestimat te

DUCISSA

–Eheu, –dixit Teresia, epistula audita–, quam bona, simplex atque humilis est haec domina! Utinam possent me sepelire cum talibus dominabus, at non cum fidalgabus, quae in his oppidis sunt, quae putant neminem eas tangere posse, quia fidalgae sunt et vadunt ad ecclesiam cum tam multa phantasia tamquam reginae et eis videtur ut ignominia rusticam intueri. Et hic haec bona domina et quidem ducissa loquitur mecum et vocat me amicam et me tractat tamquam si aequalis ei essem. Utinam videam eam altiorem quam turrim campanariam altissimam huius Manicae. Et quoad glandes pertinet, domine mi, egomet mittam ad dominam meam modium plenum ex eis et quidem crassis ita ut homines veniant ad eas intuendas et tunc mirabuntur. Sed nunc temporis, Sanctiula, cura ut nihilo careat hic dominus: para equum convenienter et educ ova de stabulo, exscinde lardum abundanter et fac ut ille comedat tamquam princeps, propter bonos nuntios, quos nobis adduxit ac propter aspectum facetum suum omne meretur; et interea ibo ad hos nuntios de nostro contentu dicere vicinabus oppidanis nostris, necnon et parocho et magistro Nicolao tonsori, qui tam boni amici sunt et fuerunt tui patris.

–Hoc ita faciam, mater mea –respondit Sanctiula–; sed videas ut des mihi dimidium torquem; quia non erit domina mea ducissa tam stulta ad mittenda tibi haec omnia.

–Omnia tibi erunt, filia –respondit Teresia–; sed sine me per quosdam dies ad collum ferre, quia videtur mihi cor meum vere de his gaudere.

–Etiam gaudebitis –ait ephebus– cum videatis fasciam quae venit in hac sarcina,

et est vestis ex panno subtilissimo quam gubernator induit tantum quodam die ad venationem faciendam, et haec omnia misit dominae Sanctiulae.

–Utinam per mille annos vivat –respondit Sanctiula–, et qui haec omnia secum adduxit nec plus nec minus, et immo duo milia annorum si opus esset.

Teresia, his verbis prolatis, exivit domo habens epistulas ac torquem ad collum et pulsabat litteras ictibus tamquam si esset tympanum, et cum casu invenit parochum et Samson Carrasco incepit salire et dicere:

–Per fidem meam, nunc non est propinquus pauper! Quia gubernationem habemus! Quid hoc erit, nunc cum veniat ad me fidalga inflata, ego reficiam eam!

–Quid est hoc, Teresia Pansa? Quae amentiae sunt istae et quae chartae hae?

–Non est alia amentia quam litterae ducissarum et gubernatorum et haec corallia praestantia, quae ad collum fero, *Avemariae* et *Paternoster* sunt puri aurei atque ego sum gubernatrix.

–De Deo deorsum, nos non intelligimus, Teresia, nec scimus quid dicas.

–Hic autem potestis vos videre –respondit Teresia.

Et continuo eis dedit litteras. Parochus legit eas ita ut audiret Samson Carrasco, et Samson parochusque intuiti sunt ad invicem et mirabantur de his, quae legebant, ac baccalaureus quaesivit quis has litteras adduxerat. Teresia respondit dicens ut venirent secum ad domum eius ita ut viderent legatum, qui erat iuvenis tamquam pinus aurea, qui aliud munus adduxit quod plus etiam valebat. Eduxit parochus corallia de collo eius et conspexit ea semel et pluries et pro certo asseruit ea bona esse et iterum miratus est et dixit:

–Per habitum quem induo, nescio quid possum dicere nec cogitare de his epistulis et muneribus; quia una ex parte video et tango manibus bonitatem horum coralliorum et alia ex parte lego ducissam quaerere bis duodenas glandes.

–Procedamus pedetentim! –dixit tunc Carrasco–. Nunc autem, videamus nuntium harum litterarum; et ex illo patefaciet difficultas rerum, quae nunc nobis videtur.

Sic enim fecerunt et Teresia reversa est cum eis. Ephebum invenerunt cribrantem parum hordei suo equo et Sanctiulam scindentem offulam ad ova cocta inserenda in eam pro prandio ephebi, cuius figura et ornatus eis valde placuit; et post urbanas salutationes mutuas Samson ab eo quaesivit ut nuntiaret eis de domino Quixoto ac de Sanctio Pansa; quia legerant epistulas Sanctii ducissaeque et valde perturbati erant et nesciebant, quod negotium esset de illa gubernatione Sanctii, et praesertim cum ageretur de insula, cum pleraeque sive omnes essent in interno Mari Mediterraneo Regis. Cui ephebus respondit:

–Nullum dubium est dominum Sanctium Pansam gubernatorem esse, utrum haec insula, quam ille gubernat, sit vera insula necne, in hac quaestione nolo introire. Tamen sufficit dicere hunc esse locum habentem plus quam mille oppidanos vicinos et quoad glandes dico ducissam dominam meam esse simplicem ac humilem, mea opinione, non tantum ad glandes quaerendas a quadam rustica, sed etiam ad quaerendum pecten commodatum ex sua vicina. Quia debetis scire dominas in Aragonia, quamvis praecipuae ac nobiles natu sint, non esse tam inflatas sicut dominas in Castella; atque illae tractant homines maiore simplicitate.

His verbis prolatis, et in medio hoc colloquio Sanctiula saltum dedit cum veste plena ovorum et ab ephebo quaesivit:

–Dicas mihi, domine, num dominus pater meus induit femoralia angusta, ex hoc cum sit gubernator?

–Non bene hoc animadverti –respondit ephebus–, sed forsitan ita sit cum induat ea.

–Eheu, Deus meus –obiecit Sanctiula–, quam bonum erit videre patrem meum amictum femoraliis angustis sive bracis [vulgo *pedorreras*]! Nonne a nativitate mea semper cupivi videre eum indutum his vestibus?

–Et his vestibus videbis eum si vivis –respondit ephebus–. Et per Deum, iter faciet cum larva ad vultum protegendum cum tantum duos menses maneat in illa gubernatione.

Parochus baccalaureusque cito viderunt ephebum loqui quadam calliditate atque astutia, sed perturbabantur de praestantia coralliorum ac de veste venatoria, quam Sanctius miserat; quia Teresia iam ostendit eis illam vestem. Et non potuerunt risum tenere propter desiderium Sanctiulae et praesertim cum Teresia dixit:

–Domine paroche, videas si hic est quidam qui vadat Matritum sive Toletum ut emat mihi stolam funiculatam perfectam ad usum et ex melioribus quae sint; quia vere debeo honorare gubernationem mariti mei secundum vires meas et quantum possim, et quamvis det mihi fastidium ad aulam regiam perveniam et etiam emam carpentum tamquam omnes dominae faciunt; nam quae habet maritum gubernatorem bene potest hoc vehiculum habere et servare.

–Et quomodo, mater mea! –dixit Sanctiula–. Et placeat Deo ut hoc ita sit et quidem quam primum, ac melius hodie quam in crastinum diem, quamvis dixerint, qui viderent me sedentem cum domina matre mea in illo carpento: «Videte hanc puellam, filiam manducatoris alliorum, et quomodo sedet et accumbit in carpento tamquam si esset papissa!» Sed conculcent illi lutum terrae et vehar ego meo carpento, pedibus e terra levatis. Et murmuratores huius mundi malos annos et menses habeant et illi possunt ridere dum ego calefaciam me. Nonne dico bene, mater mea?

–Et quam bene hoc dicis! filia mea –respondit Teresia–. Et omnes has fortunas et immo maiores meus Sanctius prophetizavit mihi, sed tu videbis, filia mea, eum non detineri donec videat me comitissam; quia hoc omne est incipere fruendo hac prospera fortuna et sicut multoties audivi dicere a bono patre tuo, qui etiam ut tuus est pater proverbiorum, cum dent tibi vaccam accurre cum fune; et cum dent tibi gubernationem accipe eam; et cum dent tibi comitatum apprehende eum; et cum dicant tibi accipe, accipe, vere accipias munus et serva tibi. Sin autem dormite et nolite capere prosperam fortunam cum haec veniat ad pulsandam portam domus vestrae!

–Et quid ergo erit mihi –addidit Sanctiula– ut dicat qui vellet dicere, qui videret me insolentem et arrogantem: «Canis vidit se amictum femoralibus lineis...», et cetera?

Parochus autem, his verbis auditis, dixit:

–Hoc non possum credere, nisi omnes huius generis Pansarum nati sint cum sacco proverbiorum in corpore; nullum eorum vidi, qui non proiiciat foras talia proverbia opportune et inopportune.

–Hoc ita est –ait ephebus–; quia dominus gubernator Sanctius omni tempore effundit ea, quamvis multa eorum non sint tam opportuna, sed omnes eis gaudent, praesertim ducissa, domina mea, et dux ea libenter plaudunt.

–Et etiam confiteris, domine mi –dixit baccalaureus–, verum esse hoc negotium gubernationis Sanctii et esse ducissas in mundo, quae ei munera mittant eique scribant? Quia nos, quamvis tangamus munera et legamus epistulas non vere haec credimus et arbitramur sicut solet facere dominus Quixotus, sodalis noster, id est credere omnia esse ad modum incantamenti; et sic fere volo tangere et attrectare te ad dilucidandum utrum sis legatus phantasticus an homo ex carne et ossibus.

–Domini mei, nil amplius ex me scire possum –respondit ephebus– nisi me verum legatum esse et dominum Sanctium Pansam effective gubernatorem, propterea quod domini mei, nempe dux ducissaque, talem gubernationem possunt dare et quidem ei dederunt, et ipse Sanctius Pansa strenuissime fungitur hoc munere. Utrum in hoc negotio sit incantamentum necne vos poteritis de hoc mutuo disputare, egomet nullam aliam rem scio et quidem iureiurando, et hoc per vitam parentum meorum, quos vivos habeo eosque valde diligo.

–Bene hoc potest esse –obiecit baccalaureus–; sed *dubitat Augustinus*.

–Dubitet qui dubitare vellet –respondit ephebus–, sed verum est quod dixi et veritas super mendacium semper erit tamquam oleum super aquam, sin autem *operibus credite, et non verbis*; veniat quidam vestrum mecum et videbitis propriis oculis, quod auribus non creditis.

–Hoc iter ad me pertinet –dixit Sanctiula–; adduc me, domine, super dorsum tui equi et libenter ibo ad patrem meum videndum.

–Filiae gubernatorum non debent solae iter facere, sed comitatae cum carpento et lectica et turba multa famulorum.

–Per Deum –respondit Sanctiula–, tam bene iter facio super asinam quam super raedam. Num invenisti me puellam pavescentem?

–Tace, puella –dixit Teresia–, quia nescis quid dicis, et hic dominus recte iudicat; et ad tempus conveniet salutatio opportuna; et cum sit Sanctius, tunc Sanctiula, et cum sit gubernator, etiam domina; nonne hoc bene dixi?

–Domina Teresia plus dicit quam cogitat –ait ephebus–; et date mihi quid ad edendum et continuo proficiscar, quia, mea sententia, debeo reverti hodie vespere.

Cui dixit parochus:

–Veni mecum, domine, ad poenitentiam faciendam; quia domina Teresia habet maiorem voluntatem quam monilia ad serviendum tam bono hospiti.

Renuit ephebus; sed profecto debuit concedere propter suum beneficium et parochus secum adduxit eum et quidem libentissime, quia cum magna quiete de domino Quixoto et de facinoribus eius agere atque indagare voluit.

Baccalaureus autem praebuit se ad epistulas Teresiae scribendas, ad responsum dandum; illa autem noluit ut baccalaureus sese immisceret in propriis rebus eius, quia eum tenebat ut nimis iocosum et sic cuidam monachelo, qui sciebat scribere, panem et duo ova dedit, qui scripsit duas epistulas, alteram ad maritum eius et alteram ad ducissam, ex propria mente eius, quae non sunt tam pessimae, quas haec magna historia continet, sicut adaequate ulterius videbitur.

Capitulum 51. Ubi agitur de progressione gubernationis Sanctii Pansae et de aliis rebus gestis, quae tales ac tam bonae fuerunt

Et luxit dies, qui secutus est noctem circuitus nocturni gubernatoris, qua nocte magister escarius non potuit dormire, quia cogitavit de vultu, pulchritudine ac seductione illius virginis, quae induit vestes viri; et villicus occupatus fuit quod superfuit nocti scribendo narrationem de his, quae Sanctius Pansa fecit et dixit et quidem admiratus erat de dictis ac factis eius; quia verba et facta eius miscebantur cum signis prudentiae et stultitiae.

Dominus gubernator surrexit e lecto et per mandatum doctoris Petri Recio ei dederunt ientaculum quod constabat ex uvis passis et quattuor haustibus aquae frigidae, quod Sanctius libenter permutaret pro frusto panis ac racemo uvae. Sed hoc magis adstrictus necessitate quam sua voluntate et omnino invite sustinuit, tum magno dolore sui animi tum magna vexatione stomachi, quia Petrus Recio voluit ei ostendere parvitatem atque exiguitatem lauti cibi augere intellectum et hoc erat magni momenti illis constitutis in potestate sive in muneribus auctoritatis, qui non viribus corporeis, sed intellectu utebantur.

Sanctius, his implicatis argumentis, laborabat fame et maledicebat gubernationi et immo cui ei eam dederat; tamen sua fame et fructibus passis paratus erat illo die ad iudicandum et primum quod apparuit ei fuit quaestio quam peregrinus ei fecit, coram villico et sodalibus et haec sic fuit:

–Domine, flumen profundum et abundans aquae dividebat duas partes cuiusdam proprietatis (atque attendas, domine, quia casus est maximi momenti et aliquantum difficilis). Dico enim supra hoc flumen fuisse pontem et in finem eius furca et domus tribunalis, in qua semper erant quattuor iudices, qui diiudicabant legem positam a domino fluminis, pontis atque illius proprietatis, et haec erat: «Si quis transiret pontem ex una parte in alteram debebat dicere et quidem iureiurando imprimis quonam iret et quid facturus esset; si ille iuraret veritatem, sinebant eum transire, sin autem et diceret mendacium suspenderent eum de furca, quae ibi ostendebatur ut moriretur sine ulla remissione.» Hac lege ac rigorosa condicione cognita, multi transibant et his, qui iureiurando dicebant, et videbatur verum esse, iudices sinebant eos libere transire. Tamen quondam accidit ut iusiurandum acceperunt ab homine, qui dixit et iuravit se transire ad moriendum in illa furca, quae ibi erat, et non ad aliam rem faciendam. Iudices animadverterunt hoc iusiurandum et dixerunt: «Si hunc hominem sinimus liberum esse, mentitus est suo iureiurando et secundum legem debet mori; sed si eum suspendimus furca, tamquam ille dixit se moriturum esse in illa furca, tunc dixit veritatem suo iureiurando et proinde et per ipsam legem debet liber esse.» A te quaeritur, domine gubernator, ut dicas quid iudices facturos esse erga illum hominem, quia hucusque illi de hac re dubitant et suspensi sunt. Et cum noverint acutum et altum intellectum tuum, miserunt me ut quaererem opinionem tuam in hoc confuso ac dubio casu.

Cui Sanctius respondit:

–Profecto, hi domini iudices possent haec excusare, quia ego sum vir rudus et non acutus intellectu; tamen dic mihi denuo hoc negotium ita ut intelligam; fortasse possem attingere scopum.

Rursum semel iterumque quaerens narravit quod antea dixit et Sanctius respondit:

–Mea opinione, hoc negotium solvam uno ictu et sic erit: ille homo qui iureiurando dixit se moriturum esse in furca, si moritur in ea iuravit veritatem et secundum legem meretur liber esse ac pontem transire; tamen si eum non suspendunt tunc iuravit mendacium et proinde meretur mortem.

–Hoc ita est tamquam dicis, domine gubernator –ait legatus ille–; et quoad leges et intellectum huius casus nihil amplius est quaerendi nec de quo dubitandi.

–Egomet dico nunc –obiecit Sanctius– ut hic vir, ex illa parte qua iuravit veritatem, debet transire et ex illa parte qua dixit mendacium debent eum suspendere, et hoc modo litteratim adimplebunt condicionem illius transitus.

–Tunc, domine gubernator –obiecit quaerens–, necesse est ut talis homo scindatur in duas partes, alteram mendacem et alteram veram, sed si dividitur necesse est ut moriatur et sic non sequitur quod lex postulat et lex oportet ut omnino adimpleatur.

–Veni huc ad me, bone vir –respondit Sanctius–; hic viator, nisi sim stultus, habet eamdem rationem ad moriendum quam ad vivendum et pontem transire; quia si veritas liberat eum, mendacium damnat eum aequaliter; et cum hoc ita sit, sicut est, mea sententia est ut dicas his dominis, qui ad me te miserunt, eos easdem rationes habere ad eum damnandum sive ad eum absolvendum, quapropter debent sinere ut libere transeat, quia semper magis laudandi est bonum facere quam malum. Et hoc darem meo nomine si scirem scribere, sed ego nunc temporis et in hoc casu non loquor nomine meo, sed quia ad meam memoriam venit praeceptum inter alia consilia, quae dedit mihi dominus Quixotus nocte proxima praeterita ante quam venirem ad gubernationem huius insulae. Et hoc fuit huiusmodi, cum iustitia esset in casu dubio, oportet ut semper pergam et accipiam misericordiam; et Deus voluit me nunc meminisse illius consilii, quod vere convenit huic occasioni.

–Hoc ita est –respondit villicus–, et, mea opinione, nec ipse Lycurgus, qui leges dedit Lacedaemoniis, posset sententiam meliorem invenire quam magnus Pansa dedit. Et, hoc veredicto dato, hodiernus conventus matutinus tribunalis finitur et egomet mandatum dabo ut dominus gubernator edat ad nutum suum.

–Hoc est quod vere oportet et utinam sic accidat mihi –dixit Sanctius–; et date mihi bonum prandium et veniant ad me casus et dubia iudicialia et ego solvam quaecumque sint.

Villicus adimplebit quod pollicitus est, quia onus grave conscientiae eius videbatur interficere tam prudentem gubernatorem, qui vere fame laborabat; praesertim nam ipse machinabatur illa nocte ultimam irrisionem facere Sanctio secundum quod commendaverant ei.

Et quidem ille comedit contra omnes regulas atque aphorismos doctoris Tirteafuera et, prandio finito, ac mappis levatis, et tunc accidit ut introivit tabellarius cum epistula domini Quixoti ad gubernatorem. Sanctius iussit ut imprimis secretarius eam legeret sibi et si non inveniret in illa quod magni secreti esset, tunc eam palam ac magna voce omnibus legeret. Sic fecit secretarius et ut primum eam percurrit suis oculis dixit:

–Bene possum legere magna voce quod dominus Quixotus scribit tibi, domine, et quidem meretur ut scriberetur litteris aureis et sic dicit:

EPISTULA DOMINI QUIXOTI A MANICA AD SANCTIUM PANSAM GUBERNATOREM INSULAE BARATARIAE

Cum exspectarem nuntios negligentiarum atque importunitatum tuarum, Sancti amice, eos audivi de tua prudentia quibus permultas gratias coelo egi, qui ex stercore scit suscitare pauperes et ex stultis facere prudentes. Dicunt te gubernare tamquam si esses vir et te esse virum tamquam si esses belua, secundum humilitatem quam ostendis. Tamen opus est ut animadvertas, Sancti, multoties conveniens ac necessarium esse, propter auctoritatem muneris contra humilitatem cordis agere; quoniam ornatus illius, qui est in gravi munere, debet esse conveniens erga eos qui petunt et non secundum humilitatem condicionis eius, quae impellit eum. Quare indue te bene ut oportet, quoniam fustis si est ornatus non videtur amplius fustis esse. Nolo autem dicere te ornari monilibus vel vestibus pretiosis, neque cum sis iudex amictus sis tamquam miles, sed ut ornes te ipsum veste idonea tuo munere cum haec munda sit et bene adaptata.

Ad obtinendam bonam voluntatem populi quem gubernas, inter alia debes duo facere: primum urbanus esse cum omnibus, quamvis hoc iam quondam dixerim tibi, et alterum curare abundantiam in rebus necessariis ad vitam; quoniam nihil est tam molestum pauperibus quam fames et penuria.

Noli facere multas leges, sed si vere eas facis cura ut bonae sint et ut custodiantur et adimpleantur; quoniam leges quae non servantur idem est ac si non essent. Sed e contrario ostendunt principem, qui habuit prudentiam atque auctoritatem ad eas faciendas, non habuisse potestatem ad eas servandas. Et leges quae tantum terreunt et non adimplentur erunt tamquam Trabs, rex ranarum, qui imprimis terruit eas et postea, tempore elapso, eum spreverunt atque in eum ascenderunt.

Esto pater virtutum et vitricus vitiorum. Noli semper rigidus esse, nec semper mollis, sed accipe mediam viam inter haec duo extrema; et in hoc est summa prudentia. Visita carceres, macellum et mercatum; quoniam praesentia gubernatoris in talibus locis est magni momenti: nam consolatur captivos, qui exspectant breviter solutionem damnationis, minatur laniis, qui tunc temporis stateras accuratas statuent et eadem ratione venditores terret. Noli esse cupidus nec ostendas sic esse –quod non credo de te–, nec libidinosus neque edax; quoniam si populus scit te sic esse et qui te tractant cognoscunt hanc debilitatem vel inclinationem tuam ibi oppugnabunt te usque ad deiiciendum te in profundum tuae perditionis.

Inspice et vide, lege et relege consilia et documenta, quae scripta dedi tibi, antequam proficisceris ad tuam gubernationem et videbis quomodo invenies in eis, si ea servas, magnum iuvamen ad labores tuos superandos et difficultates, quae gubernatoribus offeruntur. Scribe dominis tuis atque age eis gratias; quoniam ingrata voluntas est filia superbiae et maximum peccatum cognitum et si quis gratias agit eis qui bonum beneficium ei fecerunt, etiam gratias aget Deo, qui tanta bona ei iugiter facit.

Domina ducissa misit legatum cum tuis vestibus et aliud munus ad uxorem tuam Teresiam Pansam; ac nunc temporis responsum exspectamus.

Quoad me aliquantum male me habui et incommodis laboravi propter quoddam

negotium felinum quod accidit mihi et non valde bene meis naribus, tamen non fuit res magni momenti; nam si sunt incantatores qui oppugnant me, etiam alii sunt qui me defendunt.

Nuntia mihi utrum villicus, qui tecum est, aliquid habeat cum Trifalda, sicut tumetipse suspicatus es, et ex omnibus quae acciderint tibi da mihi nuntium, quia iter breve est; insuper quoniam ego breviter relinquam hanc vitam otiosam in qua nunc sum, nam non ad eam natus sum.

Negotium novum autem apparuit mihi et secundum quod credo potest infortunium afficere mihi cum his dominis. Tamen quamvis magni momenti sit mihi, pro nihilo facio, nam denique debeo semper facere et adimplere meam professionem quam meum desiderium, secundum quod dici solet: «amicus Plato, sed magis amica veritas». Et hoc dico tibi latine quoniam intelligo te hanc linguam didicisse cum sis gubernator. Et cura ut valeas et Deus sit tecum ita ut nemo lamentetur te.

Amicus tuus

DOMINUS QUIXOTUS A MANICA

Sanctius audivit litteras magna attentione et hae caelebrandae sunt ut prudentes et continuo Sanctius surrexit de mensa et vocans secretarium suum clausit se in suo habitaculo et, nulla mora elapsa, voluit ilico domino Quixoto respondere, quare dixit secretario ut scriberet, nulla additione nec diminutione facta, quae ipse ei diceret quod ille sic fecit et epistula fuit huiusmodi:

EPISTULA SANCTII PANSAE AD DOMINUM QUIXOTUM A MANICA

Occupatio negotiorum meorum magna est et nullum tempus est mihi ad caput scabendum nec immo ad ungues recidendas et sic eas valde longas habeo, nisi Deus aliter provideat. Haec dico tibi, domine animi mei, ne expavescas si hucusque nondum nuntiavi tibi meam gubernationem tum bonam tum malam esse, tamen in qua laboro maiore fame quam cum fuimus per silvas et deserta loca.

Dux autem nuper scripsit ad me et mihi nuntiavit nonnullos exploratores introiisse in insulam ad occidendum me, sed hucusque nondum develavi nisi doctorem, qui salarium habet in hoc loco ad interficiendos gubernatores qui huc veniunt: vocatur Petrus Recio et natus est in Tirteafuera: ut cognoscas, domine, nomen eius et videas utrum debeam timere mortem ope manuum eius necne! Hic talis doctor dicit se non curare morbos, cum illi sint, sed eos praevenit ne veniant; et medicamenta quibus utitur sunt diaeta et diaeta ac magis diaeta, donec ponat infirmum puris ossibus, tamquam si debilitas non esset maior aegritudo quam febris. Rursum ille lente occidit me fame et egomet morior iracundia, nam cum veni ad hanc gubernationem arbitratus sum comedere cibum calefactum et potum frigidum bibere et corpus refocillare inter lintea Hollandiae ac super culcitas plumae, tamen huc veni ad poenitentiam faciendam tamquam si eremita essem, sed eam non facio mea voluntate et sic credo in finem diabolus adducet me secum.

Hucusque nondum accepi stipendium nec subornationem, nec possum credere quomodo hoc erit mihi; quia audivi dicere gubernatores, et quidem ante quam ad hanc insulam veniant, magnam pecuniam obtinere sive quia insulani eis dant ut munera sive commodant eis et haec est consuetudo ordinaria in ceteris, qui ad gubernationem perveniunt, et hoc non tantum in hac insula.

Die hesterno, nocte, cum essem in circuitu nocturno huius pagi inveni pulchram virginem, quae induebat vestem viri et fratrem eius amictum vestibus muliebribus; magister escarius autem adamavit hanc puellam eamque elegit ad uxorem ducendam in suis cogitationibus, secundum quod ille dixit, et ego elegi iuvenem puerum tamquam generum meum. Hodie vero de nostris cogitationibus locuturi sumus cum patre amborum, qui est dominus Didacus de la Llana, fidalgus ac vetus christianus quam multum hoc desideretur.

Ego visito omnes mercatus, sicut dixisti mihi, et heri inveni mulierem, quae vendebat avellanas novas, et indagavi et vidi modium avellanarum novarum et aliud modium veterum vacuarum et putridarum et has omnes apprehendi pro pueris doctrinae, qui bene sciunt distinquere inter eas et dedi illi sententiam ne veniat per quindecim dies ad mercatum. Dixerunt mihi me hoc fecisse strenue; sed etiam possum tibi dicere, domine, has mulieres venditrices pessimam famam habere, quia audaces sunt et praeditae nullis scrupulis ac minima verecundia, et ego sic credo, quia vidi eas in aliis oppidis.

Magnum gaudium habeo quia domina ducissa scripsit ad meam uxorem, Teresiam Pansam, et ad eam misit munus secundum quod tu, domine, mihi dicis, quare ostendam me gratias agere ei tempore opportuno; interea osculare, quaeso, domine, manus ducissae ex mea parte et quidem potes ei nuntiare me dixisse eam nullo modo proiecisse in saccum ruptum quod fecit, sicut ex meis operibus ipsa videbit.

Noli habere rixas cum dominis meis, quia si tu, domine, disputas cum eis, etiam ad me afficiet damnum et non bonum est ut des mihi consilium ut ego gratus sim erga eos, dum tu non facias hoc modo cum eis, qui tam multa beneficia dederunt tibi et tam magna munera praebuerunt tibi in castello eorum.

Nescio quid sit illud negotium felinum de quo loqueris, sed imaginor haec fuisse facinora, quae tecum solent facere malefici incantatores; sed iam cognoscam hanc rem cum nos mutuo videamus.

Etiam vellem tibi aliquam rem dare, sed nescio quid possim mittere nisi cannulas clysteris, quas adaptant vesiculis miro modo in hac insula, et si officium meum perdurat mihi aliquantulum iam quaeram, quid possim tibi mittere tum propter stipendium tum propter subornationem.

Si fortasse uxor mea Teresia Pansa scriberet ad me, solve sumptum tabullario et mitte ad me epistulam illius, quia habeo magnum desiderium cognoscendi nuntios de domo mea, necnon et salutem uxoris meae ac liberorum meorum. Et, his rebus dictis, Deus liberet te, domine, a pessimis incantatoribus et educat me bene et in pace ex hac gubernatione, quod equidem dubito, secundum curat de me doctor Petrus Recio.

Famulus tuus

SANCTIUS PANSA, GUBERNATOR

Has litteras clausit secretarius et postea misit ad tabellarium, sed qui illudebant Sanctium

mandatum dederunt inter se quomodo eum e gubernatione eiicerent; et illam vesperam transivit Sanctius agendo de rebus pertinentibus ad bonam gubernationem illius insulae, secundum quod ille arbitrabatur, et iussit ne essent propolae escarum in re publica, et ut possent introducere in eam vinum ex regionibus quae vellent, sed opus erat ut adderent locum originis ad pretium opportunum secundum aestimationem, qualitatem et famam vini et si quis aquam immisceret vino sive mutaret nomen eius capite damnaretur.

Pretium omnium calceamentorum minuit, praesertim calceorum, quia ei videbatur immoderatum esse. Taxam salariis famulorum statuit, qui propter lucrum iter faciebant extra viam ordinariam. Multavit gravibus poenis illos, qui cantus lascivos canebant, die noctuque. Iussit ut nullus caecus caneret in suis carminibus miraculum de quo non haberet testimonium veritatis, quia ei videbatur plerosque caecos cantare carmina simulata in detrimento veritatis carminum.

Fecit et instituit custodem pauperum non autem ad eos persequendos, sed ad probandum utrum veri indigentes essent necne, nam, sub umbra simulatae amputationis ac plagae falsae, ambulant bracchia latronum et salus eorum ebria. Breviter, ille talia iussit et quidem tam bona, quae in illo loco servantur et nuncupantur *Constitutiones magni gubernatoris Sanctii Pansae.*

Capitulum 52. Ubi narrantur res gestae alterius nutricis dominae Dolorosae, sive Afflictae, alias domina Rodríguez

Cum dominus Quixotus sanavit de suis lacerationibus, Cide Hamete narrat ut ei videretur vitam in illo castello esse contra omnem ordinationem equitatus quo fungebatur, quapropter decrevit veniam quaerere a duce et ducissa ut egrederetur Caesaraugustam, cuius festivitates prope erant et ubi arbitrabatur lucrari armaturam, quae in illis festivitatibus obtinebatur.

Et cum esset quodam die accubitus ad mensam una cum duce et ducissa et vellet ostendere eis suam voluntatem quaerendi illam veniam, en improviso per ianuam vestibuli intraverunt duae mulieres, sicut postea hoc visum est, coopertae vestibus funebribus, e summo capite usque ad pedes, una earum cum venit ad dominum Quixotum postravit se ad pedes eius in longitudinem, os suum autem habebat ad pedes domini Quixoti et magnis gemitibus tam tristibus ac profundis posuit confusionem omnibus circumstantibus, qui eam audiebant et inspiciebant; et quamvis dux et ducissa putarent famulos eorum velle hanc irrisionem facere de domino Quixoto cum viderent quam arcte illa mulier suspirabat, gemebat et flebat, dubitaverunt de hac re et manserunt suspensi, donec dominus Quixotus commiserans levavit eam de terra et fecit ut detegeret se et auferret velum de sua facie lacrimosa.

Illa autem sic fecit et ostendit quod numquam potuerunt credere, quia develavit vultum dominae Rodríguez, nutricis illius domus, et etiam altera cum vestibus funebribus, quae erat filia eius, decepta a filio illius divitis agricolae. Admirati sunt omnes qui eam cognoscebant, sed praesertim dux ducissaque plus quam reliqui; quia

eam ut stultam habebant et valde benignam, et non potuerunt credere eam facere dementias insolitas. Denique domina Rodríguez vertit se ad dominos suos eisque dixit:

–A vobis quaeso, excellentissimi domini, ut detis mihi veniam loquendi cum hoc equite, quia sic convenit mihi ut possim bene exire de meo negotio in quo posuit me audacia cuiusdam viri rustici praediti maligno consilio.

Dux dedit ei veniam requisitam ut loqueretur cum domino Quixoto tam multum quam illa vellet. Ipsa autem vertit vocem et vultum versus dominum Quixotum cui dixit:

–Abhinc nonnullos dies, strenue eques, locuta sum tecum de iniquitate ac perfidia, qua agricola malignus fecit carissimae filiae meae, quae est haec praesens infelix et tu pollicitus es mihi eam defendere, solvens iniuriam factam, et nunc pervenit ad aures meas te voluisse proficisci ex hoc castello ad quaerendas bonas res gestas, quas Deus tibi provideat; et sic volui ut ante quam pervenias ad has vias, velles hunc rusticum indomitum ad duellum provocare, ita ut ipse filiam meam ducat uxorem ad adimplendum, quod ipse ei promitteret ducendi eam ante quam cum ea iaceret; quia credere ducem facturum esse hanc iustitiam hoc est idem ac pira ab ulmo quaerere, propter statum rerum quem iam exposui tibi. Et his rebus peractis, Deus Dominus Noster det tibi plurimam salutem et ne velit deserere nos.

Dominus Quixotus, his argumentis auditis, respondit magna gravitate atque affectatione.

–Bona domina, tempera lacrimas tuas, sive deterge eas et tua suspiria parce, quia egomet sumo in manus meas remedium filiae tuae, cui melius fuisset non tam facile credere promissionibus amantium, quoniam hi cito promittunt et difficulter adimplent; quare et cum venia ducis domini mei quaeram hunc immanem iuvenem, eumque inveniam et provocabo ad duellum eumque interficiam quoties recuset adimplere promissum suum, quoniam primum negotium in mea professione est ignoscere humilibus et punire superbos; volo dicere succurrere miseris et destruere inhumanos.

–Non necesse est –respondit dux– ut tu, domine, quaeras hunc virum rusticum, de quo haec bona domina queritur, neque opus est ut a me hanc veniam quaeras ad eum provocandum ad duellum; quia egomet accipio eum provocatum esse et sumo in manus meas hanc provocationem, ita ut ipse hanc accipiat et libenter veniat ex se ad hoc castellum meum, ubi dabo campum liberum ambobus ad proelium faciendum, servatis condicionibus servandis, secundum consuetudinem et iustitiam amborum ut debeant servare omnes principes, qui campum liberum dant his, qui in suis limitibus et iurisdictionibus pugnant.

–Cum hac securitate ac bona licentia tua, excellens domine –obiecit dominus Quixotus–, et ex hoc et in futurum respuo privilegia meae nobilitatis atque adaequo me qualitati nocentis ut aequales simus et ille possit mecum pugnare; et sic, quamvis absens sit, ego eum ad duellum provoco propter malum, quod fecit defraudando hanc miseram, quae fuit virgo et propter culpam eius iam non amplius est, quare debeat adimplere promissum suum ut sit legitimus maritus sive mori in pugna.

Et continuo denudavit de manu sua chirothecam eamque proiecit in medium vestibulum et dux eam levavit dicens, ut dictum est, se accipere talem provocationem in nomine sui subditi et statuit tempus ex hoc in sex dies et campum in cohorte illius castelli et arma solita equitum: lancea et scutum, atque armatura composita cum

omnibus partibus eius, absque dolo, et magicis amuletis, quae antea videbunt iudices pugnae.

–Sed ante omnia opus est ut haec bona nutrix ac mala virgo ponant ius iustitiae earum in manus domini Quixoti; quia aliter nil faciet neque perveniet ad exsecutionem huius duelli.

–Ego sic pono libenter –respondit nutrix.

–Atque ego etiam –addidit filia lacrimosa, perturbata ac plena verecundia.

Et, his condicionibus acceptis, dux putavit quid in hac occasione faciendum esset, dum mulieres amictae funebribus vestibus egressae sunt; et ducissa autem iussit ut ex hoc et in futurum non tractarent eas tamquam famulas, sed ut dominas peregrinas, quae ad domum eius pervenerunt ad iustitiam quaerendam; et hoc modo eis dederunt cubiculum seorsum ac tamquam hospitibus servierunt et non sine pavore reliquarum famularum, quae nesciebant quid hoc esset de imprudentia dominae Rodríguez ac de infortunio filiae eius.

Interea et, ad festivitatem oblectandam et ad prandium bene finiendum, en introivit in vestibulum ephebus, qui epistulas et munera ad Teresiam Pansam, uxorem gubernatoris Sanctii Pansae, secum adduxit; de cuius adventu dux ac ducissa valde gavisi sunt, quia cupiebant scire quod acciderat ei in itinere et legatione eius et ab eo quaesiverunt. Ephebus autem dixit se non posse palam omnibus haec omnia narrare neque brevibus verbis: sed dux ducissaque possent cum eo seorsum de his colloqui et interea etiam possent litteras quas secum ferebat legere. Eduxit litteras et posuit in manus ducissae. Altera earum dicebat: «Epistula ad dominam meam ducissam talem, sed nescio unde» et altera: «Ad meum maritum Sanctium Pansam, gubernatorem insulae Baratariae, quem Deus provideat et quidem plus quam me.» Panis in coctione nimis demorabatur, ut dici solet, propter aviditatem quam ducissa habebat legendi suam epistulam, quam aperuit et legit sibi et cum vidit se posse eam palam legere magna voce ita ut dux et omnes circumstantes eam audirent, hoc modo legit:

EPISTULA TERESIAE PANSAE AD DUCISSAM

Domina mea, valde gavisa sum de epistula, quam tu, magnifica domina, scripsisti ad me et reapse quam multum eam desideravi. Torques coralliorum est valde bonus et vestis venatoria mariti mei non minoris ponderis. Omnis hic locus magnum contentum habuit, quia fecisti gubernatorem Sanctium, coniugem meum, quamvis nemo sit qui hoc credat, praesertim parochus et magister Nicolaus, tonsor, ac baccalaureus Samson Carrasco; sed quid hoc ad me? Cum hoc ita sit, sicut est, illi possunt dicere quidquid velint; sed si torques coralliorum non pervenisset huc ac vestis nec ego id crederem, quia in hoc oppido omnes credunt meum maritum stultum esse et tantum posse gubernare pecus caprarum, quamobrem non possunt credere ad quamlibet gubernationem eum bonum esse. Tamen Deus id faciat atque eum ducat et provideat pro necessitate liberorum eius.

Ego autem, domina animi mei, decrevi, cum tua licentia, introducere bonam fortunam in domum meam et ad aulam regiam venire super carpentum ad excruciandos omnes, qui invident mihi. Eodem modo rogo te, excellentissima domina, ut iubeas marito meo ut mittat mihi quamdam pecuniam, et ut alicuius momenti haec

sit, quia in aula regia sumptus magni erunt; panis constat argenteo et libra carnis triginta teruntiis, quod est permultum. Tamen si casu ille non vult me adire debet hoc mihi quamprimum, dicere quia pedes mei festinant ad hoc iter faciendum; nam multae sunt amicae et vicinae oppidanae, quae dicunt mihi, si ego et filia mea ad aulam regiam venimus et quidem ornatae ac praeditae magna pompa, omnes cognoscent meum maritum per me magis quam per eum ipsum et absque dubio multi quaerent «Quaenam dominae sunt istae, quae hoc carpento vehuntur?» et tunc famulus meus respondebit: «Uxor et filia Sanctii Pansae, gubernatoris insulae Baratariae», atque huiusmodi Sanctius cognitus erit et egomet aestimata ero et Romam eamus cum gaudio nostro!

Doleo magna tristitia hoc anno non esse glandes in hoc oppido; nihilominus mitto tibi, excellentissima domina, dimidium modium quas singillatim carpsi et elegi in monte, maiores autem non inveni, sed ego vellem eas tamquam ova struthionis esse.

Ne obliviscaris, pomposa domina, scribendi ad me et egomet curabo in responso de mea salute et de omnibus quae animadvertenda sint huius loci, ubi rogo Dominum Nostrum ut curet de te, magnifica domina, et ne obliviscatur mei. Sanctia, mea filia, et filius meus osculantur manus tuas, domina.

Famula tua quae plura desideria habet videndi te, excellentissima domina, quam scribendi ad te,

TERESIA PANSA

Magno gaudio affecti sunt omnes audiendo epistulam Teresiae Pansae, praesertim dux et ducissa a domino Quixoto quaesiverunt utrum bonum esset litteras aperire, quae ad gubernatorem missae erant, quia illa imaginabatur has optimas esse. Dominus Quixotus dixit se eas aperturum esse secundum desiderium eorum et sic fecit et vidit quod dicebant et sic hoc modo erat:

EPISTULA TERESIAE PANSAE AD SANCTIUM PANSAM MARITUM SUUM

Tuam epistulam accepi, Sancti animi mei, et ego promitto et iuro tibi tamquam catholica christiana non deesse mihi duos digitos quin pervenirem ad insaniam. Vide, frater, cum audivi te gubernatorem esse credidi me mori ex hoc tam magno gaudio, quia tu bene scis tam multam laetitiam subitaneam quam magnum dolorem occidere posse. Non idem fuit Sanctiulae, tuae filiae, quia cum haec audiret continuo minxit in suis pannis et non sensit has aquas, propter hunc magnum contentum. Vestis quam misisti mihi habebam ante oculos meos et corallia, quae ducissa, domina mea, misit mihi, erant super collum meum et epistulae in manibus meis et qui ea tulit etiam erat coram me et nihilominus credebam hoc esse somnium, quod videbam et tangebam, quia quisnam posset credere caprarium fieri gubernatorem insularum? Sed tu vere scis quod mater mea dixit, nempe oportebat multum vivere ad multa videnda. Et hoc dico, si longius vivo magis videbo, et non detineam me donec videam te locatorem sive exactorem vectigalium tributorumque, quia in his officiis semper habent pecuniam eamque administrant, quamvis diabolus ferat secum eos qui eis male utuntur. Ducissa domina mea dicet tibi de meo desiderio perveniendi ad aulam

regiam; cogita de hoc et dic mihi, quae sit voluntas tua et egomet curabo te honorare in his cum vehar carpento.

Parochus, tonsor ac baccalaureus et immo sacrista non possunt credere te gubernatorem esse et dicunt haec omnia mendacia esse sive res incantamenti, sicut omnes res domini Quixoti, tui domini, et Samson vult quaerere te ad educendam hanc gubernationem de tua mente ac dementiam domini Quixoti de animo eius. Ego autem non possum risum tenere dum video corallia et vestem tuam ex qua aliam vestem faciam nostrae filiae.

Quasdam glandes misi meae dominae ducissae; et utinam essent glandes aureae! Mitte mihi quamdam torquem margaritarum si utuntur eis in insula.

Quoad nuntios huius loci, filia Berruecae nupsit cuidam pictori malae manus, qui ad hunc pagum venit ad pingendum quidquid esset. Concilium loci iussit ei ut pingeret arma Regis super portas domus concilii et ille quaesivit duos denarios propter laborem, eique eos dederunt anticipate; ille laboravit per octo dies et denique nihil pinxit et dixit se nescire has res frivolas pingere et pecuniam reddidit. Tamen duxit uxorem sub titulo boni operarii; sed verum est se reliquisse penicillum et accepisse ligonem et laborat in agro tamquam nobilis praeclarus. Filius Petri Lobo obtulit primas ordinationes sacras necnon tonsuram et conatur fieri clericus; hoc scivit Minguilla, neptis Mingi Silvato, et statim postulavit iudicium contra eum, quia promisserat eam ducere uxorem; sunt enim calumniatores, qui dicunt eam gravidam esse ab eo, ille autem haec omnino negat.

Hoc anno non sunt olivae nec invenitur gutta aceti in toto pago. Turma militum transivit huc; tres puellas ex hoc oppido adduxerunt secum; nolo autem tibi dicere quaenam sint; fortasse reversurae erunt et non deerit, qui eas ducat uxores cum virtutibus et vitiis earum.

Sanctiula laborat suendo fimbrias reticulatas; omni die lucratur octo teruntios liberos, quos custodit in crumena fictili, ad iuvandam supellectilem, sed nunc ut filia gubernatoris tu dabis ei dotem, nullo labore praedito ex parte eius. Fons plateae pagi siccus est; fulmen cecidit super patibulum, sed quid hoc ad me?

Exspecto responsum huic epistulae et consilium tuum ita ut perveniam ad aulam regiam, et, his rebus peractis, Deus curet de te plures annos quam de me, sive saltem eosdem; quia nolo te in hoc mundo esse absque me.

Uxor tua

TERESIA PANSA

Epistulae hae fuerunt dignae laudationis, etiam ridendi, admiratae atque aestimatae valde et in finem totius huius rei et tamquam sigillum advenit tabellarius, qui litteras adduxit quas Sanctius miserat ad dominum Quixotum; quae eodem tempore palam lectae fuerunt, et vi quorum posuerunt in dubio simplicitatem gubernatoris.

Ducissa autem secessit seorsum cum ephebo ad cognoscendum quid accidit ei in pago Sanctii. Hic autem ei accurate omnia narravit et nullum statum rerum praetermisit quin eum enarraret; dedit ducissae glandes et etiam caseum, quem Teresia dedit ei, quia valde bonus erat et superabat caseos oppidi Tronchón. Ducissa autem eum accepit magno gaudio et, his rebus peractis, eam relinquemus ad narrandum finem quem habuit gubernatio magni Sanctii Pansae, floris ac speculi omnium gubernatorum insularum.

Capitulum 53. Ubi narratur arduus finis, quem habuit gubernatio Sanctii Pansae

Superfluum est credere res huius vitae semper permansuras esse. Potius omnia videntur cyclos habere et sic ver ante aestatem venit, aestas ante tempus caniculare, tempus caniculare praecedit autumnum, autumnum vero tempus hiemale et tunc hiems tempus vernum praecedit, et hoc modo tempus iter facit hac rota continua. Tantummodo vita decurrit ad suum finem et quidem velocior tempore, nulla renovatione nisi in altera vita accepta, et nullos limites habet, qui eam circumscribant. Hoc dicit Cide Hamete, philosophus mahometanus; quibus verbis vult exprimere levitatem atque instabilitatem huius vitae praesentis ac diuturnitatem aeternae, quae nos exspectat. Multi autem, nulla fide adhibita, praeter lumen naturae, hoc sic intellexerunt; noster auctor, igitur hoc dicit propter celeritatem, qua gubernatio Sanctii finivit, consumpsit, atque evanuit et facta est ut umbra fumusque.

Hic autem septima nocte suae gubernationis cum esset accubitus suo lecto, et quidem numquam satiatus pane vel vino, sed iudicando et sententias dando, statuendo decreta et leges, cum somnus, praeter famem, inciperet palpebras eius claudere, en subito audivit magnum strepitum campanarum cum vocibus et non videbatur ei nisi insulam totam submergi. Ille sedit super lectum et attente auscultavit utrum fortasse posset discernere causam tam magni tumultus necne; sed non potuit id scire, quia perplexus ac perturbatus erat omnino propter fragorem et voces, campanas atque innumeras tubas et tympana, quae addita sunt, et timuit magno pavore et surrexit et calceos induit propter umidam [sive humidam] terram, et, nulla veste induta, advenit ad ianuam cubiculi sui cum vidit ad se venire per quasdam fauces plus quam viginti viros cum facibus accensis in manibus et cum gladiis nudis et cuncti magnis vocibus clamabant:

–Ad arma, ad arma, domine gubernator! Quia innumeri inimici in insulam intraverunt et perditi sumus nisi tu, domine, tua industria ac strenuitate succurras nobis.

Hoc strepitu, furore ac tumultu advenerunt ubi Sanctius erat attonitus et perturbatus ex hoc quod audiebat et videbat et cum ad eum pervenerunt quidam eorum dixit ei:

–Accipe arma, domine, et confestim, nisi velis perdere te et ut tota haec insula deperdatur!

–Quid debeo ego arma accipere –respondit Sanctius–, cum nil sciam egomet de armis neque de auxiliis? Melius erit has res domino Quixoto relinquere, qui in ictu oculi solvet et ab hoc periculo nos liberabit; quia ego, me miserum! peccator fui in conspectu Dei et nil intelligo de hac festinatione.

–O domine gubernator! –ait alter–. Quaenam est haec tarditas? Accipe arma, quia hic sunt tum arma, tum tela, nempe ad defendendum et ad impugnandum, egredere ex hac arce atque esto ductor duxque noster, quia secundum ius hoc pertinet ad te, cum gubernator noster sis.

–Induite me armatura, et Deus providebit –obiecit Sanctius.

Confestim duos clipeos adduxerunt ei, quos secum ferebant eosque posuerunt

super subuculam eius, et nullam aliam vestem induerunt ei, clipeum a fronte et clipeum a tergo et per foramina facta extraxerunt bracchia eius et funibus fortiter alligaverunt eum ita ut esset clausus inter medias tabulas, erectus ut fusus et non potuit genua flectere nec quidem gressum ultra progredi. In manus eius posuerunt lanceam, qua nixus est pedibus ne caderet. Cum hunc sic habuerunt dixerunt ei ut iter faceret ac duceret illos et incitaret animos omnium; nam ille erat Stella Polaris omnium, lanterna ac lux, quibus negotium eorum bonum finem obtineret.

–Quomodo, Hercle, potero iter facere, me miserum! –respondit Sanctius–, si nec rotulas genuum meorum movere possum, quia hae tabulae, quae tam coniunctae corpori meo sunt, impediunt mihi motum facere? Quod oportet est, mea opinione, adducere me super bracchia vestra et ponere me transversum sive erectum super quoddam podium, quod ego defendam ope huius lanceae sive mei corporis.

–Veni, domine gubernator –inquit alter–, quia magis facit metus quam tabulae ad gressum tuum detinendum; accurre, admove te quia iam sero est et inimici excrescunt, voces adaugent et periculum imminens est.

Per has persuasiones ac vituperia miserrimus gubernator conatus est sese movere et hoc modo per terram cecidit magno ictu et credidit se fractum esse. Remansit autem tamquam testudo clausa suis conchis, sive ut lardum inter duos alveos, sive ut cymba quae transverse dat in arenam. Tamen illa sordida plebecula non habuit commiserationem erga eum, quamvis viderent eum lapsum in terra, et facibus lucis exstinctis, adauxerunt voces et iterum iterumque «ad arma!» vocaverunt magna celeritate et Sanctium pedibus calcaverunt et magnos atque innumeros ictus gladii dederunt super clipeos et nisi protegeret se et contraheret se introducens caput inter clipeos illos, male eveniret misero gubernatori, qui in illa angustia recolectus erat et sudabat et persudabat et toto corde sese commendabat Deo ut eriperet eum ab illo periculo.

Nonnulli eum offendebant, alii vero cadebant super eum et etiam fuit qui super eum mansit longam moram temporis et illinc tamquam in speculatorio ducebat omnes exercitus et magnis vocibus clamabat:

–Huc ad nostros tuendos, quia hic inimici oppugnant nos! Illud ostium custodite, claudite illam portam, scalas demittite deorsum! Adducite ollas plenas pice et resina cum oleo in ebullitione! Aggerem et vallum exstruite in viis ope culcitarum!

Denique alacriter nominabat omnes minutas res et instrumenta bellica, quibus possunt sese defendere in oppugnatione cuiusdam oppidi et Sanctius contusus, qui haec omnia auscultabat et patiebatur inter se dicebat:

–O Domine mi, utinam haec insula deperdatur a me ac videam me tum mortuum tum extra hoc magnum periculum!

Coelum audivit hanc supplicationem et, nemine exspectante, audivit voces dicentes:

–Victoria, victoria! Inimici retro egressi sunt! Euge, domine gubernator, surge et veni gaudendo de palma victoriae necnon et ad distribuendam nobis praedam captam ex inimicis propter invictum bracchium tuum!

–Levate me –dixit Sanctius contusus voce dolorosa.

Adiuvarunt eum ut surgeret et cum staret erectus dixit:

–Inimicum quem vincerem vellem ut affigerent ad frontem meum. Nolo praedam

inimicorum distribuere, sed quaerere et rogare a quodam amico, si vere quidam amicus est mihi, ut mihi det haustum vini, quia laboro siti et detergeat a me hunc sudorem, quia effundo aquas.

Deterserunt eum et adduxerunt ei vinum, deligaverunt clipeos et sedit super lectum suum atque elanguit exanimis ex timore, ex formidine ac summo labore. Qui illuserunt eum dolebant, quia nimis fecerunt contra eum; tamen Sanctius factus est compos sui et hoc temperavit animos eorum propter tristitiam ex languore eius. Ille autem quaesivit quota hora esset; responderunt ei dicentes diem iam lucescere. Tacuit et nil amplius dixit, tamen incepit induere vestes suas submerso magno silentio, cunctique eum intuebantur et exspectabant quid esset haec magna celeritas induendi vestes eius. Denique ac pedetentim, quia valde contusus erat, amictus fuit et non potuit multum facere, sed ad stabulum pervenit et omnes circumstantes eum sequebantur et ille ad asinum suum venit, quem arcte amplexus et osculatus est frontem eius osculo pacis et multis lacrimis in oculis dixit ei:

–Veni huc, sodalis atque amice mi, qui labores et miserias meas patienter tulisti; cum essem tecum et nullas alias cogitationes haberem quam quae dabant mihi curare de tuo capistro ac sustentare tuum corpus, tunc beatae erant horae meae, dies mei atque anni; tamen postea reliqui te et ascendi turres aviditatis superbiaeque et in animum meum introductae sunt mille miseriae, mille labores et quattuor milia inquietudinum.

Et dum has sententias dicebat, nemine discrepante, parabat clitellas asino. Et, asino convenienter ac recte parato, magno cum dolore in eum ascendit et sua verba atque argumenta ducens ad villicum, ad secretarium, ad magistrum escarium necnon et ad doctorem Petrum Recio et ad multos alios, qui ibi circumstantes erant, dixit:

–Aperite mihi viam, domini mei, et sinite me ad pristinam meam libertatem reverti, ita ut possim meam vitam praeteritam quaerere et ex hac morte praesenti resurgere. Egomet non natus sum ut fiam gubernator, ad insulas defendendas vel urbes ab inimicis, qui eas oppugnent. Melius est mihi labor arandi agros, fodendi, putandi vineas atque inserendi sarmenta quam leges facere et provincias regnaque defendere. Bene erit Sanctus Petrus Romae: et volo dicere melius est ut unusquisque fungatur suo officio ad quod natus sit. Melius est falx in manu mea quam sceptrum gubernatoris; potius volo saturari torridis placentis quam sustentari sub miseria cuiusdam importuni medici, qui occidat me fame et melius est mihi ut sedeam sub umbra cuiusdam quercus tempore aestivo et ut induam vestem pellitam pastoris tempore hiemali in mea libertate, quam accumbere inter lintea Hollandiae et induere pelles caeparias vel speciosas martis. Manete omnes vos cum Deo ac dicite duci, domino meo, me nudum natum esse et nudum me invenire, quare nec lucror nec perdo; ut ita dicam, sine pecunia intravi in hanc gubernationem et sine ea etiam exeo; e contrario sicut gubernatores solent exire de aliis insulis. Secedite ad invicem et sinite me egredi, quia opus est ut curem contusiones vel vulnera mea fasciis, quia credo me habere omnes costas diruptas ab inimicis, qui hac nocte pedibus calcaverunt me.

–Hoc non erit huiusmodi atque ita, domine gubernator –inquit doctor Recio–, quia ego dabo tibi potum contra lapsus et contusiones et statim reverteris ad tuam pristinam valetudinem et robur, et quoad cibum promitto emendare me et sinam te abundanter edere quidquid velis.

–Serius aequo! (litt. *tarde piache*) –respondit Sanctius–. Sic ego hic manebo sicut fiam gens turcarum. Hae facetiae non erunt denuo mecum. Non manebo, per Deum, in hac gubernatione, quamvis mihi hanc darent inter duos catinos, tamquam volare ad coelum sine alis. Ego sum ex genere Pansarum et omnes sunt contumaces et si semel dicunt non, hoc ita erit, quamvis omnes homines huius mundi contrarium dicant. Maneant in hoc stabulo alae formicae, quae extulerunt me in aerem ut cypseli sive hirundines et aliae aves comedant me et veniamus ad iter faciendum super terram et gressu plano, et si non ornabunt pedes calceis coriaceis non deerunt eis calcei ex cannabo. Et omnis ovis cum simili suo, et nemo audeat pes extendere longius quam sit linteum, et sinite me transire, quia serius aequo est mihi.

Cui villicus dixit:

–Domine gubernator, libenter vellemus te egredi, quamvis multum doleat nobis amittere te; quia per tuum ingenium ac tuum christianum modum agendi vere diligimus te. Tamen omnis gubernator, ut patet, oportet computum et rationem dare de sua gubernatione; redde tunc hanc rationem ex decem diebus quibus fuisti in gubernatione et vade in pace Dei.

–Nemo autem a me quaerat eam –respondit Sanctius–, nisi cui dux, dominus meus, iubeat mihi. Ego loquar cum eo eique dicam; potissimum quia nudus exeo sicut vere egredior, non necesse est aliud signum ad dicendum me gubernavisse tamquam angelus.

–Per Deum! magnus Sanctius recte iudicavit –inquit doctor Recio–, et, mea sententia, debemus sinere ut exeat, quia dux gaudebit summopere videndo eum.

Cuncti autem convenerunt huic consilio, eique siverunt ut exiret eique comitatum eorum obtulerunt et omnia quae essent ad munus eius atque ad commodum itineris faciendi. Sanctius autem dixit se tantum voluisse parum hordei asino et dimidium caseum ac dimidium panem sibi; quia iter breve erat et non necesse erat amplius nec melius ad viaticum.

Omnes amplexi sunt eum et ille ad invicem flens cunctos amplexus est et omnes admirati sunt valde tum de argumentis tum de voluntate eius tam valida ac prudente.

Capitulum 54. Ubi narrantur res ad hanc historiam pertinentes et non ad aliud negotium

Dux ducissaque deliberaverunt ultra prosequi provocationem, quam dominus Quixotus fecit subdito eorum, propter iam dictam causam, tamen iuvenis de quo agebatur tunc erat in Flandria, quo fugiens egressus est et quidem ad socrum vitandam, nempe dominam Rodríguez, quare in suo loco posuerunt pedisequum gasconicum, nomine Tosilos, quem antea adaequate docuerunt omnia, quae oportebat facere.

Duobus diebus elapsis, dux dixit domino Quixoto quo modo intra quattuor dies veniret adversarius eius et in campo produceret sese armatum ut equitem et tunc

sustentabit illam virginem mentiri per mediam barbam nisi per totam barbam integram, si vero illa affirmabat eum dedisse ei promissum ducendi eam uxorem. Dominus Quixotus, his nuntiis auditis, valde gavisus est ac promisit sibimet miras res facere in hac opportunitate, quia magnam fortunam habuit ad accipiendas tales res gestas ex quibus domini illi possent videre quonam extenderetur strenuitas sui robusti bracchii. Et hoc modo contentus et exultans exspectabat illos quattuor dies, qui ei videbantur, propter magnum desiderium suum, quadringenta saecula.

Sinamus eum transire, sicut etiam alias res reliquimus et veniamus ad comitandum Sanctium, qui tum laetus tum moestus iter faciebat super asinum sedens, quaerendo dominum suum, cuius comitatum maioris momenti faciebat quam esse gubernator omnium insularum huius mundi.

Et accidit ei, cum nondum multum secesserat ab insula suae gubernationis –quia numquam inquisivit utrum esset insula, an urbs, oppidum vel locus quam ipse gubernabat–, et ecce vidit per viam, in qua veniebat, sex peregrinos cum suis baculis, ex his alienigenis qui eleemosynam quaerunt cantando, qui cum venirent ad eum posuerunt se in linea et omnes uno ore levaverunt voces et inceperunt cantare in lingua eorum, quod Sanctius nullo modo potuit intelligere, nisi verbum quod clare et aperte pronunciabant, nempe *eleemosynam*, quare intellexit eos eleemosynam quaerere cantu eorum; et secundum dicit Cide Hamete, Sanctius erat munificus et ex suis clitellis extraxit dimidium panem et dimidium caseum quo instructus erat eisque dedit, dicens eis per signa se nil amplius habere. Illi autem magno gaudio receperunt et dixerunt:

–*Guelte*, *Guelte* [*Geld*, germanice pecunia].

–Non intelligo –respondit Sanctius– quid a me quaeritis, boni viri.

Tunc unus ex eis extraxit de suo sinu crumenam et ostendit eam Sanctio, quare hic intellexit eos pecuniam quaerere, atque ille posuit pollicem in gutture et extendit manum sursum ut intelligerent eum nullam pecuniam habere et incitavit asinum pedibus et per medios eos transivit; sed cum iter faceret unus eorum intuitus est eum attente et in eum impetum fecit et bracchia per medium corpus posuit et alta voce et quidem hispanico sermone dixit:

–Adiuvet me Deus! Quid est quod ego video? Num fieri potest ut habeam inter bracchia mea bonum oppidanum meum Sanctium Pansam? Certe eum hic habeo, absque dubio, quia nec ego dormio nec nunc ebrius sum.

Admiratus est Sanctius cum audiret nomen suum, videndo alienigenam peregrinum eum amplecti, et cum eum inspiceret ac, nullo verbo prolato, nondum potuit eum recognoscere, sed peregrinus videndo suspensionem eius dixit ei:

–Quomodo fieri potest, Sancti Pansa, frater, te non cognoscere vicinum tuum mauriscum, Ricote, tabernarium tui loci?

Tunc Sanctius intuitus est eum accuratius et incepit eum omnino recognoscere et non descendit de asino suo, sed bracchia sua ad collum eius proiecit eique dixit:

–Quis enim, per omnes diabolos, posset te cognoscere, Ricote, amictum hac veste scurrae, quam induis? Quis enim fecit te francogallicum, et quomodo audes reverti ad Hispaniam, ubi si apprehendunt et cognoscunt te nimiam malam fortunam habebis?

–Si tu non develas me, Sancti –respondit peregrinus–, spero fore ut nemo hac veste recognoscat me, sed secedamus a via versus illud populetum, quod hic apparet,

ubi possunt comedere et quiescere sodales mei et ibi comedes cum eis, qui sunt viri valde affabiles. Atque enarrabo tibi quod accidit mihi postquam profectus sum de nostro loco, ad oboediendum edicto Regis, quod tam magno rigore minabatur infortunatis meae nationis, sicut audisti.

Sic fecit Sanctius et Ricote locutus est cum reliquis peregrinis, et secesserunt ad populetum, quod ibi videbatur, seorsum a via regia. Proiecerunt baculos et denudaverunt amicula umeralia sive palliola pellicea et manserunt cum pannis minutis et omnes iuvenes erant et valde formosi corpore, excepto Ricote, quia iam erat provectus aetate. Omnes ferebant clitellas et hae omnes plenae erant saltem ex his, quae sitim alliciunt ex duabus leucis.

Accubuerunt super terram et usi sunt herbis tamquam mappis et super eas posuerunt panem, salem, cultros, nuces, frusta casei et ossa pernae, quae si non poterant comedere saltem potuerunt lambere. Posuerunt etiam *caviar*, quod factum est ex ovis piscium et suscitat magnopere sitim. Non defuerunt olivae, quamvis siccae essent et absque ullo condimento, sed sapidae erant et boni delectamenti. Sed quod melius in illo prandio apparuit fuerunt sex utres vini, quia unusquisque suum utrem extraxit ex clitella; et etiam Ricote, quia ex maurisco factus est germanus vel theodiscus, et extraxit utrem suum, qui propter magnitudinem potuit certare cum quinque ceteris.

Inceperunt edere magna voluptate ac lentiter et oblectando omnem morsum quem accipiebant ope cultri et parum ex omni re et tunc omnes una elevabant bracchia cum utribus in aerem; oribus eorum iuxta os utrium positis, et oculis eorum coelum intuentibus, et videbatur eos ponere conspectum in coelum et hoc modo et movendo capita in omnes partes, ostendebant per signa magnum delectamentum habere et longam moram temporis demorabantur transfundendo viscera cadorum in stomachum.

Sanctius autem haec omnia intuebatur et de nihilo dolebat; immo ad adimplendum proverbium quod bene sciebat «cum fueris Romae, romano vivito more», et sic a Ricote quaesivit utrem et eumdem conspectum in coelum imitatus est et quidem non minore delectamento quam illi.

Quater levaverunt utres in altum, sed non fieri potuit ut quinquies id facerent, quia vacui ac sicci erant tamquam spartum, quod moestam posuit laetitiam quam hucusque ostenderunt. Interdum quidam eorum iunctabat manum dexteram suam cum manu Sanctii et dicebat:

–*Hispani et theodisci* (litt. *tudesqui*), *totus unus: bonus sodalis* (litt. *tuto uno: buon compagno*).

Et Sanctius respondebat:

–«Bonus sodalis, iuro per Deum»! (litt. *Bon compagno, jura Di*) – et ridebat longum risum qui perdurabat longam moram, et nullius meminerat quod ei acciderat in sua gubernatione, quia qui edunt et bibunt aliquando curant de nihilo. Denique et, vino finito, somnus cepit omnes et dormierunt iuxta mensas et mappas.

Tantum Ricote Sanctiusque erant vigiles, quia magis ederunt et minus potaverunt; et Ricote duxit Sanctium seorsum et ad pedem fagi sederunt dum reliquerunt peregrinos sepultos in dulci somno ac Ricote, nullo obstaculo sua lingua maurisca facto, optimo sermone hispanico haec argumenta dixit ei:

–Bene scis, o Sancti Pansa! tu qui es oppidanus meus! quomodo edictum ac

praeconium quod Rex iussit palam edere, contra homines meae nationis, incussit metum et pavorem in nos omnes, saltem in me, et quidem taliter, quia mihi videbatur, et hoc antequam darent nobis tempus ad Hispaniam derelinquendam, me iam sentire rigorem illius poenae in me et in meis liberis. Quapropter disposui secundum quod credidi et secundum prudentiam meam egi, nam vere intellexi me debuisse relinquere domum meam, in qua vivebam, ad aliam quaerendam et praecise tempore opportuno et egressus sum solus de pago meo, absque mea familia, et petivi quonam eos adducerem mecum cum quadam commoditate ac sine festinatione, qua ceteri alii exierunt. Quia bene vidi, et omnes senes nostri viderunt, edicta illa non fuisse tantum minas, sicut nonnulli dicebant, sed veras leges, quae suo tempore adimplendae erant. Et ad hanc veritatem credendam vidi desperatum et inane conatum multorum nostrorum et sic credo divinam inspirationem fuisse, quae movit Regem ad hanc resolutionem accipiendam, et non quia omnes essemus culpabiles, nam multi inter nos erant boni et veri christifideles. Sed erant perpauci et non poterant sese opponere his, qui nullo modo erant, et gignere serpentem in sinu non erat bonum, cum inimici essent intus in domo. Denique punierunt nos sub poena exsilii, et quidem iusta sententia, quae erat mollis secundum aliquos, sed teterrima quae dari posset, secundum me. Et flemus propter Hispaniam, ubique sumus; quia in Hispania nati sumus et illa est nostra patria naturalis. Et insuper non invenimus refugium quod infortunium nostrum desiderabat, et tum in Barbaria tum in omnibus partibus Africae ibi est, ubi magis offendunt ac vexant nos. Non cognovimus bonum nostrum, usque id amisimus, et tam magnum est desiderium revertendi ad Hispaniam ut plerique nostrum, qui cognoscunt linguam tamquam ego, ad eam revertuntur et ibi mulieres et liberos derelinquunt; tam magnum amorem habent erga Hispaniam et nunc egomet experior et cognosco quod dici solet: dulce esse amorem patriae. Sic, ut dixi, egressus sum de nostro pago atque introivi in Francogalliam et, quamvis ibi bonum refugium facerent nobis, volui omnia videre. Hoc modo transivi ad Italiam et perveni ad Germaniam, ibique mihi videbatur me posse vivere maiore libertate, quia incolae eius non inspiciunt multas parvitates; et unusquisque vivit sicut vult, quia in maiore parte eius vivitur cum libertate conscientiae. Domum accepi in pago prope Augustam Vindelicorum (Augsburg); me congregavi cum his peregrinis, qui plerique eorum quotannis solent ad Hispaniam venire ad visitanda sanctuaria eius et hi habent ea tamquam si essent Indiae eorum atque ubi inveniunt bonam messem et notum lucrum. Perambulant fere totam hanc terram et nullum oppidum est ubi non inveniant cibum et potum, ut dici solet, et etiam cum quodam argenteo saltem pro pecunia, et ad finem huius itineris habent plus quam centum aureos qui supersunt, qui pro auro sive in foramine baculorum, sive in sarcimine amiculorum umeralium sive ubi eos abscondere possunt ope industriae eorum ex hoc regno adducunt et transferunt ad terras eorum, custodibus in limitibus invitis, sive per portus in quibus perscrutantur eos. Nunc est voluntas mea, Sancti, extrahere thesaurum quem sepelivi, et ita ut est extra oppidum id faciam absque ullo periculo; ac tunc scribam sive transferam per Valentiam filiam et uxorem meam, quas scio esse in Algeria, et videbo quomodo potero eas ducere ad quemdam portum Francogalliae, atque inde adducere eas ad Germaniam, ubi exspectabimus quod Deus vellet facere nobiscum. Breviter, Sancti, ego pro certo habeo Ricotam, filiam meam, et Franciscam Ricotam, uxorem meam, esse catholicas

christianas, quamvis ego non sim tantum, sed magis christianus sum quam maurus et rogo semper Deum ut aperiat oculos intellectus mei et faciat me cognoscere quomodo debeam ei servire. Sed admiratus sum quia uxor et filia mea antea profectae sunt ad Barbariam quam ad Francogalliam, ubi possent vivere tamquam christianae.

Cui Sanctius respondit:

–Videas, Ricote, fortasse non fuit in manibus earum, quia fuit Ioannes Tiopieyo, frater tuae uxoris, qui eas illuc adduxit et ille, qui debet esse maurus verus, eas adduxit ad locum magis idoneum, et etiam dicam tibi: credo te inaniter quaerere quod abscondisti, quia audivimus eos abstulisse a fratre tuae uxoris et ab ea multas margaritas et magnam copiam pecuniae aureae, quam habebant cum scrutarentur eas.

–Hoc fieri potest –obiecit Ricote–, tamen ego vere scio, Sancti, eos nullo modo tetigisse secretum locum meum, quia ego non dixi eis ubi erat, nam timui periculum; et sic, Sancti, si vis venire mecum et adiuvas ad eum extrahendum et celandum, tibi dabo ducentos aureos quibus multis penuriis poteris afficere remedium, quia vere scio te multas habere.

–Haec facerem –respondit Sanctius–; sed egomet non sum avidus ullo modo, quia si vere essem non reliquissem officium hodie mane de meis manibus, ubi possem parietes domus meae ex auro facere et comedere ante sex menses catinis argenteis; et per hoc et ad nullam proditionem faciendam meo Regi pro inimicis eius non venirem tecum, quamvis dederis mihi non hos ducentos aureos quos promittis, sed immo quadringentos in numerata pecunia.

–Et quod officium reliquisti, Sancti? –quaesivit Ricote.

–Reliqui gubernationem cuiusdam insulae –respondit Sanctius–, et quidem tam bona erat ne inveniant aliam tamquam eam in tribus leucis.

–Et ubi est haec insula? –quaesivi Ricote.

–Ubi? –respondit Sanctius–. Duas leucas abhinc et vocatur insula Barataria.

–Tace, Sancti –dixit Ricote–; quia insulae sunt in medio mari et non sunt insulae in continente et terra arida.

–Cur non? –obiecit Sanctius–. Et ego dico tibi, Ricote amice, me hodie mane eam reliquisse et heri fui in ea gubernator ad meum nutum, tamquam sagittarius, sed nihilominus eam reliqui, quia videbatur mihi officium periculosum esse munus gubernatoris.

–Et quid lucratus es in hac gubernatione? –quaesivit Ricote.

–Lucratus sum –respondit Sanctius– cognoscere me non idoneum esse ad gubernandum, nisi gregem pecorum; ac divitias, quae lucrantur in talibus gubernationibus, amittere somnum et quietem et immo sustentationem; quia in his insulis gubernatores debent parum comedere, praesertim si habent medicos qui curent de valetudine eorum.

–Non intelligo te, Sancti –inquit Ricote–; sed mihi videtur has omnes ineptias esse. Quis enim daret tibi insulas ad gubernandas? Num desunt in hoc mundo viri habiliores te ut gubernatores? Tace, Sancti, ac revertere ad te et videas utrum vere velis mecum venire necne, quia secundum quod tibi dixi potes iuvare me ad extrahendum thesaurum quem abscondi; et vere tam magnus est quare vere possum eum vocare thesaurum et dabo tibi pecuniam, qua possis vivere tamquam iam dixi tibi.

–Et etiam dixi tibi, Ricote –obiecit Sanctius–, me id non velle; satis erit tibi scire me non develare te et prosequere iter tuum et sine me iter meum facere; quia egomet scio quod bene lucratur deperditur et quod male lucratur non tantum id, sed etiam dominus eius.

–Nolo tecum contendere, Sancti –ait Ricote–. Sed dic mihi: num fuisti in nostro loco cum uxor mea, filia et frater uxoris meae profecti sunt?

–Utique ibi adfui –respondit Sanctius–, et possum tibi dicere tuam filiam exivisse tam pulchram ut omnes qui in pago erant venirent ad eam videndam et dicebant eam fuisse pulcherrimam puellam huius mundi. Illa autem flebat et amplectabatur omnes amicas et cognitas suas et rogabat omnes ut commendarent eam Deo et Dominae Nostrae matri eius; et hoc cum tam magna commotione ut egomet etiam flevi et non sum nimis lacrimosus. Et iuro per fidem meam, multos voluisse eam abscondere et exire ad eam auferendam in itinere; tamen metus detinuit eos, quominus facerent quid contra mandatum Regis. Praesertim suum amorem erga eam ostendit Petrus Gregorius, ille dives iuvenis primogenitus, quem tu bene cognoscis, de quo dicunt eum filiam tuam tam multum ardere amore. Et, ex hoc cum illa egrederetur, numquam ille apparuit in nostro loco et omnes credimus eum eam sequi ad eam deprehendendam; tamen hucusque nil cognitum est.

–Ego semper habui hanc suspicionem –dixit Ricote– nempe hunc nobilem iuvenem eam ardere; sed confidens in strenuo animo meae Ricotae numquam habui molestiam, quia scivi eum eam bene diligere; nam iam audisti dicere, Sancti, mauriscas raro sive numquam interesse in amoribus cum veteribus christianis ac filia mea, magis attendebat ad christianitatem quam ad amores suos et nullo modo curaret de sollicitudinibus huius nobilis primogeniti.

–Sic provideat Deus –obiecit Sanctius–; quia malum esset ambobus, sed nunc debeo hinc secedere, Ricote amice; nam volo pervenire hac nocte ad dominum Quixotum, ubi ille est.

–Deus vadat tecum, Sancti frater; quia sodales mei iam expergefiunt et etiam nobis est tempus ad iter nostrum faciendum.

Et continuo amplexi sunt ad invicem ac Sanctius ascendit in asinum suum et Ricote accepit suum baculum et mutuo secesserunt.

Capitulum 55. Ubi narrantur res quae Sanctio acciderunt in itinere et alia quae videnda sunt

Sanctius, longa mora cum Ricote elapsa, retardavit suum iter quin perveniret ad castellum ducis, quia cum advenerat ad dimidiam leucam illius nox facta est et quidem haec aliquantulum obscura et atra. Sed cum erat tempus aestivum ei non tam permolestum fuit et secessit de via cum voluntate pernoctandi atque exspectandi crastinum diem. Tamen adversa ac parva fortuna eius voluit, dum quaereret locum aptum ad accumbendum, ut caderet ille et asinus eius in profundum atque obscurissimum sinum, qui inter quaedam vetustissima aedificia erat, et cum caderet

commendavit sese Deo ex toto corde, credens ne detineret se nisi in profunda abyssu. Sed ita non fuit, quia asinus invenit imum fundum circiter tria corpora humana et ille mansit super asinum et nullam contusionem nec damnum passus est.

Corpus suum palpavit suis propriis manibus et halitum exhalavit ad videndum utrum sanum esset an perforatum quadam parte et invenit se bonum, integrum et catholicum esse salute, quare non cessabat gratias agere Deo, Domino Nostro, propter hoc beneficium acceptum; quia absque dubio credidit se dirumpi in mille fragmenta. Eodem modo tetigit manibus parietem illius sinus ad videndum utrum posset exire inde sine ullo iuvamine necne; sed invenit omnes parietes planas et sine ulla ansa ad attrectandum ex quo Sanctius valde afflixit, praesertim cum audivit asinum suum, qui tenere ac dolenter ingemuit; et hoc non erat multum, neque lamentabatur ex prava consuetudine, quia vere erat in casu gravi.

–Proh dolor! –dixit tunc Sanctius Pansa–, quam multa inopinata accidunt nobis, qui in hoc miserrimo mundo vivimus! Quis enim diceret illi, qui hesterno die gubernator erat in quadam insula et quidem iubebat famulis et subditis suis, hodie eum futurum esse sepultum in hoc sinu cum nullus esset, qui ei remedium afferret nec famulus vel subditus esset, qui ei succurrere posset? Hic peribimus fame egomet et asinus meus, nisi antea moriamur, ille contusus et ego praeditus magno moerore. Saltem non ero tam fortunatus sicut dominus Quixotus cum descendit ad cavernam incantati Montesinos, ubi invenit meliorem oblectamentum quam domi, et videtur eum descendisse ad mensam paratam et lectum expeditum. Ibi ille vidit pulchros ac placidos aspectus, sed ego hic et nunc, mea opinione, tantummodo videbo ranas et serpentes. Me miserum! Quonam petiverunt dementiae ac vanitates meae! Hinc autem extrahent ossa mea, cum coelum velit ut inveniant me et quidem ossa munda, alba et corrosa ex corpore meo et mei asini ex quo videbunt, qui nos essemus, saltem hoc notum erit ab eis qui cognoverunt numquam fuisse Sanctium Pansam absque suo asino neque asinus sine Sanctio Pansa. Et iterum dico: miseros nos! quia nostra brevis fortuna noluit nos mori in patria nostra inter gentem nostram, ubi quamvis non esset remedium nostro infortunio non deesset, qui doleret de nobis et in ultima hora clauderet oculos nostros! O comes atque amice mi! Quam pessimam retributionem dedi tibi propter labores tuos! Ignosce mihi et quaere a fortuna, quam melius tu possis facere, ut detrahat nos ex hac angustia in qua ambo sumus; et promitto tibi ponere coronam lauream super caput tuum ita ut similis sis tamquam poeta laureatus ac dupla pabula dabo tibi.

Hoc modo Sanctius Pansa lamentabatur et iumentum, nullo responso prolato, eum auscultabat; tam magnus erat angor atque anxia, qua miser ille inveniebatur. Denique, cum pernoctasset totam noctem his miseris querelis et lamentationibus, advenit dies ex cuius claritate et fulgore Sanctius vidit nullo modo fieri posse ut ex illo puteo exiret nisi haberet quoddam iuvamen alterius, et incepit lamentari et magnas voces dare ad videndum si quis casu audiret eum; sed omnes voces datae erant in deserto, quia in illis regionibus nullus erat, qui posset eum audire, et tunc se habuit ut mortuum.

Asinus erat supinus et Sanctius Pansa accommodavit eum ita ut poneret eum erectum, sed vix poterat stare et eduxit ex clitellis, quae etiam in illo lapsu eamdem fortunam habuerunt, parum panis, hoc dedit suo iumento et non sapuit ei male et dixit ei Sanctius tamquam si intelligeret eum:

–Omnia adversa cum pane minuuntur.

Tunc ad latus sinus vidit quoddam foramen, quo posset homo introire si vere opprimeret et contraheret se. Sanctius Pansa ad foramen venit et inclinavit et pressit se per id ac tunc vidit hoc esse amplum et longum et hoc bene potuit videre, quia, per latus quod esset ut tectus, introibat radius solis, qui haec omnia patefaciebat. Etiam vidit foramen extendere se ac pervenire ad aliam amplam concavitatem; et, his rebus conspectis, denuo venit ad locum ubi erat iumentum et ope lapidis incepit diruere terram illius foraminis ita ut, parva mora elapsa, faceret locum et quadam facilitate etiam asinus potuit introire, quod quidem perfecit; et accipiens eum per capistrum incepit iter facere per illam speluncam prorsus ad quaerendum egressum ex alia parte. Aliquando ambulabat cum obscuritate et aliquando sine ulla luce, sed semper magno metu.

–Adiuvet me Deus omnipotens! –inter se dicebat–. Hoc quod mihi est infortunium, essent magnae res gestae domino Quixoto. Ille profecto haberet has abyssus profundas atque has carceres pro viridariis florentibus ac pro palatiis Galianae et exspectaret ex his tenebris atque angustiis ad pratum virens pervenire. Tamen ego praeditus nulla fortuna ac nullo consilio et parvo animo, omni gressu credo sub pedibus meis subito alterum sinum et quidem profundiorem aperturum esse, qui voret me. Sed malum veniat dum solum adveniat.

Hoc modo et, his cogitationibus et verbis dictis, ei videbatur se plus quam dimidiam leucam iter fecisse et ad finem illius invenit quamdam confusam claritatem, similem diei et ex quadam parte introibat quod erat signum se esse in via, qua ducebatur ad aliam vitam.

Hic reliquit eum Cide Hamete Benengeli et vertit se ad tractandum dominum Quixotum, qui exultans contentusque exspectabat tempus praestitutum proelii, quod facturus erat cum praedatore honoris filiae dominae Rodríguez, cuius infortunium quaerebat corrigere, quod ei male fecerat.

Et accidit ei, cum egrederetur mane ad exercitandum se et cogitaret de his, quae facturus erat et in quo inveniebatur, fecit impetum et incitavit Rocinantem calcaribus et pervenit ad ostium speluncae et si non detineret habenas fortiter certe caderet in ea. Denique detinuit eum et non cecidit et propius appropinquavit, sed nondum descendit de equo, et inspexit profunditatem illam et, his rebus conspectis, audivit magnas voces intus et attente auscultavit et potuit percipere et intelligere, qui has voces dabat et quidem dicebat:

–Eheu, qui sit supra! Estne quisnam christianus qui audiat me, sive eques misericors, qui vere doleat de peccatore sepulto in vita, sive de quodam misero gubernatore exgubernato?

Domino Quixoto videbatur se audivisse vocem Sanctii Pansae de quo magnopere suspensus admiratus fuit et levans vocem suam quam potuit dixit:

–Quisnam est deorsum? Quis enim lamentatur?

–Quis potest hic esse sive quisnam lamentabitur –respondit–, nisi miserrimus Sanctius Pansa, gubernator pro suis peccatis et pro sua mala fortuna illius insulae Baratariae, qui fuit armiger illius illustris equitis domini Quixoti a Manica?

Dominus Quixotus, his verbis auditis, suam admirationem auxit et crevit pavor eius, et ad mentem eius venit cogitatio Sanctium Pansam mortuum et animum eius damnamdum esse et motus his cogitationibus dixit ei:

–Ego coniuro tibi per omnia, quibus possum tibi coniurare, tamquam catholico

christiano ut dicas mihi quis tu sis; et si es animus in poena, dic mihi quid vis me facere pro te; quia secundum exercitium professionis meae debeo favere atque accurrere egenis huius mundi, et etiam faciam ad accurrendum et adiuvandos egenos alterius mundi, qui non possunt amplius sibimetipsis favere.

–Hoc modo –responderunt ei–, tu qui loqueris mecum eris dominus Quixotus a Manica, quia sonus vocis non est alterius absque dubio.

–Dominus Quixotus ego sum –obiecit dominus Quixotus–; qui profiteor succurrere et adiuvare in necessitatibus vivis et defunctis. Quare dic mihi quis tu sis, quoniam attonitus sum. Nam si tu es armiger meus Sanctius Pansa et mortuus es, ac si diaboli non adduxerunt te secum, et per misericordiam Dei es in purgatorio, nostra Sancta Mater Ecclesia Catholica Romana habet suffragia ad educendum te ex tuis poenis, atque egomet hoc quaeram ac sollicitabo mea ex parte cum omnibus bonis meis; quamobrem dic mihi quis tu sis.

–Iuro per talem! –respondit– et per nativitatem cuiuslibet quem velles, iuro, domine Quixote a Manica, me esse armigerum tuum Sanctium Pansam et quidem me numquam mortuum esse in omnibus diebus vitae meae, sed reliqui gubernationem meam propter res et causas, quae dicendae erunt in longiore mora temporis et nocte hesterna cecidi in hunc sinum, ubi iaceo una cum asino meo, qui non sinet me mentiri, quia per alia signa hic mecum est.

Et etiam tunc: et videbatur asinum intellexisse quae Sanctius dixerat, quia illo momento incepit rudere et tam fortiter ut omnis spelunca resonaret.

–Illustris testis! –inquit dominus Quixotus–. Ruditum cognosco tamquam si eum peperissem et vocem tuam audio, Sancti mi. Exspecta parumper hic; ad castellum ducis perveniam, quod hic prope est et adducam ex eo qui possit te educere ex hoc sinu, ubi peccata tua introduxerunt te.

–Vadas, domine –dixit Sanctius–, et venias cito, per solum Deum; quia non possum hic amplius manere sepultus in vita et quidem morior metu.

Dominus Quixotus reliquit eum et ad castellum venit ad narrandum duci et ducissae, quod evenit Sanctio Pansae de quo non parum mirabantur, quamvis bene intellexerint eum cecidisse in aliud ostium illius speluncae, quae facta erat ibi ex antiquissimis temporibus; sed non potuerunt credere eum reliquisse gubernationem, quia nemo nuntiavit eis de adventu eius. Et denique, sicut dicitur, funes et trochleas adduxerunt et ope magnae multitudinis hominum et multo labore extraxerunt asinum et Sanctium Pansam ex illis tenebris ad lucem solis. Et quidam scholasticus qui eum vidit dixit:

–Hoc modo omnes mali gubernatores de suis gubernationibus exire deberent, tamquam hic peccator ex profunda abyssu egreditur: mortuus fame, pallidus ac sine pecunia, secundum quod credo:

Sanctius autem eum audivit et dixit:

–Abhinc octo dies sive decem, frater murmurator, introivi ad gubernandam insulam, quam mihi dederunt, quibus diebus numquam satiatum me vidi pane nec per horam; illis diebus medici persecuti sunt me atque inimici percusserunt ossa mea, nullam occasionem habui percipiendi subornationem, nec iura debita percepi et cum hoc ita sit, sicut est et ego, mea opinione, non merebar hoc modo exire. Tamen homo proponit et Deus disponit, et Deus scit quid melius sit et quod unicuique magis conveniat et tempus mutat adiuncta

rerum; et nemo dicat «ex hac aqua numquam bibam»; et ubi credunt pernas invenire non sunt perticae; ac Deus intelligit me et sufficit, et nil amplius dicam quamvis possem.

–Noli stomachari, Sancti –inquit dominus Quixotus–, nec doleat tibi de his quae audias, quoniam hoc modo numquam eris in pace. Venias cum bona conscientia et dicant quidquid sit; quoniam ligare linguas maledicentium idem est ac portas ponere agro. Si gubernator egreditur dives de sua gubernatione dicunt eum latronem esse, sin autem pauper eum stultum fuisse.

–Profecto –respondit Sanctius– hac vice tenebunt potius me pro stulto quam pro latrone.

Illi, his colloquis prolatis, pervenerunt ad castellum, et quidem circumdati pueris ac magna multitudine hominum; ubi in quibusdam faucibus dux ducissaque exspectabant dominum Quixotum et Sanctium, qui noluit ascendere ad videndum ducem nisi antea convenienter asinum in stabulo accommodaret, quia, sua sententia, valde malam noctem habuit in caupona et continuo ascendit ad suos dominos videndos, ante quos flexit genua et dixit:

–Ego, quia sic voluistis vos, magnifice domine et domina, ac, nullis meritis meis praeditis, veni ad insulam Baratariam gubernandam in quam intravi nudus et nudus sum, quare nec perdidi nec lucratus sum. Utrum bene gubernaverim an male, testes fuerunt mihi, qui dicent quidquid vellent. Quoad me ego dubia declaravi, causas iudicavi et semper mortus fame fui, quia sic voluit doctor Petrus Recio, natus in Tirteafuera, medicus insulanus et «gubernatorius». Noctu hostes impetum in nos fecerunt et posuerunt nos in magna oppressione, insulani autem dicunt eos liberos esse ac victoriam habuisse propter strenuitatem bracchii mei, et valeant illi si verum dicerent. Breviter, hoc tempore perpendi pondera et obligationes et gubernationem et inveni, mea opinione, me non posse ea super umeros meos ferre. Nec pondera apta meis costis sunt, nec sagittae idoneae pharetrae meae. Et hoc modo et ante quam gubernatio proiiceret me transverse, volui egomet hanc gubernationem seponere, ac die hesterno mane insulam reliqui et quidem sicut ego inveni eam, cum eisdem viis, domibus ac tectis, quae habebat cum introivi in eam. Non commodaverunt mihi pecuniam neque extorsi negotia ab ullo et quamvis vellem quaedam decreta utilia facere, nulla vero feci, timens ne ea servarent; quod idem esset an non facere. Egressus sum, ut dixi, de insula sine ullo comitatu praeter asinum meum; cecidi in sinum, potui prorsus per eum properare, donec hoc mane ad lucem solis exitum vidi, sed non tam facile mihi, quia nisi coelum permitteret dominum Quixotum venire, ibi manerem usque ad finem huius mundi. Quapropter, o domine dux ducissaque, hic est vester gubernator Sanctius Pansa, qui decem solis diebus suae gubernationis potuit cognoscere pro nihilo esse gubernatorem non tantum cuiusdam insulae, sed immo totius mundi. Et cum hoc ita sit, pedes vestros osculor, et hoc modo imitor ludum puerorum qui dicunt: «Saltum da tu et da mihi tuam vicem», ego etiam saltum dedi ex hac gubernatione et venio ad servitium mei domini Quixoti, quia saltem in eo possum panem comedere cum quadam trepidatione, sed satio me et cum saturatus sim idem erit si sint pastinacae quam perdices.

Sanctius, his rebus peractis, finivit suam productam loquelam, dum dominus Quixotus timebat eum mille ineptias dicere, sed cum vidit eum finire, in suo corde gratias egit coelo, ac tunc dux amplexus est Sanctium eique dixit se multum dolere, quia tam cito reliquerat gubernationem; tamen ille faceret ut inveniret aliud officium in suo statu quod esset maioris utilitatis et minoris fastidii. Etiam ducissa amplexa est eum atque iussit ut eum adiuvarent, quia ostendebat se valde contusum ac molestum esse.

Capitulum 56. Ubi narratur immane et numquam conspectum proelium, quod accidit inter dominum Quixotum a Manica ac pedisequum Tosilos in tutamento filiae nutricis dominae Rodríguez

Non poenituit ducem ducissamque irrisionis factae Sanctio Pansae de gubernatione data ei, praesertim quia illo ipso die advenit villicus et enarravit eis accurate fere omnia verba et facta, quae Sanctius dixerat ac fecerat illis diebus, et denique enarravit oppugnationem insulae et metum Sanctii necnon et egressum eius quo magnopere gavisi sunt.

Postea vero, historia narrat diem illius demorati proelii pervenisse et dux semel multoties animadvertit suo pedisequo Tosilos, quo modo deberet tractare dominum Quixotum ad eum superandum ne vulneraret nec interficeret eum; quamobrem disposuit ut ferra auferrent a lanceis et quidem domino Quixoto dixit ut christianitas, de qua gloriabatur, non permitteret hoc proelium esse cum periculo vitae, quia ille satis fecit dando campum liberum in suis statibus, quod erat contra decretum *Sancti Concilii*, quod talia certamina ac duella vetabat, quare noluit ad hunc extremum statum rerum protrahere.

Dominus Quixotus dixit excellentissimum dominum facere hoc negotium sicut vellet; quoniam ipse paratus erat ad oboediendum ei in omnibus. Dies timendus autem advenit et dux disposuit ut esset amplum ac magnum tabulatum in platea castelli, ubi essent iudices campi et dominae nutrices, mater filiaque postulatrices, necnon et innumeri homines, qui advenirent ex pagis circumvicinis ad novitatem huius proelii videndam; quia numquam res huiuscemodi viderant nec umquam audiverunt in illa regione, qui vivebant nec qui mortui erant.

Primus qui introivit in campum et cohortem fuit magister caeremoniarum, qui inspexit campum et peragravit eum, ne esset in eo laqueus sive obstaculum, quo quis eorum offenderet eum et caderet. Continuo intraverunt nutrices et sederunt super sellas earum, coopertae velis usque ad oculos et etiam usque ad pectora cum signis magni doloris. Dominus Quixotus iam erat in campo praesens et paulum postea et quidem comitatus sonitu multarum tubarum magnus pedisequus Tosilos apparuit a latere illius plateae super fortem equum, qui pedibus omne tabulatum calcabat, ille habebat cassidem positam et erat erectus et praeditus fortibus et fulgurantibus armis. Equus erat immanis et ex Frisia, amplissimo corpore, coloris fusci et ex omni pede et manu eius pendebat cumulus lanuginis.

Strenuus pugnator veniebat et quidem doctus a duce suo domino, quomodo ageret cum strenuo domino Quixoto a Manica, animadvertens ei ne eum ullo modo occideret, sic primam collisionem debebat vitare ne esset periculum mortis, quia si impetum plene in eum faceret certior erat huius rei. Hic autem ambulavit per omnem plateam et cum advenit ad locum ubi nutrices illae erant, inspexit illam a qua quaerebatur ut eam duceret uxorem. Magister campi vocavit dominum Quixotum, qui iam praesens erat in platea, et una cum Tosilos locutus est cum illis nutricibus, quaerens ab eis utrum vere consentirent ut dominus Quixotus a Manica defenderet ius earum necne. Illae autem affirmaverunt et quidquid ille faceret in illo casu acceptarent illae ut bene factum, bonum, firmum et immutabile.

Dux ducissaque iam erant in ambulacro quod supra tabulatum pendebat et hoc omne erat plenum multis hominibus, qui exspectabant saevum proelium, quod

numquam viderunt. Sed condicio erat pugnatoribus, nam si dominus Quixotus vincebat, adversarius debebat filiam dominae Rodríguez ducere uxorem; et si victus esset, liber manebat illius promissionis quaesitae ab eo et nullam aliam compensationem debebat dare.

Magister caeremoniarum divisit lucem solis inter eos, et ambos posuit in loco eorum, ubi debebant esse. Tympana sonuerunt, sonus tubarum implevit aerem, terra autem tremuit; omnia corda illius turbae erant uno ore, quidam suspensi, alii timentes, alii vero exspectantes bonam sive adversam fortunam in illa occasione. Denique dominus Quixotus commendavit sese toto suo corde Deo Domino Nostro ac Dulcineae a Toboso et exspectabat signum certum ad impetum faciendum. Tamen noster pedisequus alias cogitationes habebat in mente; quia ille tantum secum cogitabat quod nunc dicam:

Sua opinione, cum inspiceret suam inimicam ei videbatur eam esse pulcherrimam mulierem, quam numquam vidit in tota sua vita et puer ille caecutiens, quem solent vocare Amorem, nempe Cupidinem, per has vias noluit amittere occasionem vincendi super animum illius pedisequi et includere eum in catalogo trophaeorum suorum; et hoc modo pervenit ad eum et simpliciter et, nemine vidente, vulneravit pedisequum sagitta longissima per latus sinistrum et transfodit cor eius ex parte in partem et hoc potuit bene facere ac praeditus magna securitate, quia Amor est invisibilis atque introit et egreditur, quo vult et nemo ab eo computum vel rationem quaerit de factis eius.

Et sic dico, cum dederunt signum faciendi impetum pedisequus noster volitabat et tantummodo cogitabat de formositate illius, quam fecit dominam suae libertatis, et non attendit sonum tubae sicut dominus Quixotus fecit, quia simul atque audivit eam impetum fecit et cucurrit magna velocitate, qua potuit Rocínans currere, et contra inimicum suum profectus est et cum vidit eum proficisci bonus armiger eius Sanctius dixit ei magnis vocibus:

–Deus ducat te, florem omnium equitum itinerantium! Deus det tibi victoriam, quia habes omne ius in tua parte!

Et quamvis Tosilos videret dominum Quixotum venientem, non movit ullum gressum ex suo loco; sed magnis vocibus vocavit magistrum campi, qui ad eum advenit ad videndum quid quaereret et dixit ei:

–Domine, nonne hoc proelium fit ita ut ego ducam illam dominam uxorem?

–Hoc ita est –respondit ei.

–Tunc ego –dixit pedisequus– ego sum timoratus mea conscientia et nolo prorsus in hoc proelio dimicare, quia victus sum et volo illam dominam continuo ducere uxorem.

Magister campi admiratus est de argumentis Tosilos et, sicut ille sciebat omne hoc negotium, nescivit quid respondendum erat. Dominus Quixotus detinuit se in medio cursu cum videret inimicum nullum impetum facere. Dux autem nesciebat quare hoc proelium non ultra procederet; tamen magister campi venit ad explananda ea, quae Tosilos diceret, de quo valde suspensus atque iratus fuit in extremis.

Interea Tosilos advenit ad locum ubi erat domina Rodríguez et magnis vocibus dixit:

–Ego, domina, volo tuam filiam ducere uxorem et nolo alio modo nec per iurgia sive per controversias obtinere, quod possum magna pace et sine periculo mortis.

Dominus Quixotus, his verbis auditis, dixit:

–Cum hoc ita sit, ego sum liber ac solutus ab hac promissione mea; eam ducat

uxorem et bona fortuna sit eis et si Deus, Dominus Noster, dedit ei eam, Sanctus Petrus eam ei benedicat.

Dux autem descendit ad plateam castelli et venit ad Tosilos cui dixit:

–Estne verum, o eques, te acceptare submissionem tuam et propter tuam timidam conscientiam vis hanc virginem ducere uxorem?

–Utique, domine –respondit Tosilos.

–Ille faciet valde bene –dixit ad hanc occasionem Sanctius Pansa–; quia quod dabis muri da feli et educet te de omni cura.

Tosilos autem incepit denudare se de casside et rogabat ut cito adiuvarent eum, quia deerat ei halitus et non poterat se videre clausum tam longam moram in illo angusto spatio. Extraxerunt eam ab eo cito et viderunt vultum esse illius pedisequi. Domina Rodríguez et filia eius, hoc vultu conspecto, magnis vocibus dixerunt:

–Haec est magna fraus, haec est magna fraus! Posuerunt pedisequum Tosilos in loco mei veri mariti! Iustitia Dei et Regis propter tam magnam malitiam ne dicerem versutiam!

–Noli dolere de hoc, domina –ait dominus Quixotus–; haec non est malitia nec versutia; et si est non provenit ex duce, sed ex malis incantatoribus, qui persequuntur me et invidi sunt gloriae huius victoriae et vultum tui mariti transmutaverunt in hunc, quem dicis pedisequum ducis esse. Accipe consilium meum praeter malitiam inimicorum meorum et nube ei; quia absque dubio erit ipse, quem tu vis habere pro marito.

Dux autem, his verbis auditis, non potuit risum tenere in sua iracundia et dixit:

–Omnes res quae accidunt domino Quixoto sunt mirae et etiam egomet debeo credere hunc pedisequum meum non esse, qui mihi videtur esse; tamen bonum erit nos hac machinatione ac dolo uti, demoremur has nuptias per quindecim dies si volunt et claudamus hunc virum, qui tenet nos dubitantes, quibus diebus fortasse redeat ad suam pristinam figuram; quia non manebit tam multum odium quod incantatores habent in dominum Quixotum, et insuper cum tam facile sit eis uti his transmutationibus et fraudibus.

–O domine! –dixit Sanctius– quam perversam consuetudinem habent hi malefici permutandi res in alias praesertim de his quae pertinent ad dominum meum. Abhinc paucos dies ille vicit equitem qui vocabatur Speculorum et eum permutarunt in figuram baccalaurei Samson Carrasco, qui est oppidanus noster, quia natus in nostro pago et magnus amicus noster est, et dominam Dulcineam a Toboso permutaverunt in rusticam et sic imaginor hunc pedisequum moriturum esse ac futurum esse pedisequum omnes dies vitae suae.

His verbis auditis, filia dominae Rodríguez dixit:

–Quislibet hic sit qui quaerit me ducere uxorem egomet ei gratias ago, quia potius volo esse uxor legitima pedisequi quam non amica decepta cuiusdam equitis, quia qui me decepit nobilis non est.

Breviter, omnes fabellae et facta pervenerunt ad faciendum ut Tosilos recederet, donec videbant quid eveniebat de transformatione eius; cuncti autem locuti sunt de victoria domini Quixoti et plerique tristes melancholicique manserunt, et decepti fuerunt quia non viderunt hos pugnatores interficere se mutuo, tamquam pueri moesti sunt, quia non exit vir, qui capite damnandus erat, propterea quod ei ignoverunt et dederunt veniam modo ex accusatione modo ex iustitia. Quapropter homines egressi sunt, ac dux dominusque Quixotus ad castellum venerunt et Tosilum in carcerem custodierunt et domina Rodríguez filiaque eius valde contentae fuerunt videndi tum per unam viam tum per aliam causam negotium finire in nuptiis ac Tosilos eadem exspectabat.

Capitulum 57. Ubi narratur quomodo dominus Quixotus valedixit duci et de his quae acciderunt ei cum prudente ac procace Altisidora, virgine ducissae

Domino Quixoto iam bene videbatur esse tempus proficiscendi ex tam magna otiositate, quam habuit in illo castello; quoniam imaginabatur mundum carere suo iuvamine, dum ille clausus otiosusque manebat inter innumera munera atque oblectamenta, quae illi domini ei offerebant tamquam equiti itineranti; quapropter ei videbatur se culpabilem esse illius otiositatis ac secessus; quare a duce ducissaque quaesivit veniam recedendi illinc. Ei hanc veniam dederunt dum eodem tempore ei ostendebant quam multum eis dolere ut eos relinqueret. Ducissa autem Sanctio Pansae litteras uxoris eius dedit, qui cum eis flevit et dixit:

–Quisnam enim posset credere hanc magnam spem, quam nuntii gubernationis meae genuerunt in pectore uxoris meae Teresiae Pansae, tam cito evanescere, quia denuo debui reverti ad res gestas protractas mei domini Quixoti a Manica? Tamen laetus sum videndi Teresiam meam sua ex parte misisse glandes ducissae; quia si eas non mitteret vere moestus essem ego, et illa se ostenderet ingratam. Quod autem consolatur me est hoc munus non posse vocari subornatio; nam iam erat mihi illa gubernatio cum illa glandes mitteret, et ut patet, qui beneficium obtinent, quamvis hoc sit ex minimis rebus, debent gratias agere. Profecto, nudus intravi in gubernationem et nudus ex ea egredior; sic potero dicere in bona conscientia quod non est parvi momenti: «Nudus natus sum, nudus sum; nec perdidi nec lucratus sum».

Hoc Sanctius dicebat inter se in die profectionis suae; dominus Quixotus autem, qui iam antea, nempe nocte hesterna duci ducisseque valedixit, egressus est et mane armatus in platea castelli apparuit. Ex ambulacris illius castelli omnes homines intuebantur eum necnon et dux ducissaque, qui exierunt ad eum videndum. Sanctius sedebat super asinum praeditus suis clitellis, sarcina et viatico ac valde contentus, quia villicus ducis, qui fuit illius Trifaldae, dedit ei crumenam cum ducentis aureis propter sumptus itineris et hoc nondum noverat dominus Quixotus.

His rebus peractis, et cum omnes eum intuerentur, improviso inter alias nutrices et virgines ducissae, quae eum etiam conspiciebant, prudens et procax Altisidora levavit vocem et modo miserando dixit:

Audias tu eques perversus
detine parum habenas,
et bestiae, qua tu veheris.
noli vexare amoenas.

Et videas te hic non fugere
a quadam belua fera,
sed a tenerrimo agno,
qui procul erat ab ea.

Tu virginem decepisti,

quae valde pulchra sic erat,
Diana vidit in monte
Venus conspexit iam eam.

Crudelis Virene, fugax Aenea,
Barabba sit tecum; ad eos eas.

Sic tu fers modo adverso
virginis pulchrae haec viscera
manibus tuis tam saevis
illius quae est satis tenera.

Cur illa tria mamillaria
adduxisti ex tua opera
furtim crurum candidorum
immo ligulas marmoreas?

Tecum tulisti tot milies
suspiriorum, quae ignea
possent hanc Troiam comburere,
si tot illae Troiae fuerant.

Crudelis Virene, fugax Aenea
Barabba sit tecum; ad eos eas.

Utinam armiger tuus
cor obstinatum sic habeat
et ex hoc incantamento
numquam exeat Dulcinea.

Et ex hac moesta tua culpa
tristem poenam semper habeas;
et iustus pro peccatore
damnetur in mea terra.

Iucundae res gestae tuae
fiant iam facta adversa
vires tuae obliviones
somnia et oblectamenta.

Crudelis Virene, fugax Aenea
Barabba sit tecum; ad eos eas.

Ex Hispali et ad Marciam (Marchena)
in falsam viam incedas,
ex Granata inde ad Loxam (Loja)
ex Londinio ad Angla–Terram.

Ludas ad centum et primam

sive cum chartis ad regna
et cura ut reges evadant
etiam uno et septem careas.

Si quondam callos tuos scindas,
sanguinem vulnera vertant
et si molares educant,
radices in ore maneant.

Crudelis Virene, fugax Aenea
Barabba sit tecum; ad eos eas.

Dum hoc modo, ut dicitur, Altisidora lamentabatur, dominus Quixotus eam inspiciebat, nullo verbo addito, et vertens vultum suum ad Sanctium dixit ei:

–Per requiem avorum tuorum, Sancti, ego coniuro tibi ut dicas veritatem. Dic mihi, num fortasse haec tria mamillaria et ligulas crurum de quibus haec virgo amorosa loquitur, fers tecum?

Cui Sanctius respondit:

–Tria mamillaria, utique mecum fero, sed has ligulas nequaquam.

Ducissa vere mirata est de procacitate Altisidorae et, quamvis eam haberet ut impudentem, facetam ac liberam, nullo modo credidit eam ad hunc gradum pervenire, ita ut hoc auderet dicere; et sicut non animadverterunt ei hanc irrisionem, adhuc crevit admiratio eius. Dux autem voluit has facetias augere et dixit:

–Non mihi bene videtur, domine eques, bona receptione atque hospitalitate in meo castello obtenta, te audere non tantum tria mamillaria tecum ferre, sed immo etiam ligulas crurum meae virginis; quod signum est ingratitudinis et quod non convenit tuae famae. Redde ei has ligulas; sin autem egomet provocabo te ad proelium singulare et mortale, nullis incantatoribus obstantibus, qui vultum meum mutent tamquam fecerunt cum pedisequo meo Tosilos, qui tecum proelium inivit.

–Deus faxit ut nullo modo –respondit dominus Quixotus– accipiam gladium meum contra dominum illustrissimum, a quo tam multa beneficia accepi. Mamillaria quidem reddam libenter, quia Sanctius dicit se ea habere; ligulas autem nullo modo, quoniam nec ego accepi nec ille, et si tua virgo vult melius quaerere eas per angulos cubiculi sui, fortasse ipsa eas inveniat. Quoad me, domine dux, numquam fui latro nec futurus sum in tota vita mea, nisi Deus derelinquat me a sua manu. Haec virgo loquitur, secundum quod ipsa dicit, ut capta amore, ex quo non culpandus sum, quapropter de nihilo debeo quaerere ab ea ut ignoscat mihi neque ut tu ignoscas mihi, excellentissime domine, et quaeso a te ut meliorem opinionem habeas de me et des mihi licentiam ad iter meum prosequendum.

Deus det tibi iter prosperum –ait ducissa–, domine Quixote, et utinam semper audiamus nuntios tuarum optimarum rerum gestarum. Et procede cum Deo, quia dum longiorem moram hic facias, virgines, quae intuentur te, equidem ardebunt te maiore amore. Et ego meam virginem puniam, ita ut ex hoc et in futurum ne audeat extra viam ire cum oculis sive verbis.

–Tantum unum a te quaero, o strenue domine Quixote! –ait tunc Altisidora–, et

hoc est ut ignoscas mihi hoc latrocinium ligularum, quia in Deo et in animo meo has ligulas egomet indui et accidit mihi negligentia illius, qui super asinum sedebat et eum quaerebat.

–Nonne dixi egomet? –dixit Sanctius–. Bonus sum ego ad latrocinia occultanda! Quia ad ea facienda, nunc habui hanc occasionem in mea gubernatione.

Dominus Quixotus, prono capite, fecit reverentiam duci ducissaeque necnon et omnibus circumstantibus et vertit habenas Rocinantis, et Sanctius secutus est eum super asinum, et egressus est ex castello et iter fecit Caesaraugustam.

Capitulum 58. Ubi narratur quomodo tam multae res gestae acciderunt domino Quixoto ita ut alterae alteras impedirent

Cum dominus Quixotus se vidit in campo aperto, liber et exemptus ab illis blanditiis amatoriis Altisidorae, ei videbatur se in suo medio esse et animos suos renovari ad prosequendum negotium sui equitatus, sic vertit se ad Sanctium eique dixit:

–Libertas, Sancti, es donum praetiosum inter omnia, quae coeli homini dederunt; huic libertati non aequabuntur thesauri, quos terra continet nec mare celat; propter hanc libertatem tamquam propter honorem possunt et debent vitam in periculum ponere atque e contrario captivitas est maxima adversitas, quae potest hominibus accidere. Haec dico tibi, Sancti, quoniam bene vidisti bonam hospitalitatem abundantiamque, quae in hoc castello, quod reliquimus, fuit nobis, sed in mediis epulis sapidis et illis potibus niveis mihi videbatur esse in angustiis famis, quoniam non gaudebam eis cum libertate tamquam si vere mea essent; quia debitum remunerationis propter beneficia et dona accepta sunt vincula, quae non sinunt ut animus liber ambulet. Benedictus ille cui coelum dederit frustum panis et non habeat obligationem agendi gratias cuidam quam ipsi coelo!

–His omnibus rebus –dixit Sanctius–, quae dixisti mihi, bonum est nos ex nostra parte gratias agere propter ducentos aureos in crumena, quam villicus ducis dedit mihi, quos iuxta cor positos habeo tamquam balsamum et medelam ad futuras res gestas; quia non semper inveniemus castella ubi remunerentur nos, sed aliquando etiam cauponas ubi verberent nos.

His et aliis argumentis prolatis, iter faciebant et quidem ultra leucam eques atque armiger itinerantes, cum ecce viderunt super herbam prațuli viridis, super pallia eorum sedentes comedebant usque duodeni viri amicti ut agricolae. Iuxta eos habebant res tamquam sudaria alba, quibus cooperiebant aliam rem, quae intus erat; illa erant erecta ac tensa et posita ad intervalla. Dominus Quixotus advenit ad eos comedentes et imprimis urbaniter salutavit eos et postea ab eis quaesivit quid illa lintea cooperirent. Cui quidam eorum dixit:

–Domine, sub his linteis sunt imagines prominentes sculptae et ex contabulatione, et pertinent ad ornamentum cuiusdam arae ecclesiasticae, quam facimus in nostro pago; eas coopertas ferimus ne laedentur de via et super umeros nostros ne frangantur.

–Si licet –respondit dominus Quixotus–, vellem eas videre, quoniam imagines quae feruntur tali cura absque dubio erunt valde bonae.

–Et quomodo si vere bonae sunt! –ait alter–. Aliter propter pretium id videbimus: quia nulla imago constat minus quam quinquaginta denariis, et ut videas hanc veritatem, exspecta, domine, et tuis propriis oculis inspicies eas.

Ille autem, prandio relicto, surrexit et venit ad develandam primam imaginem, quae erat Sancti Georgii super equum cum serpente convoluto ad pedes et lancea perfodens os eius, et hoc magna feritate ut depingere solent. Omnis imago videbatur ut pruna aurea, ut dicitur. Et cum eam videret dominus Quixotus dixit:

–Hic eques fuit inter meliores equites itinerantes, quos militia divina habuit; nuncupatur dominus Sanctus Georgius et etiam defensor fuit virginum. Videamus hanc alteram.

Develavit eam vir et apparuit imago Sancti Martini super equum, qui pallium suum scindebat ad dandum pauperi; atque ubi primum viderit eum dominus Quixotus ait:

–Hic eques etiam numerabatur inter christianos, qui res gestas quaerebant et credo eum munificiorem fuisse quam strenuum, sicut hic videbis, Sancti, quoniam pallium suum scidit et dat dimidium pauperi, quare credo tunc fuisse tempus hiemale, sin autem totum daret ei, propter munificentiam suam.

–Fortasse non fuit hoc modo –dixit Sanctius–, sed quia secutus est proverbium quod dicunt: ad dandum et habendum oportet bonum computum faciendum.

Dominus Quixotus risit et denuo voluit eos aliud velum auferre, sub quo apparuit imago Patroni Hispaniarum super equum, cum gladio maculato sanguinis et impetum faciens in mauros dum capita eorum calcabat; et cum eum vidit, dominus Quixotus dixit:

–Hic fuit verus eques et ex turmis Christi; hic etiam nuncupatur dominus Sanctus Didacus Matamoros et fuit inter strenuissimos sanctos equitesque, quos habuit mundus et nunc habet coelum.

Postea develaverunt aliud linteum et viderunt celare lapsum Sancti Pauli de equo deorsum cum omni statu rerum, quae in tabula picta suae conversionis depingere solent. Eum vidit et quidem tam vivide, quoniam videbatur Christum cum eo loqui et Paulum ei respondere.

–Hic –inquit dominus Quixotus– fuit maximus inimicus Ecclesiae Dei, Domini Nostri, suo tempore et postea maximus defensor eius quam numquam habuit, eques itinerans in vita et sanctus quieto gressu in morte, operarius indefessus in vinea Domini, doctor gentium, cui ut scholae fuerunt coeli et ut professor in cathedra ac magister ad eum docendum ipse Iesus Christus.

Non erant plures imagines et sic dominus Quixotus iussit ut iterum eas tegerent et tunc dixit his qui eas ferebant:

–Bona fortuna fuit mihi videndo, fratres, quod quidem vidi, quoniam omnes hi sancti et equites exercuerunt quod egomet exerceo, scilicet exercitium armorum; sed diversitas inter illos et me est, nam illi fuerunt sancti et pugnaverunt divino modo et ego sum peccator et humano modo pugno. Illi autem expugnaverunt coelum fortiter suis bracchiis, quoniam coelum vim patitur et ego hucusque meis laboribus nescio quid oppugno; sed si Dulcinea a Toboso liberaretur ab his, quos ipsa patitur, fortuna

mea profecto prosperaret et cum mens mea pacaretur, tunc possem meliore modo iter facere gressibus meis.

–Deus faxit atque audiat et peccatum maneat surdum –dixit Sanctius ad hanc occasionem.

Viri illi mirati sunt tum de figura domini Quixoti tum de argumentis illius, quia nec dimidia eorum intellexerunt quod ille volebat dicere. Tamen, prandio finito, denuo tulerunt imagines et domino Quixoto valedixerunt et iter eorum prosecuti sunt.

Sanctius autem remansit stupefactus tamquam si numquam noverit dominum suum, atque admiratus de his quae sciebat, quia ei videbatur nullam historiam esse in mundo nec facta, quae non cognosceret sive haberet in memoria nec essent infixa in suis unguibus atque ei dixit:

–Vere, domine mi, nescio utrum quae hodie acciderint nobis nominentur res gestae necne, quia adnumerabuntur inter dulciores et suaviores in omni decursu nostrae peregrinationis: ex eis egressi sumus sine ictibus fustium et cum nullo pavore, nec accepimus gladios nec cecidimus per terram cum nostris corporibus, neque laboravimus fame. Benedictus sit Deus qui sivit me talia videre meis propriis oculis.

–Bene dicis, Sancti –inquit dominus Quixotus–; sed animadverte non omnia tempora eadem esse neque omnia habebunt eamdem fortunam et quod vulgus ignarum vocat communiter auguria, quae non fundantur in ulla ratione naturali, secundum prudentem, erunt ut bonae res gestae. Unus ex his auguribus surgit mane, domo egreditur, invenit monachum Congregationis beati Sancti Francisci et tamquam si invenisset gryphum vertit dorsum et revertitur domum. Cuidam, nomine Mendoza, effunditur sal super mensam et melancholia infunditur in corde eius; tamquam si natura deberet signum dare de infortuniis, quae perventura sunt et tam parvi momenti ut de his dictis. Prudens et christifidelis non ambulabit in quaestionibus de his, quae coelum facere vult. Scipio Africanus advenit ad Africam, offendit obstaculum et cadit per terram, milites eius hoc pro malis auguriis habent; ille autem amplexus est terram et dixit: «Africa, non fugies a me, quoniam te habeo apprehensam meis bracchiis». Et sic invenire has imagines, Sancti, fuit mihi eventum felicissimum.

–Hoc ita credo –respondit Sanctius–, et etiam vellem ut diceres mihi, domine, causam qua hispani dicunt cum proelium facere volunt invocando illum Sanctum Didacum [hispanice *Diego* = Sanctus Iacobus] Matamoros: «Sancte Iacob et claude Hispaniam [sive «et prorsus, Hispania! cf. 2–4]!» Estne Hispania fortasse aperta ut opus sit eam claudere sive quaenam caerimonia est ista?

–Valde simplex es tu, Sancti –respondit dominus Quixotus–; et vide Deum dedisse Hispaniae hunc magnum equitem Crucis Rubrae ut patronum et protectorem, praesertim in imminentibus periculis, quae hispani habuerunt cum mauris, et sic invocant eum et implorant ut defensorem suum in omnibus proeliis, quae aggrediuntur et multoties eum quidem viderunt in eis, deruendo, deiiciendo atque interficiendo turmas agarenorum; et ad hanc veritatem multa exempla possem tibi adducere, quae in veris *historiis Hispaniae narrantur.*

Sanctius autem suum colloquium mutavit et suo domino dixit:

–Miror, domine, de procacitate Altisidorae, virginis ducissae; ille, quem vocant Amorem, fortiter debuit eam transfixam et vulneratam habere. Et quidem dicunt eum

esse puerum caecutientem et quamvis habeat oculos lippos, sive ut melius dicam, absque visu, si conatur cor transfigere, quamvis parvum sit, id attingit et transfigit suis sagittis. Et etiam audivi dicere in pudore et moderatione virginum sagittae amorosae frangunt cuspidem et hebetuntur, sed in hac Altisidora non praecise hebetuntur sed acuuntur.

–Animadverte, Sancti –inquit dominus Quixotus–, amorem nullos respectus habere nec observare regulas rationis in suis disquisitionibus et eadem argumenta habet quam ipsa Mors: quae aequo pede pulsat altas turres regum et humiles tabernas pauperum pastorum, et cum accipit integram possessionem cuiusdam animi, primum quod facit est auferre ab eo timorem verecundiamque; et sic et absque hac verecundia Altisidora sua desideria exposuit, quae in pectore meo potius confusionem quam commiserationem genuerunt.

–Patens crudelitas! –dixit Sanctius–. Et quam magnum ingratum animum! Ego ex me potius sinerem eam me oppugnare suis minimis argumentis amorosis. O fili moechae! Et quam marmoreum cor et quam viscera aenea atque animum arenatum habes tu, domine! Tamen nescio quid potuit haec virgo videre in te et quod expugnavit eam subiugavitque: quaenam speciositas, quae facetiae, quis vultus, sive haec omnia una captivaverunt eam amore; quia verumtamen multoties ego intueor te e summo capillo capitis usque ad pedem deorsum et potius video res ad expavendum quam ad amandum; et etiam audivi dicere formositatem esse primum ad alliciendum amorem et si vere tu ea careas, nescio a quo capta fuit amore misera Altisidora.

–Animadverte, Sancti –respondit dominus Quixotus–, duas formositates esse in homine: animi et corporis; formositas animi invenitur in intellectu, honestate, urbanitate ac munificentia et nobili natu et hae omnia possunt esse in viro foedo et cum intueantur hanc venustatem et non corpoream impellunt amorem maiore impetu ac praestantia. Atque ego, Sancti, bene video me non esse pulchrum, tamen recognosco me non esse deformem et sufficit viro nobili natu non esse monstrum ut possint eum diligere, cum habeat virtutes animi de quibus locutus sum tecum.

Illi autem, his rebus et colloquis dictis, introierunt per penetralia silvae, quae extra iter erat, et repente et, nemine animadvertente, invenit se dominus Quixotus apprehensum inter retia fili viridis coloris, quae inter arbores tensa erant; et, nullis cogitationibus factis, nec quid hoc esset dixit Sanctio:

–Mihi videtur negotium harum retium erunt res gestae novae quae imaginari possint. Peream ego, si incantatores, qui me persequuntur, nolunt me apprehendere his retibus et detinere me in meo itinere, tamquam vindicta contra crudelitatem quam ostendi Altisidorae. Tamen iubeo ego eis, quamvis haec retia, sicut sunt ex filo viridi, essent facta ex duro adamante, sive fortiora quam illa, quibus zelosus deus fabrorum ferrariorum implicavit Venerem Martemque, sic egomet ea frangerem tamquam si essent iunci marini, sive filamenta ex gossypio.

Voluerunt prorsus ire et omnia frangere, sed subito ante eos apparuerunt duae pulcherrimae pastrices, quae egressae sunt ex mediis arboribus; saltem ut pastrices amictae erant, quamvis pellicea vestis et stolae essent ex pretiosa tela serica, dico stolas ornatas esse filo aureo. Capillos habebant liberos per dorsum, et flavi erant ita ut possent contendere cum radiis ipsius solis; et coronabantur duobus sertis textis ex

laureo viridi et ex rubro amarantho. Et quoad aetatem ut videbatur non essent minores quindecim annos natae nec ultra duodeviginti.

His puellis conspectis, Sanctius miratus est et suspensus dominus Quixotus ita ut hic cursum suum detineret ad eas videndas et omnes quattuor miro silentio tacuerunt. Denique prima quae incepit loqui fuit una ex duabus puellis pastricibus, quae domino Quixoto ait:

–Consiste, domine eques, et noli haec retia frangere, quia non ad tuum damnum ea tetendimus, sed ad nostrum oblectamentum. Sed si vere scire vis quare haec posuimus et quaenam sumus, haec brevibus verbis dicam tibi. In quodam pago abhinc duas leucas, ubi multa gens praecipua est ac multi fidalgi inter amicos et propinquos concertaverunt huc venire cum filiis, uxoribus et filiabus, oppidanis, amicis et propinquis ad oblectandum in hoc loco, qui est inter amoenissimos huius regionis et quidem ad efficiendam novam Arcadiam bucolicam inter nos omnes; puellae autem debebant se induere tamquam pastrices et iuvenes ut pastores. Duas eclogas tradidimus memoriae nostro studio alteram illustris poetae Garcilasi, alteram excellentissimi Camões, in ipsa lingua eius lusitana, quas comoedias hucusque nondum egimus. Die hesterno primus dies fuit, quo hucusque venimus, et nonnulla tabernacula ereximus, quae dicunt campestria, ad ripam profundi rivi, qui haec omnia prata fecundat; haec retia tetendimus heri nocte inter has arbores ad decipiendos simplices passeres, qui pavescent ex fragore nostro et in ea cadunt. Si vere vis, domine, esse hospes noster, libenter frueris nostra affabilitate ac munificentia; quia in hunc locum non intrabit nec tristitia nec melancholia.

Illa autem tacuit et nil amplius dixit. Cui dominus Quixotus respondit:

–Profecto, pulcherrima domina, non esset «Actaeon» [nempe Antaeus] tam suspensus et admiratus, cum repente viderit Dianam sese abluere aquis, quam egomet stupefactus fui videndi tuam speciositatem. Equidem laudo negotium vestri oblectamenti et gratias ago propter hospitalitatem offertam mihi, tamen si quo modo possum vobis servire potestis a me, quidquid sit, quaerere et subito oboediam vobis. Professio mea est me gratias agere et esse benefactorem omni generi hominum, praesertim illis qui habent talem nobilitatem quam quae videtur vos habere erga me. Et si haec retia, quae occupant spatium parvum, adimplerent totum orbem terrarum, ego quaererem mihi alios mundos ut transirem et non frangerem ea; et ut possitis hanc exaggerationem meam aliquo modo credere, videte illum, qui haec vobis hoc modo promittit, quoniam est dominus Quixotus a Manica, si fortasse ad aures vestras pervenerunt nuntii huius nominis.

–Eheu, amica carissima! –ait tunc altera pastrix– quam magna fortuna accidit nobis! Videsne hunc dominum, quem ante oculos nostros habemus? Ego dico tibi eum esse strenuissimum atque amantissimum necnon et urbanissimum totius huius mundi, nisi mentiatur et decipiat nos historia rerum gestarum eius quam impresserunt et quam egomet legi. Et quidem sponsionem faciam si hic bonus vir, qui cum eo venit, sit Sanctius Pansa armiger eius cuius facetiae nemini sunt secundae.

–Hoc verum est –dixit Sanctius–: quia ego sum hic facetus atque iste armiger de quo tu dicis et hic est dominus meus, ipse dominus Quixotus a Manica historiatus et narratus.

–Eheu –ait altera–. Quaeramus ab eo, amica, ut maneat nobiscum; et parentes nostri ac fratres magnopere de eo gaudebunt; quia etiam audivi dicere de sua strenuitate et virtute tamquam dixisti mihi et domina eius est Dulcinea a Toboso, cui in tota Hispania dant palmam formositatis.

–Et in hoc recte iudicaverunt –inquit dominus Quixotus– nisi tua inaequalis pulchritudo de hoc dubitet. Sed nolite me retinere, dominae, quoniam obligationes, quae ad meum munus pertinent, numquam sinunt me quiescere in ullo loco.

Tunc ad locum, ubi erant illi quattuor, frater cuiusdam pastricum advenit, amictus eodem modo ut pastor et praeditus ornatu et elegantia convenienti vestibus puellarum. Illae autem ei narraverunt quis esset, qui cum eis erat, nempe strenuus dominus Quixotus a Manica et alter armiger eius Sanctius, de quibus ille iam noverat nuntios, quia historiam legerat. Ille praestans pastor ostendit sua obsequia ei eumque rogavit ut secum veniret ad tabernacula campestria, quibus verbis dominus Quixotus debuit assentiri et hoc modo fecit.

Tunc pervenit tempus illius venationis, sive aucupii, et retia plena erant passeribus diversae speciei, qui allecti ac decepti ex colore retium cadebant in laqueo ex quo fugiebant. In illo loco congregati erant plus quam triginta homines, omnes amicti ut pastores pastricesque et uno ictu intellexerunt, qui erant dominus Quixotus atque armiger eius, de quibus tam multum gavisi sunt, quia iam noverant nuntios historiae eorum. Ad tabernacula venerunt et mensas paratas invenerunt et quidem locupletes, abundantes praestantesque; dominum Quixotum honoraverunt, cui primum locum mensarum dederunt; cuncti eum intuebantur ac mirabantur.

Denique, mappis levatis, magna quiete dominus Quixotus levavit vocem et dixit:

–Inter magna peccata quae homines committunt, quamvis nonnulli dicant superbiam esse, ego dico esse ingratum animum et hoc quoniam memini illius quod dici solet: inferos plenos esse ingrata voluntate. De hoc peccato, mea sententia, volui fugere quantum potui et quidem ex illo tempore in quo usus sum luce rationis et si bona opera non possum adimplere aliis operibus bonis, tamen habeo desiderium faciendi talia, et si haec desideria non autem sufficiunt, tunc palam omnibus haec dico et proclamo, nam qui dicit et publice proclamat bona opera accepta etiam cum aliis remunerabit si potest; quoniam plerumque qui ea recipiunt non sunt tam divites quam illi qui ea dant, et sic Deus est dator supra omnes et dona hominis non possunt convenire donis Dei in aequalitate propter immensam distantiam. Tamen haec indigentia et exiguitas potest superari maiore grato animo. Et ego certe non possum aequo modo gratias agere propter meas parvas vires et convenire beneficio accepto, sed quod possum offeram vobis et hoc erit ex mea parte: et sic per duos dies integros sustinebo in hac media via regali, quae iter facit Caesaraugustam has simulatas pastrices esse pulcherrimas atque urbanissimas totius huius mundi, Dulcinea a Toboso autem excepta, quae est unica domina cogitationum mearum et hoc dictum sit sine offensione et cum pace omnium circumstantium.

Sanctius, his verbis dictis, auscultavit auribus arrectis et magna voce dixit:

–Num fieri potest ut sint in hoc mundo, qui audeant dicere atque iurare hunc dominum meum dementem esse? Dicite vos, domini pastores: estne parochus cuiusdam pagi, quamvis prudens ac scholasticus sit, qui possit dicere quae dominus meus dixit,

nec eques itinerans, quamvis habeat famam strenui ut possit offerre quod meus dominus obtulit?

Dominus Quixotus vertit se versus Sanctium et accenso vultu et magna iracundia dixit ei:

–Num fieri potest, o Sancti! ut in toto orbe terrarum sit qui dicat te non esse stultum, coopertum eadem re, cum quibuslibet fimbriis malitiae ac pravitatis? Quis enim introduxit te in res meas ad quaerendum utrum sim prudens an stupidus? Tace et ne respondeas verbum, sed para Rocinantem si nondum habet sellam; et eamus ad adimplendum quod obtuli; nam propterea quod ius est in mea parte poteris credere me vincere et superare omnes qui velint huic obstare.

Et magna furia ac signis indignationis surrexit de sella et reliquit omnes circumstantes admiratos et quidem, quia nesciebant utrum eum haberent ut dementem an sanum. Denique, eum suaderunt ne sustineret hanc propositionem, nam omnes noverant bonam voluntatem grati animi eius et non necessariae erant tales manifestationes ad animum strenuum cognoscendum, quia satis erat quod historia de rebus gestis eius narrabat. Tamen dominus Quixotus ultra prosecutus est sua voluntate, ascendit in Rocinantem, accepit scutum et apprehendens lanceam suam stetit in media via regali, quae non procul a prato viridi erat. Sanctius secutus est eum super asinum suum una cum omni turba hominum illius bucolicae gregis, qui vere cupiebant videre quonam pergeret audacia illius et insolitum quod offerebat faciendi.

Dominus Quixotus stetit in media via –ut dictum est–, et aerem offendit his similibus verbis:

–O vos, viatores, et iter facientes, equites, armigeri, pedites et qui per hanc viam transitis cum equis sive in biduum proximum futurum transituri estis! Scitote dominum Quixotum a Manica, equitem itinerantem, hic esse paratum ad defendendam formositatem nympharum horum pratorum ac silvarum, quae superant cunctas pulchritudines atque urbanitates totius huius mundi, domina animi mei Dulcinea a Toboso excepta. Quare si quis hoc contradiceret veniat ad me; quoniam ego eum exspecto ad eum debellandum.

Bis repetivit idem argumentum et totidem nullus spontaneus eques ea exaudivit. Tamen fortuna voluit ut res alio modo cursum duceret et sic decrevit ut per viam appareret magna turba virorum super equos, plerique eorum cum lanceis in manibus et omnes una iter faciebant et quidem celeriter. Illi qui cum domino Quixoto erant, dorsum verterunt et a via recesserunt ne quid mali eis eveniret si in via manerent. Solus dominus Quixotus corde impavido mansit in suo loco, et Sanctius Pansa armiger eius se abscondit a tergo Rocinantis.

Illa turma virorum cum lanceis advenit et unus eorum qui alios praecedebat magnis vocibus dixit domino Quixoto:

–Recede a via, furcifer diaboli, quia tauri te dilaniabunt!

–Eheu, plebecula putida! –respondit dominus Quixotus–, non sunt tauri mihi qui aliquid valeant, quamvis ferocissimi sint, qui gignuntur in ripis fluminis Iaramae (Jarama)! Sed confitemini, maledicti, hoc modo et omnes uno ore verum esse quod palam omnibus proclamavi; aliter mecum eritis in proelio.

Non potuit bubulcus responsum ei dare, neque dominus Quixotus potuit recedere

a via, et hoc quamvis vellet; et sic grex taurorum ferorum ac mansueti bobes eorum et alii viri, qui eos ducebant ad eos claudendos, quia in crastinum diem erat agitatio taurorum et omnes transierunt supra dominum Quixotum et Sanctium, et etiam supra Rocinantem et asinum eosque omnes per terram eiecerunt. Sanctius contusus, dominus Quixotus expavefactus, asinus percussus, Rocinans non valde catholicus; sed denique omnes surrexerunt et dominus Quixotus magna celeritate et offendens hic et cadendo ibi, incepit currere post armentum taurorum et magnis vocibus dicebat:

–Consistite omnes atque exspectate me, plebecula maligna; quoniam solus eques ego sum, qui exspectat vos et mihi non videtur bonum proverbium quod dicet: pontem argenteum sternite inimico fugienti!

Nihilominus non detinuerunt se celeres cursores nec quid fecerunt de minis eius quam de nubibus praeteritis. Lassitudo detinuit dominum Quixotum, qui magis stomachatus quam vindicatus sedit in via exspectando ut Sanctius, Rocinans atque asinus ad eum venirent. Illuc quidem pervenerunt et denuo dominus ascendit in equum, et famulus super asinum et, nemini illius Arcadiae fictae sive simulatae valedicendo, ac praediti maiore verecundia quam gaudio iter eorum prosecuti sunt.

Capitulum 59. Ubi narratur insolitum factum quae potuerunt esse res gestae, quae domino Quixoto evenerunt

In claro ac limpido fonte, quem inter arboretum invenerunt, dominus Quixotus et Sanctius removerunt pulverem et lassitudinem ex impudentia taurorum. Et iuxta illum fontem reliquerunt liberos asinum et Rocinantem, sine clitellis ac freno, et dominus armigerusque contusi sederunt. Sanctius venit ad viaticum clitellarum suarum et ex eis extraxit quod solebat vocare cibum; mundavit os suum, dominus Quixotus abluit suum vultum ex quo refrigerio animi defessi eorum novas vires obtulerunt. Dominus Quixotus non edebat, quia vere moestus erat, nec Sanctius audebat tangere cibos, quos ante se habebat propter urbanitatem, et sivit ut dominus eius inciperet ad comedendum. Et cum eum vidit praeditum cogitationibus, quibus oblitus erat adducendi panem ad os suum, armiger, silentio servato, et, regulis urbanitatis spretis, non locutus est cum domino suo, sed incepit vorare in stomachum panem et caseum, quos inveniebat.

–Comede, Sancti amice –inquit dominus Quixotus–, sustine vitam, quae maioris momenti est tibi quam mihi et sine me mori ad manus cogitationum mearum et propter infortunia mea. Egomet, Sancti, natus sum ad vivendum moriendo, tu autem ad moriendum comedendo. Et ut videas me verum dicere, cogita me esse impressum in historiis, clarum in armis, urbanum in meis factis, veneratum a principibus, sollicitatum a virginibus; et denique cum exspectarem palmas necnon et triumphos coronasque obtentas et meritas per mea facta strenua, hoc mane vidi me calcatum et calcitratum necnon et contusum ex pedibus animalium immundorum ac sordidorum. Haec autem consideratio dentes meos debilitat, afficit torporem molaribus, ac manus meas deturbat

et aufert a me omnino appetitum edendi et hoc modo potius volo mori ex fame, quae est crudelissima omnium mortium.

–Hoc modo –dixit Sanctius, dum comedebat magna celeritate–, tu, domine, non assentieris proverbio dicenti: «Moriatur Marta, sed moriatur farta.» Ego saltem nolo interficere me ipsum. Nihilominus tamquam sutor volo corium cum dentibus protrahere usque ad locum, ubi ille vult ut veniat; et omnem vitam protraham comedendo usque ad finem, quem coelum decrevit; et scito, domine, nullam dementiam tam magnam esse quam velle desperare sibi et crede mihi et, prandio finito, eas dormitum super culcitas harum herbarum viridarum et cum exspergiscaris te invenies mitigatum.

Sic autem fecit dominus Quixotus quoniam ei videbantur argumenta Sanctii magis esse philosophi quam stulti et dixit ei:

–Si tu, o Sancti! velles facere pro me quod nunc ego dicam tibi, allevamentum meum certius esset et dolores mei non tam magni, et hoc est ut, dum ego dormio, et oboediendo tuis consiliis, parum procul hinc a via discedas et cum habenis Rocinantis carnes tuas ad aerem ponas et tibi des trecenta sive quadringenta flagella ad computum illorum trium milium et aliorum, quae daturus es ad solvendam Dulcineam ex incantamento eius; nam magna calamitas est ut illa miserrima domina sit nunc incantata propter tuam negligentiam atque incuriam.

–In hoc multum est dicendi –ait Sanctius–. Tamen dormiamus nunc ambo et postea Deus providebit quidquid sit. Et scias, domine, non esse negotium parvi momenti verberare se ipsum sine ullo stimulo, praesertim si flagella cadunt super corpus male sustentatum et peius nutritum; quapropter habeat patientiam mea domina Dulcinea et improviso et, nemine sciente, videbit me tamquam cribrum ex flagellis; et usque ad mortem omnis est vita; et his volo dicere me adhuc vivere et etiam est mihi desiderium adimplendi quod vere pollicitus sum.

Dominus Quixotus gratias egit ei et parum edit, dum Sanctius comedit multum et ambo dormierunt et reliquerunt illos duos bonos sodales et amicos eorum, nempe Rocinantem et asinum, ad plenam libertatem ut possent pascere herbam copiosam, qua plenum erat illud pratum. Serius autem experrecti sunt e somno et iterum ascenderunt in iumenta et iter secuti sunt et quidem festinaverunt, ita ut possent ad cauponam venire, quae videbatur circa leucam ex illo loco. Dico autem eam cauponam esse, quia dominus Quixotus sic eam vocavit praeter consuetudinem suam appellandi omnes cauponas castella.

Pervenerunt ad cauponam; quaesiverunt a cauponario si esset habitaculum eis. Respondit eis affirmative, ac tam commodum et delectabile quam Caesaraugustae possent invenire. Sanctius descendit de asino et cellarium suum adduxit in cubiculum, cuius caupo dedit ei clavim; iumenta ad stabulum duxit, posuit eis pabula, egressus est ad videndum quid faceret dominus Quixotus et en hic sedebat super podium, et tunc gratias egit coelo, quia domino eius nondum videbatur illa caupona esse castellum.

Illi autem, hora coenae adventa, intraverunt in cubiculum eorum. Sanctius quaesivit a caupone quid esset ei ad coenandum. Cauponarius respondit ei dicens os suum invenire quidquid vellet, quia ex passeribus aeris et ex avibus terrae necnon et ex piscibus maris illa caupona bene parata erat.

–Non necessaria sunt tam multa –respondit Sanctius; quia par gallorum assorum sufficiunt nobis, nam dominus meus delicatus est et non comedit multum neque egomet sum tam avidus nec edax.

Caupo autem respondit ei dicens se non habere gallos, quia milvi eos depraedabantur.

–Tunc para nobis, domine hospes –dixit Sanctius–, pullastram assam quae sit tenera.

–Pullastram? Pater mi! –respondit caupo–. Verumtamen heri misi plus quam quinquaginta ad eas vendendas; sed praeter pullastras quaere quidquid velis.

–Hoc modo –dixit Sanctius– non deerit vitula sive haedus.

–Domi, nunc temporis –respondit hospes–, non sunt, quia finiti sunt; sed proxima hebdomada futura satis erunt.

–Hoc non convenit nobis! –respondit Sanctius–. Secundum me, hae penuriae erunt, quia abundantia erit ex lardo et ex ovis.

–Per Deum! –respondit caupo–, bonus est hospes meus! Nonne dixi tibi me non habere pullastras nec gallinas, quomodo possum habere ova? Veni ad alia quaerenda et relinque has subtilitates et ne quaeras gallinas.

–Breviter, per corpus meum! –ait Sanctius–, dicas tandem mihi quid est quod vere habeas et relinque, domine hospes, has discussiones.

Tunc dixit caupo:

–Quod vere ac reapse habeo sunt binas ungues vaccae, quae videntur manus vitulae, sive binas manus vitulae, quae videntur ungues vaccae; coctae sunt cum suis ciceribus, caepis et lardo et hoc tempore dicunt: «Comede me! Comede me!»

–Hae ex hoc meae sunt –dixit Sanctius–, et nemo eas audeat tangere, et melius solvam pro eis quam quidam alius, quia nil potuissem exspectare ad nutum meum, et idem est mihi utrum sint manus an ungues.

–Nemo has comedet –inquit caupo–, quia alii hospites quos habeo tam nobiles ac praecipui sunt ut habeant coquum, cellarium et immo cellam penariam.

–Si illi nobiles natu sunt –dixit Sanctius–, nullus erit nobilior domino meo; sed munus quo fungitur non permittit ei tam multas cellas penarias habere, et sic aliquando consedimus in medio prato et saturamur glandibus sive mespilis.

Sanctius autem, hoc colloquio cum caupone habito, noluit ultra ei respondere; quia iam quaesiverat ab eo officium sive munus domini eius.

Advenit hora coenae, dominus Quixotus introivit in suum cubiculum, hospes ei adduxit ollam sicut erat, et accubuit mensae ad coenandum. Vidètur habitaculum contiguum ad cubiculum domini Quixoti habuisse parietes valde subtiles, quapropter dominus Quixotus audivit dicere:

–Per vitam tuam, domine Hieronyme, dum coenam adducent nobis legamus aliud capitulum huius secundae partis «Domini Quixoti a Manica».

Vix atque audivit suum nomen, dominus Quixotus surrexit et, auribus arrectis, auscultavit quod de eo tractabant et ecce audivit hunc dominum Hieronymum respondisse:

–Quare vis, domine Ioannes, ut legamus has ineptias? Qui vere primam partem legit historiae domini Quixoti a Manica non amplius gaudet lectione huius secundae.

–Nihilominus –ait dominus Ioannes–, bonum erit eam legere, quia non est liber tam malus ut non habeat quid boni. Potissimum quod magis displicet mihi est hunc dominum Quixotum non amplius diligere Dulcineam a Toboso.

Dominus Quixotus, his verbis auditis, affectus est magna iracundia ac furore et levavit vocem et dixit:

–Quicumque diceret dominum Quixotum a Manica oblitum esse Dulcineae a Toboso, sive fore ut obliviscatur illius, egomet faciam eum confiteri procul a veritate esse et quidem cum aequalibus armis, quoniam imparis Dulcineae a Toboso nec oblitus est nec in domino Quixoto erit oblivio illius. Lemma eius est constantia et professio eius est hanc quidem servare suaviter, sed non violenter.

–Quis enim est qui respondet nobis? –dixerunt ex alio habitaculo.

–Quis enim erit –respondit Sanctius– nisi ipse dominus Quixotus a Manica, qui faciet ut verum sit quod dixit? Quia qui sumptum bene solvit non curat de pignore.

Simul ac Sanctius haec dixit introierunt per ianuam habitaculi duo equites, qui tales videbantur, quorum unus eiecit bracchia ad collum domini Quixoti eique dixit:

–Neque tua praesentia potest tuum nomen exsprobare neque tuum nomen tuam praesentiam exsprobabit: absque ullo dubio, domine, tu es verus dominus Quixotus a Manica, Stella Polaris ac lumen equitatus itinerantis contra quod dixit et voluit usurpare tuum nomen et quidem ad nihilum redigendum tuas bonas res gestas sicut fecit auctor huius libri, quem hic vobis porrigo.

Et porrexit in manus eius librum, quem habebat sodalis eius. Dominus Quixotus eum accepit et, nullo verbo prolato, incepit folia eius evolvere et parumper postea reddidit ei dicens:

–Hac parva mora temporis vidi eum, et tria inveni in hoc auctore digna reprehensionis. Primum, quaedam verba huius prologi quae legi; alterum, modus loquendi est proprius Aragoniae, quoniam fortasse scribit sine articulis determinatis, tertiumque et potissimum est ut eum tamquam magnum ignorantem habeam, nam erravit et a veritate sese avertit et dixit uxorem Sanctii Pansae, armigeri mei, nuncupari Mari Gutiérrez, et sic illa non vocatur, sed Teresia Pansa. Et qui in hoc errat quod est magni momenti, timendum est, ut etiam erret in reliquis historiae illius.

Cui Sanctius dixit:

–Bene fecit hic historiographus! Bene cognoscit veritatem factorum nostrorum quia Teresiam Pansam, uxorem meam, vocat Mari Gutiérrez! Accipe, domine, denuo hunc librum et videas num egomet sim ibi vel si etiam mutavit nomen meum.

–Ex his quae audivi, amice –dixit dominus Hieronymus–, sine dubio eris Sanctius Pansa, armiger domini Quixoti.

–Utique sum –respondit Sanctius– et de hoc glorior.

–Mea fide –ait eques– hic auctor hodiernus non tractat te cum decore debito tibi: depingit te edacem ac simplicem et nullo modo facetum, et diversum ab illo Sanctio, qui in prima parte historiae describitur.

–Deus ignoscat ei –dixit Sanctius–. Melius esset si relinqueret me in quodam angulo et non meminisset mei, quia qui eas cognoscit bene eas pulsat et bene est Sanctus Petrus Romae.

Duo equites rogaverunt dominum Quixotum ut veniret ad habitaculum eorum ad

coenandum cum eis, quia illi bene sciebant in illa caupona non esse cibos aptos et Dominus Quixotus qui semper urbanus erat, concessit petitioni eorum et una cum eis coenavit; Sanctius autem cum olla solus mansit et quidem cum plena iurisdictione; ad caput mensae sedit et cum eo caupo qui non minus quam Sanctius affectus erat suis manibus et unguibus bubulis.

In decursu coenae dominus Ioannes quaesivit a domino Quixoto utrum haberet nuntios de domina Dulcinea a Toboso necne: utrum fortasse illa nupsisset cuidam, an casu peperisset vel praegnans esset vel utrum cum esset virgo in sua integritate meminerit –sua honestate et decore servatis– cogitationum amorosarum domini Quixoti necne. Cui ille respondit:

–Dulcinea integra est, et cogitationes meae constantiores quam umquam; mutua familiaritas in sua pristina siccitate; et formosura illius transformata est in rudam rusticam.

Et continuo enarravit eis accurate negotium incantationis dominae Dulcineae, et quod ei accidit in caverna Montesinos cum mandato sapientis Merlini ad eam solvendam de incantamento et haec fuerunt flagella Sanctii.

Magno contentu ambo equites gavisi sunt hac narratione domini Quixoti quoad insolitas res gestas historiae eius, et sic admirati fuerunt de suis ineptiis et de modo eleganti narrandi eas. Hic eum habebant ut prudentem et ibi labebatur ut stultus et sic nesciebant gradum inter prudentiam et dementiam eius.

Sanctius, coena finita, reliquit cauponem ebrium et pervenit ad habitaculum ubi dominus eius erat et cum introiret dixit:

–Peream ego, domini mei, si auctor huius libri, quem vos habetis, vult nos non placide comedere in pace; et timeo utrum ille vocet me edacem an etiam appellet me ebrium.

–Certe sic te vocat –inquit dominus Hieronymus–; sed nescio quomodo accurate utitur his verbis, quamvis absona semper sint argumenta et mendacia quae adducit, secundum quod possum videre in praesentia et figura boni Sanctii, qui hic est.

–Credite mihi, domini –dixit Sanctius–, Sanctium et dominum Quixotum huius historiae alios ac diversos esse ab eis quos composuit Cide Hamete Benengeli, qui nosmetipsi sumus: dominus meus, strenuus, prudens et captus amore et ego simplex et facetus, sed neque edax nec ebrius.

–Hoc ita credo –inquit dominus Ioannes–, et si fieri posset ut nullus auderet tractare res magni domini Quixoti nisi Cide Hamete primigenus auctor illius, sic ut Alexander iussit ut nemo auderet eum pingere nisi Apelles.

–Depingat me quilibet vellet –inquit dominus Quixotus–, sed nullo modo distorqueat me; quoniam multoties patientia evanescit cum plures sint iniuriae.

–Nullam –ait dominus Ioannes– potest ille facere domino Quixoto quin ille eam possit vindicare, si non reparat eam in lemmate patientiae eius, quae, mea sententia, fortis et magna est.

His et aliis colloquiis prolatis, magna pars noctis praeterivit, et quamvis dominus Ioannes vellet ut dominus Quixotus legeret magis in illo libro ad videndum quid esset quod ipse interpretaretur de eo, non potuit eum cogere ut id faceret, nam, secundum quod dominus Quixotus dicebat, iam dabat librum ut lectum et ut fatuum et stultum

totum eum confirmabat. Et noluit, si casu nuntius pervenerit ad ipsum auctorem, hunc scire dominum Quixotum habuisse librum in suis manibus, quominus gauderet si vere legeret librum, quia cogitationes ex his, quae obscena sunt et turpia removendae procul sunt ab oculis. A domino Quixoto demum quaesiverunt quonam gentium iter suum faceret. Ille respondit se iter facere Caesaraugustam et quidem ad equestre ludicrum armaturae, quod in illa urbe quotannis caelebrabatur. Dominus Ioannes dixit ei in illa historia narrari quomodo dominus Quixotus, vel quilibet ille sit, esset in illa urbe et in ludo anuli, sed haec narratio fuit indigens inventione, pauperrima in symbolis vestiariis, quamvis abundans esset simplicitatibus.

–Quamobrem –respondit dominus Quixotus– non introducam pedem Caesaraugustam et sic patefaciam mendacium huius hodiernis autoris, vi cuius homines videbunt me non fuisse dominum Quixotum de quo ille loquitur.

–Et bene facies –ait dominus Hieronymus–; quia alia ludicra equestria erunt Barcinone, ubi tu, domine Quixote, bene tuam strenuitatem ostendere potes.

–Et hoc ita faciam –dixit dominus Quixotus–, sed nunc a vobis quaero veniam discedendi quoniam, tempus est ut eam dormitum. Sed quaeso ut adnumeretis me inter meliores amicos et ministros vestros.

–Et etiam me inter illos vestros –dixit Sanctius–: forsitan tandem bonus sim ad aliquid.

His rebus peractis, valedixerunt sibi ad invicem, ac dominus Quixotus et Sanctius ad cubiculum suum recesserunt, et reliquerunt dominum Ioannem et dominum Hieronymum quidem admiratos videndo hanc insolitam admixtionem inter prudentiam et dementiam illius et crediderunt hos esse veros dominum Quixotum et Sanctium et non illos, quos auctor Aragoniae descripserat.

Primo mane surrexit dominus Quixotus et, ope ictuum ad parietem alterius habitaculi, valedixit hospitibus illis. Sanctius autem solvit cauponario et quidem munifice et dedit ei consilium ne tam multum laudaret abundantiam ciborum cauponae, sed melius eam reapse pararet.

Capitulum 60. Ubi narratur quod accidit domino Quixoto cum iter faceret Barcinonem

Mane erat frigidum et etiam exspectabatur dies frigidus, in quo dominus Quixotus egressus est a caupona, sed antea voluit scire quidnam esset iter directius Barcinonem, tamen noluit transire per Caesaraugustam: tale erat suum desiderium ostendendi novum historiographum mendacem esse, qui, secundum dicebant, tam multum eum vituperabat.

Tamen ultra sex dies non accidit domino Quixoto ulla res digna scribendi. Sed denique et, his diebus elapsis, cum esset extra illam viam, sub vesperum dum ille esset inter densas quercus vel subera: nam in his rebus Cide Hamete non servat ipsam accuratam curam tamquam in aliis adiunctis rerum facere solet.

Dominus famulusque descenderunt de iumentis eorum et sederunt super truncos arborum, ubi Sanctius, qui bene ederat merendam, sivit se introire statim per portas somni. Dominus Quixotus vigilans erat, nam cogitationes eius eum suscitabant et quidem magis quam fames et non poterat oculos claudere, sed immo ibat et veniebat suis cogitationibus per mille genera locorum. Tum ei videbatur esse in caverna Montesinos; tum videbat Dulcineam transmutatam in rusticam saltum dare super asinam suam; tum verba sapientis Merlini sonabant in suis auribus et quidem narrabant ei condiciones et diligentias, quae faciendae erant ad solvendam Dulcineam ex incantamento eius. Desperabatur de negligentia Sanctii sui armigeri et de indigentia commiserationis illius, quoniam, secundum quod ipse credebat, tantum verberavit se quinque flagellis, numerus parvus et omnino inaequalis erga innumera, quae adhuc deerant ei et hoc efficit in eo magnam molestiam et iracundiam quamobrem sic enim dixit:

–Si Alexander Magnus ope gladii scidit nodum gordianum dicens: «Idem est scindere quam solvere», et non minus fuit universalis dominus totius Asiae, nec minus potest nunc accidere solvendo incantamentum Dulcineae, si egomet verbero Sanctium invitum; nam condicio huius medelae est Sanctium verberari tribus milibus et tot flagellorum. Et quid ad me, utrum ipse id faciat an alter sit qui eum verberet, nam condicio est eum ea recipere ex qualibet manu veniant?

Praeditus hoc consilio in mente ad Sanctium venit, habenis Rocinantis imprimis acceptis, easque modo idoneo disposuit ad Sanctium verberandum. Tunc incepit cingula eius solvere, et secundum quod videtur tantum habebat partem anteriorem huius cinguli, quo femoralia eius sustentabantur, tamen simul ac venit ad id Sanctius hic experrectus est e somno et dixit:

–Quid est hoc? Quisnam tangit me et solvit cingulum meum?

–Ego sum –respondit dominus Quixotus–, qui venio ad supplendam negligentiam tuam et afficere remedium laboribus meis: egomet venio ad te verberandum, Sancti, et ad minuendum partim computum debitum flagellorum, quae Dulcineae pollicitus es. Nam ecce illa moritur, et tu vivis in tua negligentia, ego morior in meo desiderio, quare solve libenter femoralia tua; nam voluntas mea est te verberare in hac solitudine saltem duo milia flagellorum.

–Minime vero –dixit Sanctius–; remane, domine, quietus: aliter, per Deum verum, surdi audient nos. Flagella quibus pollicitus sum erunt voluntaria et non invite et nunc nullo modo volo me verberare. Satis est me promisisse tibi me verberare et flagella tundere, sed cum egomet vellem.

–Non est opus propter tuum desiderium, Sancti –inquit dominus Quixotus–, quoniam durus corde es et quamvis sis rusticus habes tenerissimas carnes.

Et sic pugnabat cum eo ad solvendum cingulum, quod cum vidit Sanctius Pansa, stetit et impetum fecit in dominum suum et amplexus est eum ope bracchiorum suorum et supplantavit eum suis pedibus, et fecit eum cadere per terram supinum et posuit dextrum genus suum super pectus eius dum suis manibus arcte apprehendebat manus eius ita ut non permitteret eum volvere nec immo respirare. Dominus Quixotus dixit ei:

–Quomodo tu, proditor? Contra tuum dominum naturalem rebellas? Cum eo qui tibi dat panem audes pugnare?

–Neque aufero neque impono regem –respondit Sanctius–, sed adiuvo me ipsum,

quia ego sum dominus meus. Promitte mihi, domine, te quietum esse et non verberare me nunc temporis et ego te relinquam liberum; sin autem,

hic morieris, traditor
inimicus dominae Sanctiae.

Dominus Quixotus pollicitus est ei requisitum eius atque iuravit per vitam suam non tangere nec capillum vestium eius et relinquere haec omnia ad voluntatem eius necnon et ut verberaret se ipsum cum ille vellet.

Surrexit Sanctius et secessit ab illo loco parumper, sed cum appropinquaret ad aliam arborem, sensit aliquid tangere caput eius, tunc porrexit manus et invenit duos pedes virorum cum calceis et tibialibus. Tremuit magno pavore, venit ad alteram arborem et idem accidit ei. Magnis vocibus clamavit dominum Quixotum ut faveret ei. Dominus Quixotus ad eum venit et quaesivit ab eo quid accidit ei ac de quo timuit, Sanctius respondit ei dicens omnes arbores plenas esse pedibus et cruribus virorum. Dominus Quixotus palpavit ea et intellexit quod poterat esse et dixit Sanctio:

–Noli timere, quoniam pedes et crura, quae palpas et non vides, erunt absque dubio latronum sive praedonum, qui in his arboribus suspensi sunt patibulo; nam iustitia solet suspendere eos cum apprehendit eos, vicenos sive tricenos, ex quo intelligo nos prope Barcinonem esse.

Et hoc ita erat, sicut ille imaginatus erat.

Et primo mane porrexerunt oculos et viderunt illos racemos pendentes de arboribus esse corpora latronum. Iam lucescebat dies et si mortui terruerunt eos, non minus expaverunt a quadraginta praedatoribus vivis, qui repente circumdederunt eos, loquentes sermone catalaunico ut essent quieti et sic manserunt donec ductor eorum veniret.

Dominus Quixotus erectus erat pedibus, equus eius sine freno, lancea iuxta arborem et denique praeditus nulla defensione et, manibus decussis ac prono capite, exspectavit meliorem opportunitatem sibi.

Praedatores accederunt ad asinum spoliandum et nihil reliquerunt ex his, quae in clitellis et in sarcina erant, et bene fuit Sanctio, quia in fascia habebat aureos ducis et quos adduxerat ex sua terra, sed nihilominus illa bona gens perscrutaretur omnia, quae haberet inter corium et carnem absconditum, nisi illo tempore veniret ductor eorum, qui videbatur esse vir usque triginta et quattuor annos natus, robustus, aliquantulum altus, gravi visu et subnigri coloris. Super equum fortem veniebat, amictus ferrea lorica et cum quattuor brevibus sclopetis ad latera sua –quae in illis regionibus vocantur vulgo *pedreñales*. Ille vidit armigeros suos (quia sic vocant illos qui in hoc exercitio sunt) spoliaturos esse Sanctium Pansam; et iussit eis ne id facerent, et confestim oboedierunt ei, et hoc modo Sanctius fasciam suam servavit sibi. Ductor ille autem admiratus est videndo lanceam iuxta arborem, scutum in terra et dominum Quixotum armatum et meditabundum, cum moestissima ac melancholica figura quam ipsa tristitia posset depingere. Ad eum venit et dixit ei:

–Noli esse tristis, bone vir, quia non cecidisti in manus cuiusdam crudelis Osiris, sed Rochi Guinart, qui clementiores has habet quam rigidas.

–Non est tristitia mea –respondit dominus Quixotus– quoniam cecidi in tuam potestatem, o strenue Roche, cuius famam nulla terra continere potest! sed propter negligentiam meam, vi cuius milites tui apprehenderunt me sine freno equi, cum opus sit secundum leges ordinationis equitatus itinerantis, quam exerceo, ut semper sim vigilans et omni hora curem de me ipso. Et ego dicam tibi, o magne Roche! si invenirent me super equum meum cum mea lancea et meo scuto, non possent facile oppugnare me, quoniam ego sum dominus Quixotus a Manica, cuius rebus gestis totus orbis terrarum est plenus.

Rochus Guinart, morbo domini Quixoti cognito, quod magis erat dementiae quam strenuitatis, et quamvis aliquando audivisset nomen eius, numquam credidit facta illius vera esse, neque potuit credere similem rem esse in corde cuiusdam hominis, tamen valde gavisus est inveniendo eum, quia sic potuit propius videre, quod de eo audiverat et hoc modo sic dixit:

–Strenue eques, ne desperes nec habeas ad malam fortunam, in qua inveniris, quia bene poterit esse ut in his obstaculis adversa fortuna reparetur; nam coelum per incognitas vias homines ducit et aliquando levat lapsos et divites facit pauperes.

Dominus Quixotus conabatur ei gratias agere, cum repente auditus est strepitus tamquam turma equorum adveniens, sed tantum erat solus equus super quem veniebat iuvenis circa viginti annos natus, amictus viridi serico damasceno cum fimbriis aureis, femoralibus et chlamyde, petaso cum taenia ad modum vallonicum, calceis convenientibus, calcaribus, pugione et gladio aureis, sclopeto parvo in manibus et duobus sclopetis ad latera sua. Ad strepitum Rochus vertit caput suum et vidit hanc pulchram figuram, quae cum advenit ad eum dixit:

–Te quaerebam, o strenue Roche! ad inveniendum in te non tantum medelam, sed saltem allevamentum in meo infortunio, et ne habeam te suspensum, quia vidi te nondum cognoscere me, tibi dicam quaenam sim: ego sum Claudia Hieronyma, filia Simonis Forte, praestans amicus tuus ac peculiaris inimicus Clauquel Torrellas, qui etiam tuus personalis inimicus est, quia pertinet ad tuam factionem adversam. Iam scis hunc Torrellas habere filium, Vincentium Torrellas nomine, sive sic vocabatur abhinc duas horas. Hic autem, ut breviter dicam tibi narrationem mei infortunii, quod affecit mihi, vidit me, allexit me, ego eum auscultavi, capta fui amore erga eum, furtim a patre meo eum vidi, quia quaecumque mulier, quamvis seclusa sit, potest adimplere imprudentia desideria sua. Denique, ille pollicitus est ducere me uxorem, ego etiam promisi ei nubere, sed non ultra profecti sumus operibus. Heri cognovi eum, me omnino neglecta, aliam duxisse uxorem et hodie mane erant nuptiae, hoc perturbavit sensum meum et finivit meam patientiam; et, sicut pater meus erat in loco, indui hanc vestem quam nunc vides et festinanter accepi hunc equum et ad illum Vincentium perveni abhinc leucam, in eum explosi sclopetum hoc necnon et haec duo parva sclopeta et sic credo me introduxisse in corpus eius plus quam duos globulos sclopeti et aperui portas, ubi cum sanguine eius exiret honor meus. Ibi reliqui eum inter famulos eius, qui immo non ausi sunt defendere eum. Ego autem venio ad te ut facias me transire ad Francogalliam, ubi sunt propinqui mei cum quibus potero vivere necnon et ut custodias patrem meum, quia multi sunt ex factione illius Vincentii ne veniant ad vindictam faciendam contra eum.

Rochus admiratus est de figura, ambitu, agili corpore et pulchritudine Claudiae eique dixit:

–Veni huc, domina, et videamus utrum inimicus tuus mortuus sit necque et postea videbimus quid faciendum sit pro te.

Dominus Quixotus, qui attente et auribus arrectis audiebat, quae Claudia dixit et quod Rochus Guinart ei respondit, ait:

–Nemo debeat hanc dominam defendere; egomet onus hoc libenter accipiam super umeros meos; dent mihi equum meum et arma mea et ibo ad hunc equitem quaerendum et faciam hodie ut aut vivus aut mortuus adimpleat pollicitum suum huic magnae pulchritudini.

–Nemo dubitet de hoc –dixit Sanctius–, quia dominus meus optimus concitator nuptiarum est, et non abhinc multos dies fecit uxorem ducere illum, qui negabat promissionem ducendi virginem uxorem, et si incantatores, qui eum persequuntur, non mutarent faciem veram illius in faciem cuiusdam pedisequi, haec esset hora, qua illa decepta virgo iam non amplius esset virgo.

Rochus autem magis attendebat eventum pulchrae Claudiae quam argumenta domini famulique, quae non recte intellexit; et sic iussit suis armigeris ut Sanctio redderent omnia quae ab eo abstulissent et etiam ut recederent ad locum ubi pernoctaverant nocte praecedenti. Et statim cum Claudia profectus est magna festinatione ad quaerendum dominum Vincentium sive vulneratum vel mortuum. Pervenerunt ad locum ubi Claudia eum invenit, sed eum non amplius viderunt, nisi sanguinem novum effusum, et ubique inspexerunt et viderunt in clivo sursum nonnullos et sic intellexerunt verum eum dominum Vincentium esse, quem famuli eius ferebant vivum sive mortuum ad eum curandum sive ad sepeliendum, et festinaverunt ad eos nanciscendos et cum illi procedebant lente, magna facilitate hoc fecerunt.

Dominum Vincentium invenerunt in bracchiis famulorum eius, qui voce lassa ac debili rogabat ut eum ibi relinquerent ut moriretur, quia dolor vulnerum eius non permittebat ulterius procedere.

Claudia et Rochus descenderunt de equis eorum et ad eum pervenerunt, at famuli timuerunt praesentiam Rochi et Claudia turbata est videndi dominum Vincentium et hoc modo tum commota commiseratione tum rigida ad eum venit et accipiens manum eius dixit:

–Si hanc manum tuae promissionis dedisses mihi secundum consilium nostrum, numquam videres te in hoc statu.

Vulneratus eques aperuit oculos fere clausos et cum recognosceret Claudiam dixit ei:

–Bene video, pulchra et decepta domina te fuisse quae interfecit me, poena numquam debita meis desideriis, quibus et operibus meis numquam volui te offendere.

–Tunc, num verum est –dixit Claudia– te ducturum esse uxorem dominam Leonoram, filiam divitis Balvastri?

–Minime! –respondit dominus Vincentius–; sed mala fortuna mea debuit haec tibi nuntiare et propter zelotypiam abstulisti vitam meam quam ego relinquo et quidem in tuis manibus et bracchiis et nunc hanc habeo ut prosperam fortunam meam. Et ad hanc veritatem probandam, preme manum meam ac nubas mihi et accipe me ut maritum tuum, si vere vis, quia nulla alia compensatio est mihi ex iniuria quam credidisti accipere.

Claudia vero pressit manum eius et cor suum anxit et languit super pectus domini

Vincentii eique etiam paroxysmus mortis advenit et mansit exanimis. Rochus erat confusus et nesciebat quid faciendum esset. Famuli aquam quaesiverunt ad aspergendum vultus amborum et quidem adduxerunt et vultus eorum asperserunt. Claudia ex suo languore reversa est, sed nullo modo dominus Vincentius ex suo paroxysmo, quia mortuus est. His rebus conspectis, Claudia cognovit maritum carissimum suum iam non amplius vivere, et clamavit in aerem suis suspiriis et coelum vituperavit suis querelis, capillos suos vexavit, vultum suum propriis manibus deformavit et ostendit haec omnia suis signis doloris et sensibus commiserationis, quae imaginari possunt ex pectore vulnerato.

–O crudelis atque inexperta mulier –inquit– quare tam magna festinatio impulit te ad adimplendum pessimum consilium tuum! O vis teterrima zelotypiae, quae ad finem desperatum duxisti eum, qui in pectore eius te habuit! O mi coniux, cuius infelix fortuna, ut pignus adamatum meum, duxit te ex thalamo ad sepulturam!

Tales ac tam tristes erant querelae et lamentationes Claudiae ut lacrimas educerent ex oculis Rochi, qui nullo modo soliti erant plangendi. Famuli flebant, Claudia languescebat exanimis omni momento, et omnes circumstantes in illo loco infortunii ostendebant tristitiam. Denique, Rochus Guinart iussit famulis domini Vincentii ut corpus eius ferrent ad locum, ubi pater eius ibi prope erat ad eum sepeliendum. Claudia dixit Rocho se velle in monasterium introire, cuius abatissa erat avuncula eius, et ubi conabatur vitam suam finire comitata cum alio ac sempiterno sponso. Rochus autem laudavit ei bonum consilium et paratus erat ad eam comitandam, quousque ipsa vellet, et defendere patrem eius contra propinquuos atque ex toto genere hominum, qui vellent eum offendere. Claudia autem nullo modo voluit comitatum eius, tamen ei gratias egit propter bonam voluntatem cum suis melioribus argumentis et flendo valedixit ei. Famuli domini Vincentii corpus eius adduxerunt et hic fuit finis amoris Claudiae Hieronymae. Sed quid dicendum est, si vires rigidae atque invincibiles zelotypiae fuerunt, quae hoc lamentabile negotium huius historiae texerunt?

Rochus Guinart invenit armigeros suos ubi iussit eos esse necnon et dominum Quixotum inter illos, super Rocinantem, et quidem colloquebatur cum illis suadendo eos ut hanc vitam tam periculosam tum animo tum corpori relinquerent; tamen plerique eorum erant gasconici, plebecula rustica ac turbulenta et non bene intellexerunt sermonem domini Quixoti. Cum advenit Rochus quaesivit a Sanctio Pansa utrum ei restituerint gemmas et pecuniam eius, quae spoliaverunt ex asino, Sanctius respondit affirmative, sed ei nondum reddiderunt tria sudaria quae computabantur ut tres urbes.

–Quid est quod dicis, vir? –dixit quidam ex circumstantibus–; ego habeo ea et non constant nec tribus argenteis.

–Hoc ita est –inquit dominus Quixotus–, sed armiger meus ea aestimat sicut ille dixit, propter illam quae ea mihi dedit.

Rochus Guinart iussit ut confestim ea redderent ei et disposuit ut prorsus adducerent omnes vestes, gemmas et pecuniam et cuncta, quae ex ultima distributione rapuissent et pro rata parte eis dedit et quod non potuit facere breviter ad pecuniam vertit et distribuit magna legalitate ac prudentia et nullum defraudavit de iustitia distributiva. His rebus peractis, omnes contenti fuerunt, praediti grato animo ac remunerati et tunc Rochus dixit domino Quixoto:

–Si non esset magna accuratio, non fieri posset vivere cum eis.

Quibus Sanctius dixit:

–Secundum quod vidi, tam bona est iustitia ut necessaria sit etiam inter ipsos latrones.

His verbis auditis, quidam armiger levavit extremum sclopetum ope cuius, absque dubio, caput Sanctii aperiret nisi Rochus Guinart voces magnas daret ut sese detineret. Sanctius autem pavit et statuit labia sua nullo modo aperire dum maneret cum illa gente.

Tunc quidam ex illis armigeris advenit, quia vigiles erant ad animadvertendum, quis veniret per illa itinera et suo ductori nuntium dedit de his quae vidit dicens:

–Domine, haud procul hinc, per viam Barcinonis turba magna hominum venit.

Cui Rochus respondit:

–Num vidisti utrum sint illi qui quaerunt nos, an quos ipsi nos quaerimus?

–Illi sunt quos nos quaerimus –respondit armiger.

–Tunc egredimini omnes –obiecit Rochus–, et afferte hos ad me statim, ita ut nemo a nobis effugiat.

Sic enim fecerunt et dominus Quixotus, Sanctius Rochusque soli manserunt exspectantes, quos armigeri adducturi essent et interea Rochus domino Quixoto dixit:

–Novus modus vivendi videbitur tibi, domine Quixote, vita nostra, nostrae res gestae ac facta nostra et quidem omnia periculosa sunt; quare non miror ut hoc sic tibi videatur, quia vere confiteor nullum modum vivendi esse tam inquietum ac perturbatum quam nostrum. Ad hunc locum veni per quaedam desideria vindictae, quae vires habent ad turbanda corda hominum. Et quoad me, egomet sum commiserans et clemens; sed sicut iam dixi, volui me vindicare ab iniuria facta et omnia bona consilia mea per terram ceciderunt et sic sum in hoc statu rerum et contra meam voluntatem. Et sic ut abyssus abyssum invocat et peccatum aliud peccatum, vindictae connectaverunt inter se et non tantum, quae meae sunt, sed etiam alienas ultiones accipio ad vindicandas. Nihilominus exspecto ut Deus provideat pro me et, quamvis sim in medio hoc labyrintho confusionum mearum, nolo amittere spem exiendi ex hoc ad portum securum.

Dominus Quixotus miratus est audiendo Rochum loquentem tam bona ac recta argumenta, quoniam ipse cogitabat inter talia officia rapiendi, occidendi et praedandi nullum esse, qui bonum iudicium haberet atque ei respondit:

–Domine Roche, initium salutis est morbum cognoscere si tunc vero infirmus vult accipere pharmaca, quae medicus praescribit ei: tu aegrotus es, et cognoscis tuam infirmitatem, et coelum, sive Deus, ut melius dicam, qui est medicus noster dabit tibi medicamentum ut sanes, quod sanare solet, sed paulatim et non repente vel per miraculum; et insuper peccatores prudentes propius sunt ad emendandum quam simplices et sic ut tu in tuis argumentis ostendis tuam prudentiam, oportet ut habeas spem ad valetudinem inveniendam morbi tuae conscientiae. Et si vere vis abbreviare iter et in via salvationis esse, venias mecum, et egomet docebo te quomodo fias eques itinerans, ubi multi labores sunt et infortunia et ea habeas ut poenitentiam et in ictu oculi pervenies ad coelum.

Rochus enim risit consilium domini Quixoti, cui narravit, colloquio mutato, tragicum finem eventi Claudiae Hieronymae, quod valde doluit Sanctio, cui non male videbatur pulchritudo illius, necnon et praestantia et procacitas puellae.

Tunc advenerunt armigeri cum praeda et duos equites adduxerunt ac duos pedites peregrinos et carpentum mulierum cum sex pedisequis, qui pedibus et equis eos comitabantur cum duobus famulis mularum, quos equites secum adducebant. Armigeri apprehenderunt eos et posuerunt in medio, dum victi et victores magno silentio manebant, exspectando ut magnus Rochus Guinart loqueretur. Hic autem quaesivit ab equitibus, quinam illi essent et quonam peterent et quam multam pecuniam haberent secum. Quidam eorum respondit ei:

–Domine, nos sumus duo hispani ductores peditum; cohors nostra est Neapoli (Nápoles) et illuc iter facimus ope navium cum quattuor triremibus (*galeras*), quae dicunt esse Barcinone, cum mandato navigandi ad Siciliam. Habemus usque ducentos vel trecentos aureos, quibus contenti et divites sumus, quia austeritas vitae militum non permittit nobis thesauros maiores.

Rochus eadem quaesivit a peregrinis quam a ductoribus; et ei responderunt se navigaturos esse Romam et inter illos duos possent habere usque sexaginta argenteos. Etiam voluit scire qui erant in carpento illo et quonam iter facerent et quantam pecuniam haberent et eques dixit ei:

–Mea domina est domina Guiomar de Quiñones, uxor regentis tribunalis Neapolis, cum sua parva filia, cum quadam virgine et nutrice. Illi sunt qui veniunt in hoc carpento, easque comitantur sex famuli et quoad pecuniam habent sescentos aureos.

–Hoc modo –inquit Rochus Guinart–, hic sunt nobis nongenti aurei et sexaginta argentei; milites mei sunt usque sexaginta; videant quam multum unicuique dabitur, quia ego nescio computos bene facere.

His verbis auditis, praedatores levaverunt voces dicentes:

–Vivat Rochus Guinart multos annos praeter latrones (catalaunice *lladres*), qui perditionem eius quaerunt!

Duces autem, confiscatione bonorum conspecta, ostenderunt suam moestitiam, tristis fuit illa domina regentis et nullo modo peregrini laeti fuerunt. Et hoc modo Rochus omnes suspensos habuit per quamdam moram temporis, sed noluit ut haec tristitia prorsus produceretur, quod iam videbatur ad iactum sclopeti et vertens se ad duos ductores dixit eis:

–Vos, domini ductores, propter urbanitatem, velitis mihi commodare sexaginta aureos et domina regentis octoginta ad placendum huic turmae, quae comitatur me, quia abbas ex quo cantat comedit et sic potestis iter liberum facere et etiam dabo vobis veniam commeatus, ne inveniatis casu alias turmas meas, quae per has regiones dispositas habeo quin damnum afficiant vobis; quia non est voluntas mea milites offendere nec ullam mulierem, praesertim si nobilis natu est.

Innumera et recta fuerunt argumenta quibus ductores Rocho gratias egerunt propter munificentiam et urbanitatem, quia sic eum habuerunt eique relinquendo pecuniam eorum. Domina Guiomar de Quiñones voluit de carpento descendere et pedes manusque magni Rochi osculari; ille autem nullo modo consensit; immo quaesivit ut ignoscerent ei propter offensam factam, quia cogebatur ex suo officio cum quibusdam obligationibus praecisis. Domina regentis misit famulum suum ut ei daret octoginta aureos quos ab ea quaesivit et ductores illi iam ei extraxerunt illos sexaginta eorum. Peregrini dispositi erant ad dandam omnem miseriam suam, sed Rochus dixit eis ut quieti manerent et vertit se ad suos et dixit eis:

–Ex his aureis duo sunt unicuique et superant viginti; dentur decem his peregrinis et alii decem huic bono armigero, ut possint bene loqui de hoc evento.

Et adduxerunt ei instrumenta scribendi, quibus semper providebatur, et Rochus dedit eis veniam commeatus ductoribus turmarum suarum eisque valedixit et hi liberi profecti sunt et quidem admirati de nobilitate eius ac dispositione corporea necnon et de rara qualitate eumque potius habuerunt pro Alexandro Magno quam pro noto ac famoso latrone. Tamen quidam ex armigeris eius dixit in sua lingua gasconica et catalaunica:

–Hic ductor noster melius est pro monacho (catalaunice *frade*) quam pro grassatore; sed si ex hoc ille vult se ostendere munificus bene poterit hoc facere de suis divitiis, sed non de nostris.

Et miser ille haec dixit ut ipse Rochus haec audiret, qui statim accepit gladium suum et caput illius scidit fere in duas partes dicens ei:

–Hoc modo punio illos qui audent plus aequo dicere.

Perterriti sunt omnes et nullus eorum ausus est verbum dicere: talis erat oboedientia, quam ei ostendebant.

Rochus autem recessit seorsum et litteras ad amicum suum scripsit Barcinonem, nuntians ei quomodo esset apud eum illustris dominus Quixotus a Manica, ille eques itinerans de quo tam multa dicebantur, et ei nuntiabat eum facetissimum ac sapientissimum huius mundi esse; et sic ut ex hoc in quattuor dies esset Festivitas Sancti Ioannis Baptistae, eum adduceret in medio litore maris illius urbis, et quidem armatum omnibus armis, super Rocinantem equum eius, et armigerum eius Sanctium super asinum, et hoc quoque nuntiaret sua ex parte amicis Niarros ut cum eo oblectarentur; quia ille bene volebat ut inimici eorum Cadells carerent hoc gaudio; sed hoc fieri posset propter dementias et prudentias domini Quixoti et facetias cum sale et lepore armigeri Sanctii Pansae, quae magnum gaudium et oblectamentum daturae essent omnibus huius mundi. Has litteras misit cum quodam ex suis armigeris, qui vestem grassatoris mutavit pro veste rustici agricolae, qui intravit Barcinonem et porrexit ad quem missae erant.

Capitulum 61. Ubi narratur quod accidit domino Quixoto cum introiret Barcinonem et aliae res gestae, quae magis habent veritatis quam prudentiae

Tres dies et tres noctes mansit dominus Quixotus apud Rochum et si cum eo trescentos annos ibi mansisset, non defuisset ei quid videndi necnon et mirandi de illius modo vitae: et hoc quia hic expergefiebant, ibi comedebant, aliquando fugiebant, et quidem nesciendo a quo, aliquando etiam exspectabant et nesciebant quem. Erecti dormiebant, et somnum interrumpebant, mutando ex loco in locum. Frequenter et ubique relinquebant exploratores vigilantes ad auscultandum, sufflabant funes ignarios

catapultarum, quamvis hae non multae essent, quia omnes utabantur parvis sclopetis. Rochus pernoctabat procul a suis viris et in locis et regionibus, ubi neque illi possent scire, quia multa erant edicta proregis Barcinonis super vitam eius et pavidus ac perturbatus erat et nemini audebat confiteri, timens quominus ipsi milites suae turmae eum interficerent sive iustitiae traderent: vita autem profecto miserabilis et valde molesta.

Denique per itinera obsoleta, per breviores vias et per semita secreta profecti sunt Rochus, dominus Quixotus et Sanctius cum aliis sex armigeris Barcinonem. Pervenerunt ad litus maris in vigilia noctis Sancti Ioannis, et Rochus tunc amplexus est dominum Quixotum et Sanctium cui decem promissos aureos dedit, quia hucusque nondum ei dederat eosque reliquit cum multis et bonis argumentis factis ex utraque parte.

Rochus reversus est; dominus Quixotus vero mansit et quidem exspectans ut dies lucesceret et sic ut erat super equum suum, non multum demoratus est dies, nam per fenestras Orientis alba facies aurorae apparuit laetificans herbas floresque in loco laetificandi auditum, quamvis fere eodem tempore etiam laetificaverunt auditum sonus multarum fistularum et tymbalorum necnon et strepitus tintinnabulorum, «apage, apage, locum facite, locum facite!» ex cursoribus, qui ut videbatur ex urbe egrediebantur. Aurora viam dedit soli ut appareret sua facie, quae maior erat quam scutum, et per horizontem demissum paulatim surgebat et oriebatur.

Dominus Quixotus et Sanctius inspexerunt ubique: viderunt mare, quod huqusque nondum viderant; eis videbatur spatiosissimum et amplum, et quidem vastius quam lacunae Ruiderae quas in Manica viderunt; inspexerunt naves triremes, quae erant in litore maris et, tabernaculis deiectis, plenae erant vexillis et fasciolis, quae movebantur ad ventum et tangebant et osculabantur aquam. Intus audiebantur tubae, fistulae atque avenae, quae prope et procul aerem implebant suavibus et bellicis sonis. Tunc inceperunt sese movere ad faciendam rixam per aquas placidas, et eis convenerunt innumeri equites, qui ex urbe super pulchros equos ac praediti ornatis armaturis egrediebantur. Milites navium explodebant suis catapultis, quibus respondebant, qui super muros et castra urbis erant et tormenta bellica navium. Mare laetum, terra iucunda, aer clarus, tamen tantum aliquando turbabatur fumo tormentorum bellicorum et haec omnia infundebant et gignebant magnam laetitiam omnibus hominibus.

Sanctius autem non poterat imaginari quomodo illae naves sive moles haberent tot pedes, quibus per mare movebantur. Tunc qui armaturas ornatas habebant advenerunt cum vocibus et «lilies» propter magnum gaudium ad dominum Quixotum, qui attonitus et suspensus erat, et unus eorum, quem Rochus docuit atque animadvertit, magna voce domino Quixoto dixit:

–Benedictus qui venit ad nostram urbem, ille qui est speculum, pharus, Stella Polaris totius equitatus itinerantis et cetera, quae ad hunc pertinent. Prosperitas magna sit adventui tuo, dico ego, huic strenuo domino Quixoto a Manica, non quidem falso et ficto, non autem apocrypho, qui in falsis historiis his temporibus ostenditur, sed ille qui est verus, legalis, fidelis quem descripsit nobis Cide Hamete Benengeli, flos historiographorum.

Dominus Quixotus nullum verbum respondit, neque equites illi exspectaverunt ut responderet, sed vertens se ad reliquos, qui eum sequebantur, qui ceperunt gyrum facere circumdantes dominum Quixotum, hic autem vertit se ad Sanctium et dixit ei:

–Hi bene cognoverunt nos; et sponsionem facerem eos legisse illam historiam necnon et aliam nuper impressam illius auctoris aragoniensis.

Denuo eques, qui locutus est cum domino Quixoto, dixit ei:

–Tu, domine Quixote, veni nobiscum; quia omnes sumus magni amici et famuli Rochi Guinart.

Cui dominus Quixotus respondit:

–Si urbanitates gignunt alias, urbanitas tua, domine eques, est filia sive propinqua illius magni Rochi. Adduc me quonam velis, quoniam nulla alia voluntas est mihi, quam tuam adimplere, praesertim si voluntatem meam vis in tuo ministerio.

Eques respondit ei verbis non minus urbanis et omnes eum in medio circumdederunt dum iter cum eo faciebant ad sonum tibiarum necnon et tympanorum versus urbem, et cum in eam introirent diabolus, qui semper omnia adversa disponit et pueri, qui peiores sunt ipso daemone, et quidem duo eorum, qui valde turbulenti erant et audaces introduxerunt se inter hanc turmam virorum et alter levavit caudam asini et alter caudam Rocinantis et posuerunt et inseruerunt manipulum genistarum. Misera iumenta senserunt nova calcaria et oppresserunt caudas et suas molestias adauxerunt sibi, et mille gyros fecerunt et dominos eorum per terram eiecerunt. Dominus Quixotus affectus pudore et contumelia advenit ad tollendum manipulum ex cauda macri equi ac Sanctius etiam manipulum ex suo asino. Qui dominum Quixotum comitabantur et ducebant voluerunt punire illos pueros audaces, sed hoc non potuerunt facere, quia ipsi erant inter alios mille, qui eos sequebantur.

Denuo dominus Quixotus et Sanctius ascenderunt in iumenta eorum et eodem plausu ac musica pervenerunt ad domum illius moderatoris, quae magna ac nobilis erat, et denique tamquam domus cuiusdam equitis ditissimi; ubi eum relinquemus nunc temporis, quia sic vult Cide Hamete.

Capitulum 62. Ubi narratur eventus capitis incantati et aliae parvitates quae nullo modo possunt praetermitti

Dominus Antonius Moreno nuncupabatur hospes domini Quixoti, eques dives ac prudens, amicus faciendi irrisiones in rebus honestis et affabilibus, qui cum videret se habere domi dominum Quixotum, voluit probare, quomodo posset efficere facetias suas, damno omnino remoto, ex dementiis illius. Quia non sunt bonae facetiae quae dolent nec oblectamenta, quae fiunt cum damno alterius. Primum quod fecit fuit arma tollere a domino Quixoto eumque ostendere indutum vestimento angusto eius et caprini coloris –sicut iam passim descripsimus et depinximus– per pergulam domus, quae egrediebatur supra viam, quae erat magni momenti in illa urbe et hoc ut homines viderent eum et pueri tamquam qui simium inspicerent. Equites ornati suis armaturis deambulabant coram eo, tamquam si ibi essent ad gaudium agendum solummodo ei et non ad laetitiam festivitatis illius diei, quare Sanctius erat valde contentus, quia videbatur se esse in aliis nuptiis Camacho, sive in domo domini Didaci de Miranda vel in alio castello tamquam in illo ducis.

Nonnulli amici comederunt illo die una cum domino Antonio, honorantes omnes dominum Quixotum ac tractando eum tamquam equitem itinerantem, quare ille erat valde pomposus et gloriosus de se ipso. Facetiae Sanctii permultae fuerunt, quae ex suo ore exibant et famuli illius domus pendebant de eo in omnibus quae audiebant. Dominus Antonius, omnibus mensae accumbentibus, dixit Sanctio:

–Hic nuntiaverunt nobis, bone Sancti, te esse amicum cibi candidi atque offarum, quia si supersunt tibi tu eas servas in sinu ad crastinum diem.

–Minime, domine, hoc non est ita –respondit Sanctius–, quia magis mundus sum quam avidus comedendi et meus dominus Quixotus, qui hic est coram nobis, bene scit nos aliquando per octo dies transire cum pugillo glandium sive nucum. Verumtamen si aliquando dant mihi vitulam egomet accurro cum fune et comedo quod dant mihi et utor temporibus sicut ea invenio et si quis diceret me avidum edacem esse et nullo modo mundum, intelligat se errare; et alio modo haec dicerem, nisi inspicerem barbas honoratas, quae nunc accumbunt mensae.

–Profecto –inquit dominus Quixotus–, parsimonia et munditia quibus Sanctius comedit scribenda sunt in laminis aeneis ad perpetuam rei memoriam in saecula ventura. Verum etiam est, si laborat fame, videri aliquantulum edacem, quia comedit celeriter et cum duabus maxillis; sed munditia eius semper parata est et in tempore suae gubernationis didicit edere maxima diligentia, et hoc tam multum ut comederet uvas ope furcillae et immo granula mali punici.

–Quid ergo –ait dominus Antonius–, fuitne Sanctius gubernator?

–Utique –respondit Sanctius–, et cuiusdam insulae vocatae Baratariae. Per decem dies eam gubernavi optimo modo; quibus amisi tranquillitatem meam et didici spernere omnes gubernationes huius mundi; ex illa egressus sum fugiendo, cecidi in sinum, quo habui me ut mortuum et vivus exivi tamquam per miraculum.

Dominus Quixotus accuratius narravit omnes res gestas illius gubernationis Sanctii, quibus valde gavisi sunt omnes audientes.

Dominus Antonius autem, mappis levatis, accepit dominum Quixotum sua manu et introduxit eum in habitaculum secessum in quo nullus ornatus erat praeter mensam ut videbatur ex iaspide et super subpedaneum eiusdem rei sustentabatur caput ad modum capitum imperatorum romanorum, ex pectore desuper, et quidem hoc caput videbatur esse aeneum. Dominus Antonius deambulavit per totum habitaculum cum domino Quixoto, et circumierunt pluries illam mensam et postea ei dixit:

–Nunc, domine Quixote, ego vere scio neminem audire nec auscultare nos, et ianua haec clausa est, quare volo tibi eventum insolitum narrare, sive novitatem quae difficulter imaginari possit, sed hoc cum condicione ut haec debeas relinquere in receptaculis secretis tuae mentis.

–Sic ego iuro facere –respondit dominus Quixotus– et insuper ponam lapidem ad maiorem securitatem; quoniam tu nunc loqueris cum illo, qui quamvis habeat aures ad audiendum non habet linguam ad loquendum; et sic atque hoc modo poteris traducere ex tuo pectore in meum et credere te hoc eiecisse in profundas abyssus silentii.

–Hac promissione audita –respondit dominus Antonius–, volo te adducere ad maximam admirationem in his, quae videbis et audies, et hoc erit mihi ut allevamentum, quia neminem habeo cum quo possim de his loqui et hoc afficit mihi tristitiam, quia non possum secretum meum conferre, nam nulli confido.

Dominus Quixotus erat suspensus, et quidem exspectabat quid esset illud negotium cum tantis circumloquitionibus. Tunc dominus Antonius accepit manum domini Quixoti et eam super caput aeneum posuit necnon et super illam mensam et super subpedaneum iaspidis, quod sustentabat caput, et continuo dixit ei:

–Hoc caput, domine Quixote, factum fuit et elaboratum ab uno ex maximis incantatoribus et maleficis, quos mundus habuit. Credo eum fuisse polonum natione ac discipulum famosi Scotilli (Escotillo, sive Scoti), de quo tam multa narrantur, qui fuit hic domi meae , et mille aureis, quos ei dedi hoc caput elaboravit, quod habet indolem ac virtutem respondendi quascumque quaestiones ei faciant. Ille autem rhombos servavit, characteres depinxit, astra observavit et denique hoc effecit cum perfectione quam nos cras videbimus, quia hodie est dies Veneris et illud manet mutum in talibus diebus, quare oportet ut exspectemus crastinum diem. Hoc tempore tu potes providere quid ab eo quaeras; nam, teste mea experientia, scio verum dicere in omnibus responsis.

Dominus Quixotus miratus est de virtute atque indole illius capitis et pronus fuit ad non credendum domino Antonio. Tamen sic ut post parvam moram experientia facienda erat, noluit ei dicere nisi ei gratias agere propter revelationem tam magni secreti. Egressi sunt ex habitaculo, dominus Antonius ianuam clausit ope clavis et ad vestibulum pervenerunt, ubi reliqui equites erant. Sanctius interea narravit multa facta et res gestas, quae domino eius acciderant.

Illo vespere eduxerunt dominum Quixotum ad deambulandum. Hic autem non erat armatus sed, ut dicitur, indutus de via (litt. *de rua*) et quidem amictus magna paenula ex panno fusci coloris, quae posset illo tempore facere ut ipsum gelum sudaret. Ille iussit suis famulis ut oblectarent Sanctium, ita ut non exiret domo. Dominus Quixotus autem iter faciebat et non super Rocinantem, sed super magnum mulum praeditum quieto gressu et quidem ornatum magnifice. Induerunt ei paenulam et ad dorsum, nemine inspiciente, adhaeserunt ei chartam membranaceam, ubi scriptum erat magnis litteris: *Hic est dominus Quixotus a Manica.* Cum inciperet suum ambulatum haec inscriptio alliciebat oculos omnium, qui eum videbant, et sic ut legebant «Hic est dominus Quixotus a Manica», dominus Quixotus mirabatur videndo sicut omnes conspiciebant eum et vocabant et cognoscebant eum; et vertens se ad dominum Antonium, qui iuxta seipsum erat dixit ei:

–Magnum est privilegium quod in se continet equitatus itinerans, nam efficit ut sit notus et illustris, qui eo fungitur per omnes terminos terrae. Sin autem videas, domine Antoni, ut immo pueri huius urbis cognoscant me et numquam me viderunt.

–Hoc ita est, domine Quixote –respondit dominus Antonius–; et sic ut ignis non potest diu abscondi et claudi, virtus quoque cognoscitur, et quam obtinet professio armorum fulget et eminet super ceteras.

Et accidit cum dominus Quixotus iter faceret magno plausu, ut iam dictum est, quidam castellanus qui legit inscriptionem ad dorsum eius levavit vocem dicens:

–Iuvet te diabolus, domine Quixote a Manica! Quomodo potuisti huc pervenire et nondum mortuus es propter tam multos ictus, quos vere accepisti et passus es? Tu amens es, sed si tantum esses solus, intus et intra ianuas tuae dementiae hoc non esset tam malum; sed insanos facis et stolidos omnes, qui tractant te; sin autem, vide

hos dominos qui ducent et comitantur te. Recede, stolide, domum tuam et cura de tuis rebus, de tua uxore et de tuis liberis et has ineptias relinque, quae mentem tuam vorant et intellectum tuum perturbant.

–Frater –ait dominus Antonius–, prosequere iter tuum et noli consilia dare his qui a te nullo modo quaerunt. Dominus Quixotus valde sanus est et nos, qui eum comitamur non sumus stolidi; virtus veneranda est ubi ipsa sit, et vade cum mala fortuna et noli intrare ubi non vocant te.

–Per Deum, recte iudicasti, domine –respondit castellanus–; quia dare consilium huic bono viro idem durum est quam contra stimulum calcitrare; verumtamen doleo de eo, quia dicunt hunc stolidum bonum intellectum habere in omnibus rebus, sed denique decurrit per viam equitatus itinerantis illius; quare mala fortuna sit mihi, ut tu, domine, mihi dixisti et omnibus meis posteris si ex hoc et in futurum, et plures ac longiores annos viverem quam Mathusala, quoddam consilium ulli dem, quamvis hoc a me quaerant.

Secessit consiliarius ille seorsum; et ambulatus prosecutus est; tamen tam multum festinaverunt pueri et omnes ad legendam inscriptionem ut dominus Antonius debuit eam removere, tamquam si aliam rem ab eo auferret.

Vespere autem facto, omnes domum reversi sunt: domi autem fuit saltatio vel tripudium festivum dominarum, quia uxor domini Antonii, quae erat nobilis natu, laeta, pulchra ac prudens, invitavit amicas suas ut accederent ad honorandum hospitem et ad gaudendum de dementiis eius. Nonnullae earum advenerunt, coenaverunt et quidem lautissime et tripudium incepit fere hora decima illius noctis. Inter illas dominas duae erant facetae et quae volebant irrisionem facere, quamvis essent valde honestae, sed quodam modo erant procaces ad facetias, quae essent oblectamenti sine ullo damno. Hae autem dominum Quixotum eduxerunt ad saltandum eumque concusserunt et non tantum corpore, sed etiam animo. Et hoc dignum erat videndi quomodo dominus Quixotus saltabat, quia erat longus, macer, pallidus, amictus vestito angusto, nullo modo elegans et gravis. Aulicae illae requirebant eum tamquam furtim et ille quoque furtim eas despiciebat; sed cum vidit eas prosequi oppressionibus earum vocem levavit et dixit:

–*Fugite, partes adversae!* Relinquite me in quiete mea, temptationes male adventae. Dominae, ite cum vestris desideriis; quoniam quae est regina cogitationum mearum, impar Dulcinea a Toboso, nullo modo consentiet ut alia desideria, nisi sua oppugnent et obsideant me.

Et, his verbis prolatis, sedit in medio vestibulo in terra, et quidem contusus et lassus de exercitatione tripudii. Dominus Antonius disposuit ut eum adducerent ad lectum, et primus qui eum manibus attrectavit fuit Sanctius, eique dixit:

–In mala hora, domine mi, quam multum saltasti! Num credis omnes viros eos strenuos saltatores esse, sive omnes saltatores esse equites itinerantes? Et ego dico, si tu ita credis equidem erras: viri sunt qui possunt gigantem interficere, sed non audebunt saltationem facere. Si opus esset egomet possem saltare percutiendo calceis et supplere tibi, quia hoc facere valeo ut peritus saltator; sed quoad tripudium nullo modo faciam.

His et aliis verbis Sanctius fecit ut omnes riderent, qui erant in saltatione vel in

tripudio festivo et pervenit cum domino suo ad lectum et stragula super eum posuit ita ut posset convenienter sudare frigiditatem suae saltationis.

In crastinum diem apparuit dominus Antonius et dixit bonum esse facere illam experientiam cum capite incantato, et una cum domino Quixoto, Sanctio et duobus amicis, cum duabus dominabus, quae dominum Quixotum contuderunt in saltatione, quae accidit illa nocte, et pernoctaverunt cum uxore domini Antonii, tunc ille clausit se in habitaculo ubi erat caput illud. Enarravit eis proprietatem quam habebat et ab eis quaesivit maximum secretum eisque dixit illo die esset primus, quo virtus talis capitis incantati probanda esset. Et praeter duos amicos domini Antonii, nemo cognoscebat machinationem incantamenti, et si dominus Antonius non develaret suis amicis etiam illi mirarentur tamquam reliqui, quia non fieri potuit aliter: tali modo atque ordine hoc artificium paratum erat.

Primus autem qui ad aures illius capitis venit fuit ipse dominus Antonius et demissa voce dixit, sed non tantum quin omnes audirent:

–Dic mihi, caput, ex virtute quae est in te: quas cogitationes habeo egomet nunc temporis?

Et caput, labiis immotis, respondit et quidem voce clara et aperta, ita ut omnes intelligerent hoc:

–Ego non iudico de cogitationibus.

Cum haec omnes audirent attoniti manserunt, praesertim dum viderunt neminem humanum esse in toto habitaculo circa mensam qui respondere posset.

–Quot sumus hic? –denuo quaesivit dominus Antonius.

Et responsum ei dederunt eodem modo atque eadem voce:

–Hic estis tu et uxor tua, cum duobus amicis tuis et duabus amicabus tuae uxoris et eques illustris nomine dominus Quixotus a Manica, et quidam armiger eius, qui nuncupatur Sanctius.

Hic vere omnes iterum iterumque admirati sunt; et cuncti paverunt magno stupore! Et secedens se dominus Antonius a capite dixit:

–Hoc sufficit mihi ad intelligendum me non decipi ab eo qui te vendidit mihi, caput sapiens, caput loquax, caput respondens atque admirabile caput! Accedat alius et quaerat quidquid velit.

Mulieres autem, ut patet, plerumque promptae sunt ad omnia cognoscenda, et prima earum quae advenit fuit amica uxoris domini Antonii et hoc a capite quaesivit:

–Dic mihi, caput, quid faciam ut vere sim pulchra?

Et responderunt ei:

–Esto valde honesta.

–Nil amplius a te quaeram –dixit illa quaerens.

Accessit alia sodalis et dixit:

–Vellem scire, caput, si maritus meus diligit me.

Eique responderunt:

–Vide opera quae facit et hoc ipsa videbis.

Secessit illa nupta dicens:

–Hoc responsum non egebat ulla quaestione, quia profecto opera ostendunt voluntatem illius, qui haec facit.

Tunc advenit quidam amicus domini Antonii et quaesivit:

–Quis sum ego?

Et ei responderunt:

–Tu id bene scis.

–Hoc non quaero a te –respondit eques–, sed vellem ut diceres mihi si tu cognoscis me.

–Utique cognosco –respondit ei–, tu es dominus Petrus Noriz.

–Nihil amplius volo scire, nam hoc sufficit mihi ad intelligendum, o caput! te omnia scire.

Et secessit seorsum et alter amicus advenit et quaesivit ab eo:

–Dic mihi, caput, quae sunt desideria filii mei, maioris natu?

–Iam dixi –respondit ei– me non iudicare de desideriis; nihilominus dicam tibi filium tuum velle sepelire te.

–Id est –ait eques–: quod video propriis oculis meis, et quod digito meo indico.

Et noluit magis quaerere. Tunc advenit uxor domini Antonii et dixit:

–Ego nescio, caput, quid a te quaerere, tantum vellem scire utrum multos annos habeo ad fruendum bonum maritum meum necne.

Et caput respondit ei:

–Utique multum eo frueris, quia valetudo eius ac temperantia vivendi promittunt longos annos vitae, quam multi minuunt immoderatione eorum.

Tunc autem advenit dominus Quixotus et dixit:

–Dic mihi, tu qui respondis: utrum veritas an somnium esset quod egomet narro et accidit mihi in caverna Montesinos? Num flagella Sanctii armigeri mei certa erunt? Num incantatio Dulcineae solvetur?

–Quoad cavernam –responderunt–, multum est dicendi: ex omni ibi est; flagella Sanctii paulatim venient; solutio incantationis Dulcineae adveniet tempore executionis eius.

–Nil amplius volo scire –ait dominus Quixotus–; nam cum videam Dulcineam liberam ab incantamento, profecto credam me habere omnes fortunas, quae desiderare possim.

Ultimus autem ad quaerendum fuit Sanctius, et hoc ab eo quaesivit:

–Num, o caput, alia gubernatio erit mihi? Nonne ex hac angustia armigeri aliquando exibo? Num uxorem meam necnon et liberos meos umquam videbo?

Cui ei respondit:

–Domum tuam gubernabis et si ad eam reverteris uxorem tuam et liberos tuos videbis et cum relinquas ministerium tuum, non amplius eris armiger.

–Bonum per Deus! –dixit Sanctius Pansa. Hoc potuissem egomet dicere. Nec amplius nec melius propheta Petrus Grullus (Perogrullo) diceret.

–Belua –dixit dominus Quixotus–, quid vis ut respondeant tibi? Nonne sufficiunt tibi responsa, quae hoc caput dedit tibi ad tuas quaestiones?

–Utique sufficiunt –respondit Sanctius–; sed vellem ut ulterius procederet et amplius mihi diceret.

Illi, his rebus peractis, finierunt quaestiones et responsa. Tamen non finivit admiratio, qua omnes manserunt, duobus amicis domini Antonii exceptis, qui hoc negotium noverant. Quod Cide Hamete Benengeli voluit ilico patefacere ne haberet omnem mundum suspensum et quidem ne crederent magnum maleficum sive inauditum mysterium in illo capite esse et sic dicit dominum Antonium Moreno fecisse domi ad imitationem cuiusdam capitis, quod vidit Matriti, factum a quodam impressore ad suum

oblectamentum et ad stultos mirandos. Et sic id fecit: tabula illius mensae erat lignea, picta ac polita tamquam ex iaspide et subpedaneum super quod sustentabatur erat ligneum quoque cum quattuor pedibus aquilae, qui ex eo exibant, ad onus melius tenendum. Caput videbatur ut figura cuiusdam imperatoris romani coloris aenei, sed vacua erat necnon et tabula in qua caput inserebatur et tam accurate ut non videretur ullum signum huius iuncturae. Pes tabulae vacuus erat eodem modo et conveniebat ad guttur et pectus ex parte capitis illius figurae iam dictae et haec omnia ad aliud habitaculum inferius perveniebant ope siphunculi ex metallo quod convenienter adaptabatur et non videbatur. In habitaculo inferiore, quod cum superno connectabatur ope huius siphunculi, absconditus manebat, qui debebat quaestiones respondere, adducendo os suum ad siphonem ad modum tubi et hoc tali modo ut vox perveniret e summo deorsum et e profundo sursum cum verbis articulatis et claris et hoc modo non facile erat artificium develare. Nepos domini Antonii, scholasticus sapiens ac prudens erat qui respondebat et cum avunculus ei animadverteret, qui illi essent, qui cum eo intrarent in illud habitaculum capitis, perfacile fuit ei respondere accurate et bene primam quaestionem et alias secundum intellectum suum et prudentiam. Verumtamen dicit Cide Hamete Benengeli hanc miram machinam perduravisse per decem sive duodecim dies; quia per urbem divulgatum est dominum Antonium habuisse domi caput incantatum quod omnibus, qui aliquid quaerebant respondebat, et timens quominus perveniret ad aures vigilantium nostrae Fidei, casum inquisitoribus exposuit, hi autem ei iusserunt ut hoc destrueret ne vulgus ignarum haberet scandalum; tamen in opinione domini Quixoti et Sanctii Pansae caput incantatum fuit et responsa dedit, sed magis ad satisfactionem domini Quixoti quam Sanctii.

Equites urbis ad obsequendum domino Antonio necnon et ad ostendendam affabilitatem domino Quixoto et ad dandam opportunitatem insaniis eius disposuerunt currere inter equites ludum anuli intra sex dies, sed non potuerunt facere propter quod postea narrabitur. Tamen dominus Quixotus voluit deambulare per viam et quidem pedibus et plano gressu, fortasse timuit ut pueri persequerentur eum si equo veheretur; et hoc modo ille una cum Sanctio et duobus famulis quos dominus Antonius ei dedit egressi sunt ad ambulatum.

Et, cum iter facerent per viam, dominus Quixotus porrexit oculos et vidit super quamdam portam inscriptionem magnis litteris: *Hic libri imprimuntur*, quo valde gavisus est, quia hucusque nondum viderat officinam typographicam et vere cupiebat scire quomodo essent. Introivit intus cum suo comitatu et vidit sicut in quodam loco imprimebatur, in alio loco corrigebant, in alio componebant, ibi emendabant et denique haec omnis machina, quae in magnis officinis ostenditur. Dominus Quixotus advenit ad capsam et quaesivit quid erat quod ibi faciebant; operarii ei explanabant, ille autem mirabatur et ultra procedebat. Tunc advenit ad quemdam operarium et ab eo quaesivit quid ille faceret. Operarius respondit ei:

–Domine, hic eques qui hic est –et ostendit ei virum praeditum praestanti statura corporea et gravitate– vertit librum italicum [litt. toscanum] in linguam nostram castellanam et egomet eum compono typis ut edamus eum in lucem.

–Qualis est titulus huius libri? –quaesivit dominus Quixotus.

Cui ipse auctor respondit:

–Domine, liber lingua italica vocatur *Le Bagatelle*!

–Et quid vult dicere hispanico sermone *Le Bagatelle*? –quaesivit dominus Quixotus.

–Le Bagatelle –ait auctor– est tamquam dicere hispanice *Ioci*, sed quamvis nomen illius humile sit continet et includit multa bona, substantialia et magni momenti.

–Ego –inquit dominus Quixotus– cognosco aliquantulum linguam italicam et glorior cantando quaedam carmina Ariosti. Sed dicas mihi, domine, et hoc nullo modo dico ad probandum ingenium tuum, sed tantum propter meum desiderium cognoscendi res novas: num debuisti aliquando in tuis scriptis nominare verbum *pignata*?

–Utique, et quidem multoties –respondit auctor.

–Et quomodo vertisti hoc verbum in hispanicum? –quaesivit dominus Quixotus.

–Qúomodo potero id vertere –obiecit auctor–, nisi dicendo *ollam*?

–Iuro per talem! –inquit dominus Quixotus–, et quam multum properasti in lingua italica! Sponsionem facerem ubi dicitur italico sermone *piace* dices hispanice *place* (placet) et ubi sit *più*» dices *más*, (plus, sive magis) atque ubi *su* scribes *arriba* (super) et *giù*, *abajo* (sub).

–Certe, hoc ita est –ait auctor–, quia hae sunt convenientiae recte ac propriae verborum.

–Et hoc modo audebo iurare –ait dominus Quixotus– te non esse notum in mundo, qui renuit intellectus exuberantes honorare praemiis et laudabilia merita. Quam multi sunt ingenii qui manent in ultimo angulo! Quam multae sunt virtutes neglectae! Nihilominus mihi videtur vertere ex lingua in aliam cum hoc non sit ad linguas reginas, graecam sive latinam, est tamquam conspicere splendida aulaea Flandriae retrorsum, nam quamvis figurae videantur sunt multa fila, quibus obscurantur et minime videntur cum debita claritate atque idoneo colore faciei. Et vertere ex linguis facilibus non requirit magnum ingenium nec magnam eloquentiam, tamquam nil requiritur si quis transcribit ex uno loco in alium. Et nullo modo dicam non esse laudabile munus vertendi, nam peioribus rebus posset homo fungi ac minore utilitate sibimet. Extra hanc observationem sunt duo illustres interpretes: alter doctor Christophorus (Cristóbal) de Figueroa, cum suo *Pastore Fido* et alter Ioannes de Jáuregui cum sua *Aminta*, ubi feliciter faciunt nos dubitare, quaenam sit versio et quisnam originalis. Sed dicas mihi, domine: hic liber imprimitur tuis expensis sive vendidisti privilegium cuidam bibliopolae vel librario?

–Meis expensis eum imprimo –respondit auctor–, et conor lucrari saltem mille denarios hac prima impressione, quae erit duo milia voluminum, qui constat unusquisque sex argenteis quanto minus.

–Bene fecisti calculum! –respondit dominus Quixotus–. Mihi autem videtur te nullo modo cognoscere ius impressorum ad emendum et ad vendendum et insuper congruentiam commercialem inter eos. Et cum videas te cum duobus milibus librorum ad vendendum habebis etiam corpus tuum lassum et timeo ne expavescas, praesertim hoc praevidebo si liber non est multum lascivus et allicit vel si caret sale et lepore.

–Quid ergo? –dixit auctor–. Num vis me dare hunc librum bibliopolae, qui det mihi propter privilegium tres teruntios dum cogitet se mihi facere magnum beneficium? Ego non imprimo libros ad magnam famam nanciscendam in hoc mundo, quia iam notus sum meis operibus, sed volo habere utilitatem; sine qua omnis bona fama pro nihilo aestimatur.

–Deus det tibi bonam prosperamque fortunam –respondit dominus Quixotus.

Et prorsus processit ad aliam capsam, ubi vidit eos corrigere folium ex quodam libro, qui intitulabatur *Lux animae* et cum eum vidit dixit:

–Tales libri, quamvis multi in hoc genere sint, illi sunt qui vere imprimendi essent, nam multi sunt peccatores et necesse sunt multae luces ad eos illuminandos.

Ultra processit et vidit operarios corrigere librum et quaesivit titulum illius et ei dixerunt eum esse *Secunda pars Ingeniosi Fidalgi domini Quixoti a Manica* compositum a quodam incola oppidi Turris Syllanae (Tordesillas).

–Iam habui nuntium huius libri –inquit dominus Quixotus– et in veritate et in mea conscientia putavi hunc librum iam combustum esse ac factum esse cinerem, propter impertinentiam eius, sed unicuique porco adveniet festivitas Sancti Martini ad eum occidendum; quoniam fictae historiae bonae ac delectabiles sunt, quanto magis similes sint veritati, sed verae meliores cum veriores sint.

Ille autem, his verbis prolatis, ostendit suum despectum et egressus est ex illa officina typographica. Ipso die dominus Antonius disposuit ut visitarent naves longas triremes [*galeras*], quae in litore maris erant, quo Sanctius valde gavisus est, quia numquam viderat eas. Dominus Antonius nuntiavit praefecto quattuor triremium se adducturum esse illo vespere hospitem illustrem, dominum Quixotum a Manica, ad navim visitandam, de quo praefectus navium et omnes vicini totius urbis iam cognoscerant et quod in illis navibus ei accidit in proximo capite narrabitur.

Capitulum 63. Ubi narratur quam male evenit Sanctio Pansae visitatio navium triremium et novae res gestae pulchrae mauriscae

Magnae profundaeque erant elucubrationes, quas dominus Quixotus faciebat de illo capite incantato, sed nullo modo ad mendacium develandum pervenerat, et omnes veniebant ad promissam solutionem incantamenti Dulcineae, quam ille pro certa habebat. Ibi itum reditumque faciebat et gaudebat in suo corde, credendo citius dicto haec omnia adimpleri; sed Sanctius quamvis abhorreret a munere gubernatoris, ut iam dictum est, adhuc volebat denuo iubere atque oboedi, quia haec mala fortuna secum ducit munus imperandi, quamvis sit in facetiis.

Breviter, illo vespere dominus Antonius Moreno, hospes eius, cum duobus amicis suis, una cum domino Quixoto ac Sanctio visitaverunt naves triremes. Praefectus earum iam cognoscerat adventum eius et simul ac dominus Quixotus et Sanctius venerunt ad litus maris, omnes naves everterunt tabernacula et tibiae sonuerunt, eiecerunt in mare cymbam, ornatam lautis stragulis necnon et pulvinaribus ex serico purpureo atque ubi primum dominus Quixotus posuerit pedem super eam magnum tormentum bellicum navis explosit et aliae naves eadem fecerunt, et cum dominus Quixotus ascendit in navim per scalam omnis turma salutavit eum dicens magnis vocibus: «Hu, hu, hu!» et quidem ter. Praefectus classis, quem sic eum appellabimus, qui erat eques valentinus nobilis natu, dedit ei manum; et dominum Quixotum amplexus est, eique dixit:

–Hunc diem lapide albo signabo et aestimabo inter meliores vitae meae, nam vidi dominum Quixotum a Manica; quia in hoc signo ostenditur et includitur omnis strenuitas equitatus itinerantis.

Dominus Quixotus, qui laetus erat videndi se tractari ut magnus dominus, respondit ei cum aliis urbanissimis argumentis. Cuncti autem intraverunt in puppim, quae valde bene ornata erat et super sedilia ibi posita sederunt. Tunc praefectus remigum advenit et fistula signum dedit ut illi remiges despoliarent subuculas, quod in ictu oculi factum est. Sanctius cum vidit tot homines nudos stupefactus est, immo cum vidit eos tabernacula facere et quidem tam celeriter, ei videbatur omnes diabolos ibi laborare; sed hoc fuit parvi momenti propter quod nunc vobis narraturus sum. Sanctius sedebat iuxta arborem puppis, ibi erat nauta, qui tenebat velum ad dextram et iam cognoscebat quid faciendum erat, quia apprehendit Sanctium et omnis turma erecta extulit eum bracchiis et unusquisque eum evolvebat in alium ex latere dextro et quidem celeriter ita ut Sanctius amitteret visionem oculorum et absque dubio putavit omnes diabolos eum adducere eumque non reliquerunt donec ferrent eum ad latus sinistrum et denique eum in puppi reliquerunt. Miser Sanctius mansit contusus, anhelans, madidus sudore et nullo modo intellexit quid ei acciderat.

Dominus Quixotus qui vidit volatum Sanctii sine alis, quaesivit a praefecto classis, utrum caeremonias illas facerent cum primis qui introibant in navim necne, quoniam ipse nolebat talia exercitia adimplere, nam si quis ad eum veniret ad eum evolvendum, ille iurabat per Deum se ope gladii animum illius extrahere et, his verbis dictis, stetit et accepit gladium suum.

Tunc temporis eiecerunt tabernaculum et magno strepitu demiserunt lignum veli e summo deorsum. Sanctius cogitavit coelum cadere ad pedes eius et ruere ad caput eius; et pavit et posuit caput suum inter crura et valde timuit. Dominus Quixotus non potuit suam serenitatem amplius servare et timuit, contraxit umeros et palluit metu. Turma levavit lignum eadem magna celeritate ac strepitu quo id eiecerunt et haec omnia fecerunt, nullis verbis prolatis, tamquam si nec vocem nec halitum haberent. Praefectus remigum fecit signum ad levandam ancoram et saltum dedit in mediam navim cum flagello in manu et incepit verberare dorsa remigum et paulatim navigaverunt in altum mare. Cum Sanctius vidit tot pedes rubros movere, quia tales putavit remos esse, inter se dixit:

–Haec vere sunt res incantatae et non quae dominus meus dicit. Quid ergo fecerunt miseri hi, quia hoc modo eos verberant, et quomodo hic vir solus audet tam multos verberare? Nunc ego dico hoc esse infernum sive saltem purgatorium.

Dominus Quixotus cum vidit magnam attentionem, qua Sanctius haec omnia inspiciebat, dixit ei:

–O Sancti, amice, quam bene posses et quidem magna facilitate ac parvo labore, si vere velles, denudare dimidium corpus tuum et esse inter hos viros et finire incantamentum Dulcineae! Quoniam cum miseria horum multorum non quidem sentires tuum dolorem; et insuper fieri potest ut sapiens Merlinus omne flagellum horum, quae data sunt manu forti, computaret pro decem ex his, quae denique daturus es.

Praefectus classis voluit scire quid esset haec quaestio de flagellis sive quid de illo incantamento Dulcineae, cum nauta vigilans dixit:

–Montjuich signum dat navigium cum remis esse in litore ad latus Occidentis.

Praefectus classis, his verbis auditis, proiecit se in mediam navim et dixit:

–Eheu, filii, curate ne fugiat a nobis! Fortasse sit navis grassatorum Algerii, quam turris speculatoria indicat nobis.

Ad navim praetoriam venerunt aliae tres triremes ad videndum quod iuberent eis. Praefectus classis iussit ut duae ex his exirent ad mare apertum dum ille cum alia navi perveniret ad navigium inimicum iuxta litus ne fugeret. Turma autem pressit remos et impulit navim magno furore ita ut videretur volare. Naves quae ad mare apertum exierunt post dua milliaria viderunt navigium et solo visu enumeraverunt usque quattuordecim sive quindecim scamna remigum, et hoc ita verum erat; tale navigium cum vidit triremes fugam quaesivit cum voluntate ac spe evadendi ope suae celeritatis; sed male evenit ei, quia navis praetoria adnumerabatur inter velocissimas naves, quae in mari navigabant et fugam ei impedivit et qui erant in navigio intellexerunt se non posse evadere et sic navarchus voluit ut illi, remis relictis, traderent sese, ne irasceret praefectus classis, qui triremes nostras ducebat. Sed fortuna aliter haec disposuit, quia cum navis praetoria appropinquaret ad illud navigium et quidem tam prope ut possent voces audire, quibus quaererent ut traderent se, duo *toraquis* –quod est duo turcae ebrii– qui in navigio veniebant cum alis duodecim, exploserunt duo sclopeta quibus interfecerunt duos milites, qui erant ad latus nostrae navis. Praefectus classis, his rebus conspectis, iuravit nullum vivum relinquere ex omnibus, qui in navigio erant et voluit impetum facere totis viribus, sed navigium evasit sub remis nostris. Triremis prorsus processit ulterius; sed qui erant in navigio viderunt se perditos esse et dederunt vela ventis, dum triremis revertebatur, et navigium denuo ope velorum et remorum conabatur fugere; tamen nihil profecit ei haec diligentia. Sed e contrario haec audacia peior fuit ei, quia navis praetoria pervenit ad navigium post dimidium milliarium, illi proiecerunt remos super navigium et eos omnes vivos apprehenderunt.

Tunc duae triremes advenerunt et omnes quattuor naves cum praeda reversae sunt ad litus maris, ubi innumera turba hominum exspectabat desiderans videndi quid adducerent. Praefectus classis, ancora prope litus eiecta, animadvertit proregem esse in urbe. Tunc iussit ut cymbam proiicerent in mare ad eum adducendum et disposuit ut demitterent lignum veli ad suspendendum confestim navarchum et omnes turcas, qui in navigio erant, circa triginta et sex viros, omnes fortes et plerique sclopetarii turcici. Praefectus classis quaesivit quisnam esset navarchus navigii eique respondit quidam captorum, sermone hispanico, qui postea apparuit ut desertor fidei hispanus:

–Hic vir, domine, quem hic vides est navarchus noster.

Et ostendit ei iuvenem, qui esset inter praestantiores et formosiores corpore, quos posset humana fictio sibi depingere. Quoad aetatem, ut videbatur, non ultra viginti annos natus. Praefectus classis quaesivit ab eo:

–Dic mihi, canis absque consilio, quisnam movit te ut occideres duos milites meos, cum videres non fieri posse ut fugeres a me? Estne haec observantia debita erga navim praetoriam? Num credis temeritatem esse strenuitatem? Spes dubia potest facere viros audaces, sed non temerarios.

Navarchus voluit respondere, sed praefectus classis non potuit eum audire, quia venit ad proregem recipiendum, qui iam introibat in navim et cum eo etiam introiierunt nonnulli famuli eius et incolae urbis.

–Bona fuit persecutio, o praefecte? –ait prorex.

–Valde bona –respondit praefectus classis–, praesertim cum videas, excellens domine, nos suspendere eos ex hoc ligno.

–Et quare sic hoc modo? –obiecit prorex.

–Quia –respondit praefectus classis–, contra omnem iustitiam et omne ius bellicum, occiderunt duos milites nostros ex melioribus, qui erant in his navibus et iuravi suspendere omnes captivos, praesertim hunc iuvenem, qui est navarchus navigii.

Et ostendit eum, qui habebat manus ligatas et funem ad guttur exspectans mortem.

Prorex inspexit eum et quidem vidit eum valde formosum atque elegantem corporis esse et praeditum magna humilitate. Sed pulchritudo illius dedit ei iuvamen, quia prorex voluit mortem illam vitare et sic ab eo quaesivit:

–Dic mihi, navarche, esne tu turca natione, sive maurus vel desertor fidei?

Quibus iuvenis respondit et quidem lingua hispanica:

–Nec turca natione nec maurus nec desertor fidei.

–Quid ergo es tu? –obiecit prorex.

–Ego sum mulier et christiana –respondit iuvenis.

–Mulier christiana et amicta hac veste ac tali modo? Hoc magis est mirandi quam credendi.

–Demoramini –dixit iuvenis–; o domini! executionem meae mortis; et non multum dilatabitur vestra vindicta, dum enarrem vobis vitam meam.

Quisnam esset tam durus corde ut non mollifieret his argumentis sive saltem donec audiret quod tristis et miserandus iuvenis vellet dicere? Praefectus classis ait ei ut diceret quidquid vellet, tamen nullo modo posset indulgentiam lucrari ex sua cognita culpa. Hac venia accepta, iuvenis incepit dicere hoc modo:

–Ex illa natione infeliciore quam prudente, super quam, tamquam pluvia, multa infortunia ceciderunt, nata sum et quidem genita ex parentibus mauriscis. In decursu huius infortunii duo avunculi mei adduxerunt me ad Barbariam, quia nihil profecit mihi dicere me esse christianam, nam profecto sic sum et non ex fictis nec apparentibus, sed ex veris et catholicis. Tamen hanc veritatem dicere non iuvavit me coram his, qui miserum exsilium nostrum parabant, neque avunculi mei hanc crediderunt; immo habuerunt ut mendacium sive inventionem meam, ita ut possem manere in regione in qua nata sum et sic, omnino invita, adduxerunt me secum. Mater christiana fuit mihi et pater prudens et christianus, nec plus nec minus; fidem catholicam suxi in lacte et crevi praedita bonis moribus; et, secundum me, non ostendi me esse mauriscam propter linguam sive modum vivendi. Formositas mea quae crevit mecum, si quaedam vere est mihi, convenit his virtutibus, quas credo veras esse. Et quamvis pudicitia et secessus meus magnus esset, non fuit tantus ut non videret me iuvenis eques primogenitus, Caspar Gregorius (Gaspar) nomine, qui iuxta locum meum suum locum habet. Quomodo vidit me, quomodo locuti sumus, quomodo arsit me amore et quomodo ego plus minus victa sum ab eo, haec omnia valde longa essent ad narranda vobis, praesertim cum timeam, et inter linguam et guttur meum sit funis rigidus, qui interponat se et minetur mihi. Nihilominus dicam hoc modo dominum Gregorium voluisse comitari nos in exsilio nostro. Ille sese immiscuit una cum mauriscis, qui ex aliis locis exierunt, quia bene cognoscebat linguam eorum et in itinere se fecit amicus

avunculorum meorum, qui adducebant me; quia pater meus prudens ac praevidens, simul atque audivit primum decretum nostri exsilii, ex nostro loco egressus est ad quoddam refugium quaerendum, quod posset recipere nos in regnis alienigenis. Ille in quodam loco abscondit multas margaritas et gemmas magni pretii, quarum tantum ego novi locum, et pecuniam in nummis et aureis. Mihi iussit ne tangerem hoc thesaurum, si in exsilium eiicerent nos, antequam ipse huc veniret. Sic enim feci et cum duobus avunculis meis, ut iam dixi, et aliis propinquis et consanguineis ad Barbariam iter fecimus et in Algeria consedimus, et hoc tamquam si esset ipsum infernum. Rex autem cognovit meam formositatem et famam divitiarum mearum et partim haec fuit vere fortuna mea. Tunc ille vocavit me in conspectu suo et a me quaesivit ex qua parte Hispaniae essem et quantam pecuniam ac tot gemmas ferrem mecum. Ei autem dixi locum et gemmas ac pecuniam auream, quae in illo loco sepulta erant; et quam facile possent eas habere si egomet reverterem ad eas quaerendas. Haec omnia dixi ei timens ne obcaecaret ei formositas mea potius quam aviditas illius. Dum loquebatur mecum ei dixerunt mecum esse iuvenem pulcherrimum, quem umquam imaginari possent. Ilico cognovi illos loqui de domino Caspare Gregorio, cuius formositas superat omnes quas imaginarentur. Turbata fui propter periculum quo erat dominus Gregorius, quia inter barbaros magis aestimatur puer sive ephebus pulcher quam mulier, quamvis pulcherrima sit. Rex autem iussit ut eum ad se adducerent ante oculos suos ad eum videndum et a me quaesivit ut dicerem ei si verum esset quod de eo dicebant. Tunc ego, tamquam praeventa a coelo, dixi hoc ita esse; tamen ei dixi eum non fuisse virum, sed mulierem tamquam egomet, quare rogavi eum ut sineret me eam induere modo naturali ut mulierem, ita ut ostenderet plenam venustatem suam ac minore impedimento in conspectu regis. Ille dixit mihi ut venirem cum bona fortuna et in crastinum diem locuturi essemus quomodo possem in Hispaniam venire ad thesaurum absconditum quaerendum. Locuta sum cum domino Caspare, eique nuntiavi eum magnum periculum habere, quia erat vir et eum indui ut mauram et eodem vespere adduxi eum in conspectu regis, qui cum eum vidit admiratus est valde et voluit eam servare ad mittendam Magno Sultano Turcarum; atque ad fugiendum periculum quod posset habere in gynaeceo mulierum eius, vulgo *serrallo* [arabice *harem*] et timeret de se ipso; ille iussit ut ponerent «eam» in domo cuiusdam maurae nobilis ut «eam» servarent et ministrarent ei, quonam continuo eam adduxerunt. Quod ambo nos sensimus, et non possum negare me eum diligere, relinquo ad considerandum, praesertim si seiungunt illos, qui se mutuo diligunt. Postea vero rex decrevit ut reverterem ad Hispaniam in hoc navigio et duo turcae natione comitarentur me in expeditione et fuerunt, qui interfecerunt vestros milites. Etiam mecum venit hic hispanus desertor fidei –et indicavit eum, qui primus locutus erat– de quo bene scio esse christianum secretum, qui venit mecum ita ut maneat in Hispania et non revertatur in Barbariam; reliquae turmae huius navigii sunt mauri et turcae, qui nesciunt facere nisi remigare. Turcae avidi atque insolentes, mandato eorum nullo modo servato, quia opus erat imprimis me de navi demittere et postea hunc desertorem fidei in prima parte Hispaniae ad quam perveniremus, et quidem amictos vestibus christianorum quas habemus; tamen turcae illi voluerunt hoc litus maris peragrare et quamdam praedam facere, si vere possent, timentes ne accideret nobis quaedam difficultas si vere hispani

apprehenderent nos et possent develare navigium in mari esse et si forte essent naves triremes in litore, quae impetum facerent in navigium nostrum ad id oppugnandum. Die hesterno vespere hoc litus maris invenimus et nil cognovimus de his quattuor navibus, quae secutae sunt nos et denique apprehenderunt nos. Et ita accidit nobis quod vidistis. Breviter, dominus Gregorius nunc inter mulieres manet et quidem amictus vestibus muliebribus ac magno periculo perditionis, et ego, manibus ligatis, invenio me exspectando, sive ut melius dicam, timendo amittere vitam, quae iam mihi fastidium dat. Hic est, domini mei, finis lamentabilis historiae meae, quae quidem est tam vera quam infortunata. Quod a vobis quaeso est ut sinatis me mori tamquam christianam, quia iam dixi, me nullam culpam habuisse in his, quae viri meae nationis culpabiliter fecerunt.

Et ilico tacuit, teneris oculis omnino lacrimosis, quam multae lacrimae circumstantium comitati sunt. Prorex commotus et commiserans et, nullo verbo prolato, ad eam venit et ex manibus abstulit funem, qui has formosas manus maurae religabat.

Interea, id est, dum haec christiana maurisca suam inauditam historiam narrabat, eam intuitus est senex quidam peregrinus qui in navim introivit, qui simul atque ipsa narrationem suam finivit proiecit se ad pedes eius eosque amplexus est verbis interruptis mille suspiriis ac singultibus, eique dixit:

–O Anna Felix, misera filia mea! Ego sum pater tuus, cognomine Ricote, qui reversus sum ad te quaerendam, quia non potui vivere sine te, nam tu animus meus es.

Sanctius autem, his verbis auditis, aperuit oculos suos et porrexit caput –quod clinum habebat, meditabundus ex infortunio illius ambulationis– et intuens peregrinum cognovit eum esse Ricote quem invenit ipso die, quo gubernationem suam reliquerat et recognovit eam filiam eius esse, quae deligata patrem suum amplexa est et quidem miscendo lacrimas suas cum lacrimis eius; qui tunc proregi et praefecto classis dixit:

–Haec est, domini mei, filia mea, infelicior in rebus gestis eius quam in nomine eius. Vocatur Anna Felix cum cognomine Ricote, nota tum propter formositatem suam tum propter divitias meas. Ego egressus sum ex patria mea ad quaerendum in regnis alienigenis aliquem, qui hospitium praeberet mihi ac reciperet me et hoc inveni in Germania, reversus sum amictus habitu peregrini una cum aliis germanis ad filiam meam quaerendam necnon et thesauros meos extrahendos, quos reliqui absconditos. Filiam meam non inveni; thesaurum meum certe inveni quem mecum nunc habeo et per insolitam circuitionem tandem inveni thesaurum, qui magis locupletabit me, qui est filia mea. Si parvitas culpae una cum lacrimis eius ac meae ad integritatem vestrae iustitiae possunt portas ad misericordiam aperire, facite nobiscum, qui numquam voluimus ullo modo offendere vos cum voluntate nostrorum, qui iusto exsilio damnati sunt.

Tunc Sanctius dixit:

–Bene cognosco Ricote et scio verum esse quod ille dicit quatenus haec sit Anna Felix filia eius; quia in his additamentis et complicationibus, nempe itus et reditus eius, sive in bona vel mala voluntate non multum intelligo.

Omnes circumstantes admirati sunt de hoc insolito casu et praefectus clasis dixit:

–Omnes lacrimae tuae guttatim non possent me a iureiurando meo removere; tamen vive, o pulchra Anna Felix, omnes annos quos coelum decrevit dare tibi et damnentur capite insolentes et audaces qui damnum patraverunt.

Et continuo iussit ut suspenderent ex arbore veli illos duos turcas, qui duos milites

suos interfecerunt; tamen prorex ab eo quaesivit ne eos suspenderet, quia quod fecerunt magis fuit propter dementiam quam propter malitiam et nullo modo propter strenuitatem. Praefectus classis adimplevit quod prorex ab eo quaesivit, quia vindictae non bene fiunt sanguine gelido. Tunc autem locuti sunt de modo quo possent Casparem Gregorium educere ex periculo in quo erat. Ricote obtulit usque duo milia denariorum, quos habebat in margaritis et gemmis. Multas vias ad hoc faciendum ostenderunt; tamen nullam tamquam quod hispanus desertor fidei, de quo iam diximus, qui se obtulit ad revertendum ad Algeriam ope parvae navis usque sex scamna remigum christianorum, quia ipse sciebat ubi, quomodo et quando posset et quidem debebat de navi descendere et etiam cognoscebat domum, ubi dominus Caspar manebat.

Praefectus classis et prorex nesciebant utrum opus esset confidere desertori fidei an niti christianis, qui remigandi essent. Anna Felix confidit ei et Ricote, pater eius, dixit se libenter dare redemptionem pro christianis si forte eos apprehenderent. Prorex autem, hoc consilio accepto, de navi descendit. Et dominus Antonius Moreno secum adduxit mauriscam et patrem eius, quibus prorex voluit eum splendide tractare eam quantum fieri posset; et sua ex parte offerebat quod in sua domo haberet ad hoc munus. Talis fuit benevolentia et commiseratio, quam pulchritudo Annae Felicis in corde eius suscitavit.

Capitulum 64. Ubi narrantur res gestae quae maximam molestiam affecerunt domino Quixoto ex omnibus quae ei acciderant

Uxor domini Antonii Moreno, secundum quod historia narratur, habuit maximum gaudium videndo Annam Felicem domi suae. Eam accepit magna affabilitate, tam commota de pulchritudine quam de prudentia illius, quia maurisca in utraque praeclara erat in extremis et omnes homines urbis, tamquam ad sonum campanarum, veniebant ad eam videndam.

Dominus Quixotus inquit domino Antonio non bonum esse consilium quod fecerant inter se ad liberandum dominum Gregorium, quoniam periculosius erat quam conveniens, quapropter melius esset, sua opinione, ut seipsum adducerent ad Barbariam praeditum armis eius et equo et ipse ex omni plebecula maura educeret Gregorium, tamquam fecerat Gaiferos cum Melisendra uxore sua.

-Animadverte, domine -dixit Sanctius, his verbis auditis-, dominum Gaiferos eduxisse uxorem suam ex terra arida et eam ad Galliam adduxit etiam per terram firmem; sed hic si forte dominum Gregorium educimus non habemus quomodo eum ad Hispaniam adducere, quia in medio est mare.

-Omnia, morte excepta, habent remedium -respondit dominus Quixotus-; nam si navis venit ad litus maris, hac possumus navigare, quamvis omnis mundus id impedire vellet.

-Tu depingis haec omnia valde bene -dixit Sanctius-; tamen ex dictu ad factum invenio magnum tractum at ego potius confido desertori fidei, quia mihi videtur vir bonus et commiserans.

Verumtamen dominus Antonius dixit, si negotium desertoris fidei non adimpletur, tunc acciperent consilium domini Quixoti ita ut ipse perveniret ad Barbariam.

Ex hoc in duos dies desertor fidei navigavit cum quadam parva navi ex sex scamnis remigum et plena turma strenuissima et etiam post biduum naves longae triremes navigaverunt versus Orientem, et praefectus classis a prorege quaesivit ut nuntiaret ei quid esset de libertate domini Gregorii in negotio illius Annae Felicis. Prorex hanc promissionem accepit sicut ille desiderabat.

Et ecce quondam et quidem mane cum dominus Quixotus egressus esset ad deambulandum per litus maris et armatus totis suis armis, quoniam secundum quod multoties dicebat, illa erant ornatus sui et quies sua pugnare et sine his numquam volebat esse, tunc ad eum venit eques armatus e summo capite usque deorsum, qui in scuto habebat lunam splendentem depictam; et cum pervenit ad locum, ubi posset eum audire magnis vocibus ac loquendo cum domino Quixoto dixit ei:

–Insignis eques et numquam satis laudatus, o domine Quixote a Manica, ego sum Eques Albae Lunae, cuius res gestae fortasse ad tuam memoriam pervenerint. Egomet venio ad pugnandum tecum atque ad probandum robur bracchii tui, ita ut confitearis dominam meam, quaecumque illa sit, pulchriorem esse Dulcinea a Toboso; si hanc veritatem aequo pede confiteris, mortem tuam vitabis ac laborem meum ad interficiendum te; sin autem pugnabis mecum et si vincam te nullam aliam compensationem quaeram quam, tu, armis relictis et nullis rebus gestis requisitis, recedas ad tuum pagum per annum integrum, ubi eris procul ab omni gladio atque in tranquilla pace et utili quiete, quia sic convenit ad augendam rem familiarem tuam et ad salvandum animum tuum. Et si vinceres me ad nutum tuum erit caput meum, spolia mea tua erunt necnon et arma et equus meus atque omnes res gestae meae ad tuam famam pervenient. Videas ergo quod melius sit tibi et da mihi statim responsum, quia hunc totum diem habeo ad hoc negotium tractandum tecum.

Dominus Quixotus suspensus et attonitus mansit tum ex arrogantia Equitis Albae Lunae tum ex causa, qua eum provocabat, atque ille quieto ac severo animo respondit ei:

–Eques Albae Lunae, cuius res gestae nondum ad me pervenerunt, ego audeo iurare te numquam vidisse illustrem Dulcineam; quoniam si eam vidisses numquam suscitares hanc quaestionem, nam visio illius removeret omne dubium, nam nulla est pulchritudo, quae suae aequiparabilis esse possit. Tamen non dicam te mentiri, sed tantum te non recte iudicare hanc propositionem, nihilominus accipio omnes has condiciones tuas ad hanc provocationem pertinentes et continuo ne transeat dies destinatum quem habes; quare tantum excipio de tuis condicionibus, quae de tuis bonis factis agunt, quoniam nec ea cognosco nec quaenam illa sint; et contentus sum cum meis propriis tamquam haec sunt. Quapropter accipe partem campi quam velis; et egomet idem faciam, et cui Deus eam det, Sanctus Petrus eam benedicat.

Iam viderunt Equitem Albae Lunae in illa urbe et proregi animadverterunt eum cum domino Quixoto a Manica loqui. Prorex arbitratus est has esse novas res gestas machinatas a domino Antonio Moreno et una cum multis equitibus, qui eum comitabantur pervenerunt ad dominum Quixotum et quidem cum hic vertebat habenas Rocinantis ad campum necessarium accipiendum ut uno proelio debellarent.

Cum prorex vidit duos signa facere sese vertendi ad pugnandum inter se stetit in

medio et ab eis quaesivit causam, quae movebat eos ad hoc improvisum proelium faciendum. Eques Albae Lunae respondit ei causam esse de formositate ac brevibus argumentis eadem dixit, quae antea domino Quixoto, cum acceptatione condicionum illius provocationis ex ambabus partibus. Prorex venit ad dominum Antonium et ab eo quaesivit utrum cognosceret quis esset ille Eques Albae Lunae sive an hae essent facetiae ad faciendas domino Quixoto. Dominus Antonius respondit dicens se nil scire quisnam ille esset et utrum illae facetiae essent an provocatio vera. Hoc responso accepto, prorex mansit omnino perplexus et nescivit, quid faciendum esset scilicet utrum sineret eos prorsus procedere in illo proelio an detinere illud; tamen non potuit credere has nisi facetias esse et secessit seorsum dicens:

–Domini equites, si hic non est alia res ad faciendum nisi confiteri vel mori, et dominus Quixotus permanet in sua resolutione et Eques Albae Lunae in suis argumentis, Deus provideat et relinquamus vos.

Eques Albae Lunae proregi gratias egit urbanis et prudentibus verbis propter licentiam datam eis et dominus Quixotus eadem fecit et commendans se ipsum ex toto corde coelo et suae Dulcineae –ut solebat cum inciperet proelia quae ei acciderant–, denuo parum amplius campi accepit, quoniam vidit ipsum inimicum suum idem facere et, nullo signo dato, sive ope cuiusdam tubae vel cuiuslibet instrumenti bellici ad sese mutuo aggrediendum, ambo eodem tempore habenas equorum eorum verterunt; sed cum equus Equitis Albae Lunae agilior esset, pervenit ad dominum Quixotum ad duos tertios cursus illius eumque invenit tam magno robore et quidem, quamvis eum non tangeret ope lanceae –quam levavit ut videtur ne eum percuteret– Rocinans una cum domino Quixoto per terram cecidit et fuit lapsus valde periculosus. Tamen confestim ad dominum Quixotum advenit et posuit lanceam super cassidem eius eique dixit:

–Victus es, eques, et etiam mortuus nisi confitearis condiciones nostrae provocationis.

Dominus Quixotus contusus et perturbatus, qui nondum cassidem levavit et loquens tamquam si ex sepultura loqueretur, voce demissa atque infirma dixit:

–Dulcinea a Toboso est pulcherrima mulier in toto mundo et egomet infelicissimus eques totius orbis terrarum et non est bonum ut debilitas mea hanc veritatem deturbet. Quare, eques, opprime lanceam tuam et aufer a me vitam, quoniam abstulisti meum honorem.

–Hoc equidem nullo modo faciam –inquit Eques Albae Lunae–; vivat, vivat fama formositatis dominae Dulcineae a Toboso in sua integritate; quia ego contentus ero dum magnus dominus Quixotus secedat ad locum suum per annum sive totum tempus, quo ei iubeam, sicut convenimus antequam in hoc proelium intraverimus.

Haec omnia audiverunt prorex ac dominus Antonius cum multis aliis circumstantibus et audierunt dominum Quixotum respondere se dispositum esse ad faciendum quidquid quaereret ab eo, sine detrimento Dulcineae, et quidem ut verus ac nobilis eques.

Hac confessione facta, Eques Albae Lunae vertit habenas et, reverentia proregi ope capitis facta, et ad medium cursum sui equi introivit in urbem.

Prorex voluit dominum Antonium iter facere post eum ita ut cognosceret, quisnam ille eques esset. Dominum Quixotum levaverunt e terra et develaverunt faciem eius et

invenerunt eum pallidum absque colore et effusum sudore. Rocinans tam contusus erat ut non posset se movere tunc temporis. Sanctius omnino tristis ac moestus nesciebat quid sibimet dicere neque quid facere: et omnes res gestae videbantur ei somnium sive totam hanc machinationem esse rem incantamenti. Videbat dominum suum victum et constrictum ad arma non accipere per totum annum. Imaginabatur lumen gloriae omnium rerum gestarum eius obscuratum esse ac spem promissionum illius dissolvere, tamquam fumus evanescit ope venti. Timebat autem quin Rocinans maneret luxatus in perpetuum et dominus suus ruptus. Denique et ope lecticae, quam prorex disposuit ut adducerent eum, tulerunt dominum Quixotum ad urbem, atque ad eamdem venit ipse prorex, qui avidus erat cognoscendi, quis esset ille Eques Albae Lunae, qui tam male reliquerat dominum Quixotum.

Capitulum 65. Ubi dicitur quis esset Eques Albae Lunae et de libertate domini Gregorii et aliis rebus gestis

Dominus Antonius Moreno secutus est Equitem Albae Lunae eumque etiam secuti sunt multi pueri, quem persecuti sunt donec clausit se in diversorium intus in urbe, ibi dominus Antonius etiam introivit cum desiderio cognoscendi eum. Armiger egressus est ad eum recipiendum et ad arma ab eo auferenda; et tunc ille ad vestibulum secessit, ubi dominus Antonius eum secutus erat quia vere avidus erat cognoscendi, quis ille esset. Tunc, cum Eques Albae Lunae vidit illum equitem eum nullomodo relinquere, dixit ei:

–Bene scio quid a me quaeris, et hoc est ad cognoscendum quisnam sim, et quidem hoc nolo a te negare, sed dum famulus meus armaturam a me denudat haec accurate dicam tibi, et quidem, nullis verbis a veritate exceptis. Scito, domine, me esse baccalaureum Samson Carrasco; ego sum oppidanus eiusdem loci quam dominus Quixotus a Manica, cuius insanitas ac stultitia movet nos ut doleamus de eo omnes, qui eum cognoscimus et inter eos qui magis lamentabatur de eo egomet sum; et credidi salutem eius esse in quiete, si vere maneat in suo loco ac domi suae. Et hoc quidem machinatus sum ita ut maneat in ea, et ecce abhinc tres menses egressus sum ad viam tamquam eques itinerans, sub nomine Equitis Speculorum cum voluntate pugnandi cum eo eumque vincere, nullo damno facto, atque hoc sub condicione nostrae pugnae ut victus esset ad consensum victoris; et hoc est quod ego conabar ab eo postulare, quia iam credebam eum victum esse, nempe ut reverteretur ad suum locum et non egrederetur ex eo per totum annum, quo tempore posset invenire valetudinem. Tamen fortuna aliter disposuit, quia ille vicit me et de equo me eiecit et sic cogitationes meae non habuerunt bonum finem. Ille autem prosecutus est iter suum et ego victus reversus sum domum, affectus verecundia et contusus ex lapsu meo, qui etiam periculosus fuit; sed non ex hoc amisi voluntatem revertendi ad eum quaerendum et superandum tamquam hodie factum est. Et cum ille tam accurate servat ordinationes equitatus itinerantis, absque ullo dubio servabit condiciones quas dedi ei, ad adimplendum

verbum eius. Hoc est, domine mi, quod accidit, et credo non necesse est ut amplius tibi dicam: et rogo te ne develes me neque dicas domino Quixoto quis ego sim, ut bonum effectum habeant cogitationes meae et denuo recuperet suum iudicium vir, qui hoc optimum habet, dum non iudicet de rebus equitatus.

–O domine! –inquit dominus Antonius–, Deus ignoscat tibi iniuriam quam fecisti erga totum mundum, quia voluisti facere sanum facetissimum insanum, qui in eo erat! Nonne vidisti, domine, valetudinem domini Quixoti numquam perfecturam esse illam utilitatem, ope cuius dementia eius laetificabat omnes? Verumtamen credo omnis sollertia tua, domine, non faciet eum sanum, quia tam insanabilis erat, et, si hoc non esset contra misericordiam, auderem dicere, utinam numquam sanet dominus Quixotus, quia cum salute eius non tantum amittimus facetias eius, sed etiam illas Sanctii Pansae armigeri eius et qualibet earum potest omnem melancholiam laetificare. Tamen, his omnibus praelibatis, tacebo et nil ei dicam ad videndum utrum vera sit suspicio mea an nullum effectum habeant omnes diligentiae domini Carrasco.

Ille autem dixit illud negotium esse in suo et idoneo loco ex quo sperabat fore ut esset successus prosperus. Dominus Antonius ei dixit se promptum esse ad consilia illius adimplere et baccalaureus ei valedixit et arma sua ligavit super mulum, et ascendit statim in equum suum super quem fecit illud proelium, et egressus est de urbe eodem die, et reversus est ad suam patriam, eique nihil accidit quod esset dignum narrandi in hac vera historia.

Dominus Antonius narravit proregi quodcumque Carrasco enarravit ei, quo prorex nullo modo gavisus est, quia in secessu domini Quixoti deperdebatur gaudium, quod possent habere omnes, qui cognocerent dementías eius.

Sex dies remansit dominus Quixotus accubitus in lecto, contusus, moestus, tristis, meditabundus atque in mala condicione et quidem iter faciendo vi suarum cogitationum per infortunatum eventum quo eum vicerunt. Sanctius autem consolabatur eum dicens inter alia:

–Domine mi, porrige caput tuum et laetare, si vere potes, et gratias age coelo, quia, quamquam ille eiecit te per terram, nullam costam fractam habuisti et sic ut bene scis, ubi dantur etiam recipiuntur et non semper esse pernas ubi sunt perticae et da ficum obscenum medico, quia non eges eo ad hunc morbum curandum et revertamur domum et non amplius quaeramus res gestas per regiones et loca, quae non cognoscimus; et si hoc bene consideratur ego sum qui amplius perdidi, quamvis tu videaris peiorem partem habere. Ego, cum gubernatione mea reliqui desideria gubernandi, sed nullo modo desiderium ut fierem comes, quod numquam ero si tu non eris rex, relinquendo exercitium huius equitatus et hoc modo fit fumus omnis spes mea.

–Tace, Sancti, quoniam iam vides reclusionem ac secessionem meam non futuram esse ultra annum et tunc ad exercitia honesta mea reversurus sum et non deerit mihi regnum ad lucrandum et proinde etiam comitatum ut dem tibi.

–Deus provideat –dixit Sanctius–, et sit peccatum surdum, quia semper audivi dicere melior est bona spes quam mala possessio.

His rebus peractis in colloquio eorum, dominus Antonius intravit, dicens cum signis magnae laetitiae:

–Optimi nuntii, domine Quixote, quia dominus Gregorius et desertor fidei, qui profectus est ad eum quaerendum sunt in litore maris! Quid ego dico in litore maris? Iam sunt in domo proregis et statim erunt hic nobiscum.

Dominus Quixotus gavisus est aliquo modo et dixit:

–Verumtamen vellem dicere me laetari si omnia e contrario accidissent et impulissent me ad iter faciendum ad Barbariam, ubi propter robur bracchii mei adducerem in libertatem non tantum dominum Gregorium, sed omnes christianos captos, qui in Barbaria sunt. Sed, quid ego dico, me miserum! Nonne ego sum victus? Nonne egomet qui vere hic in terra iaceo? Nonne ego sum qui non possum ullo modo arma accipere per totum annum? Quid ergo pollicitus ero? De quo egomet glorior, si potius debeam uti colo ad nendum quam gladio ad pugnandum?

–Iam sufficit, domine –dixit Sanctius–; vivat gallina, quamvis sit cum sua pituita; quia in his rebus ubi sunt collisiones et ictus, nihil faciendum est de quo hic agatur, et qui hodie cadit cras surget; nisi velis in lecto manere, et hoc dico ne deficias tuo animo, sed nova robora lucraris ad rixas venturas. Et surge nunc e lecto ad dominum Gregorium recipiendum; quia mihi videtur omnes homines perturbari et fortasse iam erit ille domi.

Et hoc ita verum fuit; quia cum itus et reditus domini Gregorii et desertoris fidei narratus esset proregi, dominus Gregorius voluit videre Annam Felicem, et una cum desertore fidei pervenerunt ad domum domini Antonii, et quamvis dominus Gregorius amictus esset vestibus muliebribus cum ex Algeria eduxerunt eum, in navi mutavit illas pro vestibus cuiusdam capti, qui cum eo etiam egressus est; tamen in quacumque veste veniret, ostenderet se esse dignum honorandi, aestimandi atque invidendi, nam valde formosus erat et quoad aetatem ut videbatur esse septemdecim sive duodeviginti annos natus. Ricote ac sua filia exierunt ad eum recipiendum, pater cum lacrimis et filia magna cum honestate. Non amplexi sunt mutuo, quia ubi est magnus amor non est nimis procacitas. His duabus pulchritudinibus coniunctis, nempe Gregorii atque Annae Felicis omnes circumstantes ad admirationem commoti sunt. Tamen silentium locutum est per hos duos amantes et oculi fuerunt linguae, quae develaverunt laetas atque honestas cogitationes eorum.

Desertor fidei accurate narravit sollertiam et quomodo fecit ad dominum Gregorium educendum; dominus Gregorius etiam enarravit omnia pericula et angustias, quibus sese vidit inter illas mulieres cum quibus permansit et hoc non longis narrationibus, sed breviter ubi ostendit prudentiam suam quae properabat magis quam iuventus eius. Denique Ricote solvit munifice tum desertori fidei tum remigibus, qui laboraverunt cum remis. Desertor fidei ad sinum Ecclesiae venit et ex membro putrido factus est mundus et sanus ope poenitentiae et contritionis.

Duobus diebus elapsis, prorex una cum domino Antonio tractaverunt modum quo possent facere ut Anna Felix et pater eius manerent in Hispania et secundum eos non erat obstaculum ut in ea manerent, quia illa erat tam christiana et pater tam bonas voluntates habebat. Dominus Antonius sese obtulit ad perficiendum hoc negotium in aula regia, ubi etiam debebat venire ad alia tractanda, et hoc modo ostendit in hac aula regia magnam munificentiam munerum posse obtinere multa difficilia.

–Non oportet exspectare –dixit Ricote qui adstabat ad hoc colloquium– ut dona et munera omnia obtineant, quia cum magno domino Bernardino de Velasco, comite de Salazar, cui Rex commendavit exsilium nostrum, promissiones, munera, supplicationes vel commiserationes pro nihilo aestimantur; nam quamvis verum sit eum miscere misericordiam cum iustitia cum videat totum corpus nostrae nationis putridum atque

infectum esse antea utitur cauterio quod comburit quam unguentum quod mollificat; et sic cum prudentia et calliditate, cum diligentia ac metu, sic ille ponit super fortes umeros suos ad operam perficiendam, et quidem accurate, huius magnae machinationis et nulla industria nostra nec stratagema nec sollicitudo nec fraudes poterunt hunc verum Argum avertere a consilio eius, nam omni tempore est vigilans quin nemo nostrum ut radix abscondita remaneat et in decursu temporis germinet et habeat fructus venenosos in Hispania, iam munda et libera ex his timoribus, quibus turba nostrorum eam habebat. Quam heroica fuit resolutio magni regis Philippi Tertii, et quam inaudita prudentia eius, quia commendavit dominum Bernardinum de Velasco ad hanc operam navandam!

–Ego perficiam, cum ibi sim, omnes diligentias idoneas et quidem omnino ordinatim –inquit dominus Antonius– et faciat coelum quod melius provideat. Dominus Gregorius veniet mecum ad tristitiam parentum suorum consolandam, quia debent moesti esse propter absentiam illius. Interea Anna Felix manebit apud uxorem meam domi sive in quodam monasterio et ego bene scio dominum proregem velle ut dominus Ricote in sua domo maneat, usque ad consecutionem totius huius negotii mei.

Prorex consensit his omnibus propositionibus; sed dominus Gregorius cum cognosceret de quo agebatur, dixit se nullo modo posse Annam Felicem relinquere; tamen sic ut habuit voluntatem videndi suos parentes et postea eam denuo quaerere, denique etiam consensit. Anna Felix mansit cum uxore domini Antonii ac Ricote apud proregem.

Advenit dies egressus domini Antonii et quoque egressus domini Quixoti Sanctiique et hoc post biduum accidit; nam lapsus non permisit ei ut antea egrederetur et iter faceret. Lacrimaverunt et suspiria ederunt, exanimationes ac singultus effuderunt cum dominus Gregorius Annae Felici valedixit. Ricote obtulit domino Gregorio mille aureos si eos accipere vellet; tamen nullum recepit, nisi quinque quos dominus Antonius commodavit ei, et promisit eos reddere in aula regia. His rebus peractis, ambo secesserunt ad invicem et postea dominus Quixotus et Sanctius, sicut iam dictum est, dominus Quixotus sine armis et amictus de via, Sanctius procedebat pedibus, quia asinus onustus erat omnibus illis armis.

Capitulum 66. Ubi tractatur quod lector videbit si id legeret et audiet qui auscultaret lectionem eius

Cum egrederetur Barcinone dominus Quixotus denuo inspexit locum ubi ipse ceciderat et dixit:

–Hic fuit Troia! Hic infortunium meum, sed non ignavia mea, bonas res gestas abstulit a me; hic Fortuna rotam suam movit et revolvit; hic optima facta mea obscurata sunt; hic denique prospera fortuna mea cecidit et numquam denuo resurget!

Sanctius, his verbis auditis, dixit:

–Virorum strenuorum est, domine mi, tam in infortuniis pati quam laetari in prosperis factis, et hoc iudico propter me ipsum, quia si cum essem gubernator eram laetus,

nunc ut armiger pedestris non sum tristis. Quia audivi dicere hanc, quam vocant Fortunam, mulierem ebriam atque inconstantem esse et super omnia caeca est et sic non videt quod facit nec scit, quem diruit deorsum neque quem extollit sursum.

–Nimis philosophus es, Sancti –respondit dominus Quixotus–, ac loqueris magna prudentia; nescio quis has res docuit te. Quod ego possum tibi dicere est nullam fortunam esse in hoc mundo et res bonae sive malae non veniunt casu, sed per providentiam coelorum et sic huic convenit quod dicitur: unusquisque est artifex suae propriae fortunae. Et sic egomet fui artifex meae fortunae, sed non cum opportuna prudentia et sic praesumptio mea valde decepit me; nam ego debui credere Rocinantem praeditum magna fragilitate non posse contendere cum equo Equitis Albae Lunae, qui erat fortis magnitudinis corporeae. Verumtamen ausus sum, feci periculum secundum quod potui et deruerunt me per terram, sed quamquam amisi honorem non perdidi nec possum perdere virtutem adimplendi promissum meum. Et si cum essem eques itinerans mea facta confirmabam operibus et manibus meis, nunc autem cum sim armiger pedestris verbis meis confirmabo adimplendo quod pollicitus sum. Fac iter, amice Sancti, et perveniamus ad annum tirocinii in nostra terra ex quo secessu novas virtutes obtinemus ad iterandum exercitium armorum, cuius numquam oblitus ero.

–Domine –respondit Sanctius–, non est tam bonum iter facere pedibus, ita ut moveat me ad longa itinera facienda. Relinquamus haec arma hic pendentia de quadam arbore, in loco cuiusdam hominis suspensi laqueo, ita ut possim super dorsum asini mei sedere et, pedibus a terra remotis, tunc iter nostrum faciamus sicut tu, domine, melius velis et disponas; sed credere me posse solis pedibus meis tam multa itinera adimplere est credere quod nullo modo fieri potest.

–Recte iudicasti, Sancti –respondit dominus Quixotus–; suspendamus arma mea ut trophaeum et ad pedem eorum sive circa ea in arboribus inscribamus quod in trophaeo armorum Orlandi (Roldani) scriptum erat:

> Nemo ea tangere audeat
> tantum Orlandus (Roldanus) ea cum vellet moveat.

–Hoc mihi optime videtur –respondit Sanctius–, et si non esset, quia egemus Rocinante ad iter faciendum etiam bonum esset eum relinquere hic suspensum.

–Neque eum neque arma –obiecit dominus Quixotus– volo ut suspendantur, ne quis dicat de eis, beneficio perfecto, praemio neglecto.

–Bene dicis, domine –respondit Sanctius–, quia secundum opinionem prudentiorum non est bonum culpam asini ad clitellas proiicere; et si ex hoc evento tu vere culpabilis es, punias te ipsum et non explodas iracundiam tuam contra fracta ac sanguinolenta arma tua nec propter mansuetudinem Rocinantis, neque propter mollitiem pedum meorum cum velles ut plus aequo iter faciant.

Illi, his et aliis argumentis prolatis, transierunt diem et quoque quattuor dies quibus eis nihil accidit quod iter eorum impediret, sed quinto die, cum introirent in quemdam locum invenerunt ad portam cuiusdam cauponae turbam magnam hominum, qui propter festivitatem diei ibi oblectabantur. Cum dominus Quixotus autem ad eos pervenit quidam agricola levavit vocem et dixit:

–Quidam ex his duobus dominis qui huc veniunt, et qui non cognoscunt partes huius contentionis poterit aliquid facere in sponsione nostra.

–Sic profecto faciam –respondit dominus Quixotus–, et omni rectitudine, si vere intelligo de quo agatur.

–Quaestio haec est –dixit agricola–, o bone vir, quia oppidanus huius loci, qui est valde crassus, quia sunt ei undecim magna pondera [*arrobas*] fecit sponsionem ad currendum cum alio oppidano suo, cuius pondus sunt tantum quinque *arrobae*. Condicio autem fuit eos eodem pondere cursuros esse centum gressus; et cum quaererent ab altero eorum hic dixit ut ille qui quinque *arrobas* pondere habebat ferret secum sex *arrobas* ex ferro ita ut pondus eorum aequum esset ambobus.

–Minime vero –dixit ad hanc occasionem Sanctius, antequam dominus Quixotus responderet–. Ego possum de his iudicare, quia abhinc paucos dies reliqui officium gubernatoris et iudicis, sicut omnes homines id cognoscunt, et haec dubia debeo solvere et dare sententiam totius huius contentionis.

–Responde et tibi sit prospera fortuna –dixit dominus Quixotus–, Sancti amice; quoniam ego non sum nunc immo ad dandas micas panis feli, secundum quod habeo mentem turbatam et contusam.

Sanctius, hac venia concessa, dixit agricolis, qui circum eum stabant et quidem ore aperto, exspectantes sententiam eius:

–Fratres, quod vir crassus vult non est secundum rectum iudicium nec videtur habere quamdam umbram iustitiae; quia si verum est quod ille dicit, ut quidam eorum potest arma eligere non debet ea eligere ut impediant alterum ut exeat victor; sic, mea opinione, crassus debet carnes suas desquamare, seponere, elimare atque educere sex *arrobas* ex suis carnibus hinc et illinc ex suo corpore, sicut melius ei videatur et hoc modo suum pondus erit quinque *arrobae* et aequabitur cum altero et sic uterque poterit currere eodem pondere.

–Iuro per talem! –dixit agricola qui auscultavit sententiam Sanctii– hic dominus locutus est tamquam benedictus et dedit sententiam tamquam canonicus! Tamen et absque dubio crassus vir nollet nec unciam ex suis carnibus tollere multo minus sex *arrobas*.

–Melius est eos non currere –respondit alter–, quia vir macer ne fatigetur cum pondere neque crassus amittat suam carnem; et ambo eiiciant dimidiam sponsionem in vinum, et hos duos dominos adducamus ad tabernam ex vino caro, sin autem pallium sit super umeros meos dum pluat.

–Ego, domini –respondit dominus Quixotus–, gratias ago vobis; sed non possum nec momentum ultra hic demorari, quoniam cogitationes et facta valde tristia ostendunt me inurbanum esse ac mihi videtur iter nimis lente facere.

Et hoc modo incitavit Rocinantem calcaribus et prorsus profectus est, relinquens omnes admiratos videndi insolitam figuram eius ac prudentiam famuli eius, quia sic putaverunt esse Sanctium. Quidam agricolûm dixit:

–Si famulus tam prudens est, quam multum dominus eius erit! Sponsionem faciam si illi iter facerent Salmanticam in ictu oculi fierent praepositi aulae regiae; quia omnes sunt facetiae, nisi vacare libris et invenire fortunam prosperam et bonum beneficium et cum minus cogitet de hoc vir se inveniet cum virga in manu sive cum mitra super caput.

Illa nocte pernoctaverunt dominus famulusque in medio campo, sub divo et in crastinum diem iter prosecuti sunt et viderunt virum ad se venientem cum clitellis ad collum et cum hasta sive spiculo in manu, quae pertinebant ad tabellarium pedestrem;

qui cum advenit iuxta dominum Quixotum festinavit gressus et fere currens pervenit ad eum et amplexus est crus dextrum eius, quia non potuit amplius facere eique dixit praeditus magna laetitia:

–O domine Quixote a Manica, quam magna laetitia erit in corde ducis, domini mei, cum sciat te denuo ad castellum reverti, quia ducissa domina mea adhuc est in illo.

–Minime cognosco te, amice –respondit dominus Quixotus–, neque scio quis sis, nisi hoc mihi dicas.

–Ego, domine Quixote –respondit tabellarius–, sum Tosilos, pedisequus ducis, domini mei, et nolui tecum pugnare propter nuptias filiae dominae Rodríguez.

–Iuvet me Deus! –ait dominus Quixotus–. Num fieri potest ut sis ille quem incantatores mutaverunt in pedisequum, de quo dicis, ad auferendum a me honorem illius proelii?

–Taceas, bone vir –obiecit tabellarius–, quia non fuit ullum incantamentum neque ulla mutatio vultus: pedisequus Tosilos intravi in campum ad pugnandum et pedisequus Tosilos egressus sum illinc. Ego volui eam ducere uxorem et non pugnare, quia puella bene mihi videbatur; sed e contrario evenit mihi, quia cum egressus esses e castello dux verberavit me centum flagellis, quia mandato eius contradixi ante quam introirem in proelium et nunc illa puella facta est monacha, ac domina Rodríguez reversa est ad Castellam et ego iter facio Barcinonem, ut litteras ad proregem feram, quas dominus meus misit. Si tu autem vis haustum vini bibere, quamvis calidum sit, vinum bonum est hic in quadam cucurbita plena ex vino caro, et nonnulla frusta casei ex Tronchón habeo, quae sitim aperiunt et bona sunt ad eam suscitandam, si forsitan dormiat.

–Sponsionem tuam accipiam –dixit Sanctius–, et relinquamus seorsum omnem urbanitatem ac bonus Tosilos effundat vinum contra omnes incantatores, qui sint in Indiis.

–Denique –dixit dominus Quixotus–, tu Sanctius es maximus edax huius mundi et maximus stultus quoque totius huius terrae, quia non intelligis hunc tabellarium incantatum esse, nempe Tosilos fictum. Mane cum eo et comede usque ad satietatem; dum ego properabo ulterius ibique exspectabo te, donec ad me venias.

Pedisequus risit, extraxit suam cucurbitam, eduxit frusta casei necnon et parvum panem atque ille et Sanctius sederunt super viridem herbam et in bona pace et comitatu oppugnaverunt et consumpserunt omnem commeatum ex clitellis, et quidem bona fame et fere lamberunt chartas litterarum et hoc tantum, quia redolebant caseum. Tosilos dixit Sanctio:

–Absque dubio dominus tuus, Sancti amice, insanus debet esse.

–Quomodo debet? –respondit Sanctius. Nihil debet ille nemini; quia omnia solvit et etiam cum pecunia et haec est insanitas eius. Bene video ego et hoc ei dico; sed quid hoc prodest ei? Et praesertim nunc, finitus est, quia victus est ab Equite Albae Lunae.

Tosilos rogavit eum ut ei narrasset quid ei evenerat; tamen Sanctius respondit non esse secundum urbanitatem relinquere dominum ita ut exspectaret eum; sed alio die si casu invenirent ad invicem tunc esset occasio opportuna ad narrationem faciendam. Et, micis ex vestibus et ex barbis eiectis, surrexit et accepit asinum et dicens «ad Deum» reliquit Tosilos et postea ad dominum suum pervenit, qui sub umbra arboris eum exspectabat.

Capitulum 67. Ubi agitur de resolutione quam dominus Quixotus habuit, ita ut fieret pastor et sequeretur vitam rusticam, dum transiret annus promissionis eius et aliae res gestae bonae ac vere facetae

Multae cogitationes fatigabant dominum Quixotum antequam eum deruerent, sed immo plures erant, quae post lapsum eius defatigaverunt eum. Sub umbra arboris erat, ut dictum est, et ibi, tamquam muscae ad mel veniebant illae cogitationes et deturbabant eum. Nonnullae agebant de solvendo incantamento Dulcineae, aliae vero de vita quam adimpleret suo secessu necessario. Sanctius advenit et laudavit condicionem munifici pedisequi Tosilos.

–Num fieri potest –ait ei dominus Quixotus– o Sancti! te adhuc credidisse eum verum pedisequum esse? Videtur te oblitum esse Dulcineae mutatae in rusticam agricolam atque Equitis Speculorum in baccalaureum Carrasco, opera haec omnia incantatorum qui persequuntur me. Sed dicas mihi nunc: num ab hoc Tosilos quaesivisti quid fecit Deus de hac Altisidora: utrum fleverit absentiam meam an reliquerit in manus oblivionis omnes cogitationes amorosas, quae eam perturbabant in conspectu meo?

–Non erant cogitationes meae –respondit Sanctius– tales ut darent mihi occasionem ad has ineptias quaerendas. Iuro per corpus meum! Domine, esne nunc in statu quaerendi de alienis cogitationibus praesertim de amorosis?

–Vide, Sancti –inquit dominus Quixotus–, est magna diversitas inter opera facta ex amore et quae facta sunt ex grata voluntate. Fieri potest ut eques sit praeditus nullo amore; sed non potest esse omni modo ut careat grato animo. Altisidora, ut videtur, amavit me bene, mihi dedit tria sudaria capitis, sicut bene scis, flevit in egressu meo, maledixit mihi, vituperavit me, lamentavit, prae verecundiam, palam omnibus quae signa erant eam diligere me; nam iracundiae amantium finiunt in maledictiones. Nullam spem dedi ei, nec thesauros ei offerendos, nam spem meam traditam habeo Dulcineae et thesauri equitum itinerantium sunt illusorii et falsi tamquam si essent phantasmata, et ego tantum possum ei dare recordationes quas habeo illius Dulcineae, salva memoratione, quam tu certe aggravas cum demora verberandi carnes tuas, quas videam devoratas a lupis, et quas tu servabis magis vermibus quam pro illa misera domina.

–Domine –respondit Sanctius–, si opus est verum dicere, nullo modo possum intelligere quid clunes meae habeant in deceptione incantatorum et hoc est tamquam dicere: «Si dolet tibi caput, unge tua genua.» Saltem audebo iurare te numquam legisse in historiis, quae agunt de equitatu itinerante, ut quidam solvatur ab ullo incantamento ope flagellorum; sed si hoc ita est vel aliter ego verberabo me cum vellem et ad commodum meum ad puniendum me.

–Faxit Deus ut hoc ita sit –respondit dominus Quixotus–, et coeli dent tibi gratiam ita ut intelligas obligationem tuam adiuvandi dominam meam, quae etiam est tua, nam tu meus es.

Illi autem, his verbis prolatis, iter faciebant et ecce ad ipsum locum pervenerunt ubi tauri in eum impetum fecerunt. Dominus Quixotus eum cognovit et Sanctio dixit:

–Hoc est pratum ubi invenimus formosas pastrices et praestantes pastores, qui bucolicam Arcadiam renovare atque imitari volebant, cogitationes tam novae ac

prudentes quas egomet etiam imitari volo. Et si hoc tibi bene videtur, vellem, o Sancti! ut fieremus pastores, saltem per tempus quo secedere debeo. Ego nonnullas oves emam necnon et alia pertinentia ad bucolicum exercitium, et sic vocabor *pastor Quixotis* (Quijotiz), tu autem *pastor Pancinus* et per montes ambulabimus, per silvas ac per prata, cantando hic, lamentando ibi, hic potando liquidos crystallos fontium sive limpidos rivos vel profunda flumina. Quercus copiose dabunt dulces fructus nostris manibus, dura subera autem praebebunt truncos ad sedendum, salices umbram nobis, rosae odoratum, extensa prata storeas variegatas mille coloribus, aer clarus purusque auras, luna ac stellae lumen praeter tenebras noctis, cantu gaudebimus, planctus dabit nobis laetitiam, Apollo carmina, amor sensus, quibus fiemus aeterni celebresque et non tantum in prasentibus saeculis, sed in venturis.

–Per Deum! –dixit Sanctius– haec vita mihi bene convenit in extremis et etiam in angulis; et ubi primum eam videat baccalaureus Samson Carrasco et magister tonsor Nicolaus, vellent eam sequi et fieri pastores nobiscum; et adhuc, Deo volente, etiam parochus velit introire in ovile, quia ille laetus est et gaudebit hoc oblectamento.

–Haec bene iudicasti –inquit dominus Quixotus–; et baccalaureus Samson Carrasco, si vere introit in hunc coetum, nuncupabitur *pastor Samsoninus*, sive *pastor Carrascón*; tonsor Nicolaus appellabitur *Miculosus*, tamquam vetus Boscán vocatus est *Nemorosus*; parochum autem vocabimus *pastorem Curiambrum*. Et pastrices de quibus erimus amantes, ac tamquam inter pira eligemus nomina earum; nam nomen dominae meae convenit tum pastrici tum principessae et non necesse est aliud nomen quaerere quod melius ei conveniat; tu autem, Sancti, tuam vocabis sicut velis.

–Nolo –respondit Sanctius– aliud nomen ei imponere nisi *Teresonam*, quod bene ei conveniet propter crassitudinem eius eique plaudam meis versibus, quibus mea casta desideria develabo, quia vado ad quaerendum triticum per domus alienas. Parochus vero non habebit pastricem, ut patet, et ad optimum exemplum dandum; sed si baccalaureus vult eam habere, accipiat animum suum in palmam eius.

–Iuvet me Deus! –inquit dominus Quixotus–, et quam optimam vitam habebimus, Sancti amice! Quae buccinae ad aures nostras pervenient, quae tibiae, quae tympana, quae tintinnabula, quae citharae! Quid ergo si inter haec instrumenta musicalia etiam audiuntur *albogues*! Ibi audientur fere omnia instrumenta bucolica.

–Qui sunt *albogues* –quaesivit Sanctius–, quia neque audivi eos vocare neque eos vidi in tota mea vita?

–*Albogues* (crotala) sunt –respondit dominus Quixotus– laminae metallicae, quae videntur ut candelabrum, quae mutuo percutiunt et dant in partem vacuam vel concavam alterius et faciunt sonum si non valde laetum et harmonicum saltem non molestum et qui convenit rusticitati tympani et tibiae; hoc nomen *albogues* est arabicum tamquam sunt illa verba, quae in nostra lingua hispanica incipiunt cum «al», scilicet: *almohaza* (strigilis), *almorzar* (ientaculum edere) [tamen Dictionarium «de la Real Academia de la Lengua» dicit «almorzar» venire ex emordio, et ex verbo mordere, quare non ex arabico sermone. Adnotatio interpretis], *alhombra* (storea, hisp. hodierna «alfombra»), *alguacil* (litt. *visir*, sed est ut custos, satelles, minister, lictor), *alhucema* (lavandula, pseudonardus), *almacén* (horreum, apotheca), *alcancía* (capsella) et alia similia, quae erunt pauca alia; et tria sunt in lingua nostra quae sunt arabica et finiunt

cum «i» et sunt *borceguí* (caliga), *zaquizamí* (lacunar) ac *maravedí* (teruntius, pecunia). *Alhelí* (flos odoriferus) et *alfaquí* (magister legis) tum per primum «al» tum per finalem «i» nota sunt ut verba arabica. Et hoc obiter dixi tibi et propter hanc occasionem vocandi *albogues*, quoniam haec ad memoriam venerunt; et multum ad perfectionem hoc exercitium iuvabit me aliquantulum esse poetam, velut tu bene scis, et magnus poeta est in extremis baccalaureus Samson Carrasco. De parocho nihil dicam, sed sponsionem faciam eum etiam gloriari de arte poetica; et fortasse etiam sic sit magister Nicolaus, de quo non dubito, quia tonsores plerique pulsant citharam et cantant. Ego lamentabor de absentia; tu te laudabis ut firmis captus amore; pastor Carrascón autem ut despectus, et parochus Curiambrus de quocumque velit pro se et hoc modo negotium nostrum bene properabit.

Cui Sanctius respondit:

–Ego, domine, tam infortunatus sum et timeo ne adveniat talis dies quo in hoc officio me videam. O quam pulchra cochlearia faciam cum sim pastor! Quas frixas micas panis, quae crema, quae serta florum, quae crepundia bucolica et haec omnia, quamvis non dent mihi magnam famam prudentis, saltem ostendent meam sollertiam. Sanctiula filia mea adducet nobis cibos ad gregem ovium. Sed, cave! quia illa habet formam formosam et sunt pastores, qui habent maiorem malitiam quam simplicitatem; et nullo modo vellem ut illa quaerat lanam et revertatur tonsa; quia amores et voluptates et non bona desideria ambulant per agros tamquam per urbes et per tuguria vel tabernas pastorum sicut per palatia regia et, causa sive opportunitate remota, removetur peccatum, et si oculi non vident cor non sentit sive non frangitur, et melius est evadere periculum quam quaerere bonam solutionem.

–Noli proferre tam multa proverbia, Sancti –inquit dominus Quixotus–, quoniam quodlibet ex quibus dixisti sufficit ad tuas cogitationes ostendendas. Equidem multoties dedi tibi consilium ne sis tam prodigus tuis proverbiis et habeas cura de his, quae dicis, sed mihi videtur hoc esse praedicare in deserto ac «punit me mater mea et egomet decipio eam».

–Mihi etiam videtur, domine –respondit Sanctius–, te esse tamquam quod dicunt: «Dixit sartago ollae, apage illinc nigra!» Nam vituperas me, quia ego dico proverbia et tu dicis ea bina.

–Vide, Sancti –respondit dominus Quixotus–: ego adduco proverbia opportune et dum veniunt et quidem conveniunt ut anulus digito; tu autem ea affers tam per capillos et non quidem ea adducis, sed trahis: Et iam dixi tibi proverbia esse sententias breves, quae orta sunt ex experientia et ex cogitationibus veterum sapientium nostrorum; et proverbium quod non convenit huic casui ineptia est et non bona sententia. Sed relinquamus hoc, quia advesperascit, quare secedamus de via regia parumper, ubi pernoctemus et cras Deus providebit.

Secesserunt seorsum, coenaverunt ambo sero et male et contra voluntatem Sanctii, cui videbantur angustiae equitatus itinerantis in silvis et montibus, dum abundantia ostendebatur in castellis et domibus, modo in domo domini Didaci de Miranda modo in nuptiis divitis Camacho atque in domo domini Antonii Moreno; sed etiam ille intelligebat non fieri posse ut semper esset dies neque semper nox et sic pernoctavit per totam illam noctem dormiens ac dominus eius vigilans.

Capitulum 68. Ubi narrantur res gestae suinae, quae domino Quixoto evenerunt

Nox aliquantulum obscura erat, quamvis luna in coelo esset, sed non ubi videretur: fortasse domina Diana deambulabat per antipodes et relinquebat montes atros vallesque obscuras. Dominus Quixotus adimplevit debitum suum cum natura dormiens primum somnum, sed non pervenit ad secundum, e contrario quam Sanctius, qui numquam habuit secundum, quia somnus suus ex nocte usque ad mane ei producebatur et hoc modo ostendebat bonam constitutionem corpoream suam et parvitatem sollicitudinis. Anxietates autem domini Quixoti somnum abstulerunt ab eo et hoc modo cum ipse expergefaceret Sanctium ei dixit:

–Miror, Sancti, de robusta salute tua. Imaginor te factum esse ex marmore, sive durum et aeneum in quo nulla sensibilitas vel commotio invenitur. Ego vigilo dum tu dormis; ego ploro dum tu cantas: ego langueo ieiunus dum tu piger es et fatigatus propter saturitatem tuam. Bonorum famulorum est pati sollicitudines dominorum suorum ac sentire sensus eorum, saltem ut hoc bene videatur. Vide serenitatem huius noctis, solitudinem in qua sumus, quae invitat nos ad parum vigilandum inter somnos nostros. Surge enim, per vitam tuam, secede seorsum parumper et alacri animo ac fortitudine verbera te trecenta sive quadringenta flagella ad solvendum computum incantamenti Dulcineae et hoc rogo te supplicans; quoniam nolo tecum contendere bracchiis, ut ultima vice, nam bracchia tua fortia sunt. Et simul ac verberes te, possumus reliquam partem noctis cantare, ego absentiam meam tu autem robur tuum et ex hoc incipiet exercitium bucolicum, quod facturi sumus in nostro pago.

–Domine –respondit Sanctius–, ego non sum monachus ita ut in medio somno meo surgam ac verberem me, neque mihi bene videtur ut ex extremo dolore flagellorum transeam ad musicam. Sine me dormire et noli impellere me ad verberandum; nisi faciam iusiurandum ne tangas umquam nec capillum pallii mei, non tantum carnes meas.

–O vir ex silice! O armiger crudelis! O panis inutilis ac beneficia inconsiderata, quae tibi feci et quidem faciam! Propter me vidisti te gubernatorem ac propter me vides te in spe accipiendi breviter comitatum sive alium titulum similem, et hoc non demorabitur ultra annum; quoniam ego *post tenebras spero lucem.*

–Hanc sententiam latinam non intelligo –obiecit Sanctius–; tantum intelligo me, dum dormio, nam neque timorem nec spem nec labores nec gloriam habeo; et bene sit ei, qui somnum inventavit, scilicet pallium quod omnes cogitationes humanas tegit, cibus qui famem tollit, aqua quae sitim aufert, ignis qui calefit, frigidum quod temperat ardorem et denique nummus communis, quo omnia emuntur, statera ac bilans quae aequat pastorem regi, ac simplicem prudenti. Tantummodo quid mali habet somnus, secundum quod audivi dicere, et est similitudo mortis, quia parvum discrimen est inter hominem qui dormit et mortuum.

–Numquam audivi te loquentem, Sancti –inquit dominus Quixotus–, tam magna elegantia quam nunc; quare venio ad recognoscendam veritatem proverbii quod aliquando tu dices: «Non ex quo nasceris, sed cum quo pasceris».

–Me miserum! –obiecit Sanctius–, domine mi! Nunc non sum ego qui proverbia

profert; quia etiam ea de ore tuo procedunt et quidem bina et melius quam ex me, tamen inter proverbia mea et tua haec differentia erit; nempe tua erunt opportuna ac mea omnino inopportuna; sed omnia erunt, procul dubio, proverbia.

His verbis prolatis, ecce fremitus surdus atque asperus strepitus qui per omnes illas valles propagabatur. Surrexit dominus Quixotus et accepit gladium ac Sanctius sub asino sese submisit et ad duo latera posuit fasces armorum et clitellas iumenti et quidem tam tremens metu quam dominus Quixotus perturbatus erat. Strepitus crescebat paulatim et pervenit ad duos timentes, saltem ad unum eorum, quia de alio iam cognita est strenuitas eius.

Et hoc erat ut duo viri adducerent ad vendendum plus quam sescentos porcos ad nundinas et cum eis iter faciebant illis temporibus et strepitus erat tam fortis et grunnitus ac fremitus porcorum ita ut aures domini Quixoti Sanctiique surdescerent et nullo modo cognoverunt quid hoc esset. Turmatim vasta grex suina advenit grunniens et, nulla reverentia servata erga auctoritatem domini Quixoti et Sanctii, ambos eiecerunt et super eos transierunt, deruerunt vallum factum a Sanctio, eiiciendo non tantum dominum Quixotum, sed adducendo secum quoque Rocinantem. Adventus, grunnitus ac festinatio, qua immunda animalia gregatim pervenerunt, confudit magnopere per terram clitellas, arma, asinum, Rocinantem, Sanctium et dominum Quixotum.

Sanctius autem surrexit tam bene sicut potuit facere et a domino suo quaesivit gladium dicens se velle sex ex illis dominis atque immoderatis porcis interficere, quia iam cognoverat qui illi erant. Dominus Quixotus autem dixit ei:

–Relinque eos, amice; quoniam haec est iniuria propter poenam peccati mei atque iusta punitio coeli ut equitem itinerantem victum comedant vulpes, vespae pungant eum et porci conculcent.

–Et etiam erit punitio coeli –respondit Sanctius– ut armigeros equitum itinerantium, qui victi fuerunt, pungant muscae, pediculi comedant ac fames oppugnet. Si vere armigeri essemus filii horum equitum, quibus servimus, sive propinqui proximi, non esset multum ut haec poena propter culpam eorum attingeret nos usque ad quartam generationem; sed quid habent Pansae cum Quixotis? Nunc autem quiescamus denuo ac dormiamus, quia adhuc est nox et cras Deus lucescet et progrediemur.

–Dormi tu, Sancti –respondit dominus Quixotus–, qui natus es ut eas dormitum, ego igitur natus sum ad vigilandum et tempus reliquum ex hoc usque ad diluculum habenas liberas dabo cogitationibus meis easque ostendam in quodam carmine [vulgo *madrigal*] quod die hesterno, te nesciente, composui et tradidi memoriae.

–Mihi videtur –respondit Sanctius– cogitationes, quibus fiunt carmina, non esse multas. Tamen canta quam multum velles, domine, et egomet dormiam quantum possim.

Et continuo accipiens extensionem terrae quam voluit sese submisit et dormivit somno profundo, ita ut nec cautiones nec debita neque sollicitudines neque dolores impedirent eum. Dominus Quixotus, nixus trunco fagi sive suberis –quia Cide Hamete Benengeli non distinguit arborem quae erat, et ad sonum suspiriorum suorum hoc modo cantavit:

Amor, habeo perpensum
dolorem quem afficis mihi, tam fortem.
Et curro ad meam mortem,
credendo finire malum immensum.

Hos gressus hic detineo
ante portum maris, ad meum cruciatum,
sentio me tam beatum
et ultra procedo, sed me contineo.

Vita me interfecit
et haec mors denuo dat mihi novam vitam,
semitam inauditam,
quae in me mortem et vitam perfecit.

Omnem versum comitabatur multis suspiriis necnon et multis lacrimis, tum propter cor transfixum dolore oppugnationis eius tum ex absentia Dulcineae.

Tunc advenit dies, sol dedit suis radiis in oculos Sanctii qui experrectus est, abiecit pigritiam, membra excussit ac distendit; vidit destructionem factam a porcis in cella penaria sua et gregi porcorum maledixit et adhuc alia verba dixit. Tandem ambo reversi sunt ad iter inceptum et, vespere autem facto, viderunt decem equites venientes obviam eis et quattuor vel quinque pedites. Cor domini Quixoti perturbatum erat ac perterruit cor Sanctii, nam viri qui advenerant habebant lanceas, scuta ac parati erant ad bellum. Dominus Quixotus vertit se ad Sanctium eique dixit:

–Si ego possem armis meis uti et promissio mea non detineret bracchia mea, haec machina, quae super nos advenit, esset mihi tamquam placenta et panis signatus, id est res nullius momenti, tamen forsitan sit alia res ex qua timemus.

Tunc venerunt equites illi habentes lanceas ac, nullo verbo prolato, circumdederunt dominum Quixotum et posuerunt lanceas ad dorsum et pectus domini Quixoti dum minabantur ei mortem. Quidam peditum, digito in ore posito, ut signum faceret eum tacere, apprehendit frenum Rocinantis eumque de via adduxit. Reliqui apprehenderunt asinum et Sanctium, omnes praediti miro silentio, ac secuti sunt gressus illius qui adducebat dominum Quixotum, et hic bis sive ter voluit quaerere, quonam eum adducerent et quid ab eo quaererent; sed simul ac labia aperiebat, illi ea claudebant ferris lancearum; ac Sanctio eadem res accidit, quia ubi primum ostenderet se velle loqui quidam peditum eorum ope aculei pungebat eum et immo asinum pungebat, tamquam si hic vellet loqui. Tandem nox intravit, festinaverunt gressus eorum et crevit metus in duobus captis, praesertim cum audirent eos loquentes cum eis:

–Iter facite, troglodìtae!

–Silentium, barbari!

–Solvite, anthropophagi!

–Nolite lamentari, scythae, nec oculos aperiatis, Polyphemi occisores, leones carnivori!

Et cruciabant aures miseri domini et famuli aliis nominibus similibus his. Sanctius dicebat inter se:

–Nos «turtures»? Nos «tonsores» sive «sparteos» esse? Nos catellas quibus dicunt *cita*, *cita*? Nullo modo haec nomina conveniunt mihi; et haec messis malum ventum habet; et omne malum ad nos una venit, tamquam cuidam cani ictus fustium, atque utinam ad eos veniant hae res gestae infortunatae, quae minantur nobis!

Dominus Quixotus iter faciebat suspensus et nesciebat quid hoc esset in suis cogitationibus et quae essent illa nomina plena vituperiis, quae eis dabant, ex quibus nihil poterat extrahere vel quid boni invenire, sed multum mali. Tunc pervenerunt prima hora noctis ad quoddam castellum quod dominus Quixotus bene cognovit, quoniam illud erat castellum ducis, ubi nuper fuerunt.

-Adiuvet me Deus! -inquit cum cognovit hanc mansionem- quid hoc erit? Nam hic habitat omnis urbanitas et comitas; sed victis quod bonum est, fit malum et malum in peius.

Introiierunt in magnam cohortem castelli et viderunt eam paratam, ita ut admiratio amborum cresceret ac metus augeret in eis, sicut videbitur in proximo capite.

Capitulum 69. Ubi narrantur insolitae et novae res gestae, quae in toto decursu huius magnae historiae domino Quixoto acciderunt.

Equites descenderunt de equis et una cum peditibus duxerunt Sanctium et dominum Quixotum in altum suspensos suis manibus atque introduxerunt eos in cohortem circa quam ardebant fere centum faces cereae accensae, positae in suis candelabris et per ambulacra cohortis erant plus quam quingenta luminaria ita ut, quamvis nox esset, et ostenderet se obscuram, videbatur non deficere eis lux diei. In media illa cohorte erat tumulus altus fere duas ulnas supra terram, totus coopertus magna umbella ex tela serica nigra, circa quam et per scalas ardebant candelae cereae albae plures quam centum candelabra argentea; super tumulum iacebat corpus mortuum pulchrae virginis, quae sua formositate ostendebat ipsam Mortem etiam speciosam esse.

Super cervical intertextum habebat caput, coronatum serto diversorum atque odoriferorum florum, manibus super pectus decussis, et inter eas ramus pallidae ac victricis palmae.

Ad latus cohortis erat tabulatum et super id ac sedentes super duas sellas duo viri, qui habebant coronas super capita eorum ac sceptra in manibus, quibus videbatur eos reges esse, tum veros tum fictos. Ad latus huius tabulati ascendebant per quasdam scalas et ibi etiam erant duae sellae ad quas, qui adduxerunt captos, posuerunt dominum Quixotum et Sanctium, sed haec omnia magno silentio et monendo eos signis ut etiam tacerent. Sed quamvis hoc eis non ostendissent illi tacerent, quia admiratio de his, quae intuebantur, linguas eorum ligabat.

Tunc ascenderunt super tabulatum duae praecipuae personae praeditae magno comitatu, quae postea cognitae sunt a domino Quixoto, et erant dux et ducissa, hospites eius, qui sederunt super duas lautissimas sellas, iuxta illos qui videbantur reges. Quis non miraretur de his omnibus, praesertim cum dominus Quixotus cognosceret corpus mortuum esse formosae Altisidorae, quae super tumulum erat?

Cum ascenderet dux ducissaque super tumulum dominus Quixotus et Sanctius

surrexerunt et eis profundam reverentiam fecerunt et illi idem eis et eodem modo egerunt, capite clino.

Tunc famulus egressus est et venit ad Sanctium super quem posuit vestem linteam nigram, depictam cum flammis igneis et, pilléo eius ablato, induerunt caput cucullo, ad modum cucullorum, quos poenitentes damnati in Sancto Officio (Inquisitionis) induunt, atque ei dixit ne labia aperiret, quia si id faceret tunc frenum linguae ei ponerent sive auferrent vitam eius. Sanctius autem inspiciebat se ipsum e summo usque deorsum, et videbat se ardentem illis flammis, sed cum non urerent eum, eas faciebat pro nihilo. Abstulit cucullum et vidit eum pictum esse cum diabolis et denuo eum induit dicens inter se:

–Nec flammae comburunt me nec diaboli me adducunt secum.

Dominus Quixotus etiam inspiciebat eum et, quamvis timor haberet sensus eius suspensos, non potuit risum tenere et risit videndo figuram Sanctii. Tunc incepit exire ut videbatur sub tumulo sonus demissus et gravis tibiarum, sed nulla vox humana audiebatur, quia in illo loco silentium ipsum tacebat, et molle atque amorosum ostendebatur. Tunc, repente apparuit iuxta pulvinar cadaveris pulcher ephebus amictus veste romana, qui ad sonitum harpae, quam ipse pulsabat, cecinit clarissima voce hanc cantilenam:

Donec Altisidora revertatur
denuo ad vitam, quam hic eques abstulit
ab ea, haec aula regia induatur
tristi sacco propter illa, quae sustulit
et nutrix regia bysso operiatur,
nam domina vult et eas sic impulit.
Illam pulchram et miseram cantabo
et plectrum Thraciae optime pulsabo.

Hoc munus est tamquam magna diversitas
rerum quarum esset quidam effectus
linguae mortuae in ore, has insolitas
voces debitas clamabo porrectus,
cum animum meum solvat auctoritas,
qui per hanc lacunam Stygiam est vectus
quidem iter faciendo te laudabit
atque aquas oblivionis servabit.

–Nil amplius! –ait ad hanc opportunitatem quidam ex his duobus qui videbantur reges–; nil amplius! o divine cantor!; quia hoc esset ad infinitum procedere, nobis repraesentare mortem et virtutes huius imparis Altisidorae, et non equidem mortuam, sicut mundus ignorans credit, sed vivam in linguis Famae atque in poena, quae ad eam restituendam ad perditam lucem passurus est Sanctius Pansa, qui hic inter nos est. Et hoc modo, o tu Rhadamanthe, qui mecum iudicas in lobregis cavernis inferni, nam bene scis omnia, quae disposita sunt in fatis inscrutabilibus, nempe quomodo

revertere hanc virginem iterum ad vitam, dic nunc statim ne demoretur nobis bonum, quod ex adventu eius exspectamus.

Ubi primum haec dixerit Minos, qui erat iudex et comes Rhadamanthi, hic Rhadamanthus surrexit erectus et dixit:

–Eheu, famuli et ministri huius domus, alti ac breves, magni et parvi, accurrite omnes et vultum Sanctii signate viginti et quattuor alapis, duodecim vellicationibus necnon et sex punctionibus aciculae in bracchiis et dorso, quia in hac caeremonia consistit tota salvatio Altisidorae!

His verbis auditis, Sanctius Pansa silentium rupit et dixit:

–Iuro per talem! Sic ego permittam faciem meam signare vel vultum palpari tamquam fieri maurus! Vae mihi! ac per corpus meum! Quaenam relatio est inter palpationem faciei meae cum resurrectione huius virginis? Vetula saturatur blitis. Incantant Dulcineam et verberant me ad solvendum incantamentum; moritur Altisidora ex morbis, quos Deus voluit ei dare et debent mihi viginti et quattuor colaphos dare et corpus meum contundere ope punctionum acicularum necnon et bracchia mea deturpare vellicationibus! Afferte has nugas alii sive vestro cognato; quia ego vetus canis sum et non libenter accipiam istud!

–Tunc morte morieris! –dixit alta voce Rhadamanthus–. Mollesce te ipsum, tigridis; humilia te, Nemrod superbe, ac sustine et taceas, quia non quaerunt a te, quae non fieri possint. Et noli intrare ad quaerendas difficultates huius negotii, nam alapas dabunt tibi, te videbis cum punctionibus, et vellicatus lamentaberis. Eheu, famuli ministri, adimplete mandatum meum; sin autem, et per fidem viri boni videbitis ad quid faciendum nati estis!

Tunc apparuerunt per cohortem usque sex dominae nutrices in processione, altera post alteram, quattuor earum praeditae conspicillis, omnes manibus dextris levatis in altum cum quattuor digitis ex carpo foras, ad simulandam longiorem manum, sicut nunc usus est. Vix Sanctius eas vidit, tamquam taurus mugiens dixit:

–Sinam ut cuncti huius mundi me palpent, sed quomodo possum permittere ut attrectent me nutrices istae? Nequaquam! Vulnerent feles vultum meum, tamquam accidit domino meo in hoc ipso castello; perforent corpus meum pugionibus acutis; dilanient bracchia mea forcipibus igneis; et haec omnia patienter tolerabo, sive his dominis serviam, sed nullo modo possum sustinere nutrices tangere me, sic diabolus me adducat secum.

Dominus Quixotus rupit silentium dicens Sanctio:

–Sustine patienter, fili, et fave his dominis et gratias age coelo, quoniam talem virtutem posuit in tuo corpore, nam cum tuo cruciatu potes solvere incantatos et mortuos resuscitare.

Illae dominae iam erant prope Sanctium, cum ille mollior ac persuasus, super sellam sedens, vultum suum et barbam dedit ad primam dominam earum, quae ei dedit alapam et quidem fortiter et postea fecit magnam reverentiam.

–Non tantam urbanitatem; neque tanta unguenta, domina –dixit Sanctius–; quia, per Deum, habes manus, quae redolent acetum!

Denique omnes illae nutrices signaverunt vultum eius alapis earum ac multi ex gente illius domus vellicaverunt eum; sed ille non potuit pati punctiones acicularum, et sic e

sella surrexit, ut videbatur stomachosus et accipiens facem accensam suis manibus, quae iuxta eum erat, post illas nutrices cucurrit et post carnifices suos dicens eis:

–Apage, apage! Ministri infernales; num aeneus sum ego, ita ut non sentiam hos teterrimos cruciatus?

Tunc Altisidora quae fortasse lassa erat in illa positione supina vertit se ad latus. Et circumstantes, his rebus conspectis, fere omnes uno ore dixerunt:

–Viva est Altisidora! Altisidora vivit!

Rhadamanthus iussit Sanctio ut iracundiam deponeret, quia iam obtinuerunt quod vere cupiebant.

Et simul ac dominus Quixotus vidit Altisidoram moveri venit ad genua flectenda in conspectu Sanctii eique dixit:

–Nunc est tempus opportunum, fili ex visceribus meis, et non armiger meus, ut verberes te nonnullis flagellis ad solvendam Dulcineam ex incantamento eius. Nunc autem dico, est tempus quo virtus tua maturata est et efficaciter poteris bene nancisci bonum a te exspectatum.

Cui Sanctius respondit:

–Hoc videtur mihi sine ulla ratione et non quidem ut mel super crustulas. Bonum esset ut nunc post vellicationes, colaphos ac punctiones acicularum paterer flagella! Non necesse est nisi ut molam asinariam ligarent ad collum meum et eiicerent me in puteum, quod mihi non tam magni momenti esset si hoc fuisset ad infirmitates aliorum sanandas et egomet debeam esse vacca pinguis parata ad nuptias. Relinquant ergo me, sin autem, Mehercle, omnia eiiciam foras, nullis respectis servatis.

Tunc sedit Altisidora super tumulum atque eodem tempore tibiae sonum dederunt, quas fistulae comitatae sunt necnon et voces omnium circumstantium, qui uno ore ac voce clamabant:

–Vivat Altisidora! Altisidora est viva!

Dux ducissaque ac reges Minos et Rhadamanthus et cuncti surrexerunt, una cum domino Quixoto ac Sanctio, advenerunt ad Altisidoram recipiendam eamque demiserunt de tumulo deorsum; quae finxit languida esse et inclinavit sese ad ducem ducissamque et reges, sed inspiciens transverse dominum Quixotum dixit ei:

–Deus ignoscat tibi, eques defectus amoris, quia per crudelitatem tuam in altero mundo fui, et mea opinione, ultra mille annos. Et tibi, commiserans inter omnes armigeros totius orbis terrarum! tibi gratias ago propter vitam, quam nunc denuo possideo. Tibi parabo, ex hoc, amice Sancti, plus quam sex subuculas, quas tibi mittam ita ut alias facias tibi; et si non sunt omnes sanae saltem mundae erunt.

Osculata est propter hoc manus Sanctii, qui erat cum cucullo in manu et genibus flexis. Dux iussit ut auferrent ab eo cucullum illum et redderent ei pilleum eius atque induerent pallium et auferrent vestem flammigeram. Sanctius rogavit ducem ut relinquerent ei vestem ac mitram, quas volebat secum ducere ad pagum suum, ita ut essent signum ad memoriam illius numquam noti eventi. Ducissa autem respondit ut libenter faceret, quia ille sciebat quam magna amica eius illa erat. Iussit dux ut removerent omnia ex illa cohorte et continuo unusquisque ad habitaculum suum pervenit atque adduxerunt quoque dominum Quixotum et Sanctium ad habitacula, quae illi iam cognoverant.

Capitulum 70. Capitulum quod sequitur sexaginta novem sive undeseptuaginta et agit de rebus nullo modo excusatis ad claritatem huius historiae

Sanctius dormivit illa nocte in lecto humili demisso eiusdem cubiculi domini Quixoti, quod ille si posset vellet vitare, quia bene sciebat dominum eius non relicturumm esse ut dormiret cum quaestionibus et responsis eius et non paratus erat ad multum loquendum propter dolores cruciatus, quia si illi iam transierunt, hos dolores praesentes habebat et non sinebant ei ut linguam eius liberaret, quamobrem melius erat ei solo in tugurio dormire quam in illo lautissimo cubiculo, quia ibi erat comitatus. Suspicio sua facta est vera, quia simul ac dominus eius in lectum intravit dixit ei:

–Quid tibi videtur, Sancti, eventum huius noctis? Magna et potens est vis contemptionis in amore, sicut vidisti tuis propriis oculis, quoniam Altisidora mortua erat et hoc non ope sagittarum nec gladii neque cuiusdam instrumenti bellici neque veneni mortiferi, sed propter rigorem et contemptum, quo egomet eam semper habui.

–Moriatur illa cum ipsa velit sive sicut velit –respondit Sanctius– et sinat ut sim domi, nam ego nec amavi eam nec eam despexi in tota vita mea. Nescio quid possim cogitare de salute Altisidorae, quae est virgo potius inconstans quam prudens, et quid hoc habeat cum doloribus Sanctii Pansae. Nunc vere intelligo incantatores esse atque incantamenta in hoc mundo, a quibus liberet me Deus, quia egomet nescio me liberare. Tamen, his omnibus rebus perpensis, obsecro te ut sinas me dormire et nil a me quaeras, sin autem eiiciam me per fenestram deorsum.

–Dormi, Sancti amice –respondit dominus Quixotus–, si punctiones acicularum et vellicationes receptae necnon et alapae factae permittunt tibi.

–Nullus dolor –obiecit Sanctius– ad iniuriam colaphorum pervenit, et non per alia nisi quia illae erant nutrices, quae haec mihi dederunt, et utinam omnes confundantur. Et denuo rogo te, domine, ut sinas me dormire, quia somnus est medela miseriarum, quas habent qui vigiles sunt.

–Hoc ita est –inquit dominus Quixotus–, et Deus comitetur te.

Ambo autem dormierunt et hoc tempore Cide Hamete Benengeli, auctor huius magnae historiae, voluit scribere quid esset quod movit ducem ducissamque ad aedificium huius magnae machinae iam dictae, et dicit se nullo modo oblitum esse baccalaurei Samson Carrasco, cum Eques Speculorum victus ac proiectus esset a domino Quixoto, ex qua victoria ac lapsu omnia bona sua designia deleta fuerunt, voluit denuo probare fortunam exspectando meliorem successum quam praeteritum. Et hoc modo locutus est cum ephebo, qui litteras misit ad Teresiam Pansam, uxorem Sanctii, ubi dominus Quixotus esset et tunc quaesivit equum et nova arma, posuit super scutum lunam albam et haec omnia super mulum, quem agricola ducebat, sed non Tomé Cecial vetus armiger eius, ne recognosceret eum Sanctius sive dominus Quixotus.

Tunc pervenit ad castellum ducis, qui ei nuntiavit iter ac decursum itineris, quod dominus Quixotus inceperat voluntate perveniendi ad ludicrum equestre Caesaraugustae. Etiam enarravit facetias quas eis fecerunt necnon et quae pertinebant

ad solvendum incantamentum Dulcineae et quidem cum damno clunium Sanctii. Denique narravit ei irrisionem quam Sanctius fecit domino suo cum transformaret Dulcineam in rusticam et modum quo ducisssa, uxor illius, fecit videre Sanctium decipi, quia vere incantata erat Dulcinea; de quo non parum risit et miratus est baccalaureus videndo intellectum ac simplicitatem Sanctii tamquam extremam insanitatem domini Quixoti.

Dux autem ab eo quaesivit, domino Quixoto victo sive victore, ut reverteretur ad castellum et nuntiaret ei has res gestas. Et baccalaureus ita fecit et dominum Quixotum quaesivit, non invenit eum Caesaraugustae et ultra iter prosecutus est, ubi ei accidit quod iam dictum est.

Postea vero reversus est ad castellum ducis cui omnia enarravit necnon et condiciones quas ei imposuit et quas dominus Quixotus debebat adimplere, tamquam bonus eques itinerans sub promissione secedendi per annum in suo pago, quo tempore fortasse, ait baccalaureus, sanaret a sua dementia; quia hoc erat consilium quo movebatur ad has transformationes faciendas, nam dolendum erat fidalgum tam sapientem, sicut dominum Quixotum, insanum esse. His rebus peractis, valedixit duci et reversus est ad suum locum, exspectando ibi dominum Quixotum, qui post eum veniebat.

Hinc autem dux accepit opportunitatem faciendi hanc irrisionem, quia tam multum gaudebat rebus Sanctii ac domini Quixoti; et hoc modo imperavit ut inspicerent omnes vias, prope sive procul a castello, quo imaginabatur dominum Quixotum reverti posse, et hoc fecit cum multis famulis suis tum peditibus tum equitibus ita ut eum secum adducerent ad castellum si forte eum invenirent, libenter vel coacte. Eum quidem invenerunt et hoc nuntiaverunt duci, qui iam paraverat omnia, quae facienda erant, et simul ac novit adventum eius iussit ut accenderent faces et luminaria in cohorte et posuit Altisidoram super tumulum cum omnibus, quae tam vivide descripta sunt et tam bene facta, quia parva erat diversitas inter vera et ficta.

Et etiam dicit Cide Hamete Benengeli omnes ei videri insanos tum qui volebant illudere et dux ducissaque non erant procul duos digitos ut viderentur stulti, nam tam multum duos stultos irridere cupiebant. Nunc autem, alter dormiens somno profundo et alter vigilans propter cogitationes suas, dies primo mane ad eos venit et etiam fuit desiderium surgendi, quia plumae otiosae, numquam domino Quixoto placuerunt tum victori tum victo.

Altisidora –secundum dominum Quixotum, reversa ex morte ad vitam–, secuta est facetias domini sui, et sic coronata est ipso serto florum quod habebat in tumulo, atque amicta parva tunica ex serico albo, depicta cum floribus aureis et habens capillos solutos super umeros, nixa nigro baculo eburneo et quidem purissimo, introivit in cubiculum domini Quixoti, de cuius praesentia ille turbatus confususque est, contraxit se et cooperuit fere totum semetipsum linteis ac stragulis lecti, lingua sua omnino muta, quare non potuit ei ullam urbanitatem ostendere. Altisidora autem sedit super sellam, iuxta lectum eius et, magno suspirio emisso, tenera ac debili voce dixit:

–Cum mulieres nobiles natu et pudicae virgines non curant de honore earum et permittunt linguas suas contra omne obstaculum palam omnibus nuntiare secreta cordium suorum, vere inveniunt se in desperato atque angusto animo. Ego, domine

Quixote a Manica, sum una harum et quidem oppressa, victa et capta magno amore, nihilominus patiens atque honesta etiam sum; et tam multum ut animus meus exploderet propter meum silentium et hoc modo vitam meam amisi. Et, duobus diebus elapsis, propter crudelitatem quam erga me habuisti,

O, tu, durior marmore erga lamentationes meas!

pertinax eques! et mortua fui, saltem, secundum opinionem eorum qui viderunt me. Et si non esset quia Amor, plenus commiseratione erga me, dederit medelam mihi, ope cruciatus huius boni armigeri, mansissem in alio mundo.

–Bene potuit Amor –dixit Sanctius– dare hunc cruciatum asino meo et tunc gratias ei agerem. Sed dicas mihi, domina mea, et utinam coeli velint tibi mittere amantem mitiorem quam dominum meum: quid est quod vidisti in altero mundo? Quid est in inferno? Quia qui vere moritur desperatus, quamquam invitus, in illo loco manebit.

–Ut verum dicam –respondit Altisidora–, fortasse non debui omnino mori, quia non introivi in infernum, nam si illuc introiissem inde non potuissem exire, quamvis vellem. Verumtamen perveni ad ianuam illius, ubi usque duodeni diaboli ludebant pila et quidem amicti tibialibus et thorace cum collis ornatis reticulato Flandriae et cum extremis, quae serviebant ut bracchiales et quidem ultra quattuor digitos extra bracchium ut manus longiores viderentur et in his manibus habebant palas igneas. Et de quo magis admirata sum est eos uti libris, ut videbatur, plenis vento et inutibilibus pro pilis, et haec erat res omnino mira et nova. Sed non tantum mirabar de his rebus, quam de facto quo omnes lusores non gaudebant victores et tristabantur qui perditores erant, quia in illo ludo omnes eodem tempore grunniebant, omnes rixabantur et omnes sibi mutuo maledicebant.

–Hoc non mirum est –respondit Sanctius–; quia diaboli tum ludant tum non ludant, numquam erunt contenti, vincant sive perdant.

–Hoc ita erit –respondit Altisidora–; sed de alia re etiam miror, nempe ut tunc temporis vere mirata essem, et hoc fuit ut primo ictu nulla pila remaneret et iam non servivit ut iterum ea luderent et hoc modo libri veteres et novi minuebant et quidem miro modo. Cuidam libro ex eis, novo et flammanti ac bene compaginato, magnum ictum dederunt et viscera eius eduxerunt foras et folia eius disperserunt. Et quidam diabolus dixit alii diabolo: «–Vide quis liber sit hic.» Et diabolus respondit ei: «–Haec est Secunda pars Historiae domini Quixoti a Manica, quae non composita est a Cide Hamete, suo primo auctore, sed ab auctore ex Aragonia qui dicit esse natus in oppido Turri Syllana (Tordesillas)». «–Aufer hunc illinc –respondit alter diabolus– et introduc eum in profundas abyssos inferni: ne videant eum amplius oculi mei.» «–Tam malus est?» respondit alter. «–Tam malus –obiecit primus diabolus– ut si ego conscienter vellem non quidem possem peiorem facere, vel non nanciscerer.» Prosecuti sunt ludo eorum et proiiciebant alios libros, sed ego, quia audivi nomen domini Quixoti, quem tam multum diligo atque amo, curavi tradendi eum memoriae huius visionis.

–Visio debuit esse, absque dubio –inquit dominus Quixotus–, quoniam non est alter liber in hoc mundo et haec historia traditur ex manu in manum et in nulla manet, quoniam omnes dant ei ictum pedibus. Tamen nullo modo perturbatus sum audiendi

me esse ut corpus phantasticum per tenebras abyssi, neque per claritatem terrae, quoniam ego sum quem ista historia tractat. Si illa bona esset, fidelis ac vera, longa saecula vitae haberet, sin autem ex partu suo ad sepulturam perveniet et non per longiorem viam.

Altisidora voluit prorsus prosequi suis lamentationibus contra dominum Quixotum, sed tunc hic dixit ei:

–Multoties dixi tibi, domina, quam multum dolet mihi ut ponas me in tuis cogitationibus, quoniam has possum ego cognoscere, sed nullo modo eis afferre medelam. Egomet natus sum et pertineo ad Dulcineam a Toboso ac Fata, si forte sint, me tradiderunt ei; et credere aliam formositatem hunc locum habere in animo meo est credere quod non fieri potest. Sufficit haec deceptio tibi ut maneas in limitibus tuae honestatis, nam ad impossibilia nemo tenetur.

Et, his verbis auditis, Altisidora ostendit se molestam et stomachosam et dixit:

–Per Deum verum, o domine, tu es asellus, animus mortarii, nucleus dactyli, obstinatior ac durior quam rusticus obstinatus cum maneat in suis argumentis, et si impetum faciam in te, oculos tuos eradicabo! Num putas tu, dominus victus et contusus fustibus, me mori propter te? Omnia quae hic vidisti simulata sunt; nam ego non sum parata ad talia propter te, nec per has beluas ac similes camelos ut doleret mihi nec minimum ex parva ungue mea ac potissimum mori.

–Hoc ita credo egomet –dixit Sanctius–, quia quod dicunt amantes mori hoc est ad risum tenendum; tamen bene illi possunt dicere, sed quoad faciendum, hoc credat ipse Iudas.

Et, his colloquiis peractis, introivit musicus, cantor ac vates, qui cantaverat illos duos cantus iam dictos, qui, magna reverentia domino Quixoto facta, ait:

–Domine eques, vellem ut enumeres me inter maximos servitores tuos, quia abhinc multos dies habui magnum affectum erga te tum propter tuam famam tum propter optimas res gestas tuas.

Dominus Quixotus autem ei respondit:

–Dicas mihi quis sis, ut urbanitas mea possit convenire tuis meritis.

Iuvenis dixit se fuisse musicum, qui nocte hesterna cantavit.

–Profecto –obiecit dominus Quixotus–, habes optimam vocem, tamen quod cecinisti non fuit omnino adaptatum ad hanc occasionem, nam quid habent cantus Garcilasi cum morte huius dominae?

–Ne mireris, domine, de hoc –respondit musicus–; quia inter incipientes poetas nostrae aetatis mos est ut unusquisque scribat ad nutum suum ac rapiat a quo vellet et quidem utrum hoc bene ad occasionem veniat necne, secundum voluntatem suam et nulla est stultitia quam ipsi scribant sive cantent, quae non tribuatur ad licentiam poeticam.

Dominus Quixotus voluit ei respondere, sed dux ducissaque hoc impedierunt, quia introiierunt ad eum videndum, et inter eos longum ac laetum colloquium fuit, quo Sanctius tot facetias et malitias dixit, quibus admirati sunt dux ducissaque tum de simplicitate eius tum de intellectu illius. Dominus Quixotus rogavit eos ut dederint ei veniam ad proficiscendum et quidem eo ipso die, nam victis equitibus tamquam ei, melius erat suile quam palatia regia. Eam dederunt ei libenter ac ducissa ab eo quaesivit utrum Altisidora adhuc maneret in benevoléntia eius necne. Ille autem respondit:

–Domina mea, scito omne malum huius virginis esse ex otiositate, cuius remedium est labor honestus atque assiduus. Illa nuntiavit mihi in inferno uti ornatu reticulato et sic credo eam hoc bene facere posse et bonum esset ut illa non relinqueret ex sua manu hunc laborem; nam si vere illa vacat bacillis ad texendum, cogitationes eius non movebuntur ex bona voluntate eius, quam illa vere vult, et haec est veritas et hoc est consilium meum.

–Et quidem meum –addidit Sanctius–, quia numquam vidi in vita mea mulierem laborantem hoc modo mori; et virgines quae laborant magis vacant cogitationibus earum ad finiendum laborem quam suis amoribus. Et hoc dico propter me, quia cum fodio in agro non possum meminisse meae uxoris (litt. *mi oislo*), dico Teresiae Pansae meae, quam diligo tamquam palpebras oculorum meorum.

–Tu dicis valde bene, Sancti –ait ducissa–, atque ego faciam Altisidoram laborare ex hoc et in futurum ad faciendos albos labores, quibus illa semper maxime eminuit.

–Non necesse est, domina –respondit Altisidora–, uti hac medela, quia, considerata crudelitate, quam mihi fecit hic maleficus rudus, omne delebitur e mea memoria ac sine ullo artificio. Et, tua venia, excellentissima domina, secedam seorsum hinc, ne amplius videam oculis meis non iam tristem figuram illius, sed nec foedum aspectum vultus eius.

–Hoc mihi videtur –ait dux– quod solet dici:

Qui iniurias ostendit
prope est ignoscendi.

Altisidora finxit lacrimas abstergere ope muccinii et, reverentia facta suo domino suaeque dominae, de cubiculo egressa est.

–Vae tibi, vae tibi, te misellam! –dixit Sanctius–, misera virgo! quam malam fortunam habuisti, quia invenisti animum sparteum et cor quercus. Et ego iuro tibi, si haec habuisses mecum alia fortuna fuisset tibi!

Colloquio finito, dominus Quixotus induit vestes suas, edit cum duce ducissaque et illo vespere profectus est.

Capitulum 71. Ubi narratur de his quae evenerunt domino Quixoto cum armigero eius Sanctio cum iter faciebant ad pagum eorum

Dominus Quixotus victus ac moestus iter faciebat partim meditabundus, sed etiam partim valde laetus. Causa suae tristitiae, quoniam victus erat atque illius laetitiae, considerata magna virtute Sanctii, sicut potuit probare in resurrectione Altisidorae, quamvis etiam esset ei quoddam scrupulum utrum illa vere mortua esset necne. Sanctius autem nullo modo laetus erat, quia vidit Altisidoram non adimplevisse promissum suum et nullam subuculam ei dederat et dum haec inter se cogitabat, domino suo dixit:

–Profecto, domine, ego infelicissimus medicus sum qui in toto mundo inveniatur, quoniam in hoc mundo medici sunt, qui occidunt aegrotum et volunt emolumentum pro labore eorum lucrari et hoc non est amplius quam nonnullas schedulas medicinarum signare, quas ille non facit, nisi apothecarius, et hoc modo labor eorum finitur. Quatenus ad me, ego laboro propter salutem alienam et debeo solvere meo sanguine, sive alapis, vellicationibus, punctionibus acicularum et flagellis, sed non dant mihi nec minimam pecuniam. Et ego iuro per talem! si adducent mihi alium infirmum, ante quam eum sanem, debent ungere manus meas ope pecuniae; nam abbas ex quo cantat comedit, et nolo credere ut coelum dederit mihi talem virtutem ad aliis communicandam et quidem gratis et amore ac pro nihilo [litt. «bóbilis, bóbilis», fortasse pro «vobis vobis»].

–Recte iudicasti, Sancti amice –respondit dominus Quixotus–, et male fecit Altisidora, quoniam non dedit tibi subuculas promissas, quamvis virtus tua sit *gratis data* et non eam obtinueris magno labore nec ullo studio et hic est potissimum cruciatus pro tuo corpore. Nihilominus de me possum tibi dicere ut salarium solverem tibi et quidem libenter pro flagellis ad solvendum incantamentum Dulcineae, si id a me quaereres; tamen nescio utrum haec actio curativa bene conveniat cum salario; et nullo modo vellem ut medicina obstaret huic praemio. Verumtamen mihi videtur non malum esse periculum facere et probare: videas, Sancti, quam multum a me poscis, et continuo verbera te, et accipe sumptum tuum in pecunia numerata, quoniam tumetipse habes pecuniam meam.

Ad hanc propositionem Sanctius aperuit oculos suos necnon et aures plus quam palmum et dedit ei consensum sese verberandi sponte ac libenter et dixit suo domino:

–Nunc autem, domine, ego vere paratus sum tuae dispositioni ac voluntati et ad faciendum quidquid velis et quidem meo beneficio; quia amor liberorum meorum ac meae uxoris impellit me ut ostendam me avidum. Dicas ergo mihi: quam multum dabis mihi pro omni flagello?

–Si ego debuissem hoc solvere, Sancti –respondit dominus Quixotus–, secundum magnitudinem et qualitatem beneficii ac remedii, thesaurus Venetiarum et fodinae Potosí pro nihilo essent ad solvendum tibi; tamen calcula copiam meae pecuniae quam apud te habes et potes pro omni flagello dato pretium ponere.

–Illa sunt tria milia et trecenta et talia flagellorum; ex quibus iam verberavi me usque quinquies: reliqua sunt alia; veniant etiam illa quinque inter reliqua et sic habemus tria milia et trecenta, quae unumquodque ad quartum ex argenteo, quia non minus feram, quamvis omnis mundus a me quaerat, faciunt tria milia, mille et quingenta semi argenteos, qui faciunt septingentos et quinquaginta argenteos, ac trecenti sunt centum quinquaginta semi argentei, id est septuaginta quinque argentei, qui una cum illis septingentis et quinquaginta faciunt octingentos et viginti quinque argenteos. Tunc hos accipiam ex tuis quos habeo atque intrabo domum meam dives et contentus, quamvis bene verberatus sim; quia non accipiuntur tructae ... (cum femoralibus siccis) et nil amplius dicam.

–O Sancti benedicte! O Sancti amabilis –respondit dominus Quixotus–, et quam multum tibi gratias agere debemus nempe Dulcinea atque ego ad tibi serviendum omnes dies quos coelum det nobis in vita! Si illa revertitur ad suam pristinam figuram, quod absque dubio erit, infelicitas eius fiet fortuna et oppugnatio mea triumphus felicissimus.

Et nunc vide, Sancti, quando vis incipere verberationem tuam; quoniam ut eam festines ad finiendam addo tibi alios centum argenteos.

–Quando? –obiecit Sanctius–. Hac nocte sine dubio. Et cura ut pernoctemus in agro, sub divo; et ego aperiam carnes meas.

Nox advenit, quam dominus Quixotus vere exspectabat maxima anxietate huius mundi et ei videbatur rotas currus Apollonis rumpi, nam dies ille elongabatur plus aequo, sic ut accidere solet captis amore, qui numquam vident tempus convenire desideriis eorum. Denique introiierunt inter quasdam laetas arbores, quae parum secus a via erant, ubi, sella Rocinantis vacua, et, clitellis asini eodem modo vacuis, illi sederunt super viridem herbam et coenaverunt ex cellario Sanctii; qui ex capistro asini atque eiusque fune confecit potens ac flexibile flagellum, ac secessit circa viginti gressus seorsum a domino suo, inter quasdam fagos. Dominus Quixotus, qui eum vidit resoluto animo atque alacri vigore ambulare, dixit ei:

–Cura, amice, ne scindas te in fragmenta; sed sine ut quaedam flagella alia exspectent; noli tam multum in hoc cursu festinare quin halitus deficiat tibi; volo dicere ne verberes te tam fortiter quin deficiat tibi vita ante quam pervenias ad computum desideratum. Et ne perdas per excessum neque per defectum, ego autem seorsum hic ero, et quidem enumerans ope huius coronae rosarii quot flagella dederis tibi. Atque utinam coelum faveat tibi secundum tuam bonam voluntatem.

–Qui sumptum bene solvit non curat de pignore –respondit Sanctius–: et ego conabor me verberare ita ut doleat mihi, sed non interficiam me; quia in hoc debet consistere virtus totius huius miraculi.

Denudavit se de medio corpore sursum et arripiens funem incepit se verberare ac dominus Quixotus enumerare flagella.

Sanctius dedit sibi usque sex sive octo, et ei videbatur illa irrisio nimis noxia ac parvi pretii, quare detinuit se parumper et dixit domino suo se valde deceptum esse, quia omne flagellum mereretur constare dimidio argenteo et non quarto.

–Prosequere, Sancti amice, ac ne languescas –inquit ei dominus Quixotus–; quoniam ego duplico pretium computi.

–Hoc modo –dixit Sanctius–, ad bonam manum Dei, et pluviant flagella!

Verumtamen ille versutus non amplius verberabat dorsum suum, sed arbores et cum suspiriis, quae aliquando producebat et unoquoque videbatur animum eradicare. Tenerus animus domini Quixoti, ac timens ne finiret vitam eius et nullo modo obtineret suum desiderium propter imprudentiam Sanctii, dixit ei:

–Per vitam tuam, amice, relinque hoc negotium hic et nunc, quoniam mihi videtur hoc pharmacum nimis saevum esse, et bene erit dare tempus ad tempus, nam non oppugnaverunt Zamoram tantummodo una hora. Ultra mille flagella verberasti tibi, ni fallor, et sufficiunt nunc; nam asinus, et hoc loquendo impolite, tolerat onus, sed non superpondium.

–Minime, domine –respondit Sanctius–; hoc non propter me dicetur: «pecunia accepta, labore relicto.» Secede denuo parum seorsum ac sine me saltem alia mille flagella verberare; quia duobus talibus vicibus adimplebimus computum et adhuc erit aliquid ad parcendum.

–Ita si vere habes tam bonum animum resolutum –inquit dominus Quixotus– coelum

iuvet te ac verbera te et ego secedam seorsum.

Sanctius reversus est ad suum negotium magno robore atque impetu ita ut iam auferret cortices multarum arborum: talis erat rigor quo sese verberabat. Et levans vocem ac percutiens fagum magno ictu dixit:

–Hic morieris, Samson, et omnes qui tecum sunt! Accurrit dominus Quixotus continuo ad sonum vocis dolendae et ad ictum teterrimi flagelli atque apprehendens retortam funem capistri quae serviebat ei ut flagellum dixit Sanctio:

–Ne permittat fortuna, Sancti amice, te amittere vitam propter beneficium meum, quoniam debes uxorem et liberos tuos sustentare: exspectet Dulcinea meliorem occasionem, atque egomet sustineam in limitibus spei opportunae atque exspectabo donec nova robora invenias ad finiendum hoc negotium ad nutum omnium.

–Si tu, domine mi, hoc ita vis –respondit Sanctius–, sit in bona hora, sed indue pallium tuum super umeros meos, quia effundor sudore et nollem obstrui frigore; nam recentes flagellantes hoc periculum habent.

Dominus Quixotus sic fecit et, quamvis manserit solis suis pannis minoribus, induit Sanctium, qui dormivit donec sol expergefecit eum. Et continuo iter prosecuti sunt tunc temporis et diem finierunt, in quodam loco qui illinc tres leucas aberat. Descenderunt in caupona quam talem dominus Quixotus recognovit et non ut castellum cum fossa profunda, turribus, cataractis ac ponte versatili; nam, eo victo, omnia discurrebant secundum bonum iudicium, ut nunc dicetur. Eum collocaverunt in cubiculo tabulati inferioris in quo erant nonnulla stragula picta tamquam solent esse in pagis. In quadam earum depictus erat, sed pessimo modo, raptus Helenae cum audax hospes eam adduceret a Menelao, atque in alio erat historia Didonis atque Aeneae, illa super altam turrim, signa faciens ope dimidii sindonis ad fugientem hospitem, qui per mare super navigium vel scapham fugiens navigabat.

Ille animadvertit Helenam non invite in ambabus historiis ire, quoniam callide subridebat; sed pulchra Dido ostendebat magnas lacrimas tamquam nuces per oculos flere. Et, his rebus conspectis, dominus Quixotus dixit:

–Hae duae dominae infelicissimae fuerunt, quoniam non natae sunt in hac nostra aetate, et praesertim egomet, quoniam non natus sum in aetate earum; si ego invenissem hos dominos nec Troia combusta neque Carthago delenda esset, nam tantum interficiendo Paridem haec infortunia vitarem.

–Sponsionem faciam –dixit Sanctius– et hoc non post longam moram temporis, nullam popinam seu diversorium vel tonstrinam futuram esse, ubi non depicta sit historia rerum gestarum nostrarum. Tamen vellem ut eam depingeret manus melioris pictoris quam qui hanc pinxit.

–Recte iudicasti, Sancti –inquit dominus Quixotus–, quoniam hic pictor est tamquam Orbaneja, pictor qui erat Idubedae (Ubeda) et cum ab eo quaererent quid pingeret, respondebat: «Quidquid exeat»; et si casu pingebat gallum, scribebat infra: «Hic est gallus», ne crederent hanc esse vulpem. Hoc modo mihi videtur, Sancti, debet facere pictor sive scriptor, quoniam omnis idem est, qui edidit in lucem historiam huius novi domini Quixoti, quae egressa est; nam ille pinxit sive scripsit quod exiret; sive fortasse erit tamquam poeta, qui ambulabat in annis praecedentibus in aula regia, qui vocabatur Mauleón, qui respondebat repente omnia, quae ab eo quaererent et quidam homo

rogavit eum ut diceret ei quid esset *Deum de Deo* et ille respondit «Ex unde daret» [versio ad sonitum, non ad sensum, litt. *de donde diere*]. Sed, his verbis seorsum relictis, dic mihi, Sancti, si fortasse vis te verberare alia serie flagellorum atque utrum velis ut sit sub tecto sive sub divo.

–Mehercle, domine –respondit Sanctius–, ad faciendum quod egomet facio, puto idem esse ut sit domi vel ruri; tamen melius esset mihi si inter arbores id facerem, quia videtur mihi eas me bene comitari atque iuvare ad laborem meum mirabiliter perficiendum.

–Tamen hoc ita non erit, Sancti amice –respondit dominus Quixotus–, sed ut robora tua bene reficias hoc servabimus ad nostrum pagum, nam illuc perveniemus non ultra perendie.

Sanctius respondit ut faceret ad nutum suum, nam ipse volebat finire breviter illud negotium et quidem sanguine calido et cum mola esset moliens, quia in demora aliquando est periculum; atque a Deo flagitando et malleo percutiendo, quia melius erat accipe unum quam duo tibi dabo ac passer in manu quam vultur volando.

–Non tam multa proverbia, Sancti, per solum Deum –dixit dominus Quixotus–; quoniam mihi videtur te esse *sicut erat in principio*, quare loquere simpliciter et non intricate sicut multoties dixi tibi et videbis quomodo panis tibi pro centum aestimabitur.

–Nescio quam adversa sit fortuna mea –respondit Sanctius– quia nescio dicere sententiam sine proverbio neque proverbium ut non videatur mihi sententia bona; sed emendabo me si fieri potest.

Et, his rebus dictis, colloquium finitum est.

Capitulum 72. Ubi narratur quomodo dominus Quixotus et Sanctius ad pagum eorum pervenerunt

Illo die, exspectantes noctem fuerunt in illo loco atque in illa caupona dominus Quixotus ac Sanctius; alter ad finiendum computum flagellorum, alter autem ad videndum finem eorum quod erat desiderium eius. Tunc ad cauponam advenit eques viator una cum tribus sive quattuor famulis, unus quorum dixit illi, qui videbatur dominus eorum esse:

–Hic potes, domine Alvare Tarfe, quiescere hoc tempus postmeridianum: caupona videtur munda esse ac frigida.

Dominus Quixotus, his verbis auditis, dixit Sanctio:

–Vide, Sancti: cum verterem folia illius libri, nempe secundae partis historiae meae, ibi inveni nomen domini Alvari Tarfe.

–Hoc bene potest esse –respondit Sanctius–. Sinamus ut descendat et postea ab eo hoc quaeramus.

Eques descendit et cauponaria ei dedit habitaculum in tabulato inferiore, quod positum erat coram habitaculo domini Quixoti, quod etiam paratum erat cum quibusdam stragulis pictis tamquam illa, quae in cubiculo domini Quixoti erant. Novus eques qui

advenit, induebat vestem aestivam et egressus est ad portam cauponae, quae valde ampla erat necnon et frigida, per quam dominus Quixotus ambulabat et ab eo quaesivit:

–Quonam petis, o praeclare domine?

Et dominus Quixotus respondit ei:

–Ad pagum, qui propinquus hinc est, in quo natus sum. Ac tu, domine, quonam iter facis?

–Ego, domine –respondit eques–, iter facio Granatam, quae patria mea est.

–Et quidem bona patria! –obiecit dominus Quixotus–. Sed, dicas mihi, domine, propter urbanitatem, tuum nomen; quoniam mihi videtur hoc esse maioris momenti quam quod bene possum dicere.

–Nomen meum est Alvarus Tarfe –respondit hospes.

Cui dominus Quixotus obiecit:

–Absque dubio credo te esse illum Alvarum Tarfe de quo agitur in secunda parte *Historiae domini Quixoti a Manica*, quae nuper impressa est atque edita in lucem a quodam auctore hodierno.

–Egomet ipse sum –respondit eques–, atque ille dominus Quixotus, vir insignis ac principalis in illa historia maximus amicus meus fuit, et ego fui qui eum eduxi ex sua terra, sive saltem eum impuli ut veniret ad ludicrum equestre, quod erat Caesaraugustae, quo ego iter faciebam. Et, ut verum dicam, multa beneficia ei feci et immo potui obtinere ut carnifex non verberaret dorsum eius, quia ille eques fuit nimis audax.

–Dicas autem mihi, domine Alvare, num ego similis sum huic domino Quixoto, de quo loqueris?

–Nullo modo –respondit hospes–, minime vero.

–Atque iste dominus Quixotus –dixit noster–, num ducebat secum armigerum, qui nuncupabatur Sanctius Pansa?

–Certe, secum ducebat eum –respondit dominus Alvarus–, sed quamvis haberet famam faceti numquam audivi dicere facetias cum sale ac lepore.

–Hoc credo ego valde bene –dixit ad hanc occasionem Sanctius–, quia non omnes possunt facetias dicere, atque hic Sanctius de quo tu dicis, praeclare vir, debet esse maximus versutus, infaustus ac latro sive omnia una, quia verus Sanctius Pansa sum ego, et facetus sum in extremis tamquam pluvia coeli, sin autem facias comprobationem, et veni post me saltem per annum et videbis quomodo omni tempore cadunt facetiae de ore meo et tales ac tot hilares ut faciam ridere, me nesciente, omnes circumstantes; ac verus dominus Quixotus a Manica, illustris, strenuus, prudens, captus amore, vindicator iniuriarum, custos pupillorum et orphanorum, protector viduarum atque occisor virginum, qui habet ut unicam dominam imparem Dulcineam a Toboso, est hic vir qui coram te est et qui est dominus meus. Quicumque alter dominus Quixotus et quilibet Sanctius Pansa esset supplantatio atque allucinatio.

–Per Deum ego hoc vere credo –respondit dominus Alvarus–, quia plures facetias dixisti tu, amice, cum quattuor argumentis quam alter Sanctius Pansa in omnibus, quae eum audivi dicere et multoties fuerunt! Ille autem erat magis edax quam bene loquens, stultior quam facetus, et absque dubio credo incantatores persequi bonum dominum Quixotum et eodem modo voluerunt persequi me cum domino Quixoto malo. Sed nescio quid dicere; nam audebo iurare me eum introduxisse in nosocomium insanorum, sive

in domum Nuntii Toleti ut curarent eum atque hic est alter dominus Quixotus, quamvis sit valde diversus ab illo meo.

–Ego –dixit dominus Quixotus– nescio utrum sim bonus necne, tamen scio dicere me non esse malum et ut videas et hoc probes, domine Alvare Tarfe, in omnibus diebus vitae meae numquam fui Caesaraugustae; immo cum audivi dicere istum phantasticum dominum Quixotum fuisse in ludicro equestri huius urbis, nolui introire in eam, ita ut palam omnibus in hoc mundo ostenderem mendacium eius, et hoc modo perveni Barcinonem, archivum urbanitatis, hospitium alienigenarum, nosocomium miserorum, patria strenuorum, vindicta laesorum, ubi grata ac mutua amicitia se invenit quapropter unica est in situ ac formositate illius. Et quamvis facta quae in ea mihi acciderunt non praecise placuerunt mihi, quoniam mihi affecerunt magnum dolorem, hunc patior libenter propterea quod vidi hanc urbem. Et denique, domine Alvare Tarfe, ego sum dominus Quixotus a Manica, ipse de quo fama dicit et non hic infortunatus, qui nomen meum usurpare voluit atque honorari meis cogitationibus. Et rogo te tamquam equitem, ut facias publicam declarationem ante praefectum huius loci, qua dicas te numquam vidisse me hucusque, omnibus diebus vitae tuae, necnon me non esse dominum Quixotum impressum in secunda parte, neque hunc Sanctium Pansam armigerum meum esse illum, quem cognovisti.

–Hoc faciam libentissime –respondit dominus Alvarus– quia vere miror videndo duos dominos Quixotos et duos Sanctios uno atque eodem tempore, et habentes idem nomen, sed diversas corporeas actiones; et denuo dico atque affirmo me non vidisse quod vidi nec mihi accidisse quod accidit.

–Absque dubio –dixit Sanctius– debuisti esse incantatus, tamquam domina mea Dulcinea a Toboso ac placeat coelo ut solutio incantationis tuae esset etiam in aliis tribus milibus et tantis flagellorum, sicut propter eam ego verbero me, et ea absque ulla utilitate ex mea parte adimplerem.

–Non intelligo quid sit hoc de flagellis –ait dominus Alvarus.

Et Sanctius respondit ei hoc esse longum ad narrandum; sed ille id enarrare posset si ipsum iter facerent.

Hora prandii adventa, comederunt una dominus Quixotus et dominus Alvarus. Tunc et quidem casu praepositus urbis introivit in cauponam cum suo scriba, a quo dominus Quixotus fecit petitionem secundum ius suum, quam conveniebat facere, ut dominus Alvarus Tarfe, nempe ut eques ille, qui ibi erat palam exponeret ante praepositum se non cognoscere dominum Quixotum a Manica, qui in illo tempore etiam erat ibi et quidem hic dominus Quixotus non erat ille, qui impressus erat in quadam historia intitulata *Secunda Pars Domini Quixoti a Manica* composita a quodam Avellaneda, nomine, natus in urbe Turri Syllana (Tordesillas). Tandem praepositus fecit testimonium iuridicum; et haec declaratio facta est secundum legem, qua dominus Quixotus ac Sanctius valde contenti fuerunt tamquam si esset res magni momenti, quia simile testimonium ostenderet differentiam inter illos duos Quixotos et duos Sanctios atque inter opera eorum et verba. Multae urbanitates obtulerunt se mutuo inter dominum Alvarum ac dominum Quixotum, quibus vir Manicae ostendebat magnam prudentiam suam et hoc modo ab errore liberavit dominum Alvarum Tarfe quo erat; atque ipse credidit se incantatum esse, nam sua manu tangebat duos tan diversos Quixotos.

Vespere autem facto, profecti sunt ex illo loco et post dimidiam leucam duae viae

diversae secessebant ad invicem, altera ad pagum domini Quixoti atque altera qua iter faciebat dominus Alvarus. Hoc brevi tempore dominus Quixotus narravit ei tum infortunium, quod passus est, quoniam ille victus erat, tum incantamentum Dulcineae et medelam illius, et de his omnibus rebus mirabatur dominus Alvarus, qui dominum Quixotum amplexus est et Sanctium quoque et iter suum prosecutus est, ac dominus Quixotus iter suum, et pernoctavit inter alias arbores ita ut Sanctius posset poenitentiam suam adimplere, quam eodem modo perfecit ut nocte hesterna et magno dolore corticum arborum fagorum potius quam dorsi sui, quod tam bene servavit ut flagella nec muscam fugarent si in dorso eius esset.

Dominus Quixotus deceptus non perdidit ictum ex suo computo ac ratione et invenit eos cum is illius noctis praecedentis esse tria milia et viginti novem flagellorum. Ut videbatur sol festinavit ad videndum illud sacrificium et cum luce illius solis iter eorum prosecuti sunt loquentes inter se de errore domini Alvari et quam bene fecerunt illam declarationem ante iustitiam ac tam authenticam.

Illo die atque illa nocte iter fecerunt et eis nihil accidit dignum narrandi, nisi dicere Sanctium finivisse suum negotium quo dominus Quixotus magnopere gavisus est et sic exspectabat diem ad videndum utrum in via inveniret dominam suam Dulcineam iam solutam ab incantamento. Et prosecutus est iter suum et nullam dominam invenit quam aliquo modo ut Dulcineam a Toboso recognoscere posset, quoniam habuit promissum Merlini tamquam infalibilem, quo non potuit mentiri.

Illi autem, his cogitationibus ac desideriis prolatis, ascenderunt clivum sursum ex quo viderunt pagum eorum, et cum Sanctius eum vidit, genibus flexis, dixit:

–Aperi oculos, optanda patria mea, atque inspice Sanctium Pansam, filium tuum, ad te venire, et quidem si non valde dives saltem bene verberatus. Aperi bracchia tua atque accipe etiam filium tuum, dominum Quixotum, qui victus venit ex bracchiis alienis, sed victor sui ipsius; et secundum quod ille dixit mihi, haec est maior victoria quae exoptari possit. Pecuniam habeo, quia si bona flagella dabant mihi bonus eques erat mecum.

–Relinque has stultitias –ait dominus Quixotus–; nam iam intramus pede dextro in locum nostrum, ubi dabimus quietem nostris cogitationibus et consilium quod conati sumus exercere, nempe vitam bucolicam.

Illi autem, his verbis dictis, descenderunt de clivo et ad pagum eorum pervenerunt.

Capitulum 73. Ubi narrantur auguria quae habuit dominus Quixotus introiens in suum pagum cum aliis rebus gestis, quae ornant et confirmant hanc magnam historiam

Cum introirent in illud oppidum, secundum quod Cide Hamete dicit, dominus Quixotus vidit duos pueros in areis loci litigantes mutuo atque alter dixit alteri:

–Noli fatigari, Petrule [ex Petro, *Periquillo*], quia eam numquam videbis in omnibus diebus vitae tuae.

Dominus Quixotus, his verbis auditis, dixit Sanctio:

–Num animadvertisti, Sancti, quod ille puer dixit: «Eam numquam videbis in omnibus diebus vitae tuae?»

–Sed quid hoc nobis –respondit Sanctius– quod dixit puer?

–Quid ergo? –obiecit dominus Quixotus–. Nonne vides si haec verba meis cogitationibus assigno, significant me numquam visurum esse Dulcineam?

Sanctius voluit ei respondere, sed impedivit videndo leporem fugientem per agros quem persequebantur canes venatici ac venatores et lepus ille timens venit ad sese abscondendum ac submittendum ad pedes asini. Sanctius eum apprehendit suis manibus et porrexit domino Quixoto, qui dicebat:

–Malum signum! Malum signum! Lepus fugit, canes venatici eum persequuntur: Dulcinea non videtur!

–Mirus es tu, domine –dixit Sanctius–; fingamus animo hunc leporem esse Dulcineam a Toboso et canes venatici hi, qui eum persequuntur, esse maleficos incantatores, qui eam in rusticam transformaverunt; ille fugit, ego apprehendo eum et porrigo tibi, qui eum habes in tuis bracchiis ac permulces eum, ubinam gentium est malum signum sive malum augurium, quod hinc deprehendi potest?

Duo pueri illius rixae advenerunt ad leporem videndum et a quodam eorum Sanctius quaesivit quare litigabant inter se. Et ille qui dixit «eam non amplius videbis in tota vita tua», respondit Sanctio dicens se accepisse ab altero puero caveam gryllorum, quam nolebat ei reddere in totam vitam suam. Sanctius eduxit quattuor quadrantes ex sua crumena et dedit puero pro cavea gryllorum et posuit eam in manus domini Quixoti dicens ei:

–En, domine, rupta et destructa sunt haec auguria, quae nil habent cum nostris novis rebus gestis tamquam nubes, quae olim fuerunt, secundum quod imaginor, et quamvis stultus sim. Et si non oblitus sum huius rei, audivi parochum oppidanum nostrum dicere non decet christifideles nec prudentes curare de his parvitatibus et quamvis tu eadem dixeris mihi, ita ut velles dicere stultos esse christianos, qui talia auguria capiunt. Et non oportet hoc statuere vel in hoc manere, sed transeamus prorsus atque introeamus in nostrum pagum.

Tunc venatores advenerunt ac suum leporem quaesiverunt, dominus Quixotus eum dedit eis et ulterius prosecuti sunt et ad introitum oppidi in parvo prato invenerunt parochum et baccalaureum recitantes preces. Et opus est scire Sanctium posuisse super asinum et super fascem armorum pallium byssi pictum flammis igneis, quo induerunt eum in castello ducis in nocte qua Altisidora reversa est ad vitam. Etiam posuit super caput asini infamem cucullum, et haec fuit novissima transformatio atque ornatus cuiusdam asini in hoc mundo.

Parochus baccalaureusque statim cognoverunt ambos et ad eos venerunt bracchiis apertis. Dominus Quixotus descendit de equo atque arcte amplexus est eos, et pueri qui sunt lynces ad omnia videnda, cucullo iumenti conspecto, venerunt ad eum videndum atque alteri alteris dicebant:

–Venite, pueri, et videte asinum Sanctii Pansae praestantiorem Mingo et belluam domini Quixoti macriorem ac flaccidiorem quam primo die.

Denique, circumdati a pueris et comitati a parocho et a baccalaureo intraverunt in

pagum et domum domini Quixoti petiverunt et invenerunt ad portam illius heram domus ac neptem eius, quibus iam pervenerant nuntii adventus eorum. Eosdem nuntios etiam dederunt Teresiae Pansae, uxori Sanctii, quae capillis inordinatis ac non bene amicta, adducens manu filiam Sanctiulam, accurrit ad videndum maritum suum; et cum eum vidit et non tam ornatum tamquam illa cogitabat gubernatorem futurum esse, dixit ei:

–Quomodo venis hoc modo, coniux mi, quia mihi videtur te venire pedibus et insuper dolentibus pedibus, quare non es similis gubernatori nisi sis gubernator male administratus?

–Tace, Teresia –respondit Sanctius–; quia saepe ubi sunt perticae non sunt pernae, et veniamus ad domum nostram et ibi audies miras res. Pecuniam mecum fero, et hoc interest nobis, et quidem eam lucratus sum industria ac sollertia mea et cum damno nullius.

–Adduc pecuniam, mi bone coniux –dixit Teresia–, quia ego non curo ubi eam lucratus sis, utrum hic an ibi, si vere eam lucratus es, quia absque dubio non invenisti novum modum lucrandi eam in hoc mundo.

Sanctiula amplexa est patrem suum, et ab eo quaesivit utrum aliquid ei adduxerit; quia illa eum magna anxietate exspectabat tamquam aquam mensis Maii; et apprehendit eum ex latere cinguli et uxor eius ex manu, filia traxit asinum et omnes petiverunt domum, relinquendo dominum Quixotum in domo eius sub cura neptis heraeque domus atque una cum parocho ac baccalaureo.

Dominus Quixotus noluit exspectare momenta nec horas et ipso tempore secessit seorsum cum baccalaureo parochoque et brevis argumentis enarravit eis quomodo victus fuit atque obligationem manendi domi per annum, pago nullo modo relicto, et ut hanc promissionem verbatim et accurate sine ulla transgressione adimpleret, quoniam ut eques itinerans hoc opus erat. Ille vero putabat fieri pastor per annum integrum atque oblectari in solitudine agrorum, ubi posset aperte suas cogitationes amorosas ostendere fungendo virtuoso exercitio bucolico atque eos rogabat, si non multum haberent ad perficiendum et negotia maioris ponderis non essent eis ut vellent sodales eius fieri. Ille autem emeret oves et pecora, quae sufficerent eis, ita ut vocarentur pastores et in illo negotio, quod erat maioris momenti iam factum erat, quoniam iam dedit nomina, quae essent omnino apta eis. Parochus rogavit ut diceret eis ea nomina. Dominus Quixotus respondit ei se vocaturum esse *Pastorem Quixotis*, baccalaureus erit *Pastor Carrascón*, parochus autem *Pastor Curiambrus*, et Sanctius Pansa *Pastor Pancinus*.

Omnes mirati sunt de hac nova amentia domini Quixoti; sed concesserunt novo desiderio eius ne ex pago iterum egrederetur ad suos equitatus, atque exspectando curare eum hoc anno, et etiam plauserunt dementiam eius ut prudentem et sese obtulerunt ad comitandum eum in illo negotio.

–Et etiam –ait Samson Carrasco– ut omnes cognoscunt me esse poetam celeberrimum omni tempore et loco, componam versus bucolicos sive aulicos sive sicut vellem, ita ut possimus oblectari per has regiones quas peragrabimus. Et quod maioris momenti est, domini mei, ut unusquisque nostri eligat nomen pastricis suae, quam laudabit suis carminibus, et nullam arborem relinquamus, quamvis dura illa sit, in qua non scribamus sive incidamus nomen illius, secundum consuetudinem pastorum captorum amore.

–Hoc est ad amussim –respondit dominus Quixotus–, quoniam ego liber sum quaerendi nomen fictae pastricis, nam hic est impar Dulcinea a Toboso, gloria harum riparum, ornatus horum pratorum, sustentiatio formositatis, cremum facetiarum ac denique illa cui bene convenit omnis laudatio, quamvis maxima sit.

–Hoc verum est –dixit parochus–; sed nos quaerituri erimus hic pastrices idoneas, quae bene nobis saltem in angulis nisi alio modo conveniant.

Samson Carrasco, his rebus prolatis, addidit :

–Et si deerunt nobis dabimus eis talia nomina, quibus mundus plenus est in libris impressis: Phyllides (Fflidas), Amaryllides (Amarilis), Dianas, Fleridas, Galateas ac Belisardas; nam si in foris vendunt talia nomina, nonne possumus ea emere et ut nostras habere? Si domina mea, sive ut melius dicam, si pastrix mea, casu nuncuparetur Anna ego eam vocabo *Annardam*; si Francisca, tunc eam vocabo *Franceniam*; si Lucia tunc *Lucindam* et omne ibi huiuscemodi erit. Et Sanctius Pansa, si vult in hanc confraternitatem introire, poterit uxorem suam Teresiam Pansam vocare *Teresainam.*

Dominus Quixotus risit de adaptatione nominum et parochus laudavit in extremum hanc honestam atque honoratam resolutionem eius, et sese obtulit denuo ad eum comitandum cum vere vacaret labore in suis obligationibus. Illi autem, his verbis dictis, valedixerunt ei ac rogaverunt eum et consilium dederunt ut curaret de sua valetudine et comederet quod ei bonum esset.

Sed fortuna quidem casu fecit ut neptis necnon et hera domus audirent colloquium quod fuit inter illos tres et simul ac profecti sunt, intraverunt ambae ad dominum Quixotum ac neptis dixit ei:

–Quid est hoc, avuncule? Nunc cum nos incepimus putare te reverti domum, ita ut hic maneas ad quietam atque honoratam vitam gerendam, cur vis te introducere in hos novos labyrinthos, cum fias

Parvule pastor, tu qui venis
parvule pastor, tu qui vadis?

quia vere iam hordeum durum est ad fistulas pastoritias faciendas.

Cui hera domus addidit:

–Num poteris quietem postmeridianam tempore aestivo in agro sustinere, et ros noctis tempore hiemali et ululatum quoque luporum? Nullo modo; quia hoc est exercitium et officium virorum robustorum, qui assuefacti et instructi sunt ad hoc ministerium fere a teneris annis. Et pellem pro pelle, melius esset eques itinerans quam pastor. Videas, domine, et accipe consilium meum, et quidem hoc non dabo, quia satiata sim pane vinoque, nam ieiuna ego sum, et ultra quinquaginta annos nata: maneas domi, cura de tuis bonis, confitere saepe peccata tua, faveas miseris et super animum meum si hoc modo quid mali eveniat tibi.

–Tacete, filiae –respondit eis dominus Quixotus–; quoniam bene scio quod facere debeo. Afferte me ad lectum, nam videtur me aegrotare. Et pro certo habete me, tum equitem itinerantem tum pastorem ad iter faciendum, numquam relicturum esse vos in omnibus penuriis vestris, sicut reapse videbitis.

Et ut bonae filiae –quia procul dubio hera domus neptisque erant– eum adduxerunt ad lectum, ubi eum nutriverunt atque accommodaverunt quantum fieri posset.

Capitulum 74. ' Ubi narratur quomodo dominus Quixotus aegrotavit et testamentum quod fecit et sua mors

Sic ut res humanae non sunt aeternae, et semper vadunt ad declinationem ex suo initio perveniendo ad finem, praesertim vitae hominum, et dominus Quixotus non habuit privilegium de coelo ad detinendum cursum suae vitae, etiam finis et dissolutio eius advenit et quidem cum minus de hac re cogitaret, sive ex melancholia videndi se victum sive per dispositionem coeli, quod haec sic decrevit. Ille laboravit febri, vi cuius, lecto accubuit per sex dies, quibus multoties parochus visitavit eum, etiam baccalaureus, tonsor necnon et amici eius et Sanctius Pansa, bonus armiger, qui non secessit de lecto eius.

Hi autem crediderunt causam huius fuisse propter tristitiam videndi se victum et quia nondum adimpletum erat desiderium eius libertatis ac dissolutionis incantamenti Dulcineae, quod adduxit eum ad hunc morbum, at illi conabantur eum oblectari omnibus modis. Baccalaureus autem ei dicebat ut e lecto surgeret ad exercitium bucolicum incipiendum, cui iam composuit eclogam, et male eveniret Sannazaro et omnibus qui eas scripserunt. Ex sua pecunia iam duos optimos canes emerat ad pecus custodiendum, alter vocabatur Barcino et alter Butro, quos vendidit ei vicinus oppidi Quintanar. Nihilominus dominus Quixotus non potuit tristitias suas superare.

Amici eius vocaverunt medicum, qui pulsum venarum eius recognovit et non mansit valde contentus, quapropter dixit ei ut potius attenderet salutem sui animi, quia salus corporis erat in periculo. Dominus Quixotus haec audivit et quidem quieto animo, sed non hoc modo audiverunt hera domus et neptis eius necnon et armiger eius, qui ploraverunt continuo amare tamquam si coram eis iam mortuus esset. Secundum opinionem medici molestiae ac melancholiae finierunt eum. Dominus Quixotus rogavit ut eum relinquerent solum, quoniam cupiebat parum dormire. Sic enim fecerunt et dormivit uno impetu, ut vulgo dicitur, ultra sex horas; et hoc tantum fuit ut crederent hera domus ac neptis eum in somno periisse. Hoc tempore elapso, ut dictum, experrectus est et clamavit magna voce et dixit:

–Benedictus sit omnipotens Deus, qui tam magnum bonum mihi fecit! Equidem misericordia eius infinita est, neque eam minuunt peccata hominum.

Neptis animadvertit has sententias avunculi, quae ei videbantur valde congruae esse et quidem meliores quas dicere consueverat, saltem in illo morbo et quaesivit ab eo:

–Quid est quod dicis, domine? Num est aliquid novi? Quae sunt misericordiae illae, sive quaenam sunt illa peccata hominum?

–Misericordia – respondit dominus Quixotus–, neptis, illa est quam Deus mecum habuit et, sicut dixi, peccata mea non impediunt eam. Ego nunc habeo meum sanum iudicium, liberum clarumque, sine umbris caliginosis ignorantiae, quam super me posuerunt continua atque erronea lectura horum abominabilium librorum equitatuum. Ego iam cognosco errores atque ineptias eorum, tamen tantummodo doleo hanc deceptionem ad me tam sero venisse, quare non est mihi tempus ad faciendam convenientem emendationem, legendo alios libros, qui sint lux animi. Ego sentio, o neptis mea, me moriturum esse; et vellem facere tali modo ut intelligerent vitam meam

non tam malam fuisse, ita ut efficeret me insanum; et quamvis sim, nolo hanc veritatem confirmare tempore meae mortis. Voca enim, amica mea, bonos sodales meos, nempe, parochum, baccalaureum Samson Carrasco, magistrum Nicolaum tonsorem, quoniam peccata mea confiteri volo et testamentum facere.

Tamen neptis hoc mandatum non potuit adimplere, quia omnes tres illi eodem tempore introiierunt. Ubi primum dominus Quixotus eos viderit, dixit eis:

–Date mihi congratulationes vestras, optimi domini, quoniam iam non amplius sum dominus Quixotus a Manica, sed Alonsus Quixanus, qui per mores meos *Bonus* nuncupabar. Nunc autem inimicus sum iam Amadis a Gaula et omnis turbae multae catervae illius generis; omnes historiae profanae equitatus itinerantis odiosae sunt mihi; nunc iam cognosco stultitiam meam ac periculum quo posuerunt me, quoniam eas legi; et nunc temporis propter misericordiam Dei in eas odium habeo et quidem mea experientia detestor.

Omnes tres, his verbis auditis, putaverunt, absque dubio, eum aliam novam dementiam habuisse. Quare Samson dixit ei:

–Quid tunc, domine Quixote, estne aliqua novitas de domina Dulcinea, nonne iam soluta est ab incantamento, estne hoc quod vis nobis dicere? Sed nunc nos facturi sumus pastores ad cantandum in vita, tamquam principes, et tu vis fieri eremita? Taceas ergo, quaeso, per tuam vitam, ac venias ad te et fias compos tui et relinque has fabellas.

–Mors mea –obiecit dominus Quixotus–, transmutabit fabellas illas, quae hucusque in damnum meum fuerunt, Deo volente, in meam utilitatem. Egomet, domini mei, sentio me mori et quidem magna festinatione; relinquite ergo omnes facetias et adducite mihi confessorem ad mea peccata confitenda et scribam, qui faciat testamentum meum; nam in tali statu rerum, tamquam sum, homo non irridebit animum suum. Quamobrem rogo vos, dum confitebor parocho peccata mea, ut ad me adducatis scribam.

Illi autem intuiti sunt ad invicem atque admirati de argumentis domini Quixoti et, quamvis in magno dubio essent, voluerunt ei credere; et signum, quo intellexerunt eum vere moriturum esse, erat quia tanta celeritate ex dementia ad sanitatem mentis pervenit; et his argumentis addidit alia, quae tam bona et christiana erant ac tam optimo consilio et prudentia, quibus abstulit dubium ab eis ut vere crederent eum sanum esse.

Parochus quaesivit ab eis ut egrederentur e cubiculo, et solus mansit cum eo et ille confessus est peccata sua. Baccalaureus petivit scribam et parum postea cum eo advenit et una cum Sanctio Pansa; ille Sanctius –iam sciebat, quia baccalaureus nuntiaverat ei, quomodo esset valetudo domini eius–, et cum invenit heram domus ac neptim plorantes etiam incepit gesticulationem planctus et lacrimas effundere. Parochus autem, confessione finita, egressus est foras dicens:

–Vere moritur ac vere compos mentis est Alonsus Quixanus Bonus; et iam possumus introire ut faciat suum testamentum.

Hi nuntii impetum fecerunt in gravidos oculos herae domus ac neptis necnon et Sanctii Pansae, boni armigeri eius, et taliter ut effunderent lacrimas ex oculis eorum et dirumperentur in mille suspiriis profundis ex pectore, quia vere, sicut aliquando dictum est, dum dominus Quixotus fuit Alonsus Quixanus Bonus, simpliciter, et dum fuit dominus Quixotus a Manica, semper fuit bonae ac placidae condicionis atque indolis necnon et affabilis urbanitatis, quare non tantum domi, sed omnes qui eum cognoscebant eum diligebant.

Scriba autem intravit una cum reliquis et quidem ex suo modo prolegomena testamentaria iam incepit, dum dominus Quixotus ex sua parte disposuit suum animum secundum ordinationes et christiana adiuncta rerum, quae requirebantur. Et, cum venit ad donationes, dixit:

«Item, est voluntas mea ut quaedam pecunia, quam habet Sanctius Pansa, quem in tempore meae dementiae feci armigerum meum, quoniam inter eum et me fuerunt nonnulli computi et rationes, ad dandum et accipiendum, volo ut nihil ex eo requiratur neque computum faciant de eo, sed si quid superesset, salario eius convenienter soluto, ille hoc accipiat ut suum et hoc non multum erit, et utinam prosit ei. Atque ita ut eum iuvavi, cum essem amens, ad ei gubernationem insulae dandam, nunc autem, cum sim sanus, vellem ei gubernationem regni dare, si vere possem, quoniam simplicitas condicionis ac fidelitas modi agendi eius vere meretur.»

Et vertens se ad Sanctium dixit ei:

–Ignosce mihi, amice, quoniam egomet fui occasio ut videaris insanus, tamquam ego, et feci te cadere in ipso errore in quo egomet lapsus sum, nempe equites itinerantes fuisse atque esse in hoc mundo.

–Me miserum! –respondit Sanctius flens–. Ne moriaris, domine mi, sed accipe consilium meum ut vivas multos annos; quia nulla dementia est in hac vita quam sinere se mori, sic simpliciter, cum nemo sit qui occidat te nec aliae manus quae finiant te, nisi manus melancholiae. Videas, ne sis piger, sed surge e lecto et veniamus ad campum amicti vestibus pastorum sicut statuimus facere: fortasse a tergo cuiusdam plantae inveniamus dominam Dulcineam iam solutam ab incantamento, et quidem pulcherrimam ad videndum. Sed si moriris ex tristitia, quia victus es, dic enim me culpabilem esse, quia non bene paravi Rocinantem et in terram deiecerunt te; sed iam vidisti in libris equitatus hoc valde commune esse, nempe quosdam equites deiicere alios, et qui hodie victus est, cras erit victor.

–Hoc ita est –ait Samson–, et bonus Sanctius Pansa recte iudicat in veritate harum rerum.

–Domini –dixit dominus Quixotus–, procedamus lentiter, nam in nidis anni praeteriti non sunt passeres hoc anno. Ego insanus fui, sed iam sum sanus: dominus Quixotus a Manica fui, nunc ut iam dixi, sum Alonsus Quixanus Bonus. Utinam poenitentia ac veritas mea possit facere ut vos denuo velitis aestimare me ut antea, et dominus scriba ulterius prosequatur.

«Item, facio donationem omnium bonorum meorum Antoniae Quixanae, nepti meae, quae hic praesens est, sed oportet ut antea deducant donationes quas iubeo dare; ac prima erit salarium dare herae domus meae, quae mihi ministravit per totum tempus necnon et etiam viginti denarios ad vestem emendam. Statuo ut executores huius testamenti [vulgo *albaceas*] dominum parochum ac baccalaureum Samson Carrasco, qui hic praesentes sunt.»

«Item, est voluntas mea si Antonia Quixana, neptis mea, vult nubere cuidam, ut nubat viro de quo sciat, praevia inquisitione facta, eum non cognoscere libros equitatus, sed si casu cognosceret eos et neptis mea vult ei nubere et nubit ei, tunc illa amittat omnia quae dederim ei, et executores testamenti distribuent haec omnia piis operibus ad nutum eorum.»

«Item, rogo hos dominos executores testamenti, si casu cognoscerent auctorem, qui secundum quod dicunt, composuit *Secundam partem rerum gestarum domini Quixoti a Manica*, ut mea ex parte ab eo quaerant ut ignoscat mihi occasionem quam ei dedi, me omnino invito, scribendi tot ac tam magnas ineptias, tamquam ipse scripsit; quia ex hac vita exeo magno scrupulo animi mei, eique dedi occasionem ac rationem scribendi ea.»

His verbis prolatis, clausit testamentum suum, languit et iacuit in lecto supinum in longum. Omnes autem perturbati sunt et voluerunt ei medelam dare et, testamento finito, per triduum vixit, sed saepissime languebat. Omnis domus vero turbata erat, sed neptis edebat, hera domus potabat et Sanctius Pansa laetabatur; quia venire in iure hereditario cuiusdam delet ex memoria poenam relictam a mortuo.

Denique, omnibus sacramentis receptis, et, libris equitatus omnino despectis, et quidem multis ac rectis argumentis, advenit finis ultimus domini Quixoti. Praesens fuit scriba, qui enim dixit se numquam legisse librum equitatus, ubi diceretur ut quidam eques itinerans mortuus esset in lecto ac tam placido et christiano modo sicut dominus Quixotus; qui inter commiserationes ac lacrimas omnium circumstantium animum suum dedit, volo dicere eum mortuum esse.

Cum haec vidit parochus rogavit scribam ut daret testimonium quomodo Alonsus Quixanus Bonus, qui nuncupabatur dominus Quixotus a Manica, ex hac praesenti vita transiret et mortuus esset modo naturali. Et hoc testimonium ab eo quaesivit ut auferret occasionem ut alius auctor, praeter Cide Hamete Benengeli, eum false resuscitaret et faceret innumeras historias rerum gestarum eius.

Hic fuit finis Ingeniosi Fidalgi Manicae cuius locum noluit ponere accurate, ita ut omnes pagi regionis Manicae possent inter se contendere ad eum obtinendum et pro oppidano eorum habere, sicut contenderunt septem urbes Graeciae propter Homerum.

Planctus Sanctii, neptis atque herae domus domini Quixoti non memorantur hic, necnon et epitaphia sepulturae eius, quamvis Samson Carrasco hoc scripserit:

Hic iacet Fidalgus fortis
qui ad talem extremum venit
ut clarus et filius sortis,
quare mors ei non convenit
cum sua vita ope mortis.

Omnia habuerunt eius manus
factus est nodus gordianus
et hoc sine ulla ventura
et ex ipsa hac natura
vixit demens, mortuus sanus.

Et prudentissimus Cide Hamete dixit suo calamo:

–Hic pendens manebis ex hac pertica et ex hoc filo aeneo, nescio utrum bene scissus an male factus, o calame mi, sed longa saecula vives, si praesumptuosi ac malefici historiographi non demittunt te ad te profanandum. Sed ante quam ad te veniant dic eis et quidem quam melius eis dicere possis:

Sistite, cuncti, ignavi!
nemo audeat me attrectare,
negotium, rex, invocavi
mihique debebant servare.

Tantummodo mihi natus est dominus Quixotus, atque ego ei; ille novit operam navare et egomet eam describere; soli nos duo sumus in uno, et hoc praeter fictum scriptorem ex urbe Turri Syllana (Tordesillas), qui ausus est sive audebit scribere, ope crassae atque ineptae pennae struthionis, res gestas strenui equitis mei, quia non est onus umerorum eius neque negotium ex frigido ingenio illius. Animadverte ei, si casu pervenis ad eum cognoscendum ut sinat in hac sepultura quiescere ossa putrida ac lassa domini Quixoti et ne velit eum secum ferre ad Veterem Castellam, et hoc contra omnia privilegia forensia mortis, extrahendo eum ex hac fossa, ubi reapse ac vere iacet supinus ad longum, vi cuius non fieri potest ut perveniat ad tertium novum exitum; nam ad irrisionem faciendam ex tantis, quas equites itinerantes fecerunt, sufficiunt illi duo egressus, quos fecit, et quidem ad beneplacitum omnium gentium, quibus nuntii eius pervenerunt tum in his regionibus tum in regnis peregrinis. Et hoc modo adimplebis tuam christianam professionem, dando bonum consilium cui male te diligit, et ego manebo contentus atque exultans gaudio, quia primus fui, qui omnino gavisus sum de scriptis eius, sicut vere cupivi, quia non fuit aliud desiderium meum quam ut abhorrerent ab his historiis hominum, fictis atque insolitis horum librorum equitatus itinerantis, nam per historias mei veri domini Quixoti talia obstacula offendent atque absque dubio per terram cadent.» *Vale.*

BIBLIOGRAPHIA

Abbreviationes:

B.N.M. Biblioteca Nacional de Madrid
CSIC Consejo Superior de Investigacione Científicas

ABUMALHAM MAS, Montserrat, *Kitab al-Mudahara wal-Mudakara*, CSIC Madrid 1986 (B.N.M. Af. 15306).
ACTA DIURNA Bucks.
ADULESCENS ephemerides nubeculatae Italiae, «ELI», Box 6, 62019 European Language Institute, Recanati.
ALBERT, Sigrides, *Apologi Grimmiani*, Verlag der Societas Latina Universität D-6600, Saraviponti (Saarbrücken) 1988.
ALBERT, Sigrid, *Cottidie latine loquamur*, Verlag der Societas Latina, Universität, D-6600 Saraviponti (Saarbrücken) 1987.
ALEMAN, Mateo, *El Pícaro Guzmán de Alfarache*, vertit in latinum Caspar Ens, Coloniae Agrippinae (Colonia) 1623 (B.N.M. R-37997).
BASANTA, Angel, Ed. del Quijote. Introducción, notas y comentarios, 6 vols. Compañía Europea de Comunicación e Información, S.A. Madrid, 1991.
BLANQUEZ FRAILE, Agustín, *Dictionario Latino Hispánico*, 3 vol. Edit. Ramón Sopena, S.A., Barcelona 1985.
BURKE, Ulick Ralph, *Spanish Salt, Collection of Proverbs from Don Quixote*, London (Londres) 1877 (B.N.M. Cerv. 2471).
CAMPE, Henricus, *Robinson Crusoe*, vertit in latinum F.J. Goffaux, Paris 1825 (B.N.M. 1-56494).
CARROL, L., *Alicia ibi invenerit*, vertit in latinum Eugenio de Velcia (VITA LATINA, 1965, 66 y sqq.)
CARRUTHERS, C-H., *Alicia in terra mirabili* Mac Millan (VITA LATINA), Londinii (Londres) 1964.
CELA, Camilo José, *De Familia Pascual Duarte*, vertit in latinum Barbara Pastor, Ediciones Clásicas, Madrid 1990.
CERVANTES SAAVEDRA, Miguel de, *Don Quijote de la Mancha*
Don Quishot ish la-Mancha, vertit in hebraicum sermonem Hayyim Nathan BIALIK, Editorial «Dvir», Tel Aviv 1952.
Ha-Hidalgo he-harif Don Quijote min la-Mancha, vertit in hebraicum sermonem Nathan BISTRITZKY, 2 vol. Sifriat Poalim, Tel Aviv 1958.
Historia Domini Quijoti Manchegui, vertit in latinem (sic) macarronicum Ignatius CALVUS. Imprenta José Cosano, Palma 11, Editio nova, Madrid 1966. (B.N.M. R-32737 et 1-85817).
Don Chisciotte della Mancia, vertit in italicum sermonem Ferdinando CARLESI, 2 vol. Mondadori, Milano, 1991.
The Adventures of Don Quijote, vertit in sermonem anglicum J.M. COHEN, Penguin Books, Harmondsworth, Middlessex 1956 (USA).
La ingenia Hidalgo Don Quijote de la Mancha, vertit in sermonem esperanticum Fernando de DIEGO, Fundación de Esperanto, Zaragoza 1977.
Der Quishott, vertit in sermonem yidish Alexander HARKAVI, New York s.a. (B.N.M. Cerv. 2048).
Dom Quixote de la Mancha, vertit in sermonem lusitanum Adalino dos SANTOS RODRIGUES, 4 vol. Editorial Minerva, Lisboa s.a.

Don Quixote, vertit in sermonem germanicum sive theodiscum Ludwig TIECK, versio abbreviata, Wilhelm Goldmann Verlag, München (Munick) 1956.

Don Quixote, vertit in sermonem germanicum sive theodiscum Ludwig TIECK, 4 vol. Leipzig s.a, (B.N.M. Cerv. Sedó 2459-62).

L'ingénieux hidalgo Don Quichotte de la Manche, vertit in sermonem francogallicum Louis VIARDOT, 2 vol. GH Flammarion, Paris 1969.

COLLODI, C., *Pinocchio*, vertit in latinum Hugus Henricus Paoli. Casa Editrice Le Monnier, Firenze (Florencia) 1962.

DESESSARD, C., *Le Latin sans peine, Méthode 'Assimil'*, 13, Rue Gay-Lussac 94430, Chennevières S/Marne 1966.

DIAZ Y DIAZ, Manuel C., *Petronio Arbitro 'Satiricón'*, 2 vol. CSIC. Madrid 1990.

FERNANDEZ DE NAVARRETE, Martín, *Vida de Miguel de Cervantes Saavedra*, Imp. Real, Madrid 1819 (B.N.M. 2-90748 et 3-182957).

FITZMAURICE-KELLY, James, *A Note on 'El Licenciado Vidriera'* in REVUE HISPANIQUE 1897, vol. 4°.

FORCELLINI, Aegidius, *Lexicon totius Latinitatis*, VI vol. Patavii (Padua) 1940 /Bononiae (Bolonia) 1964.

HERMES AMERICANUS, in Academia Latina Danburiensi, Box 322, Bethel, Conn. 06801 (USA).

HESSE, Hermann, *Sub Rota*, vertit in latinum Sigrides C. Albert, Verlag der Societas Latina, Universität, D-6600 Saarbrücken 1994.

IUVENIS ephemerides nubeculatae Italiae, «ELI», European Language Institute, Box 6, 62019 Recanati.

LACARTA, Manuel, *Diccionario del Quijote*, Aldebarán Ediciones, S.L. Madrid 1994.

LATINITAS, in Urbe Vaticana ab anno 1930.

Lazarillo de Tormes, versio abbreviata, REVUE HISPANIQUE n. XV 1906, pp. 770-795, vertit in latinum Caspar Ens. (B.N.M. IB 01 (05) RH).

El Licenciado Vidriera, versio abbreviata, REVUE HISPANIQUE n. IV 1897, pp. 61-70, vertit in latinum Caspar Ens (B.N.M. IB 01 (05) RH).

JOHN LYNCH, *España bajo los Austrias*, Península, Barcelona 1982-84; titulus originalis: «*Spain under the Habsburgs*, Oxford 1965-1969, (CSIC 21/2738-39).

MARCOS CASQUERO, Manuel A. et José OROZ RETA, *Lírica Latina Medieval*, Biblioteca de Autores Cristianos, Madrid 1995.

MATEU Y LLOPIS, Felipe, *Glosario hispánico de Numismática*, N. Poncell, Barcelona 1946 (CSIC E-1335).

MELISSA, Avenue de Tervueren, 76, B-1040 Bruxellis (Bruselas).

MIGUEL, Raimundo de, *Nuevo Diccionario Latino-Español Etimológico*, Sáenz de Jubera Hermanos Editores, Madrid 1921.

MIR, Josephus Maria, *Nova Verba Latina*, Ed. Claret, Barcinone (Barcelona) 1970.

MONROY, Juan Antonio, *La Biblia en el Quijote*, Edit. Suarez, Madrid 1963 (B.N.M. Cerv.-3567).

MONTERO CARTELLE, Enrique, *El Latín Erótico, aspectos léxicos y literarios (hasta el S.I d.C.)*, Publicaciones de la Universidad de Sevilla, Sevilla 1991.

MUÑON, Sancho, *Tragicomoedia de Lisandro y Roselia, o Tercera Celestina*. Libr. Bergua, Madrid s.a.

OPELT, Ilona, *Die lateinischen Schimpfwörter und verwandte sprachliche Erscheinungen*, Carl Winter-Universitätsverlag, Heidelberg 1965, (CSIC 511-D71).

OROZ RETA, José, v. Manuel A. Marcos Casquero.

OXFORD LATIN DICTIONARY, 2 vol. Clarendon Press, Oxford 1968-1982

PALAESTRA LATINA, Caesaraugustae (Zaragoza) ab anno 1930.

PEKKANEN, Tuomo et PITKÄRANTA, Reijo, *Finnorum Nuntii Latini* Radiophoniae Finnicae Generalis (Suomalaisen Kirjallisuuden Seura), Helsinki ab anno 1992.

PERONA VILLARREAL, Diego, *Geografía Cervantina*, Albia, Madrid 1988 (CSIC XLI-320).

RABY, F.J.E., *A History of Secular Latin Poetry in the Middle Ages*, 2 vol. Oxford 1957. (B.N.M. 1-219282-83)

RIQUER, Martín de, *Aproximación al Quijote*, Salvat, Barcelona 1967 (CSIC AM-596).

ROCAGOMERA Y SALASAN, D.A. Agustín, *Novísimo Valbuena* (sic), Librería de Estéban Pujal, Barcelona 1866.

ROJAS, Fernando de, *La Celestina*, vertit in latinum Caspar Barth, V libri, sub nomine *Eratodidascalos* sive *Nemoralium*, Francoforti (Frankfurt) 1624 (B.N.M. R-11930 (2).

SAGAN, Françoise, *Bonjour Tristesse*, vertit in latinum Alexander Lenard, Deutsche Verlags-Anstalt GmbH, Stutgart 1964.

SAINT-EXUPERY, Antoine de, *Le Petit Prince*. Vertit in latinum Augustus Haury. Edidit Fernandus Hazan, via Sequanica (Seine) XXXV-XXXVII, Lutetiae (Paris) 1961.

SAKSA, René, *Lucere ubique lucernas caelestes*, vertit in latinum Rochus Habitzky et Caelestis Eichenseer perpolivit et instruxit adnotationibus, titulus originalis: *Vino corriente -Sprung über die Pyrenäen-*, Reinhard Brune Verlag, D-5653 Langenfeld 1982.

SBARBI, José María, *Intraducibilidad del Quijote*, Madrid 1876 (B.N.M. R-32742).

SBARBI, José María, *Refranero general español*, Atlas, Madrid 1980 et *Colección de refranes, adagios, proverbios y frases proverbiales que se hallan en el Quijote*, Madrid 1876 (B.N.M. 7-113386-95 et Cerv. 3223); *Gran diccionario de refranes de la lengua española: refranes, adagios, proverbios, modismos, locuciones y frases proverbiales recogidos y glosados por el autor.* Joaquín Gil, Buenos Aires 1943 (B.N.M. B 98 PROB); *Monografía sobre los refranes, adagios y proverbios castellanos*, Madrid 1980 (B.N.M. 9/83896).

VIÑAS DE SAN LUIS, Tomás, *Versiones Latinas de poesías Hispanas*, Publicaciones Calasancias, Barcelona 1927 (B.N.M. 7-112411)

VITA LATINA, Avennione (Aviñón) ab anno 1957.

VOX, Diccionario Ilustrado Latino-Español, Español-Latino, Biblograf, S.A. Barcelona 1993.

VOX LATINA, Universität FB 6.3, D-6600 Saarbrücken (Saraviponti) ab anno 1965.

LIBER I

LIBER II

Este libro se terminó
de imprimir en los
Talleres Gráficos de
Nuevo Siglo, S.L.
en el mes de abril de 1988



CENTRO DE
ESTUDIOS CERVANTINOS



Cerbantes.
1547 ~ 1997

CENTRO DE ESTUDIOS CERVANTINOS



ISBN: 84-88330-24-2



MINISTERIO DE CULTURA



Comunidad de Madrid



EXCMO. AYUNTAMIENTO
ALCALÁ DE HENARES



UNIVERSIDAD DE
ALCALÁ
DE
HENARES